BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
20 N
16
MAG 2134

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA PATRUM
DOGMATICA, SCHOLASTICO-POSITIVA;
TOMUS TERTIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA PATRUM DOGMATICA, SCHOLASTICO-POSITIVA,

AUCTORE R. P.

ANTONIO BOUCAT BITURICO,

Ordinis S. Franciſci de Paula Religioſo, Provinciæ Franciæ Profeſſo atque Alumno, & veterano apud Pariſios in ſacra Theologia Profeſſore.

TOMUS TERTIUS,

DE GRATIA MEDIATORIS ſecundum genuinam Divi Auguſtini & Divi Thomæ mentem.

Cum Syſtemate Janſenii, quod funditus evertitur.

EDITIO PRIMA VENETA accuratior & emendatior.

VIRTUTI SIC CEDIT INVIDIA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, MDCCXXXVI.

Apud PETRUM BASSALEAM

In Via S. Bartholomæi ſub Signo Salamandræ.

SUPERIORUM PERMISSU, ATQUE PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

DIVUS AUGUSTINUS de Myſterio gratiæ Chriſti differens Lib. 21. contra Fauſtum cap. 3. ait : " Occultum eſt, altum eſt : inacceſſibi-„ le ſecretum ab humana cogitatione ſecluſum „ eſt, quemadmodum Deus & damnet impium, „ & juſtificet impium , Quanto convenien-„ tius , quanto accommodatius eſt modulo „ noſtro illic expaveſcere ubi Paulus expa-„ vit , & exclamavit : o altitudo divitiarum ſapientiæ , & „ ſcientiæ Dei . . . . . Quanto melius eſt mirari , quod „ inveſtigare non ſufficis . „ Hinc Tractat. 26. in Joan. ſic loquitur : " Magna gratiæ commendatio . Nemo venit *ad Chri-„ ſtum* niſi tractus . . . . . Quare illum trahat , & illum „ non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare . Semel acci-„ pe & intellige, non traheris? ora ut traharis . „ Tum Lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 20. " Sufficit homini „ ſcire quod non eſt iniquitas apud Deum . „ Gratia quidem nihil jucundius, attamen ſicut roſa inter ſpinas , ſic difficultatum innumeris ſtimulis , & aculeis vallata & obſepta eſt ; guſtu ſiquidem magis percipitur , quam intellectu comprehenditur : ideoque dum ſimplicium animis lucem infundit , curioſos majeſtatis ſuæ , Myſteriorumque ſcrutatores gloria opprimit . Quamobrem permulti ad hanc arcanorum gratiæ penetrandam altitudinem , ad hanc abyſſum dimetiendam, ad hæc inſcrutabilia diſcutienda ſoli humanæ inhærentes rationi , in varios ſtupendoſque abiere errores .

Revera quidem tot tantaſque excitavit tempeſtates veſana hominum curioſitas , & ingeniorum male luxuriantium audacia , ut per cuncta fere ſæcula, is fuerit Eccleſiæ aſſiduus labor, concitatos comprimere tumultus, fideique integritatem tueri. In hoc feroci bello, ipſi non defuere inſignes propugnatores , qui tecti galea juſtitiæ , & veritatis armati clypeo, laceſſitam ab inimicis tutarentur matrem. Quotquot apparuere immania hæreſeos monſtra , tot etiam robuſti extitere Samſones , qui , irruente in eos ſpiritu Domini , rugientem diſcerpſere Leonem . Utinam novitatum amatores primævorum Novatorum adverſa perterriti for-

tuna, infeſtoque caſu ab altercationibus tandem aliquando deſiſterent.

Vix Judæorum repreſſa fuerat indomita pertinacitas, qua omnem fiduciam in lege Moſaica collocantes, legem evangelicam inter egena reputabant elementa, cum Baſilides, Valentinus & Marcion, acceptæ ab Apoſtolis fidei adverſantes, audaci & noxia temeritate, hominem debilibus naturæ viribus poſſe in Deum credere affirmarent.

Quid ſingulas perluſtrabo ætates? Ex quo primum ab inferorum abyſſo elevatum eſt horribile & lethiferum hæreſeos monſtrum, debilitari quidem, & nonnumquam fulminibus Eccleſiæ conquaſſari potuit, ſed penitus extinctum & emortuum non apparuit. Enimvero hujus hydræ vix abſciſſum eſt iterato anathemate caput, cum nova hinc inde vel ex ipſius cineribus exſuſcitarentur dracones, perduellium ſcilicet hominum turmæ, quæ viperino, ut ita dicam, connexæ nodo ubique alternatis vicibus horrenda paraverint incendia.

Origenes de errore non ſemel inſimulatus eſt: Arius Divinitatem Verbi, Macedonius vero Spiritus ſancti, non ſine animarum magna pernicie abnuerunt. Tum Pelagius arma contra gratiam Mediatoris audax & præſumptuoſus ſumpſit. Coluber ille Britannicus, ut ait divus Proſper, ſimilis portentoſæ Apocalypſeos beſtiæ, aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, & datum eſt illi bellum facere cum Sanctis. Utinam tamen tam nefandæ hæreſeos auctore defuncto, recrudeſcere nequaquam cœpiſſet hujus perditi parentis perdenda ſoboles. Utinam devicto Pelagio, Semipelagianorum conticuiſſent rixæ, nec ultra in deliciolis ſponſæ Campis armorum, Certaminumque concitaſſent tumultus.

Aſt falſorum adeo Dogmatum fugatis ab Eccleſia tenebris, triſtes rurſum ætate Lucilli Presbyteri, tum poſtea Godeſcalchi ævo redierunt umbræ, innovati ſunt conflictus, reſumpta prælia, rurſum commotæ molitiones contra ſuavitatem gratiæ. Verum in hoc puncto confirmata fides ab adverſariis impugnari deſiit. Diuturnius beata viguiſſet quiete Eccleſia, ſi horum hominum inſidiæ, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, eam non turbaſſent.

Neminem latet quam atrox bellum commoverit Lutheranorum, Calviniſtarumque litigandi vehementia; qua fronte auſi ſint omnis generis errores prædicare: quomodo vi & armis conati ſint has novitatum pravitates ſtabilire. Quid referam fumantes incendiis clariſſimas civitates, conquaſſatas domos, ſubverſa Templa,

aras,

aras deſertas, ſacra polluta, nobiles ſpretos, trucidatos cives, inteſtina bella, martyrum venerandas exuvias igne conſumptas, Templorum religioſam ſupellectilem in indignos uſus converſam? hæc ſi memorem, propalavero quibus inſtrumentis tam pernicioſa ſecta conſolidata ſit. Novum Calviniſtæ ex Janſenio Iprenſi ſubſidium acceperunt, omnes quidem ovina pelle ſubtecti, non ſane Paſtores, ſed fures potius fuere & latrones, qui veſtem Chriſti inconſutilem, ſicut ſchiſmate, ſic & hæreſi, ita dilaceravere, ut jure merito Eccleſia ſponſa Agni ſuſpirans, Cant. 1. dicat: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*.

Præclare, ait Apoſtolus Epiſt. 2. ad Timoth. cap. 4. 2. *Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Cui præcepto non quidem motivo rixandi, ſed animas aſtutia dæmonum deceptas ad meliorem frugem revocandi obedire juvat. Hanc provinciam perfecte adimplere rati, ſi Herculeo labore in evolvendis, diſcutiendiſque Janſenii libris, inſudemus, ut veritatis aditus omnibus pateat, ne ſatanas, qui ſe in Angelum lucis transformare ſtudet, incautos poſſit ſeducere.

Revera quidem erecto collo & pingui cervice, ut ait Job, cap. 15. cucurrit adverſus Omnipotentem peccator obcæcatus, & detortis tum Scripturæ, tum Patrum textibus, prout eſt phantaſiæ & paſſionis indomitæ impetus, tum promiſcue ad excuſandas excuſationes in peccatis, religionem, qualem caro & ſanguis expetit, ſtatuere moliens, veritatem involucris altercationum ſic obnubilare ſatagit, ut ſi apparuerit ei fidei & veritatis aurora, ſubito arbitretur umbram mortis. Hinc ſine termino vagæ diſputationes, & ſcribendi nullus finis, hinc ex uno aut altero Auguſtini alteriuſve Patris textu, libri prope infiniti. Hanc ſcribendi igne malo ſuccenſam pruriginem temperare, & ſi fieri poteſt prorſus extinguere animus eſt, quoniam ex Theologia Angelici Doctoris Divi Thomæ, mille pendent ad propellendas hæreſes Clypei.

Uſu innixi Eccleſiæ, quæ a filiis dilectis adverſus hæreticos infenſiſſimos vindicari cupit, juxta illud egregium Cœleſtini Papæ Epiſtol. ad Epiſcopos Galliæ effatum: *Profundiores vero difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus eas aſtruere*. Errorem debellare aggredimur.

Ergo omnes gratiæ hoſtes in iſto tractatu perſtringere conamur: Pelagianos primum, qui ejus nedum neceſſitatem, ſed & exi-

exiſtentiam inficiantur ; tum Prædeſtinatianos, ejuſdem efficaciæ cum libero arbitrio conſociationem abnegantes.

Deinde vero Proteſtantes, ſed maxime Janſenii aſſeclas, qui retento palmari Magiſtri circa gratiam neceſſitantem errore, ſimplicium & obliteratorum mentes ſic occupant, ut tanto periculoſius aculeis pungant, quanto ſubtilius deliteſcere ſatagunt. Diceres ſolam Iprenſis ſententiam ſpirare doctrinam Auguſtini, cujus textuum copia ſic aſperſit libros, ut in ipſis de gratia Chriſti elucubratis ubique Auguſtinum redivivum ex cathedra loqui autumares. Ceterum, Catholicorum ſpeciem ſic præſeferunt, ut præcepta Dei juſtis omnibus poſſibilia, hominem poſſe gratiæ reſiſtere, Deum omnium velle ſalutem, verbis ferme quoad omnia cum Eccleſia conſociatis, ſed ſenſu prorſus, & fide longe remotis, diſcordes Novatores propugnare videantur.

Sed ut ad metam tandem aliquando perveniant obſtrepentium lites, omnium ſubjiciemus oculis totius libri Auguſtini ementiti nomenclaturam, ita ut nullus cordatus impoſterum de erroribus Janſenii dubitare poſſit, & Janſeniſmum merum eſſe phantaſma inverecunde conclamare audeat.

Primo, in una Diſſertatione opus Janſenii a capite ad calcem, quoad omnes libros & librorum argumenta exhibemus.

Secundo, quadraginta circiter errores ab ipſis excerptos allatis textibus, notatis capitibus, paginis & paginarum columnis, fideli calamo in medium afferimus.

Tertio, cuncta Heterodoxorum etiam inter ſe oppoſitorum, ſimiliter & Theologorum Orthodoxorum de gratia Mediatoris Syſtemata exponimus.

Quarto, relationem, quam Syſtema Janſenii habet ad Proteſtantium & aliorum Hæreticorum Syſtemata notamus.

Quinto, affulget analyſis libri quarti Janſenii de gratia Chriſti a cap. I. circiter ad duodecimum uſque, ubi ex profeſſo gratiam neceſſitantem probare contendit : numeratis vero infinitis prope D. Auguſtini auctoritatibus, & diſcuſſis, tum clare demonſtramus alias ne quidem ad rem ſpectare, alias, detorto ſenſu incaſſum ſumi, plurimas fidei dogma Catholicum non debellare, ſed potius aſtruere.

Sexto, Concluſiones Auguſtini ſono, verbo, & termino concluſionibus Iprenſis, allatis ejus textibus, oppoſitæ exhibentur.

Septimo, in altera Diſſertatione, prævia hiſtoria critica Janſeniſmi, oſtendimus in quinque articulis quinque Propoſitiones famoſas ſacræ adverſari Scripturæ : Rurſus in ulteriori totidem articulis concluſa, quamlibet e quinque Propoſitionibus ab Eccleſiæ

do-

doctrina longe abſcedere : Rurſus in tertia Diſſertatione quinque ſimiliter articulos exhibente, ſingulas Propoſitiones prorſus divo Auguſtino opponi : Demum in poſtrema ex ſex conflata articulis, gratiam ſufficientem Mediatoris ad omnes & ſingulos homines ſe extendere. Primo quidem, dari juſtis conantibus & ad mandata adimplenda properantibus, ac juxta præſentes quas habent vires ſatagentibus. Secundo, peccatoribus ad Deum ſe ſe convertere volentibus : Tertio, obduratis, ut ad meliorem frugem poſſint redire : Quarto, Judæis, qua poſſint Chriſtum agnoſcere & ſalvari. Quinto, Infidelibus, ut declinent a malo, & faciant bonum. Sexto, aliqualiter, vel ipſis pueris in utero materno morientibus, quorum ſaluti ſufficienter providit Deus offerendo & parando media : Quibus omnibus bona fide diſcuſſis, cauſa finita eſt; utinam & error, ſiquidem magis amari avet gratia, quam diſputatione tractari. *Quid enim debet eſſe vel jucundius*, ait Auguſtinus Epiſt. 105. *infirmis gratia, qua ſanantur, vel pigris gratia, qua excitantur; vel nolentibus gratia, qua juvantur?*

Digitized by Google

SERIES DISSERTATIONUM,

Articulorum, Sectionum, Paragraphorum, Concluſionum, & Argumentorum, quæ in hoc tertio Tomo continentur.

De Hæreſibus. 1

Dogmata. 2

Partitio Tractatus. ibid.

Variæ gratiæ acceptiones. ibid.

Diviſiones gratiæ. 3

Diſſertatio præambula de hæreſibus. 4

Hiſtoria critica hæreſis Pelagianæ. ibid.

Articulus I. *Utrum Pelagius gratiam ad bona opera admiſerit?* 6

Concluſio. *Pelagius gratiam cordis immutativam non admiſit.*

Probatur auctoritate, & ratione.

1. *Ex Patribus.* 7
2. *Ex Conciliis.* ibid.
3. *Ex Theologis omni exceptione majoribus.* ibid.

Diluuntur argumenta in contrarium. 8

Aliæ proponuntur objectiones. 10

Synopſis probationum, objectionum, & reſponſionum. 15

Sic deinde & in ceteris Concluſionibus ſubſequentibus.

Articulus II. *Utrum caput controverſiæ inter Auguſtinum & Pelagium fuerit de gratia actuali & operis?* 15

Concluſio. *Caput Controverſiæ inter S. Auguſtinum & Pelagium erat de gratia operis.* ibid.

Probatur ex S. Auguſtino. ibid.

Diluuntur objectiones. 16

Articulus III. *Utrum Semipelagiani admiſerint gratiam actualem ad initium fidei?*

Hiſtoria critica Semipelagianiſmi. 19

Concluſio. *Semipelagiani non admiſerunt gratiam actualem ad initium fidei.* 21

Probatur auctoritate, & ratione. ibid.

1. *Ex Concilio Arauſicano II.* ibid.
2. *Ex ipſis Semipelagianorum dictis.* 22
3. *Ex B. Auguſtino.* ibid.
4. *Ratione eaque multiplici.* ibid.

Diluuntur argumenta in contrarium. ibid.

Articulus IV. *Utrum S. Juſtinus præceſſerit in errore Semipelagianos?* 24

Concluſio negativa. ibid.

Probatur variis rationibus. ibid.

Fit ſatis objectionibus. 25

Articulus V. *Num Clemens Alexandrinus impegerit in errorem Maſſilienſium?* 27

Concluſio negativa.

Probatur ex textibus Clementis. ibid.

Reſpondetur objectionibus. 28

Articulus VI. *Utrum S. Cryſoſtomus circa initium fidei erraverit?* 29

Concluſio negativa. ibid.

Probatur primo auctoritate. ibid.

Secundo vindicatur ab errore, rationibus Theologicis. 30

Solvuntur objectiones. ibid.

Articulus VII. *Num Caſſianus, Gennadius & Fauſtus Eccleſiæ Regienſis præſul, poſſint a Semipelagianiſmo vindicari?* 35

De Caſſiano.

Concluſio. *Caſſianus poteſt excuſari a Semipelagianiſmo.* ibid.

Fit ſatis objectionibus. ibid.

De Gennadio, & Fauſto. 38

DISSERTATIO PRIMA.

De exiſtentia gratiæ.

Dogma de exiſtentia gratiæ, quatuor probatur momentis. 39

Articulus I. *Num detur gratia ſufficiens.*

Concluſio. *Datur in præſenti ſtatu gratia ſufficiens.*

Probatur auctoritate, & ratione.

1. *Ex Scriptura ſacra.* ibid.
2. *Ex Conciliis & ſummis Pontificibus.*

Concilia. 40

Summi Pontifices. 41

3. *Ex traditione Patrum.* ibid.

Primo, ex græcis. ibid.

Secundo, ex Patribus Latinis. 42

4. *ex Theologis omni exceptione majoribus.* 43

Pro-

Propelluntur Heterodoxorum cavilla. 44

Contunduntur ſpicula Novatorum qui in adulterinum explicant ſenſum, iſta D. Auguſtini verba, perſeverares ſi velles. 46

Objectiones ex Scriptura ſacra prodeuntes ſolvuntur. 47

Solvuntur objectiones ex D. Auguſtino depromptæ. 50

Fit ſatis objectionibus, ex ratione prodeuntibus. 53

Articulus II. *Num detur gratia efficax?*

Concluſio affirmativa.

Probatur multis momentis.

1. *Ex Scriptura ſacra.* 58
2. *Ex Conciliis.* ibid.
3. *Ex ſanctis Doctoribus.* ibid.

Diluuntur objecta. 59

Articulus III. *Utrum detur gratia habitualis?*

Concluſio affirmativa.

Probatur auctoritate, & ratione.

1. *Ex Scriptura ſacra.* 65
2. *Ex Conciliis.* ibid.
3. *Ratione eaque multiplici.* ibid.

Diluuntur objecta. ibid.

Articulus IV. *Utrum detur gratia perſeverantiæ finalis?*

Concluſio affirmativa.

Probatur multis argumentis. 67

Fit ſatis objectionibus. ibid.

DISSERTATIO SECUNDA.

De eſſentia gratiæ in genere.

Dogma de gratuitate gratiæ quatuor mediis probatur. 69

Articulus I. *Utrum ſtatus naturæ puræ ſit poſſibilis?* ibid.

Concluſio. *Status naturæ puræ eſt poſſibilis?*

Probatur auctoritate, & ratione.

1. *Ex Scriptura ſacra.* ibid.
2. *Ex decretis S. Pii V. & Gregorii XIII. ſummorum Pontificum.* 70
3. *Ex S. Auguſtino ejuſque rationibus.* ibid.
4. *Ex S. Thoma.* 72
5. *Ratione multiplici.* 73

Eliduntur Cavilla Janſenii Iprenſis. ibid.

Objectio Janſenii ex damnatione in globo excerpta diluitur. 75

Convelluntur nonnullorum de novo obſtrepentium commenta. 77

Argumenta in contrarium ex D. Auguſtino deſumpta diluuntur. 78

Solvuntur objectiones ex fine ſupernaturali qui homini debetur. 80

Objectiones ex concupiſcentia, & ignorantia procedentes. 81

Objecta ex aliis miſeriis ſolvuntur. 82

Articulus II. *Utrum de facto gratia ſit gratuita, & prorſus homini indebita?*

Concluſio. *Gratia actualis eſt mere gratuita.*

Probatur auctoritate, & ratione.

§. I. *Ex veteri Teſtamento.* 84

1. *Ex Pſalmis.* ibid.
2. *Ex Proverbiis.* 85
3. *Ex Prophetis.* ibid.

§. II. *Ex novo Teſtamento.*

1. *Ex Evangelio.* ibid.
2. *Ex Actibus Apoſtolorum.* ibid.
3. *Ex B. Pauli epiſtolis.* ibid.

§. III. *Ex Conciliis.* 86

§. IV. *Ex ſanctis Patribus.* ibid.

§. V. *Ex rationibus D. Auguſtini.* 87

Fit ſatis Pelagianorum, & Semipelagianorum objectionibus. 90

Articulus III. *Num Patres Dioſpolitani abſolvendo Pelagium, ejus adhæſerint erroribus?*

Concluſio negativa.

Probatur multiplici ratione. 96

Confeſſio fidei Pelagii exhibita in Concilio Dioſpolitano. 97

Teſtimonium S. Auguſtini. ibid.

Teſtimonium Innocentii I. 98

Teſtimonium S. Proſperi. ibid.

Fit ſatis objectionibus. ibid.

Articulus IV. *Utrum Zoſimus Papa Cæleſtium abſolvendo, ejus ſubſcripſerit hæreſi?*

Concluſio negativa.

Probatur unico ſed efficaci argumento. 101

Fit ſatis objectionibus. 103

DISSERTATIO TERTIA.

De natura cujuslibet gratiæ in ſpeciali.

Dogma de natura & ſuavitate gratiæ in individuo ſpectata, quatuor probatur & explicatur argumentis. 106

Articulus I. *De natura gratiæ ſufficientis.* ibib.

Sectio I. *De variis gratiæ ſufficientis ſyſtematibus.* ibid.

Sectio II. *Utrum gratia ſufficiens conſiſtat in illuſtratione & piis motionibus, quæ dent proxime poſſe bonum ſalutis.* 108

Concluſio. *Gratia dat poſſe proximum & expeditum ad agendum.*

Proba-

Probatur multis momentis .
1. *Ex Scriptura ſacra .* ibid.
2. *Ex Conciliis .* 109
3. *Ex SS. Patribus & Doctoribus .* ibid.
4. *Ex D. Thoma , & ejus aſſeclis .* 110
5. *Ex variis rationibus .* ibid.
Solvuntur objectiones . 111
Solvuntur objectiones deprompta , ex impoſſibilitate morali agendi conficta cum ſola gratia ſufficiente . 113
Sectio III. *Utrum gratia ſufficiens in concurſu aqualis , vel majoris delectationis terrena , det poſſe proximum agendi relative ad illam delectationem?* 116
Concluſio . *Gratia ſufficiens dat poſſe proximum relative ad actum quem reſpicit , & preter quem datur .*
Probatur auctoritate , & ratione.
Primum argumentum .
Ex ſcriprura veteris Teſtamenti .
1. *Ex libris Legalibus .* ibid.
2. *Ex libris Sapientialibus .* 117
3. *Ex libris Prophetalibus .* ibid.
Ex novo Teſtamento .
1. *Ex Evangeliſtis .* 118
2. *Ex Actibus & Epiſtolis .* 119
Secundum argumentum Conciliis ſufful.um 121
Tertium argumentum ex SS. Patribus depromitur . 122
Quartum argumentum ex S. Auguſtino & ejus diſcipulis SS. Fulgentio , Proſpero , & D. Thoma eruitur . ibid.
Quintum argumentum ex doctrina Eccleſia deſumptum . 124
Sextum argumentum ex diverſis rationibus conflatur . ibid.
Solvuntur objectiones Janſenii & ſuorum . 127.
Solvitur argumentum ex aquilibrio vitioſo petitum . 135
Sectio IV. *Utrum gratia ſufficiens quandoque habeat effectum , ad quem tendit ut ad finem , & quidem mediante gratia efficaci ?* 139
Concluſio affirmativa .
Probatur concluſio auctoritate & ratione . ibid.
Synopſis ſectionis . 140
Sectio V. *Utrum gratia ſufficiens immediate producat aliquem effectum debilem & pravium ad effectum perfectiſſimum ?* ibid.
Concluſio . *Probabiliſſimum eſt gratiam ſufficientem , cooperante libero arbitrio , ſe ſola producere actus deliberatos debiles , quales ſunt diſpoſitio negativa ad gratiam efficacem , actus attritionis , & fidei informis .*
Probatur multis momentis .
1. *Ex Scriptura ſacra .* 141
2 *Ex auctoritate Concilii Tridentini , SS. Auguſtini & Thoma .* 142
3. *Ex Theologis omni exceptione majoribus.* 143
4. *Ex rationibus Theologicis .* 145
Solvuntur objectiones . 146
Articulus III. *De adjutorio* ſine quo , *& de adjutorio* quo , *ſecundum mentem D. Auguſtini , pro ſtatu natura integra & lapſa reparata .* 151
Sectio I. *De eſſentia & natura gratia primi hominis .*
Concluſio I. *S. Auguſtinus dividens gratiam in adjutorium* ſine quo , *& in adjutorium* quo , *illius naturam dare poſſe , iſtius vero dare agere , indigitavit .*
Probatur textibus S. Praſulis . 152
Concluſio . II. *Poſſe bonum ſupernaturale proxime eſt a gratia actuali etiam in homine innocente .*
Probatur auctoritate D. Auguſt. & ratione .
1. *Auctoritate S. Auguſtini .* 153
2. *Ex rationibus Theologicis .* ibid.
Concluſio III. *Gratia primi hominis , & Angelorum non ſolum gratiam habitualem & mentis illuminationem complectebatur , ſed & voluntatis motionem .*
Probatur rationibus Theologicis . 154
Solvuntur objectiones Janſenii , qua militant contra ſecundam concluſionem . 157
Solvuntur objectiones qua contra tertiam concluſionem fieri poſſunt . 163
Sectio II: *Utrum S. Auguſtinus admiſerit auxilium* ſine quo, *in ſtatu innocenntia , per excluſionem a ſtatu natura lapſa reparata ?* 166
Concluſio . *S. Auguſtinus non excludit a ſtatu praſenti auxilium* ſine quo . 167
Solvuntur objectiones Janſenii . 168
Sectio III. *Utrum S. Auguſt. admiſerit neceſſitatem auxilii* quo *pro ſtatu innocentia ?* 173
Concluſio I. *S. Auguſtinus admiſit auxilium* quo *pro Adamo , non quidem perſeverantia , ſed ad actus virtutum eliciendos .*
Probatur rationibus S. Praſulis . 174
Concluſio II. *Angeli ſancti habuerunt auxilium* quo , *ſeu gratiam efficacem tum ad pracepta fidei , ſpei , & amoris erga Deum adimplenda , tum ad actus religionis , & pietatis eliciendos , tum etiam ad perſeverandum*

vandum finaliter in bono.
Probatur multipliciter.
1. Ex Scriptura ſacra. 176
2. Ex S. Auguſtino. ibid.
3. Ex aliis SS. Patribus. 177
4. Ex rationibus Theologicis. 178
Fit ſatis Janſenii objectionibus. 180
Sectio IV. Quid intelligat Auguſtinus, cum dicit gratiam Chriſti, movere inſuperabiliter, & indeclinabiliter. 187
Concluſio. Quando S. Auguſt. dicit gratiam Chriſti movere inſuperabiliter, loquitur de gratia perſeverantiæ adæquate ſumpta, id eſt, de gratia perſeverantiæ finalis.
Probatur triplici argumento. 1. Ex textibus. 2. Ex ſcopo ab auctore intento. 3. Ex bonis inde conſequentiis, malis vero ſi aliter intelligatur.
Primum argumentum ex textibus. 188
Secundum argumentum ex ſcopo ab auctore intento. 190
Tertium argumentum petitur ex bonis & malis conſequentiis, ſi iſta vocabula, inſuperabiliter, indeclinabiliter, male aut bene applicentur. 194
Solvuntur objectiones. 195
Articulus IV. De natura gratiæ efficacis præſentis ſtatus. 200
Sectio I. De variis gratiæ efficacis ſyſtematibus. ibid.
§. I. Syſtemata Hæreticorum qui tenent gratiam per ſe efficacem. ibid.
§. II. Syſtema Janſenii. ibid.
De ſyſtemate Janſenii in genere. 201
De ſyſtemate Janſenii circa gratiam efficacem in particulari, ejuſque eſſentia. ibid.
De ſyſtemate Janſenii relative ad Calvinum & Lutherum.
Hæreſis Janſeniana eſt nova, & a Calviniana diſtincta, quamvis ei ſit affinis. 203
De ſyſtemate Janſenii relative ad Thomiſtas.
Janſenii ſyſtema hæreticum eſt, & a ſenſu Thomiſtico penitus diſcrepans. 205
De ſyſtemate Janſenii relative ad alios quoſdam Theologos. Theologi Orthodoxi gratiam efficacem in delectatione reponentes, longe diſtant a Janſenio. 206
§. III. Syſtemata Doctorum Orthodoxorum qui tenent gratiam eſſe per ſe efficacem. 207
Syſtemata Hæreticorum qui tenent gratiam efficacem per voluntatis in ſe relictæ conſenſum & conatum. 208
Syſtemata Orthodoxorum qui gratiam efficacem per voluntatis adjuta a gratia præveniente conſenſum docent. 209
Sectio ſecunda. Convellitur & funditus evertitur Janſenii de gratia per ſe efficaci ſyſtema. 210

Primum argumentum.

Syſtema Janſenii adverſatur ſacræ Scripturæ & SS. Doctoribus. 211

Secundum argumentum.

Syſtema Janſenii opponitur D. Thomæ ejuſque ſcholæ Angelicæ. 213

Tertium argumentum.

Syſtema Janſenii videtur Deum peccati auctorem facere, & viam ad multa mala patrare. 214

Quartum argumentum.

Syſtema Janſenii ſyſtemati Epicuri non nihil affine eſt, & in puncto libertatis pejus eſſe videtur. 218

Quintum argumentum.

Syſtema Janſenii videtur ortum ducere a Manichæiſmo. 219

Sextum argumentum.

Opinio Janſenii de duabus delectationibus convenit cum Calvini opinione. ibid.

Septimum argumentum.

Syſtema Janſenii ab omnibus Theologis tanquam erroneum & hæreticum rejicitur. 221
Fit ſatis objectionibus. 222
Sectio III. Utrum detur gratia per ſe efficax? 227
§. I. Reſolvitur quæſtio de gratia efficacia.
Concluſio. Gratia mediatoris eſt intrinſece & per ſe efficax.
Probatur multis momentis.
Primum argumentum ex Scriptura utriuſque Teſtamenti eruitur. 228
Secundum argumentum fit ex Conciliis. 230
Tertium argumentum ex ſanctis Patribus de-

Digitized by Google

depromitur. 231

Quartum argumentum ex S. Auguſtino ejuſque aſſeclis SS. Proſpero & Thoma. 232

Quintum argumentum ex rationibus plurimis conflatur. 235

Sextum argumentum & quidem irrefragabile petitur ab exemplo duorum, erga mulierem eodem modo affectorum, quorum unus cedit tentationi, alter non, licet in iiſdem circumſtantiis poſitus. 236

Solvuntur objectiones in genere adverſus gratiam per ſe efficacem. 237

Solvuntur objectiones eorum qui gratiam per ſe efficacem nocere libertati propugnant. 240

Diluuntur objectiones cujuſdam recentioris Theologi adverſus gratiam per ſe efficacem militantes. 242

§. II. *Num gratia per ſe efficax conſiſtat formaliter in præmotione?*

Concluſio. *Gratia per ſe efficax ſita eſt 1. In præmotione morali. 2. Simul & in phyſica. 3. Tum & probabiliter in protectione Dei removentis prohibentia.*

Probatur in genere hanc gratiam conſiſtere in præmotione morali ſimul & phyſica.

Prima probatio, ex Scriptura deſumitur. 248

Secunda probatio, ex Conciliis. 249

Tertia probatio, ex S. Auguſtino. 250

Quarta probatio, ex S. Thoma. 251

Quinta probatio, ex rationibus. 252

Fit ſatis objectionibus. 255

Solvuntur objectiones Janſenii. 262

Solvitur objectio momentoſa Janſeniana. 267

§. III. *Utrum voluntas humana ſub dominio gratiæ per ſe efficacis cooperetur ad actus ſupernaturales eliciendos?*

Concluſio. *Voluntas humana cooperatur gratiæ, neque mere paſſive ſe habet ut inanime quoddam.*

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo quidem auctoritate. 269

Idem probatur rationibus Theologicis. 271

Solvuntur objectiones Proteſtantium. 272

Articulus V. *De natura & eſſentia gratiæ ſanctificantis.* 275

Concluſio. *Gratia ſanctificans eſt formaliter divinæ naturæ participatio.*

Probatur auctoritate, & ratione.

1. *Ex Scriptura ſacra.* ibid.
2. *Ex Conciliis.* ibid.
3. *Ex ſanctis Doctoribus.* ibid.
4. *Rationibus Theologicis.* 276

Solvuntur objectiones. 277

Articulus VI. *De natura gratiæ perſeverantiæ.*

Concluſio. *Perſeverantia finalis, eſt donum Dei, & quidem ſpecialiſſimum.*

Probatur auctoritate, & ratione.

1. *Ex Scriptura ſacra.* 278
2. *Ex Conciliis.* 279
3. *Ex Patribus & ſanctis Doctoribus.* ibid.
4. *Rationes ſpeciales quibus S. Auguſtinus probat perſeverantiam eſſe ſpeciale Dei donum.* 280
5. *Ex ulterioribus rationibus.* 282

Fit ſatis objectionibus. ibid.

DISSERTATIO QUARTA.

De *neceſſitate gratiæ.* 287

Articulus I. *Utrum Gratia actualis ſit neceſſaria ad cognoſcendum verum?* ibid.

Concluſio. *Homo abſque gratia veritates ſupernaturales cognoſcere non valet.*

Probatur multis momentis.

1. *Ex Scriptura ſacra.* 288
2. *Ex Conciliis.* ibid.
3. *Ex D. Thoma.* ibid.

Solvuntur objectiones. ibid.

Synopſis probationum, difficultatum & explicationum. 290

Sic deinde & in ceteris concluſionibus ſubſequentibus.

Articulus II. *Utrum homo ſine gratia poſſit bonum aliquod facere.* ibid.

Sectio I. *Utrum gratia fidei ſit neceſſaria ad bonum morale naturalis ordinis operandum.* ibid.

§. I. *Utrum ignorantia invincibilis excuſet a peccato?* 591

Concluſio. *Ignorantia invincibilis juris naturalis circa ſecundam Decalogi tabulam.* non Concupiſces, *excuſat a peccato.*

Probatur auctoritate & ratione.

1. *Ex Scriptura ſacra.* 292
2. *Ex Concilio Tridentino.* 293
3. *Ex decretis ſummorum Pontificum.* ibid.
4. *Ex D. Auguſtino.* ibid.
5. *Ex D. Thoma.* 294
6. *Ex ratione, eaque multiplici.* ibid.

Explicatur mens Eſtii. 296

Diluuntur argumenta Janſenii, ex auctoritate D. Auguſtini deſumpta. 298

§. II.

§. II. *Num de facto omnia infidelium opera ſint peccata?*
Concluſio negativa. *Probatur auctoritate, & ratione.*
Prima probatio, ex Scriptura ſacra. 301
Secunda probatio, ex ſummis Pontificibus. 302
Tertia probatio, ex Sanctis Doctoribus. ibid.
Quarta probatio, ex rationibus Theologicis. 303
Solvuntur objectiones ex Scriptura ſacra prodeuntes. 304
Difficultates ex SS. Patribus proponuntur. 305
Objectiones ex ratione diſcutiuntur. 307
Sententiæ Patrum de infidelium ſalute. 308
§. III. *An S. Auguſtinus omnia infidelium opera peccata eſſe propugnaverit?*
Concluſio *S. Auguſtinus omnia infidelium opera peccata eſſe, nec docuit, nec credidit.*
Probatur multiplici ratione. 309
Solvuntur objectiones ex auctoritate D. Auguſtini prodeuntes. 310
Sectio II. *Utrum peccator, qui gratia ſanctificante caret, poſſit aliquod bonum morale ſaltem ordinis naturalis facere?*
Concluſio affirmativa. *Probatur auctoritate & ratione.*
Primo quidem ex Scriptura ſacra. 317
Secundo, ex Conciliis. ibid.
Tertio, ratione triplici. 318
Fit ſatis objectionibus. ibid.
Sectio III. *Utrum gratia actualis ſit neceſſaria ad legem naturæ adimplendam?* 320
Concluſio I. *Homo lapſus legem naturalem abſque gratia in aliquo adimplere poteſt.*
Probatur rationibus D. Thomæ. ibid.
Concluſio II. *Homo lapſus ſine gratia totam naturæ legem adimplere non valet.*
Probatur auctoritate, & ratione.
1. *Ex Scriptura ſacra.* 321
2. *Ex Conciliis.* ibid.
3. *Ex SS. Doctoribus.* ibid.
4. *Ex ratione.* 322
Solvuntur objectiones contra primam Concluſionem. ibid.
Diluuntur objecta adverſus ſecundam Concluſionem militantia. 324
Solvitur argumentum ex dilectione Dei. 326
Sectio IV. *Utrum homo facere poſſit bonum ſupernaturale ſine gratia?*
Concluſio I. *Gratia actualis eſt abſolute neceſſaria ad eliciendos actus ſupernaturales.*
1. *Probatio, ex Scriptura ſacra.* 329
2. *Probatio, ex ſummis Pontificibus.* 330
3. *Probatio, ex Conciliis.* ibid.
4. *Probatio, ex SS. Patribus, & Orationibus Eccleſiæ.* ibid.
5. *Probatio, ex rationibus Theologicis.* 331.
Concluſio. II. *Initium fidei non eſt a nobis, niſi gratia præcedat. Probatur multis momentis.*
Primo, ex Scriptura ſacra. ibid.
Secundo, ex Conciliis. ibid.
Tertio, ex traditione Patrum. ibid.
Quarto, ex rationibus Theologicis. 332
Solvuntur objectiones contra primam Concluſionem. 333
Proponuntur & ſolvuntur difficultates contra ſecundam concluſionem. 334
Sectio V. *Utrum homo viribus naturæ poſſit ſe diſponere ad gratiam.* 337
Concluſio. *Homo viribus naturæ, nequit poſitive ſe diſponere ad gratiam.*
Probatur auctoritate, & ratione.
Primo, ex veteri Teſtamento. 338
Secundo, ex novo Teſtamento. ibid.
Tertio, ex Conciliis. ibid.
Quarto, ex SS. Doctoribus. ibid.
Quinto, ratione eaque multiplici. 339
Solvuntur objectiones, ex Scriptura ſacra prodeuntes. ibid.
Proponuntur difficultates, ex auctoritate SS. Doctorum, & ratione ſimul deſumpta, & ſolvuntur. 341
Articulus III. *Utrum homo ſine gratia actuali poſſit diligere Deum, & vincere tentationes?* 334
Concluſio I. *Homo non poteſt diligere Deum ut auctorem naturæ ſuper omnia, ſecluſo gratiæ auxilio.* 335
Concluſio II. *Homo ſine gratia non poteſt vincere graves tentationes.* ibid.
Fit ſatis objectionibus. ibid.
Articulus IV. *Utrum homo poſſit perſeverare in bono ſine gratia?* 347
Concluſio I. *Homo ſine gratia actuali, & habituali non poteſt diu perſeverare in bono.*
Probatur auctoritate & ratione.
1. *Ex Scriptura ſacra.* ibid.
2. *Ex Conciliis.* ibid.
3. *Ex SS. Patribus.* ibid.
4. *Rationibus D. Thomæ.* 348
Concluſio II. *Juſtus ſine privilegio nequit*

per

Digitized by Google

per totam vitam omne veniale peccatum vitare.
Probatur multis momentis. ibid.
Concluſio. III. *Sine gratia ſpecialiſſima nullus finaliter in bono perſeverare poteſt.*
1. *Probatio Scripturæ innitur.* 349
2. *Probatio, ex Conciliis.* ibid.
3. *Probatio, ex ſanctis Doctoribus.* ibid.
4. *Probatio, ex rationibus.* ibid.
Solvuntur objectiones contra primam Concluſionem. 350
Fit ſatis objectionibus adverſus ſecundam Concluſionem militantibus. 352
Difficultates adverſus tertiam Concluſionem & ſolutiones. 354

DISSERTATIO QUINTA.

De extenſione gratiæ.
Janſenii damnatæ propoſitiones. 357

Controverſia Prima.

De hæreſi Janſeniana.
Hiſtoriam ex actibus Cleri Gallicani, tum ex manuſcriptis optimæ notæ, quæ aſſervantur in Seminario S. Sulpicii Pariſiorum, tum ex libris Janſenii, &c. ut ex primævis fontibus hauſimus.

Hiſtoria critica Janſeniſmi.

Ortus. 358
De opere Janſenii. ibid.
Tomus primus. ibid.
Tomus ſecundus. ibid.
Tomus tertius. 359
Dogmata Janſenii. ibid.
Propoſitiones Baji damnatæ quas ſuſcipit Janſenius.
Primo, circa liberum arbitrium. 363
Secundo, circa poſſibilitatem mandatorum. ibid.
Tertio, circa Infidelium opera. ibid.
Quarto, circa ſtatum naturæ puræ. ibid.
Ipſius Janſenii de doctrina ſua ſiniſtrum teſtimonium. ibid.
Progreſſus. 364
Janſeniſmi proſcriptio. 371
Decretum ſacræ Facultatis Pariſienſis, pro Conſtitutione Alexandri VII. recipienda. 372
Articulus I. *Utrum prædictæ quinque propoſitiones ſint in libro Janſenii?*
Concluſio. *Quinque propoſitiones damnatæ reperiuntur in libro Janſenii.* 374
Solvuntur objectiones. 378
Explanatur caput decimum tertium libri tertii Janſenii de gratia Salvatoris.
Obſervationes. 380
De mente Janſenii. ibid.
Mutua relatio inter primam Janſenii propoſitionem & Calvini de impoſſibilitate præceptorum doctrinam. 383
Reſpondetur *in particulari ad ſingula capita initio propoſita pro defenſione Janſenii.* 384
Solvuntur objectiones eorum qui doctrinam in prima propoſitione contentam, Auguſtinianæ eſſe affinem contendunt. 390
Solvuntur objectiones Novatorum ex aliis B. Auguſtini locis deprompta. 394
Solvuntur objectiones pro defenſione propoſitionum Janſenii. 398
Evertuntur nova fundamenta de gratia ſufficiente, quam admiſiſſe Janſenium quidam effutiunt, ut ejus doctrinam ab hæreſeos labe immunem eſſe oſtendant. 404
Articulus II. *Utrum propoſitiones ſint damnatæ in ſenſu Janſenii?*
Concluſio affirmativa.
Probatur ex ſenſibus Auctoris.
Senſus primæ propoſitionis. 408
Senſus ſecundæ propoſitionis. 409
Senſus tertiæ propoſitionis. 413
Senſus quartæ propoſitionis. 416
Senſus quintæ propoſitionis. 417
Jam oſtenditur propoſitiones fuiſſe proſcriptas in ſenſu Janſenii.
Probatur primo, ex Bullis Summorum Pontificum. 418
Probatur ſecundo, variis rationibus. 421
Solvuntur objectiones Novatorum. ibid.
Synopſis de ſenſibus propoſitionum. 425
Articulus III. *Utrum ad Eccleſiam ſpectet judicare quæſtionem facti dogmatici?* 426
Concluſio. *Ad Eccleſiam ſpectat judicare irrevocabiliter quæſtiones facti dogmatici.*
Probatur argumento Theologico irrefragabili. 427
Fit ſatis objectionibus Heterodoxorum. 428
Impoſſibilitas ad agendum oppoſitum ſub dominio delectationis ſuperioris. 430
Articulus IV. *Utrum fideles teneantur ſincere ſubſcribere Formulario?* 432
Formularium. 433
Concluſio. *Fideles utriuſque ſexus tenentur ſubſcri-*

ſubſcribere ex animo, & ſincere Formulario, & ſine reſtrictione mentali.
Probatur auctoritate, & ratione.
1. *Ex Scriptura ſacra.* ibid.
2. *Ex Traditione.* 434
3. *Ex factis.* ibid.
Factum Arii & ejus Thalia. ibid.
Factum Pelagii, Neſtorii, & Eutichetis, tum & trium Capitulorum. 435
4. *Rationibus Theologicis.* 437
Dirimuntur futiles Novatorum in peccatis excuſationes. 438
Oſtenditur definitionem Eccleſiæ circa factum Dogmaticum ſpectare, ſaltem ſecundario fidem. 446

Controverſia ſecunda.

De Doctrina Eccleſiæ circa materiam quinque propoſitionum. 442
Hoc momentum quinque argumentis probatur adverſus negantes. 443
Articulus I. *Utrum quædam Dei præcepta ſint impoſſibilia?* ibid.
Concluſio. *Mandata Dei nulla ſunt impoſſibilia.*
Probatur auctoritate, & ratione. ibid.
Solvuntur objectiones. 445
Articulus II. *Utrum homo in præſenti ſtatu poſſit reſiſtere gratiæ?*
Concluſio affirmativa. *Probatur multis momentis.*
1. *Probatio, ex Scriptura ſacra.* 447
2. *Probatio, ex SS. Pontificibus, & Conciliis.* 448
3. *Probatio, ex SS. Patribus.* ibid.
4. *Probatio, ex rationibus Theologicis.* 449
Solvuntur objectiones Novatorum. ibid.
Articulus III. *Utrum eſſentia libertatis conſiſtat in indifferentia actus?* 452
Concluſio. *Libertas eſſentialiter in indifferentia activa conſiſtit.*
Probatur auctoritate, & ratione.
1. *Ex Scriptura ſacra.* ibid.
2. *Ex SS. Pontificibus.* ibid.
3. *Ex Conciliis.* ibid.
4. *Ex SS. Patribus.* 453
5. *Ex proſcriptione veterum hæreſum.* ibid.
6. *Ex Theologis diverſarum nationum.* 454
Ex Belgis qui Lutheranos & Calviniſtas impugnarunt. ibid.
Ex Hiſpanis. 455
Ex Italis. ibid.
7. *Rationibus Theologicis.* ibid.
Solvuntur objectiones Janſenii. 456
De quarta propoſitione. 460
Articulus IV. *De quinta propoſitione.*
Utrum Chriſtus mortuus ſit pro omnibus qui fuerunt a creatione mundi, qui nunc ſunt, & qui futuri ſunt uſque ad conſummationem ſæculorum.
Concluſio affirmativa. *Probatur auctoritate & ratione.*
1. *Ex Scriptura ſacra.* ibid.
2. *Ex Conciliis.* ibid.
3. *Ex Patribus Græcis.* 461
4. *Ex Patribus Latinis.* ibid.
5. *Ex rationibus Theologicis.* 462
Fit ſatis objectionibus Novatorum. 463

Controverſia tertia.

De mente S. Auguſtini circa quinque propoſitiones. 464
S. Auguſtinus toto cælo differt ab iſto Auguſtino Iprenſi. ibid.
Articulus I. *Utrum B. Auguſtinus crediderit aliqua præcepta Dei eſſe impoſſibilia?*
Concluſio. *S. Auguſtinus docuit ſemper omnia mandata eſſe poſſibilia.*
1. *Probatio, ex operibus contra Manichæos.* 465
2. *Probatio, ex aliis operibus poſthumis, quibus confirmat quod dixerat contra Manichæos.* ibid.
3 *Probatio, ex principiis S. Auguſtini.* 466
4. *Probatio, ex multiplici S. Præſulis ratione.* ibid.
Solvuntur objectiones Janſenii. ibid.
Articulus II. *Utrum S. Auguſtinus docuerit in ſtatu naturæ lapſæ hominem non poſſe reſiſtere gratiæ?*
Concluſio negativa. *Probatur, 1. Ex S. Auguſtini textibus.* 471
Probatur, 2. Ex principiis S. Doctoris. 472
Probatur. 3. Ex ipſis iteratis Confeſſionibus S. Auguſtini. ibid.
Solvuntur objectiones heterodoxi. 473
Articulus III. *Utrum S. Auguſtinus poſuerit libertatem in indifferentia activa, & illam requirat ad merendum, vel demerendum?* 475
Sectio I. *Sententia D. Auguſtini de eſſentia libertatis.*

Con-

Concluſio. *S. Auguſtinus exigit immunitatem a coactione, & neceſſitate ad libertatem hominis viatoris.* 476
1. *Probatio, ex omnibus ejus operibus.* ibid.
2. *Probatio, ex ipſis textibus.* ibid.
3. *Probatio, Remanet indifferentia actus ſub Dominio gratiæ.* ibid.
Solvuntur objectiones Janſenii. 477
Sectio II. *Utrum gratia efficax ſecundum Auguſtinum tollat libertatem?* 479
Concluſio. *Gratia efficax ex mente S. Auguſtini, ut nonnulli Orthodoxi putant, delectationem victricem, ſed ſalva indifferentia actus importat.*
Probatur 1. pars Concluſionis.
1. *Ex Scriptura. 2. ex S. Auguſtino. 3. Ratione.* 480
Probatur 2. pars, ſcilicet quod delectatio victrix non debellet libertatem, ex Auguſtino. 481
Solvuntur objectiones Janſenii contra ſecundam Concluſionis partem. 482
Solvitur argumentum ex gradibus gratiæ ſuperantibus concupiſcentiam, quod eſt apud Iprenſem palmare. ibid.
Synopſis libri quarti Janſenii de gratia Chriſti a capite primo uſque ad undecimum, in quo quidem libro tractat Novator de delectatione neceſſitante, quam perperam tribuit B. Auguſtino, ut fucum faciat; quod quidem argumentis ad hominem irrefragabilibus oſtendimus. 485 e ſequent.
Concluſiones perverſæ quas adverſus libertatem indifferentiæ actus eu locis Auguſtini in pravum ſenſum detortis eruit Janſenius ibidem cap. 10 501
Concluſiones genuinæ, quæ ex locis præcedentibus in lib. 4. de Gratia Chriſti adductis connaturaliter ſequuntur, quæque per omnia libertati favent. 503
Articulus IV. *Utrum S. Auguſtinus putaverit Semi-pelagianos non admiſiſſe gratiam ad initium fidei, & illos crediderit hæreticos eo quod dicerent humanam voluntatem ei poſſe reſiſtere?* 504
Concluſio. *Semipelagiani omnes ex mente S. Auguſtini nullam admiſerunt gratiam actualem ad initium tum fidei, tum cæterorum bonorum operum.* 505
Solvuntur objectiones. ibid.
Articulus V. *Utrum S. Auguſtinus crediderit Chriſtum mortuum eſſe, pro ſingulis hominibus?*
Concluſio affirmativa. *Probatur ex variis operibus S. Doctoris.* 507
Solvuntur objectiones Janſenii. 509

Controverſia quarta.

De extenſione gratiæ ſufficientis.
Dogma extenſionis gratiæ ſufficientis quinque momentis probatur. 513
Articulus I. *Num gratia ſufficiens adſit juſtis tum ad vincendas graviores tentationes, tum ad bonum, urgente præcepto, operandum, & malum præcavendum, tum etiam ad perſeverandum in bono.*
Concluſio. *Gratia ſufficiens adeſt omnibus juſtis, qua poſſint quamlibet ſuperare concupiſcentiam, ſicut operari bonum ſic & præcavere malum, urgente præcepto, ac demum in bono cœpto perſeverare.*
Probatur multis momentis.
1. *Ex Scriptura ſacra.*
Ex libris Pſalmorum. ibid.
Ex libris Sapientialibus. 514
Ex libris Prophetalibus. ibid.
Ex Evangeliſtis. ibid.
Ex Epiſtolis. ibid.
2. *Ex Conciliis.* 515
3. *Ex SS. Patribus.* 516
4. *Ex SS. Auguſtino & Thoma.* ibid.
5. *Ex rationibus Theologicis.* 517.
Diluuntur objecta Janſenii. 518
Articulus II. *Utrum peccatores habeant gratiam ſufficientem ut poſſint facere bonum?*
Concluſio. *Peccatores habent gratiam ſufficientem ut bonum operari queant.*
1. *Probatio, eu utroque Teſtamento.* 521
2. *Probatio, ex SS. Doctoribus.* ibid.
3. *Probatio, ex SS. Auguſtino & Proſpero.* 522
4. *Probatio, ex rationibus.* ibid.
Fit ſatis objectionibus. ibid.
Articulus III. *Utrum obdurati habeant gratiam ſufficientem, qua, urgente præcepto, poſſint illud adimplere?* 525
Concluſio. *Datur gratia ſufficiens obduratis, & obcæcatis peccatoribus ſaltem remota.*
Probatur variis argumentis.
Primum, ex Scriptura ſacra deſumitur. ibid.
Secundum, ex Conciliis. 526
Tertium, ab exemplis. ibid.
Quartum, ex SS. Patribus. ibid.
Quintum, ex rationibus Theologicis. 527
Solvuntur objectiones Janſenii.
1. *Ex Scriptura ſacra.* 528

Sol-

Solvuntur objectiones Janſenii ex auctoritate S. Auguſtini deprompta. 529
Solvitur argumentum ex obduratione Pharaonis deſumptum. 532
Articulus IV. *Utrum Judæi habuerint gratiam ſufficientem ad legem ſcriptam adimplendam.* 534
Concluſio. *Judæi omnes, ſive conſiderentur ante datam legem, ſive poſt, habuerunt gratiam ſufficientem, qua poterant præcepta Dei adimplere, & ſalvari.*
Probatur auctoritate, & ratione.
1. *Ex Scriptura ſacra.* ibid.
2. *Ex S. Auguſtino.* ibid.
3. *Ex S. Thoma.* 535
4. *Ex factis & exemplis per ſeriem & traditionem deductis.* 536
5. *Ex rationibus Theologicis.* 537
Solvuntur objectiones Janſenii. 538
Articulus V. *Num Infideles habeant gratiam ſufficientem qua poſſint legem naturalem perfecte obſervare, ut ejus adimpletione pervenire poſſint ad fidem & ſalutem?* 541
Concluſio. *Infideles habent gratiam aliquam ſufficientem, qua poſſint ſervare legis naturalis præcepta, & ſic gradatim ad fidem pervenire.*
Probatur multis momentis.
§. I. *Primum argumentum, ex Scriptura ſacra depromitur.* 542
§. II. *Secundum argumentum petitur a traditione ab Adam ad Chriſtum Dominum, & a Chriſto ad nos uſque deducta.* 543
§. III. *Tertium argumentum ex SS. Patribus & Doctoribus eruitur.* 545
§. IV. *Quartum argumentum ex rationibus Theologicis deducitur.* 547
§. V. *Quintum argumentum ex definitione Eccleſiæ.* 550
Fit ſatis objectionibus. ibid.
Contunduntur alia ſpicula ſpecialia Janſenii ex auctoritate Auguſtini deſumpta. ibid.
Solvitur argumentum Goneti. 553
Articulus VI. *An detur omnibus parvulis ante Baptiſmum morientibus remedium aliquod ſufficiens ad ſalutem?* 558
Concluſio. *Deus ſufficienter providit ſaluti omnium parvulorum.* ibid.
Reſponſa ad objectiones. 559

DISSERTATIO SEXTA.

De primo effectu gratiæ, ſcilicet de juſtificatione. 563
Dogma de eſſentia juſtificationis interioris quatuor momentis explicatur & defenditur. ibid.
Articulus I. *Utrum ſola fides juſtificet impium?* ibid.
Concluſio I. *Fides, quæ eſt principium juſtificationis non conſiſtit formaliter in fiducia.*
Probatur, 1. Ex Scriptura ſacra. 564
Probatur, 2. Ex Concilio Tridentino. ibid.
Probatur, 3. Ex Symbolis. ibid.
Probatur, 4. Ex Patribus. ibid.
Probatur, 5. Ratione multiplici. 565
Concluſio II. *Non notitia clara & penetrans myſteria, ut volunt Proteſtantes, ſed aſſenſus fidei rebus a Deo revelatis, eſt juſtificationis principium.*
Probatur, 1. Ex Scriptura. ibid.
Probatur, 2. Ex SS. Patribus. ibid.
Probatur, 3. Rationibus Theologicis. 566
Concluſio III. *Sola fides non juſtificat.*
Probatur multis momentis.
1. *Ex Scriptura ſacra.* 567
2. *Ex SS. Patribus.* ibid.
3. *Ex rationibus Theologicis.* ibid.
Solvuntur objectiones Heterodoxorum, contra primam Concluſionem. 568
Objectiones contra tertiam Concluſionem ex Scriptura ſacra proponuntur & diluuntur. 570
Solvuntur Proteſtantium objectiones ex ſanctis Patribus. 573

DISSERTATIO SEPTIMA.

De ſecundo effectu gratiæ, nempe de merito bonorum operum. 588
Dogma de merito bonorum operum quatuor probatur momentis. ibid.
Articulus I. *Utrum bona opera, ſint ad ſalutem neceſſaria?* ibid.
Concluſio. *Bona opera, ex motivo ſupernaturali facta ſunt ad ſalutem neceſſaria.*
Probatio, ex Scriptura ſacra veteris Teſtamenti. 589
Novi Teſtamenti oracula. ibid.
Secunda probatio, ex Traditione. 590
Probatio, ex rationibus Theologicis. 591
Solvuntur objectiones Proteſtantium. 592

Arti-

Articulus II. *Utrum bona opera ſint meritoria?* 593

Concluſio affirmativa. *Probatur auctoritate & ratione.*

1. *Ex Scriptura ſacra.* 594
2. *Ex Conciliis.* 594
3. *Ex ſanctis Patribus.* 595
4. *Rationibus Theologicis.* 596

Fit ſatis objectionibus Proteſtantium ex Scriptura deprompsis. ibid.

Solvuntur objectiones ex Patribus. 597

Proponuntur objectiones ex ratione, & diluuntur. 598

Articulus III. *Utrum juſtus mereatur de condigno vitam aeternam, per actum dilectionis Dei?* 599

Concluſio affirmativa. *Probatur auctoritate & ratione.* 600

Solvuntur objectiones. 601

Articulus ultimus. *De merito congruo ejuſque objecto, ſeu termino.* 604

TRA-

TRACTATUS SEPTIMUS

SCHOLASTICO-POSITIVUS, ET DOGMATICUS,

De Gratia Meditatoris ſecundum genuinam divi Auguſtini & Divi Thomæ mentem.

DE HÆRESIBUS.

PRIMO ſæculo, occurrunt nonnulli Judæi, qui tametſi ad fidem Chriſti converſi, eius tamen evacuabant gratiam, dum virtutem & efficaciam ad ſalutem aſſequendam Legi attribuebant Moſaicæ, ut patet ex Concilio Jeroſolymitano ab Apoſtolis adverſus ipſos adunato.

Secundo ſæculo, Baſilides, Valentinus & Marcion, teſte Clemente Alexandrino l. 5. Strom. hominem viribus innatis poſſe in Deum credere autumabant.

Tertio ſæculo, Origenes docuit Deum nobis quidem dare ut poſſimus bonum ſalutis, nuſquam vero ut illud ipſum & velimus, & operemur. Ita l. 3. Periarchon.

Quarto ſæculo, cæteris audacior Pelagius actualem omnem interiorem negavit gratiam. Illa verſus tempora Monachi Adrumetini circa eandem gratiam inter ſe non ſine ſcandalo diſſidebant: Quidam enim occaſione D. Auguſtini ſcriptorum quos in pravos detorquebant ſenſus, ea liberum perimi arbitrium putabant: Sic refert idem Sanctus Doctor l. de gr. & libero arbitrio, & l. de cor. & gr. Profligato definitionibus Conciliorum Pelagianæ hæreſis monſtro, remanſit in cauda venenum, videlicet in Semipelagianis. Iſti gratiam quidem ad conſummationem operis admittebant, ad initium vero minime. De perſeverantia finali neque ſentiebant in juſtitia, quippe qui donum Dei ſpeciale eſſe non concederent.

Quinto ſæculo, magnas in Eccleſia movit tragœdias circa efficaciam gratiæ Lucillus Presbyter, eam quippe tantam prædicabat, ut ſub ejus dominio nullum libero arbitrio remanere locum exiſtimaret. Ita colligitur ex Baſilio, maxime vero ex Concilio Arelate ad hanc proſcribendam hæreſim congregato.

Nono ſæculo in eundem impegit errorem Gotheſcalcus Monachus, qui quidem in Ger-

Germania & Gallia, aliiſque in regionibus & gratiam neceſſitantem, & prædeſtinationem abſolutam tum ad vitam, tum ad mortem, ut fert Epiſtola Synodica Concilii Moguntini ſub Rabano Præſule, nedum credebat, ſed verbis & ſcriptis propugnabat.

Decimo-quinto ſæculo, his erroribus ſuum addidit calculum Lutherus, liberum hominis arbitrium ut inanime quoddam a gratia trahi docendo. Idem docuit anno circiter 1534. Calvinus cujus de gratia & prædeſtinatione neceſſitante heterodoxæ opiniones in Synodo Dordeacenſe apud Batavos variis ſtatutis confirmatæ ſunt.

Decimo-ſeptimo ſæculo non abſimilem de gratia efficaci doctrinam propugnavit Janſenius Iprenſis Epiſcopus in ſuis de gratia Salvatoris libris, qui in lucem Novatorum molimine editi, nova etiam de die in diem non ſine animarum pernicie parant incendia.

Omnes adverſus gratiam Mediatoris errores ad ſex potiſſimum capita reducuntur. Et vero quidam errant circa ejus exiſtentiam, quidam circa eſſentiam, tales ſunt Prædeſtiniani: Nonnulli circa neceſſitatem, ſic Semipelagiani: Non pauci circa ejus extenſionem, puta Janſenius ejuſque aſſeclæ, imprimis Proteſtantes, qui nedum de efficacia gratiæ actualis male ſentiunt, verumetiam & de effectibus gratiæ habitualis, videlicet de juſtificatione & de merito, quippe qui peccata ſolum obtegi, nullamque eſſe in nobis operibus ad merendum virtutem autument.

Dogmata.

SEQUENTIA erroribus enumeratis opponimus dogmata.

Primo: Datur gratia.

Secundo: Eſt mere gratia.

Tertio: Non adverſatur libertati & indifferentiæ actus.

Quarto: Eſt neceſſaria homini ut declinet a malo, & faciat bonum.

Quinto: Gratia actualis nedum ad Prædeſtinatos, ſed & ad alios ſe extendit.

Sexto: Juſtificatio eſt renovatio interior peccatoris & non mera juſtitiæ Chriſti imputatio.

Septimo: Bona opera in charitate facta gloriam æternam promerentur.

Patritio Tractatus.

QUÆRITUR igitur 1. An detur gratia? 2. Quid ſit? 3. Utrum ſit neceſſaria? 4. Utrum gratia quæ dat poſſe ſalutem operari ad alios quam ad electos ſeſe extendat? 5. Num juſtificatio ſit renovatio interior, & non mere extrinſeca? 6. An gratia ſanctificans ſit principium meriti.

Varia gratia acceptiones.

GRATIA, ut nomen ſonat, eſt quid gratis datum & indebitum: illam ſic delineat B. Auguſtinus non in uno aut altero, ſed multiplici loco, maxime ſerm. 61. de verb. Dom. cum ait: *Ideo gratia dicitur, quia gratis datur. Ideo gratis datur, quia non quaſi merces redditur poſt diſcretionem meritorum, ſed donum datur poſt veniam delictorum.*

Poteſt gratia ſumi active & paſſive, active quidem ex parte principii: paſſive vero ex parte ſui. In primo ſenſu eſt Spiritus ſanctus qui ut primum Dei donum variis, multiſque modis ad extra ſe communicat creaturis ſpiritualibus, juxta illud Auguſtini ibidem: *Gratia quippe donum Dei eſt, donum autem maximum ipſe Spiritus ſanctus eſt, & ideo gratia dicitur.* Nonnunquam juxta illum modum concurſus, quo Deus & ſuas conſervat in eſſe creaturas, & eaſdem ad operandum adjuvat, gratia nominatur: in ſecundo vero ſenſu eſt omne datum optimum indebitum deſcendens a Patre luminum. In iſta generali & ampla ſignificatione cuncta Dei in ordine tum naturali, tum ſupernaturali beneficia complectitur.

Juxta iſtum ſenſum, creatio dicitur gratia: eodem nomine inſignitur lex Evangelica, myſteria, miracula, Sacramenta, gloria, iſta quippe omnia ſunt indebita, nec ullis aſtringitur legibus Deus, ut ea faciat vel conferat, quia ſicut Dominus univerſorum eſt, ita & donorum. De his momentis audiendi ſunt Patres, & ſancti Doctores. Tametſi nomine gratiæ aliquid ſupernaturale in ſenſu obvio intelligendum veniat, tamen ſub nomine generali gratiæ, primæ cauſæ motionem & influxum non ſemel S. Thomas comprehendit ut in 2. diſt. 8. q. 1. art. 1. ad 1. ſex maxime 1. 2. qu. 109. art. 9. ubi oſtendit etiam juſtum indigere gratia Dei ad recte agendum:

Pri-

Primo quidem, inquit, *ratione generali*, *propter hoc quod ſicut ſupra dictum eſt*, *nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire niſi virtute moventis divinæ*. Sanctus Athanaſius lib. de incarnatione, participationem rationis, quæ hominis conſtituit naturam, Verbi gratiam appellat, non ſecus atque concurſus Dei quo vivimus, movemur & ſumus, gratia dicitur. Ita Baſilius Hom. 9. in Hex. Epiphanius epiſt. ad Joannem Jeroſol. Legem Evangelicam gratiæ nomine celebrat. Concinit Chryſoſtomus Homil. in Hæmorrhoiſſam apud Photium. Cyrillus lib. 2. in Joan. pag. 204. Tum in homiliis Patrum, miracula, & ſæpius myſteria immo & feſtivitates gratiæ appellantur. De his momentis ſic loquitur Gregorius Naz. orat. 39. in ſancta lumina, ſeu Epiphan. *Videte hujus diei gratiam: videte myſterii virtutem*. Frequentiſſime præ cæteris omnibus Sacramenta gratiæ, quia ſunt ſigna ejus practica, ipſiuſque cauſæ: in iſta acceptatione loquuntur de gratia S. Cyprianus epiſt. 58. Greg. Nyſſ. lib. de vita Moyſis, Cyrillus epiſtola ad Epiſcopos Libyæ. His omnibus iſtam B. Pauli de gloria ſubjicio ſententiam Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna*. Quandoque gratia ſumitur pro elegantia ſermonis, juxta illud Pſalm. 44. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*. Nonnumquam pro corporis venuſtate; ſic intonat Salomon Prov. 31. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, mulier timens Dominum ipſa laudabitur*, non ſemel etiam pro gratiarum actione: verum in rigore logico ſumpta ſumitur pro dono ſupernaturali, & ipſo ſpectato modo definiri poteſt: qualitas ſupernaturalis in ordine ad ſanctificationem, & gloriam aſſequendam intuitu meritorum Chriſti miſericorditer a Deo data. S. Auguſtinus lib. de corr. & gr. cap. 14. de hoc momento ſic loquitur: " Intelligenda eſt
,, gratia per Jeſum Chriſtum, qua ſola
,, homines liberantur a malo, & ſine qua
,, nullum prorſus ſive cogitando, ſive vo-
,, lendo & amando, ſive agendo faciunt
,, bonum: ut non ſolum, monſtrante ipſa
,, quid faciendum ſit, ſciant, verum etiam
,, ut præſtante ipſa faciant cum dilectione
,, quod ſciunt. ,,

Diviſiones gratiæ.

Primo: Gratia dividitur in gratum facientem, & gratis datam. Illa ordinatur ad noſtram ſanctificationem, iſta ad bonum & utilitatem proximi.

Secundo: Gratia gratis data ſubdividitur in novem; ſic enim habetur 1. Cor. 12. *Alii per Spiritum ſanctum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum, alteri fides ſecundum eundem Spiritum, alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum*.

Tertio: Gratia gratum faciens ſuas utique ſubdiviſiones habet, namque dividitur in habitualem, & actualem: Habitualis ſanctificat & facit hominem filium Dei adoptivum, actualis vere ordinatur ad agendum.

Quarta: Actualis dividitur in prævenientem & ſubſequentem: in operantem & cooperantem, ſed eſt eadem entitative gratia quæ diverſa juxta diverſos quos habet & producit effectus, ſortitur nomina. Præveniens quidem eatenus dicitur, quatenus noſtras ad bonum faciendum prævenit & compellit ſeu excitat voluntates; ſubſequens vero & cooperans quatenus ſimul cum voluntate producit effectum. Utrumque iſtud momentum explicat Concilium Arauſicanum ſecundum can. 9. his verbis: " Quoties bona agimus, Deus in
,, nobis atque nobiſcum ut operemur,
,, operatur. ,, Deus, *agit in nobis*, ecce gratia præveniens: *Agit nobiſcum*, ecce ſubſequens, adjuvans & cooperans, quæque vocatur a D. Th. 1. 2. q. 111. art. 1. Concurſus ſimultaneus.

Celebrior eſt omnibus diviſio gratiæ actualis in ſufficientem & efficacem, illa dat poſſe agere & quidem proximum & expeditum; iſta vero ipſum agere. Prima præparat voluntatem ad actionem, ſecunda infert actionem: ſufficiens excitat ad bonum: efficax excitat ſimul & applicat ad bonum.

Gratia ſufficiens etiam multiplex diſtinguitur, alia videlicet remota, alia vero proxima. Remota illa dicitur quæ movet tantum ad actus debiles, puta ad orationem aliquam fundendam, ad actum vel attritionis, vel fidei informis; proxima, quæ ad actum contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia: quælibet quidem movet immediate & proxime ad bonum quod reſpicit, ad orationem v. gr. ſi ſit ſolummodo gratia orationis, ad amorem ſi ſit gratia dilectionis, ſed una reſpectu alterius vocatur remota, eo quod uberior requiratur ad

effectum perfectiſſimum, quam ad minus perfectum producendum; nemo quippe non novit majori motione opus eſſe ad contritionem quæ infert converſionem, quam ad actum attritionis quæ ſolum ad eam remote diſponit: quia vero motio unius gratiæ eſt gradus ad uberiorem habendam, gratia ſufficiens prima dat poſſe proximum & immediatum ad actum debilem, mediatum vero ad perfectiſſimum.

Pari & conſimili ratione gratia efficax utique dividitur in gratiam parvam & magnam: Parvam illam vocamus quæ determinat & applicat ad actus debiles, de quibus modo exempla dedimus, namque ſecundum communem Thomiſtarum opinionem requiritur ad eliciendos actus, tum orationis, tum attritionis & ſimiles: magnam vero quæ infert actum perfectiſſimum, qualis eſt converſio peccatoris.

Cæterum ut paucis de utraque illa gratia abſolvam, ſufficiens datur infidelibus ut poſſint legem naturæ adimplere: Chriſtianis ut valeant ſupernaturalem ſervare & facere: Quid plura? Ineſt peccatoribus ad converſionem, juſtis ad perfectionem; omnibus ad ſalutem: efficax vero ad ſimiles actus offertur quoties ſufficiens donatur.

His prælibatis, dogma de exiſtentia gratiæ, tum actualis, tum habitualis, tum etiam perſeverantiæ finalis ſtabiliendum eſt: quam quidem provinciam perfecte adimplebimus, ſi duo potiſſimum demonſtremus. Primum quidem Pelagianos gratiæ actualis exiſtentiam impugnaſſe, non nihil etiam Semipelagianos dum ejus ad initium fidei abnuerunt neceſſitatem. Alterum, gratiam camque multiplicem ad noſtros uſus de facto dari. Quæ duo momenta in variis diſſertationibus abſolvere juvat.

Diſſertatio præambula de hæreſibus.

Hiſtoria critica hæreſis Pelagianæ.

Ortus.

PELAGIUS natione Scotus, profeſſione monachus, auctor fuit hæreſis ſtupendæ, a nomine ſuo Pelagiana dicta: vivebat Innocentio primo ſummo Pontifice, Arcadio Imperatore: circa annum 406. vir qui dem quandam probitatis ſpeciem præſeferens, ſed revera moribus non modicum depravatus, & voluptatibus ita inverecunde emollitus, ut eum S. Hieronymus ſtolidiſſimum Scotorum pultibus gravatum ad horrorem vocaret: in Palæſtinam profectus, gratiæ actualis neceſſitatem & conſequenter exiſtentiam, ſanamque de peccato originali doctrinam impugnare cœpit, eo potiſſimum fucato innixus principio, quod naturam humanam primi hominis peccato ex nullo puncto ſauciatam, adeoque & ad pie vivendum pro aſſequenda vita æterna plane ſufficere contenderet; hinc varios, & circa peccatum originale, & circa liberum hominis arbitrium, nec non & circa gratiam Chriſti prædicavit errores; quos hic per ordinem texere non abs re erit.

Primo quidem, Pelagius peccatum Adami non propagatione, ſed ad ſummum exemplo, adjuncta imitatione, transfuſum ad poſteros putabat, quocirca nec concupiſcentiam malam, nec ignorantiam etiam vincibilem ſubjectam peccato, nec mortem, aliaſque miſerias prævaricatoris ſupplicia, ſed naturæ neceſſitates eſſe propugnabat. Ita colligitur ex Concilio Milevitano, & ex S. Aug. lib. 3. contra Julianum cap. 4.

Secundo: Iſtam ex eodem falſo principio deducebat concluſionem, videlicet pueros non indigere ſacræ regenerationis gratia, tum ad delendum peccatum originale, tum ad vitam æternam aſſequendam, ſed ſolummodo ad introitum in regnum cœlorum, & hoc propter præceptum Domini Joan. 3. dicentis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Aug. hæreſ. 88.

Tertio: Commentus eſt parvulos abſque Baptiſmo e vita migrantes, privari quidem regno cœlorum, ſed non vita æterna, quam a regno ut quid diſtinctum ſuam ſecundum phantaſiam habebat. Naturam in eis nec peccati contagione ſauciatam, nec reatu pœnæ ligatam eſſe propugnabat. Aug. lib. 3. contra Julianum, cap. 4.

Quarto: Liberum tanti faciebat hominis arbitrium, ut omnem perfectionem aſſequi & acquirere, ad omne bonum etiam ſalutis ſufficere, omnes paſſionum motus non ſolum compeſcere, ſed & radicem convellere poſſe, ita ut juſtorum vita

ab

ab omni etiam levioris peccati labe foret immunis, docere non dubitabat. Quid plura? Illud ipſum ita ſanum prædicabat, ut vitam innatis viribus poſſe promereri æternam aſſereret. Sic refert S. Aug. hær. 82. & 88. lib. de natura & gratia cap. 19. hinc Julianus infideles virtutum moralium naturalium conatu & actu juſtos evadere contendebat; eos ab ejuſmodi virtutibus denominari bonos, ſteriliter quidem quando erant ex officio duntaxat & objecto laudabiles, efficaciter vero quoties ex honeſto promanabant motivo: Aug. lib. 4. contra eundem Julianum cap. 3.

Quinto: Pelagius docebat juſtificationis gratiam nobis eo potiſſimum fine donari, ut quod per liberum arbitrium facere ex præcepto tenemur, facilius adimpleamus, ita tamen & etiam, ſublata gratia, legem ſervare poſſemus. Aug. hær. 88.

Sexto: Credebat fruſtra & incaſſum fundi preces pro infidelibus, ut audiant fidem, pro peccatoribus, ut ſe convertant ad Deum, pro juſtis, ut in bono cœpto perſeverent, quippequi ad hæc omnia liberum arbitrium ſufficere vellet. Conc. Milevit.

Septimo, Pro gratia liberum habebat arbitrium, ſed Orthodoxorum argumentis laceſſitus, & fractus huic addidit legem, deinde vero legi ſubjunxit Chriſti exempla, quinimmo & quaſdam mentis illuſtrationes; ſed tantum Metaphoricas & objectivas. Aug. ſerm. 2. de verb. cap. 13.

Denique admiſit quidem Pelagius gratiam habitualem & ſanctificantem, ſed ſolum ad melius & non abſolute ut neceſſariam, ſive ad delenda peccata præterita, ſive ad præcavanda futura, liberum quippe arbitrium ad hæc ſe ſolo ſufficere prædicabat. Aug. lib. de grat. Ch. cap. 26.

Progreſſus.

Hæreſis Pelagiana ſerpere cœpit in Palæſtina, ut conſtat ex Concilio Hieroſolymitano, deinde in Africa, ut referunt acta Concilii Carthaginenſis; poſtea in Italia, in Galliis, maxime in Anglia, cujus rei teſtes ſunt omnes qui in Synodis, tum provincialibus, tum nationalibus adunati reſtitere & Pelagio & ejus aſſeclis.

Pelagius plures habuit ſuæ hæreſis fautores, imprimis Ananianum Celidenſem Diaconum, Leporium monachum in Galliis, quemdam miſerabilem ſenem nomine Senecam, & alios plurimos. Sed celebriores fuere Cœleſtius & Julianus; ille monachus, iſte Epiſcopos Capuanus. Primus tam ardenter & pertinaciter adhærebat Pelagio, ut inde ejus diſcipuli dicti ſint Cœleſtiani. S. Hieronymus epiſt. ad Alypium loquitur de primo. De altero vero Caſſianus lib. de incar. cap. 4. de tertio Baronius ad annum 493. de cæteris multus eſt ſermo apud B. Auguſt. in operibus adverſus Pelagianos a ſancto Doctore elucubratis.

Patronum habuit Pelagius Joannem Jeroſolymæ præſulem, qui quidem Concilium anno circiter 417. adunavit, non ut ſuum damnaret amicum, verum potius ut perpetuum Oroſio aliiſque Pelagii æmulis imponeret ſilentium. Pelagius ipſe illuſit Patribus dioſpolitanis, immo & Zoſimo ſummo Pontifici ad quem fucatam doloſamque per Cœleſtium fidei miſit confeſſionem.

Interitus ſeu proſcriptio.

VARIA Concilia adunata ſunt ad profligandam Pelagianam perfidiam. Aurelius Carthaginenſis præſul primus adverſus Pelagium inſurrexit, ipſum anathemate percuſſit, ejuſque proſcripſit hæreſim in Concilio Carthaginenſi anno 416. Aug. de geſtis Pelag. cap. 11.

Innocentius I. acceptis ſynodicis Aurelii & Patrum Africanorum epiſtolis utriuſque Concilii confirmavit acta, ut patet ex ſuo reſcripto. Poſt ipſum Zoſimus Pelagianis fortiter reſtitit in Concilio Romano, in quo & Pelagii, & Cæleſtii damnatio auctoritate Pontificia conclamata eſt, ut ſcribit S. Auguſt. lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. deinde anno circiter 419. Conventus vero Samis in Anglia celebratus eſt, ubi comparens Pelagius a SS. Germano & Lupo refutatus obmutuit. Iterum iterumque cum ſuis proſcriptus eſt anno 430. in Concilio Romano adverſus Neſtorium ſub Cœleſtino primo congregato, tum & in generali Epheſino.

Eundem Pelagium dictis & ſcriptis debellavit S. Hieronymus in tribus dialogorum libris. Sed maxime B. Auguſtinus eum & ejus diſcipulos inſectatus eſt, videlicet

& in opere de geſtis Pelagii cap. 14. lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. in tribus libris de pecc. merit. & remiſſ. ad Marcellinum. Lib. de natura & grat. contra Pelagianos. Lib. de gratia Chriſti adverſus Pelagium & Cœleſtium. In quatuor libris contra duas Pelagianorum epiſtolas ad Bonifacium. Libris ſex contra Julianum. Lib. de gratia & libero arbitrio ad Valentinum. Libro uno contra Pelagianos. Libris ſex hypognoſticon. S. Bernardus utique Pelagianam impugnavit hæreſim lib. de gratia & libero arbitrio: anteipſum Gennadius, ut Tritemius in cathalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum teſtatur.

Non ſolum ſcriptis Patrum, decretis ſummorum Pontificum & Conciliorum, ſed & Imperatorum edictis compreſſi & proſtrati ſunt Pelagiani. Honorius anno 418. pridie Kalendas Maii dedit edictum quo Pelagium & Cœleſtium Roma pelli, ipſos eorumque aſſeclas exilii pœnis ſubjici vult atque præcipit. Conſtantinus anno 42. in conſortium Imperii ab Honorio adſcitus leges pœnales adverſus Pelagianos inflictas renovavit. Ita refert Baronius ad annum Chriſti 418. & 421. item & Photius in ſua bibliotheca cod. 53. Valentinianus anno circiter 425. 7. Idus Julii a Theodoſio Imperii Collega deſignatus, ſed nondum inauguratus Imperator, conſtitutionem fecit & protulit, qua quidem vult Pelagianos extra Imperii Occidentis Provincias cito-citius ferri. Denique anno 430. Theodoſius junior Cæleſtium, Julianum cæteroſque Pelagianos ab urbe imperiali juſſit ejici. Sic ſcribit Marius mercator in tit. commonitorii. Quia vero Pelagius gratiam actualem ad actus religionis finxit ſe admittere, & Janſenius Semipelagianos eandem ad initium fidei exegiſſe docet, iſta momenta ſerio & mature deliberatione prævia diſcutere conſentaneum eſt, ſed ut totum recte abſolvatur negotium, quatuor impræſentiarum demonſtranda ſunt.

Primo, Pelagium veram gratiam actualem nuſquam admiſiſſe.

Secundo, controverſiæ caput inter ipſum & S. Aug. fuiſſe de gratia actuali.

Tertio, Semipelagianos non admiſiſſe gratiam prævenientem ad initium fidei.

Quarto, & pro coronide S. Juſtinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, B. Chryſoſtomum in errore non prælusiſſe Semipelagianos. Immo & Caſſianum poſſe pie explicari & a Semipelagianiſmo purgari.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Pelagius gratiam ad bona opera admiſerit?

QUÆSTIO præſens movetur non de gratia extrinſeca quæ movet cor tantum metaphorice & objective, ut lex & ejuſdem prædicatio, ſed de gratia quæ eſt cordis immutativa, & a Spiritu ſancto data atque infuſa: Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Pelagius gratiam cordis immutativam non admiſit.

Probatur illo brevi, ſed efficaci ratiocinio.

ILLE non admiſit gratiam Chriſti actualem ad opus, qui nuſquam receſſit a lege & doctrina: Atqui Pelagius nuſquam receſſit a lege & doctriua: Igitur nec gratiam admiſit actualem. Probatur minor multipliciter.

Primo ex D. Auguſtino qui l. de gratia Chriſti c. 7. hæc verba Pelagii refert: " Adjuvat nos Deus per revelationem & „ doctrinam dum noſtri cordis oculos aperit, dum futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat. „ Subdit Sanctus Aug. " In iis omnibus non receſſit a commendatione legis atque doctrinæ hanc eſſe „ gratiam adjuvantem diligenter inculcans. „

Rurſus ibidem c. 10. inducit ſanctus Præſul Pelagium iſta Apoſtoli verba: *Deus operatur in nobis velle & perficere*, ſic explicantem: " Deus operatur velle quod „ bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, „ cum nos terrenis cupiditatibus deditos „ mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes futuræ gloriæ „ magnitudine & præmiorum ſollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei torpentem

„ ſu-

„ ſuſcitat voluntatem , dum nobis, quod „ tamen alibi negare non metuit, ſuadet „ omne quod bonum eſt . „ Subjungit S. Aug. " Quid manifeſtius nihil aliud di„ cere gratiam qua Deus operatur in no„ bis velle quod bonum eſt, quam legem „ atque doctrinam? in lege namque & do„ ctrina ſanctarum Scripturarum futuræ „ gloriæ atque præmiorum promittitur ma„ gnitudo ; ad doctrinam pertinet , cum „ ſuadetur omne quod bonum eſt. „ Igitur Pelagius non receſſit a lege, cujus rei argumentum eſt, quod S. Aug. in ſuis adverſus Pelagianos operibus, hunc perpetuo debellat errorem.

Secundo, ex Conciliis . Anno 412. Pelagius propter errorem, de quo nunc movetur controverſia, proſcriptus eſt in Concilio Carthaginenſi. Sic refert D. Aug. l. de geſtis Pelagii c. 11. & 25.

Anno 415. Pelagius citatus eſt in Concilio Jeroſolymæ, rurſus eodem anno & in Concilio Liddæ, ut de ſua doctrina redderet rationem, ſed Patribus ficta & doloſa fidei confeſſione iterum atque iterum illuſit, unde anno 416. adunata altera Palæſtinæ Synodo quæ Dioſpolitana vocatur, fraude detecta damnatus eſt. Eodem anno menſe Octobris eadem hæreſis proſcripta legitur in Concilio Milevitano & Carthaginenſi. Patres duas ſequentes Pelagii damnarunt propoſitiones, in quarum prima ait: *Non eſſe rogandum Deum ut contra peccati malum atque ad operandam juſtitiam ſit noſter adjutor*. In altera dicit: *Non opitulari parvulis ad conſequendam vitam æternam chriſtianæ gratiæ Sacramentum*. Et hæc addunt Patres Synodici in ſuo ad ſummum Pontificem reſcripto: " Hujus autem pernicioſiſſimi er„ roris auctores eſſe perhibentur Pelagius „ & Cœleſtius quos quidem in Eccleſia „ ſanari maluimus, quam deſperata ſalu„ te ab Eccleſia reſecari, ſi neceſſitas nul„ la compellat. „ Innocentius I. his acceptis epiſtolis, acta Concilii Carthaginenſis ſuo munivit calculo, utramque alternata vice damnavit propoſitionem, ſubjungens auctores poſſe in communionem recipi, ſi reſipiſcerent. Hæc reſcripta data ſunt quinto Kalendas Februarii die 27. Januarii anni 417.

Eodem anno 417. Pelagius ſcripſit ad Zoſimum Papam, & procurante ſuæ cauſæ patrono, ſuæ confeſſionis libellum ita ſubtiliter concinnatum obtulit, ut ſummo etiam illuſerit Pontifici, a quo & abſolutus legitur in Concilio Romano. Verum per Africanos Præſules monitus Zoſimus de fucata Pelagii fide, alterum adunavit Romæ Concilium, Cœleſtiumque ad pleniorem audientiam vocavit, ut hæretici dogmatis capita ab Africanis miſſa, palam abſque fuco ac tergiverſatione damnaret. Sed ille hæreſim ſuam, & in ea occultanda artes ac dolos detectos videns, ſe ſubduxit examini, ac Roma fugit. Quamobrem Zoſimus ipſum Pelagiumque & hæretica ipſorum dogmata damnavit, & tractatoriam ad totius orbis Epiſcopos dedit epiſtolam, quæ ſummo totius orbis applauſu excepta eſt. Sic ſcribit ſanctus Auguſtinus libro 2. ad Bonifacium cap. 3.

Anno 418. tempore Autumni coactum eſt ex omnibus Africæ Epiſcopis Concilium, lectiſque Zoſimi litteris, iterum atque iterum Pelagii & Pelagianæ doctrinæ conclamata eſt damnatio. Id habemus ex S. Proſpero l. contra Collatorem c. 12.

Denique in damnationem Pelagii ejuſque circa gratiam hæreticorum dogmatum totus conſpiravit orbis. Et vero damnatus utique fuit anno 423. in Concilio Siciliæ adverſus Julianum congregato: In Conſtantinopolitano anno 424. In Anglicano anno 427. in quo SS. Germanus & Lupus Gallicani Præſules Pelagium in diſputatione debellantes, ita vicerunt, ut non remaneret in ore pro hæreſi ſua diutius propugnanda redargutiones. Ultimate tandem in Synodo Epheſina generali. Igitur Pelagius non receſſit a lege; ejus enim proſcriptionis caput palmare fuit, quod Chriſti exſufflaret ad operandum bonum ſalutis gratiam.

Tertio, ex Theologicis omni exceptione majoribus idem probatur.

S. THOMAS non ſemel ſcribit hunc fuiſſe Pelagii palmarem errorem, liberum arbitrium ad bonum ſalutis ſe ſolo ſufficere. Idem docet Bellarm. l. de gratia Chriſti. Omnes noſtri Thomiſtæ, R. P. Deſchamps l. de hær. Jan. & alii quam plurimi, hoc ipſum referunt. Baronius ad annum Chriſti 412. 416. 417. &c.

Diluuntur argumenta in contrarium.

Objicies 1. ille admiſit gratiam actualem, qui illam in profeſſione fidei confitetur neceſſariam, & contrarium ſentientes, pœnis æternis mancipandos eſſe affirmat: Atqui ita cenſet Pelagius: Igitur admiſit veram Chriſti gratiam quam ad ſingulos ſalutis actus neceſſariam eſſe aſſerunt Catholici. Probatur minor ex S. Auguſtino qui libro de gratia Chriſti cap. 1. num. 2. hanc refert Pelagii fidei profeſſionem. “ Et ſcripſiſtis mihi, cum Pe-
,, lagio vos egiſſe, ut quæcumque adver-
,, ſus eum dicerentur, ſcripto damnaret:
,, eumque dixiſſe audientibus vobis: *Anathematizo qui vel ſentit, vel dicit, gratiam Dei qua Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, non ſolum per ſingulas horas, aut per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos actus noſtros, non eſſe neceſſariam, & qui hanc conantur auferro, pænas ſortiantur æternas.*

Reſpondeo negando minorem: Ad probationem diſtinguo, in profeſſione fidei Pelagius admittit gratiam a libero arbitrio, lege & Chriſti exemplis indiſtinctam, eamque eatenus dicit ad ſingulos actus neceſſariam, quatenus in omni converſatione noſtra auctorem & coſumniatorem fidei præ oculis mentis ſemper habere debemus, concedo: admiſit gratiam veram quæ eſt per ſubminiſtrationem Dei virtutis, quæ ſanat ſimul & ad agendum roborat voluntatem, nego. Solutio eſt divi Aug. qui ibidem ſic reſpondet ad argumentum.

“ *Quiſquis* autem quid in eis apertius di-
,, cat, advertit, debet habere etiam iſta
,, verba ſuſpecta. Quia etſi gratiam Dei
,, qua Chriſtus venit in mundum pecca-
,, tores ſalvos facere, in ſola remiſſione
,, conſtituat, poteſt huic ſenſui verba iſta
,, coaptare, dicens, ideo eam per ſingu-
,, las horas, per ſingula momenta, &
,, per actus ſingulos naceſſariam, ut ſem-
,, per memoria retinentes & reminiſcen-
,, tes dimiſſa nobis eſſe peccata, non pec-
,, cemus ulterius, adjuti non aliqua ſub-
,, niſtratione virtutis, ſed viribus propriæ
,, voluntatis, quid ſibi remiſſione pecca-
,, torum præſtitum fuerit per actus ſingu-
,, los recordantis. Item quoniam ſolent di-
,, cere nobis in eo Chriſtum ad non pec-
,, candum præbuiſſe adjutorium, quia ju-
,, ſte ipſe vivendo, juſteque docendo re-
,, liquit exemplum: poſſunt etiam ad hoc
,, iſta verba coaptare, ut dicant per ſin-
,, gula momenta, per ſingulos actus neceſ-
,, ſariam nobis eſſe hujuſmodi gratiam, id-
,, eſt, ut in omni converſatione noſtra,
,, intueamur Dominicæ converſationis e-
,, xemplum. Pervidet autem fides veſtra,
,, a confeſſione gratiæ, de qua quæſtio eſt,
,, quam ſit diſtinguenda iſta confeſſio: &
,, tamen obtegi poteſt iſtorum ambiguita-
,, te verborum. ,,

Hanc explicationem huncque ſenſum confeſſionis Pelagii confirmat ſanctus Doctor nu. 3. & ſubjungit: “ Sed quid mi-
,, rum? Quandoquidem ipſe Pelagius cum
,, Epiſcopalibus geſtis ſine ulla recuſatio-
,, ne damnaverit eos, qui dicunt gratiam
,, Dei & adjutorium non ad ſingulos actus
,, dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel
,, in lege atque doctrina; ubi putabamus
,, ejus de hac re omnes tergiverſationes
,, eſſe conſumptas; damnaveritque eos,
,, qui docent gratiam Dei ſecundum meri-
,, ta noſtra dari: tamen in libris quos edi-
,, dit pro libero arbitrio, quorum men-
,, tionem facit in epiſtola quam Romam
,, miſit, nihil aliud ſentire monſtratur,
,, quam id quod damnaſſe videbatur. Nam
,, gratiam Dei & adjutorium quo adju-
,, vamur ad non peccandum aut in natu-
,, ra & libero ponit arbitrio, aut in lege
,, atque doctrina: ut videlicet, cum ad-
,, juvat Deus hominem, ut declinet a ma-
,, lo & faciat bonum, revelando & oſten-
,, dendo quid fieri debeat, adjuvare creda-
,, tur; non etiam cooperando & dilectio-
,, nem inſpirando, ut id quod faciendum
,, eſſe cognoverit, faciat. ,,

Inſtabis: Qui dicit omne quod peccatum eſt eſſe a nobis, omne vero quod bonum a Deo procedere, profecto agnovit gratiam a libero hominis arbitrio diſtinctam, alias incaſſum iſtam afferet inter cauſam mali & boni principium, diſtinctionem: Et vero, ſi bonum pari & non abſimili modo procederet a natura ſicut malum, quorſum diceretur, unum eſſe a nobis, alterum vero a Deo? cum utrumque ab eodem profiueret principio, videlicet a libero hominis arbitrio in ſe relicto: Atqui ſic propugnavit Pelagius: Et probatur ex D. Aug. qui ibidem cap. 16. n. 7. eum ſic loquentem inducit: *Quod loqui*

poſſu-

poſſumus, inquit, *Dei eſt: quod vero bene vel male loquimur, noſtrum eſt*. Quibus verbis Pelagius admittit gratiam poſſibilitatis, igitur non omnem abjicit gratiam, ſed eam ſaltem quæ dat poſſe bonum, admittit & profitetur.

Reſpondeo negando minorem: Ad probationem diſtinguo: Pelagius ait poſſe bonum eſſe a Deo, & per illud poſſe extollit naturam, quam Dei Creatoris eatenus vocat gratiam, quatenus miſericorditer & eſſe & vivere nobis largitus eſt, concedo: & intelligit gratiam interius adjuvantem per ſubminiſtrationem ſpiritus, nego. Pelagius tria diſtinguit, poſſe, agere, & velle, ſeu potentiam, actionem & voluntatem: hæc tria a natura non diſtinguit, quæque eſt radix & boni & mali, ſeu principium; cum autem in bonum prorumpit, vocat gratiam, in quantum in Deo vivimus, movemur & ſumus, ſed nuſquam in rei veritate conceſſit, poſſe adjuvari a Deo ſubminiſtrante virtutem, & ab eo bona promanare. Sic reſpondet ad inſtantiam B. Auguſtinus, ibidem cap. 17. nu. 18. " Poſſibilitas quippe illa, quam „ dedit, tam nos facit bona poſſe quam „ mala. „ Et cap. 18. n. 19. De qua poſſibilitate Pelagius in lib. 1. pro libero arbitrio ſic loquitur: *Habemus autem*, inquit, *poſſibilitatem utriuſque partis a Deo inſitam, velut quandam, ut ita dicam, radicem fructiferam atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diverſa gignat & pariat, & quæ poſſit ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel ſentibus horrere vitiorum*, ubi non intuens quid loquatur, „ unam eandemque radicem conſtituit bo„ norum & malorum, contra Evangeli„ cam veritatem, doctrinamque Apoſto„ licam. Nam & Dominus nec arborem „ bonam dicit poſſe facere fructus malos, „ nec malam bonos. „ Tum cap. 20. „ num. 21. " Illa ergo poſſibilitas, non „ ut iſte opinatur, una eademque radix eſt „ bonorum & malorum. Aliud eſt enim „ charitas radix bonorum, aliud cupiditas „ radix malorum. „ Cap. 24. n. 25. reſpondens ad idem argumentum, dicit ſolam gratiam efficacem, qualis fuit quæ convertit cor Regis Aſſueri furentis in lenitatem cujus laudat exemplum, dare velle & facere bonum, hoc eſt, poſſe cum actu conjunctum: unde cap. 25. num. 26. ſuam reſumit ſanctus Præſul reſponſionem & ſic concludit „: Deſignat itaque jam Pela„ gius, & ſeipſum & alios fallere, con„ tra Dei gratiam diſputando. Non pro„ pter illorum trium unum, ideſt, pro„ pter poſſibilitatem bonæ voluntatis atque „ operis, ſed etiam propter voluntatem & „ operationem bonam erga nos gratia Dei „ prædicanda eſt.

Urgebis: Atqui Pelagius aliquam admiſit poſſibilitatis, immo & actionis gratiam: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Qui eam exigit ut ſicut promptius, ita & facilius Spiritui ſancto obediamus, & ne ei reſiſtamus, veram admiſit gratiam: Atqui talem admiſit Pelagius: Et probatur. Epiſt. ad Demetr. cap. 25. ait: *Divinam mereamur gratiam, & facilius nequam ſpiritui, ſancti Spiritus auxilio reſiſtamus*. Ergo &c.

Reſpondet S. Auguſtinus ibi cap. 27. nu. 28. " Significat profecto quid ſapiat. Ut „ quid enim hoc verbum interpoſuit, „ ideſt, *facilius*? An vero non erat in„ teger ſenſus, *ut nequam ſpiritui, ſancti* „ *Spiritus auxilio, reſiſtamus*? Sed quantum „ detrimentum hoc additamento fecerit, „ quis non intelligat? Volens utique cre„ di, tantas eſſe naturæ vires, quas ex„ tollendo præcipitat, ut etiam ſine au„ xilio Spiritus ſancti, etſi minus facile, „ tamen aliquo modo nequam ſpiritui re„ ſiſtatur. „ Ex quibus verbis ſanctus Doctor oſtendit Pelagium non credidiſſe gratiam Mediatoris eſſe neceſſariam ad vincendas tentationes, eas poſſe ſuperari viribus naturæ innatis, tametſi non tam facile, quam cum accedit Dei adjuvans auxilium. Unde negatur ſubſumptum & minor argumenti: Ad probationem, diſtinguo, Pelagius admiſit gratiam ut nequam ſpiritui facilius reſiſtamus, concedo: ut aliquid abſolute neceſſarium ad hanc victoriam reportandam, & obſequium Spiritui ſancto reddendum & præſtandum, nego.

S. Doctor, ibidem cap. 34. nu. 37. iterum ſeſe circa iſtud momentum explicat, & ait: " Illos etiam, quos in eiſdem lit„ teris, quas miſit ad ſanctæ memoriæ „ Papam Innocentium, libros ſuos, vel „ ſcripta commemorat, legi præter u„ nam Epiſtolam, quam ſe brevem mi„ ſiſſe ad ſanctum Conſtantium Epiſco„ pum dicit: nec alicubi potui reperire, „ hanc cum gratiam confiteri, qua non

„ ſo-

,, ſolum poſſibilitas naturalis voluntatis ,
,, & actionis , quam dicit nos habere ,
,, etiamſi nec volumus , nec agimus bo-
,, num , ſed ipſa etiam voluntas & actio
,, ſubminiſtratione ſancti Spiritus adjuva-
,, tur . ,,

Inſiſtes. Pelagius nihil aliud quam Dei gratiam confitetur in ſcriptis , aſſeritque nihil omnino boni , ſecluſo ejus auxilio , fieri poſſe. Igitur admiſit gratiam per omnia & ad omnia ſalutis opera abſolute neceſſariam . Probatur antecedens , ſic loquitur epiſt. ad Paulinum : *Legant illam Epiſtolam , quam ad ſanctum virum Paulinum Epiſcopum ante duodecim fere annos ſcripſimus , quæ trecentis forte verſibus nihil aliud quam Dei gratiam & auxilium confitetur , noſque nihil omnino boni facere poſſe ſine Deo*. Ergo &c.

Reſpondet S. Auguſtinus ibidem cap. 35. n. 38. " Hanc ergo Epiſtolam legi , & in-
,, veni eum pæne per totam non immora-
,, ri , niſi in facultate & poſſibilitate na-
,, turæ , & pæne ibi tantum Dei gratiam
,, conſtituere : Chriſtianam vero gratiam
,, tanta brevitate , ſola nominis commemo-
,, ratione perſtringit , ut nihil aliud videa-
,, tur , quam eam facere timuiſſe . ,,

Perſiſtes : Qui numquam ſeparat gratiam a libero arbitrio , ille gratiam poſſibilitatis in natura in ſe relicta , non repoſuit : alias fruſtra gratiam commemoraret : Atqui Pelagius in libris ſuis gratiam cum libero arbitrio conjungit . Ergo &c. Audiamus loquentem epiſt. ad Conſtantium Epiſcopum cap. 34. ſic ſcribit : *Legant etiam*, inquit , *ad ſanctum Conſtantium Epiſcopum , ubi breviter quidem , ſed plane libero hominis arbitrio Dei gratiam auxiliumque conjunxi* . Ergo &c.

Reſpondet , S. Auguſtinus ibidem cap. 36. num. 39. " Hanc Epiſtolam ; ut ſu-
,, perius dixi , non legi : ſed ſi non eſt
,, diſſimilis cæteris , quæ mihi nota com-
,, memorat , non habet etiam ipſa quod
,, quærimus . ,,

Rurſus inſtabis : Pelagius accuſatus quod Chriſti adjutorium exploderet , iterum atque iterum ab hoc nævo ſe purgare ſatagit , aſſerendo non ita exaltare & laudare naturam , ut evacuet mediatoris gratiam: Igitur ne nomine ſolum , & ut fucum legentibus faceret , ſed re & veritate admiſit gratiam operis. Probatur antecedens. Epiſt. ad Demetriadem Virginem Append. tom. 1. & refertur , hic cap. 37. n. 40. ait : *Legant etiam quam ad ſacram Chriſti Virginem Demetriadem in Oriente conſcripſimus , & invenient nos ita hominis laudare naturam , ut Dei ſemper gratiæ addamus auxilium* . Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Pelagius ſe purgavit confitendo nomine tantum & terminis æquivocis & ſubobſcuris gratiam , ut fucum faceret , concedo : in rei veritate , admittendo gratiæ neceſſitatem , ſubdiſtinguo , hoc eſt , admittendo remiſſionem peccatorum quæ fit & per pœnitentiam , & per infuſionem gratiæ habitualis , ſeu ſanctificantis quam non negabat , concedo : admittendo gratiam actualem & operis , nego . Hanc objectionem ſic dirimit S. Auguſtinus ne Pelagius incautos deciperet . Ibidem enim cap. 37. n. 40. ſic reſpondet : " Iſtam ſane legi , mi-
,, hique pæne perſuaſerat , hanc illam gra-
,, tiam , de qua quæſtio eſt , confiteri :
,, quamvis in multis ejus opuſculi locis ſi-
,, bi ipſe contradicere videretur ; ſed cum
,, in manus meas & alia veniſſent , quæ
,, poſterius latiuſque conſcripſit ; vidi que-
,, madmodum potuerit etiam illic gratiam
,, nominare , ſub ambigua generalitate
,, quid ſentiret abſcondens , gratiæ ta-
,, men vocabulo frangens invidiam , offen-
,, ſionemque declinans . ,, Nec quemquam movere debet quod in eadem Epiſtola ad Demetriadem cap. 3. Pelagius dicat naturam humanam , per Chriſtum inſtauratam fuiſſe: " Naturam in melius in-
,, ſtauratam , *inquit* , Aug. ibidem n. 41.
,, remiſſionem vult *Pelagius* intelligi pec-
,, catorum : quod alio loco in hoc ipſo li-
,, bro ſatis demonſtravit , ubi ait : *Etiam*
,, *illi qui longo peccandi uſu quodammodo ob-*
,, *duruere , inſtaurari per pœnitentiam poſ-*
,, *ſunt* . Auxilium vero divinæ gratiæ po-
,, teſt & hic ponere in revelatione do-
,, ctrinæ . ,,

Aliæ proponuntur objectiones.

OPPONES : ut primum Pelagius per Zoſimum Papam damnatus eſt , ad meliora converſus cœpit agnoſcere veram Chriſti gratiam . Ergo &c. Probatur antecedens : Ille veram Mediatoris cognovit gratiam qui eam , qua Deus inclinat cor ad bonum quæque magni adjutorii nomine celebratur , admiſit . Atqui Pelagius talem admi-

admiſit & confeſſus eſt, ita colligitur ex D. Aug. lib. de gratia ch. cap. 33. n. 24. Pelagium ſic loquentem prodit: *Ita ſe*, inquit, *totum tradit Deo, omnemque ſuam mortificat voluntatem, ut cum Apoſtolo poſſit dicere, vivo autem jam non ego, vivit autem in me Chriſtus: ponitque cor ſuum in manu Dei, ut illud quo voluerit, ipſe declinet*. Ergo &c.

Reſpondet, S. Auguſtinus ibidem: “ Magnum profecto adjutorium divinæ gratiæ, ut cor noſtrum quo voluerit Deus, ipſe declinet. Sed hoc tam magnum adjutorium, ſicut iſte deſipit, tunc meremur, cum ſine adjutorio nonniſi de arbitrii libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatem noſtram ex ejus voluntate ſuſpendimus, eique adhærendo jugiter, unus cum illo efficimur ſpiritus. Hæc ſcilicet tam ingentia bona, nonniſi de arbitrii, ſecundum iſtum, efficimus libertate, ut his præcedentibus meritis ſic ejus gratiam conſequamur, ut cor noſtrum quo voluerit ipſe declinet. Quomodo ergo eſt gratia, ſi non gratis datur? Quomodo eſt gratia, ſi ex debito redditur? Quomodo vero dicit Apoſtolus, non ex vobis, ſed Dei donum eſt? Eph. 2. 8.

Reſpondeo 2. negando antecedens. D. enim Auguſtinus in libro de gratia Chriſti quem conſcripſit poſt damnationem hæreſis Pelagianæ cap. 34. num. 37. aſſerit nullibi potuiſſe invenire Pelagium veram Chriſti admiſiſſe gratiam, ſic loquitur. “ Nec alicubi potui reperire, hanc eum gratiam confiteri, qua non ſolum poſſibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit nos habere, etiamſi nec volumus, nec agimus bonum, ſed ipſa etiam voluntas & actio ſubminiſtratione ſancti Spiritus adjuvatur. ,, Unde ad probationem diſtinguo, Pelagius admiſit adjutorium inclinans cor metaphorice & objective ad operandum bonum, concedo: inclinans interius movendo, interius excitando & immutando, nego. Cor movetur ad actum religionis & eliciendum & amplectendum dupliciter, videlicet metaphorice & per puram objecti propoſitionem, deinde interius, & per realem immutationem: Primo quidem modo movetur, tum per prædicationem, tum per exempla, tum etiam per alicujus coronæ & mercedis promiſſionem, ea quippe alliciunt, & movent, ſed tantum extrinſece, hinc ſecluſa gratia, certe non ſequitur converſio. Sic legitur de Athenienſibus qui Paulum de reſurrectione, de judicio & vita æterna perorantem audierant, quoſdam, ea quæ dicebantur irriſiſſe: alio vero modo cor movetur, nimirum interius & per realem ſui immutationem, & hoc eſt a gratia, juxta illud actuum cap. 17. *Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant... Quidam autem viri adhærentes ei, crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis*. Pelagius extrinſecam prædicavit motionem quæ vel a Lege, vel a Doctrina & exemplis Chriſti habetur, nuſquam vero illam quæ cor immutat, & a Spiritu ſancto promanat, ut ex variis multiſque ſupra relatis probationibus liquet.

Inſtabis. Ille admiſit gratiam voluntatis qui dixit & propugnavit Deum operari in nobis velle quod bonum eſt. Atqui ejuſmodi amplexus eſt gratiam. Et probatur: S. Auguſt. lib. de gratia Chriſti cap. 10. illum ſic loquentem inducit: Deus *operatur in nobis velle quod bonum eſt*. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Pelagius amplexus eſt & prædicavit gratiam, quæ dat operari quod bonum eſt, ſuadendo & objective movendo, concedo: Realiter immutando voluntatem, nego. Eſt ſui ipſius interpres, ibidem enim ſic loquitur, & ſubdit: *Deum operari in nobis velle quod bonum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum ſollicitatione ſuccendit*.

Urgebis: Gratia quæ dat poſſe bonum interius movendo & immutando eſt vera Chriſti gratia, atqui iſtam confeſſus eſt Pelagius: & probatur, ex eodem ſancto Aug. qui lib. de gr. Ch. cap. 47. de Pelagio loquens, ait: “ Si ergo conſenſerit nobis, non ſolum poſſibilitatem in homine, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem divinitus adjuvari, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror inter nos controverſia relinquitur. ,, Ibi S. Doctor concedit Pelagium admittere gratiam poſſibilitatis qua præparatur

vo-

voluntas a Domino; unum tantummodo ulterius ab illo exigit; ut etiam gratiam actionis & admittat, & confiteatur, qua quidem conceſſa & admiſſa, non relinquetur ullus diſputandi locus: Igitur ex mente B. Auguſtini Pelagius receſſit a Lege, & veram Chriſti gratiam ſuſcepit, immo & propugnavit.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo, Pelagius admiſit gratiam poſſibilitatis ſubobſcure, gratiam vero operis adaperte negavit, concedo: & non negavit gratiam operis, quæ nedum poſſe bonum, ſed & velle, ſed & operari dat, nego. Caput controverſiæ erat de gratia actionis & operis; negabat Palagius eſſe neceſſariam, tum ad inchoandum, tum ad perficiendum bonum, namque utrumque liberum arbitrium viribus innatis conficere propugnabat, negabat e contra Auguſtinus, unde ne dimittat adverſarium, non in gratia poſſibilitatis ſiſtit, quam certe & a libero arbitrio & a Lege indiſtinctam putabat Pelagius, quid? plura terminis ita ſubdolis de hoc momento ſuam prodebat mentem Pelagius, ut in ſenſu Divi Ambroſii loqui videretur, quocirca ne in vanum & in incertum laboraret Auguſtinus, ad caput controverſiæ palmare appellavit adverſarium, expoſtulans ut gratiam quæ dat velle & perficere abſque fuco & tergiverſatione confiteretur: hinc tria potiſſimum exponit in loco pro objectione laudato. Primo quidem, Pelagium imponere & fucum facere. Secundo, petit ut gratiam operis confiteatur. Tertio, concedit nullum, his peractis, remanere controverſiæ locum. Et merito: ſi enim gratiam quæ dat velle & perficere cor immutando admittat, quis dubitat litem de gratia poſſibilitatis facile componi, ea potiſſimum ratione quia hac gratia præparatur voluntas a Domino & relationem ad opus habet, ideo enim datur, ut voluntas ſtimulata & mota cedat vocanti & obediat. Juvat audire S. Auguſtinum, qui lib. de gratia Chriſti cap. 47. nu. 52. ſic loquitur.

" *Poteſt* Pelagius, ita ſe latebris obſcu-
„ ritatis hujus involvere, ut etiam iis
„ quæ a ſancto Ambroſio conſcripta po-
„ ſuimus, conſentire ſe dicat; & ea ſe
„ quoque ſentire proclamet, ſemperque
„ ſenſiſſe; atque ita ſingula conetur expo-
„ nere, ut etiam ejus ſententiæ conveni-
„ re credantur. Quapropter quantum ad-
„ tinet ad iſtam de divina gratia & ad-
„ jutorio quæſtionem, tria illa quæ aper-
„ tiſſime diſtinxit attendite, poſſe, velle,
„ eſſe, ideſt, poſſibilitatem, voluntatem,
„ actionem. Si ergo conſenſerit nobis,
„ non ſolam poſſibilitatem in homine,
„ etiam ſi nec velit, nec agat bene, ſed
„ ipſam quoque voluntatem & actionem,
„ ideſt, ut bene velimus, & bene aga-
„ mus, quæ non ſunt in homine, niſi quan-
„ do bene vult, & bene agit: ſi, ut di-
„ xi, conſenſerit, etiam ipſam voluntatem
„ & actionem divinitus adjuvari, & ſic
„ adjuvari, ut ſine adjutorio, nihil bene
„ velimus & agamus. Eamque eſſe gra-
„ tiam Dei, per Jeſum Chriſtum Domi-
„ num noſtrum, in qua nos ſua, non no-
„ ſtra juſtitia juſtos facit, ut ea ſit vera no-
„ ſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt; nihil
„ de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbi-
„ tror, inter nos controverſiæ relinque-
„ tur. „ Quibus ultimis verbis omne Pelagianum commentum explodit S. Aug. ſi quidem vult ut tota noſtra juſtitia ſit per Jeſum Chriſtum, hoc eſt, & poſſe & operari juſtitiam a gratia Chriſti profluat.

Inſiſtes. Ibi agnoſcit Auguſtinus Pelagium admittere aliquid quod ad hoc uſque tempus non admiſerat: Igitur non liberum arbitrium nudum, non legem ſolam & Evangelium, ſed aliquid ab his omnibus diſtinctum pro gratia habuit.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, Pelagius aliquid novi extrinſece pro gratia habuit, concedo: aliquid novi quod eſſet intrinſecum, & cordis immutativum, nego. Pelagius variis Conciliorum definitionibus perſtrictus, ut omnium declinaret anathemata, purum liberum arbitrium pro gratia prædicare & docere deſtitit, & ad bonum non ſufficere confeſſus eſt, hinc addidit legem ſeu potius Legis illuminationem, iſta innixus Pſalmiſtæ ſententia Pſalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Quam quidem illuminationem nomine gratiæ poſſibilitatis celebravit: *Deus*, inquit, *operatur velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, cum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, præmiorum ſollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ*

in

Digitized by Google

in deſiderium Dei torpentem ſuſcitat voluntatem.

Repones: Ille veram admiſit pro voluntate immutanda gratiam, qui admiſit gratiam quæ eſt per adminiſtrationem ſpiritus, hac quippe ratione delineatur vera Chriſti gratia: atqui hanc ipſam confeſſus eſt Pelagius. Sic enim loquitur apud D. Aug. lib. de gr. ch. cap. 7. n. 8. *Hic nos imperitiſſimi hominum putant injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus eam ſine voluntate noſtra nequaquam in nobis perficere ſanctitatem: quaſi Deus gratiæ ſuæ aliquid imperaverit, & non illis quibus imperavit etiam gratiæ ſuæ auxilium ſubminiſtret, ut quod per liberum hominis facere jubentur arbitrium, facilius poſſent implere per gratiam*. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo, & per ſubminiſtrationis auxilium nihil aliud præter Legis illuminationem, & liberi arbitrii poſſibilitatem ſeu potentiam intelligit, concedo: & intellexit veram gratiam quæ a Spiritu ſancto datur & ſubminiſtratur ad converſionem, & ad bona opera in ordine ad ſalutem facienda, nego. Loquebatur ambigue Pelagius ut fucum faceret, & ſic illuſit & Patribus Palæſtinis, & Zoſimo. De ejus mala in ſermonibus fide non ſemel conqueritur S. Auguſtinus lib. de peccato orig. cap. 16. n. 17. ſic loquitur: " Numquid hæc dicendo verba propter aliud objecta aliter exponendo, id agit, ut ſe judices non ſefelliſſe demonſtret? Prorſus non id efficit, tanto enim ſefellit occultius, quanto exponit iſta verſutius." Ibidem cap. 18. num. 20. " Denique quomodo reſpondeat, advertite, & videte latebras ambiguitatis falſitati præparare refugia."

Reſpondet ad objectionem S. Doctor lib. de gr. Ch. cap. 7. nu. 8. his verbis: " Hanc autem naturalem poſſibilitatem quod adjuvari Dei gratia confitetur, non eſt hic apertum, vel quam dicat gratiam, vel quatenus eam naturam ſentiat adjuvari: ſed ſicut aliis in locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi poteſt, non vult aliud accipi, quam legem atque doctrinam." Allatis deinde Pelagii verbis de quibus in objectione, ſubjungit: " Quis non hic deſideret, ut oſtendat quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maxime de illo expectare debemus, ut dicat hoc quod dicit, non in Lege tantummodo ſe gratiam confiteri. Sed, nobis hac expectatione ſuſpenſis, quid addiderit intuemini: " *Adjuvat enim nos Deus*, inquit, *per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit*.... Deinde ſententiam ſuam quadam velut abſolutione concludens, *qui hæc dicit*, inquit, *gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitetur?* " In his omnibus non receſſit a commendatione Legis atque doctrinæ, hanc eſſe adjuvantem gratiam diligenter inculcans."

Perſiſtes: S. Auguſtinus ſerm. 13. de verbis Apoſtoli cap. 11. de Pelagianis, peracta & publicata verum condemnatione, ſic loquitur: " Coarctati ſunt aliquando gratiam confiteri, & benedicimus Deum, quia vel hoc aliquando dixerunt, accedendo etiam proficere potuerunt; & ad id quod vere rectum eſt proficere." Igitur ex D. Auguſtino, Pelagiani tandem aliquando veram Chriſti gratiam admiſerunt.

Reſpondeo 1. Pelagianos ambigue locutos fuiſſe, maxime quum Catholicorum argumentis premerentur, immo terminis ſanam doctrinam præſeferentibus, ut fucum facerent, non ſemel uſi ſunt. Hoc ipſum colligitur ex locis D. Aug. ſupra laudatis: quid plura adjiciam? S. Præſul in libro de hæreſibus quem ſub finem vitæ, abſolutis retractationum libris, conſcripſit, hær. 88. expreſſe dicit illos hæreticos a Lege nuſquam receſſiſſe.

Reſpondeo 2. diſtinguendo, & D. Auguſtinus ex aliena loquitur ſententia, concedo: ex ſua, nego. Ibidem eſt ſui ipſius interpres, aitque. " Nam ſicut quidam dicere cœperunt coarctati ſunt aliquando gratiam confiteri, & benedicimus Deum."

Reſpondeo 3. Pelagianos fuiſſe quidem convictos, ita ut gratiam confiterentur; & de hoc momento jure merito benedixit S. Auguſtinus Dominum, ſed non converſos, cum doctrinæ catholicæ ſubſcribere renuerint. Hanc bona, eſto, videbantur, ſed pro more hæreticorum ſuis ſemper adhærentes erroribus, deteriora ſequebantur.

Inſtabis. Illi veram Chriſti gratiam nedum agnovere, ſed & propugnavere qui

qui teſtantur eam neque eſſe naturam, neque legem, ſed auxilium, quod facit facere ut præcepta adimpleantur: Atqui talem gratiam defenderunt Pelagiani: & probatur ex D. Auguſtino qui lib. de gratia & libero arbitrio cap. 14. n. 27. de eis, ſic loquitur: " Sed cum fuerint convicti, non „ defenſores, ſed inflatores & præcipi- „ tatores liberi arbitrii, quia neque ſcien- „ tia divinæ Legis, neque natura, ne- „ que ſola remiſſio peccatorum eſt illa „ gratia quæ per Jeſum Chriſtum Domi- „ num noſtrum datur, ſed ipſa facit ut „ lex impleatur, ut natura liberetur, nec „ peccatum dominetur &c. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: Ad probationem diſtinguo, admiſerunt gratiam quæ facit facere ſuadendo, illuminando, & objective movendo, concedo: gratiam quæ cor immutat, nego. Cujus rei argumentum duplex ex D. Auguſtino, colligitur. Primo S. Doctor dicit quidem Pelagianos fuiſſe convictos, gratiam Chriſti non eſſe naturam, neque legem, neque ſolam peccatorum remiſſionem, ſed eam propugnaſſe cordis immutativam, nullibi aſſerit: de eiſdem quippe idem cap. 11. n. 23. ait: " Quid eſt ergo, quod „ vaniſſimi homines, & perverſiſſimi Pe- „ lagiani legem dicunt eſſe Dei gratiam, „ qua juvamur ad non peccandum? „ 2. Poſt verba in objectione laudata ſubdit S. Præſul convictos Pelagianos veluti ad Semipelagianiſmum declinaſſe, quo ſcopo, quo fine, intelligite, ut ſuum ſervarent de lege & natura perverſum dogma, dum enim prædicant gratiam, ex meritis naturæ conferri, quid aliud volunt niſi gratiam a natura pendere, liberumque hominis arbitrium ſe ſolo ad bonum ſalutis ſufficere n. 27. hæc ſubdit Aug.: " Cum ergo in his convicti fuerint, ad „ hoc ſe convertunt, ut quocumque modo „ conentur oſtendere, gratiam Dei ſecun- „ dum merita noſtra dari. „

Dices: Lex Chriſti eſt gratia juxta illud Joan. 1. *Lex per Moiſen data eſt, gratia & veritas, per Jeſum Chriſtum facta eſt*. In hoc quippe lex Chriſti a lege Moiſis ſecernitur, quod gratiæ nomine celebretur: ſed Pelagius admiſit pro gratia Evangelium, Doctrinam Chriſti, ejuſque exempla: igitur gratiam quæ eſt per Jeſum Chriſtum non negavit, ſed admiſit.

Reſpondeo diſtinguendo, lex interior quæ per Spiritum ſanctum in cordibus imprimitur eſt gratia, concedo: lex ſcripta & in Novo exhibita Teſtamento, ſubdiſtinguo; eſt gratia extrinſece, concedo: interior & cordis immutativa, nego. Lex Evangelica eſt quid mere extrinſecum & objective movens ad bonum, dicitur quidem gratia, tum quia Chriſtum auctorem gratiæ exhibet præſentem, tum quia ſacramenta virtute magna & ſigna gratiæ practica continet. Hanc admiſit quidem pro gratia Pelagius, nuſquam vero illam quæ a Spiritu Sancto cordibus infunditur, quæque per antonomaſiam eatenus lex dicitur, quatenus & mentem illuminat & voluntatem immutat ad bonum, vel etiam quia ejus unctio, teſte Divo Joanne, docet nos: hinc primis ajebat Chriſtianis S. Petrus epiſt. 1. cap. *Si tamen guſtatis quoniam dulcis eſt Dominus*.

Inſtabis: Gratia quæ eſt per Jeſum Chriſtum illa cenſetur, quæ remittit peccata: Atqui eiuſmodi gratiam confeſſi ſunt Pelagiani: & probatur ex D. Aug. qui l. de gr. & l. arb. c. 13. n. 26. de eis, ſic effatur: " Dicunt etiam gratiam Dei, quæ „ data eſt per fidem Jeſu Chriſti, quæ „ neque lex eſt, neque natura, ad hoc „ tantum valere, ut peccata præterita di- „ mittantur. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, gratia Chriſti habitualis valet ad remiſſionem peccatorum præteritorum, concedo: ad futura præcavenda, ſubdiſtinguo, adjuncta gratia actuali, concedo: non adjuncta, nego. Gratia habitualis ſeu ſanctificans in juſtificatione remittit peccata præterita, ſed ad futura præcavenda alia præter iſtam requiritur, videlicet actualis qua habemus & declinare a malo, & facere bonum: hinc nedum ad peccata futura præcavenda, ſed & ad futura remittenda eatenus concurit, quatenus eſt principium proximum bonorum operum, quæ per modum diſpoſitionis in ipſam influunt juſtificationem: At nec Pelagius, nec ſui iſtam admittebant gratiam, ſed tantummodo habitualem quæ valet ad peccata præterita remittenda: actualis autem & exiſtentiam, & neceſſitatem probat eis D. Auguſtinus, tum auctoritate Scripturæ quæ in oratione dominica nos docet gratiam qua peccata futura præcaventur; & auctoritate Beati Cypriani ſcripturam in hoc prorſus ſenſu interpretantis. Quod autem

autem gratiam operis de qua erat caput controverſiæ non admiſerint Pelagiani, non ex eo ſolum patet momento quod gratiam qua vitantur peccata procul facerent, ſed etiam ex hoc quod convicti de iſtius gratiæ neceſſitate, illam a natura ortum habere dicerent. Hæc omnia exponit & aſſerit Sanctus Auguſtinus.

S. Doctor, ibidem, ſic loquitur: “ Dicunt etiam gratiam Dei, *inquit*, quæ data eſt per fidem Jeſu Chriſti, quæ neque eſt lex, neque natura, ad hoc tantum valere ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia ſuperentur, ſed ſi hoc verum eſſet, utique in oratione dominica, cum dixiſſemus, *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, non adderemus, *& ne nos inferas in tentationem*. . . . . Commoneo autem charitatem veſtram, & multum exhortor, ut Beati Cypriani librum quem ſcripſit de oratione dominica diligenter legatis. „ Tum n. 27. de iiſdem Pelagianis diſſerens, ait: “ Cum ergo in his convicti fuerint, ad hoc ſe convertunt, ut quocumque modo conentur oſtendere, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Pelagius non admiſit gratiam operis.

PRIMO: quia teſte Auguſtino lib. de gr. Chr. cap. 7. admiſit ſolum pro gratia Legis illuminationem, qua illuſtratus homo videt bonum quod facere, malum vero quod vitare debet.

Secundo: Ea de cauſa variis in Conciliis proſcriptus eſſe Pelagius.

Tertio: Pelagium in illa fuiſſe ſententia, nedum Theologi, ſed & hiſtorici omni exceptione majores referunt.

SYNOPSIS PROBATIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Pelagius admiſit quidem gratiam, qua remittuntur peccata præterita, ſed non actualem, qua præcaventur futura.

Secundo: Auxilium etiam quod eſt per ſubminiſtrationem ſpiritus, Pelagius ſeſe admittere dicebat, ſed nomine & voce tenus. Revera non admiſit, quippe qui teſte B. Auguſtino a Lege non receſſerit.

Tertio: Convicti quidem fuere Pelagiani de neceſſitate gratiæ actualis, & de hoc benedicebat Deum S. Auguſtinus, ſic enim, inquit, *proficere poterant*, ſed non ideo converſi, namque per gratiam liberum ſemper intelligebant arbitrium & legem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum caput controverſiæ inter Auguſtinum & Pelagium fuerit de gratia actuali & operis?

GRATIAM Chriſti gratum facientem duplicem eſſe, nemo Catholicus non novit, alteram ſcilicet habitualem ſeu ſanctificantem, alteram vero actualem, quæ & gratia operis dicitur. Illa quodammodo deificat animam, quippe quæ faciat juſtum naturæ divinæ participem, omniumque virtutum pretioſam ſupellectilem afferat, iſta vero eſt principium operis proximum & immediatum: Prima, eatenus reſpicit eſſe, quatenus nos facit filios Dei adoptivos: Secunda, eſt pro opere; hinc & ſæpius efficax appellatur. Quæritur impræſentiarum de qua ex duobus fuerit caput controverſiæ inter S. Auguſtinum & Pelagium. Pro cujus reſolutione

CONCLUSIO.

Caput controverſiæ inter S. Auguſtinum & Pelagium erat de gratia operis.

Probatur, ex Auguſtino.

PRIMO: Gratia duplex diſtinguitur, una habitualis & ſanctificans, altera actualis & operans. Per primam remittuntur peccata præterita, per ſecundam vero præcaventur futura. Illam admiſit Pelagius, nec de hoc reprehenditur ab Auguſtino: iſtam vero negavit, qua de cauſa illum inſectatur S. Doctor. Quibus prælibatis, iſtud pro concluſione conficitur argumentum. De illa gratia fuit caput controverſiæ inter Pelagium & Auguſtinum cujus neceſſitatem ille negabat, iſte vero probat, quam inutilem prædicabat Pela-

Digitized by Google

Pelagius, de quo vero vehementer illum redarguit S. Præſul: atqui res ſic ſe habet: Igitur caput controverſiæ inter S. Auguſtinum & Pelagium fuit de gratia actuali. Probatur minor ex D. Auguſtino qui lib. de gratia & liber. arb. cap. 13. num. 26. de Pelagianis, ſic loquitur: " Dicunt etiam gratiam Dei, quæ data ,, eſt per fidem Jeſu Chriſti, quæ neque ,, eſt lex, neque natura, ad hoc tantum ,, valere ut peccata præterita dimittantur, ,, non ut futura vitentur, vel repugnan- ,, tia ſuperentur, ſed ſi hoc verum eſſet, ,, utique in oratione dominica, cum di- ,, xiſſemus, *dimitte nobis debita noſtra, ſi-* ,, *cut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* ,, Quibus verbis unum concedit S. Auguſtinus, nimirum dari gratiam qua peccata futura dimittuntur, quod & Pelagiani ultro fatebantur: alterum vero probat S. Doctor, videlicet dari etiam gratiam, qua futura peccata præcaveantur, quæque eſt gratia operis, quam quidem iſti hæretici & debellare, & rejicere non ceſſarunt. Ergo &c.

Secundo: De illa gratia potiſſimum controverſia movebatur, qua ſemel admiſſa, lis omnis componebatur: atqui admiſſa ſemel a Pelagianis gratia actuali, nihil controverſiæ inter eos & Auguſtinum relinquebatur: Ergo &c. probatur minor. Palmaris Pelagianorum error hic erat, hominem viribus naturæ poſſe & bonum ad vitam æternam conducens facere, & declinare a malo: ſed admiſſi gratiæ actualis neceſſitate, jam iſte ceſſabat error: Igitur & capitalis controverſia. Hoc ipſum colligitur, ex D. Auguſtino qui lib. de grat. Chr. cap. 48. n. 52. de Pelagio diſſerens, ait: " Si ergo conſenſerit nobis, ,, non ſolum poſſibilitatem in homine, ,, etiamſi nec velit, nec agat bene, ſed ,, ipſam quoque voluntatem, & actionem, ,, ideſt, ut bene velimus, & bene agimus, quæ non ſunt in homine, niſi ,, quando bene vult, & bene agit: ſi, ut ,, dixi, conſenſerit etiam ipſam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & ,, ſic adjuvari, ut ſine adjutorio, nihil bene velimus & agamus, eamque eſſe gratiam Dei, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum... Nihil de adjutorio gratia Dei, quantum arbitror, inter nos ,, controverſiæ relinquetur. ,,

Tertio: Controverſia principalis de qua impræſentiarum loquimur, erat de gratia vel habituali, vel actuali, atqui non erat de habituali: Igitur de actuali. Probatur minor. Tametſi Pelagiani gratiam habitualem ad delendum peccatum originale inutilem eſſe propugnarent, non tamen ad introitum in regnum cœlorum, unde ſolummodo penes effectus, non ipſam gratiæ exiſtentiam & neceſſitatem errabant: Igitur palmaris controverſia non de gratia habituali, verum potius de actuali circumferebatur. Audiendus eſt de hoc momento ipſe Pelagius, qui Epiſtola quam ad Demetriadem Virginem direxit cap. 8. ſic loquitur: " Inſtructi per Chriſti gra- ,, tiam & in meliorem hominem renati ,, ſumus. ,, Et Cor. 22. " Magis illa vir- ,, tute gloriaris quæ Filios Dei & cohæ- ,, redes Chriſti facit. ,, Rurſus cap. 24. " Non meliorem ſpiritus tuus requirit or- ,, natum, qui cum Univerſam Eccleſiam ,, ſalutaris aquæ lavacro purificatam ſine ,, macula rugaque reddit, quotidie cupit ,, eam fieri pulchriorem. ,,

Huic ſententiæ ſuum non ſemel addit calculum D. Auguſtinus, maxime lib. 2. oper. imp. ubi dicit Julianum gratiam confiteri habitualem, eamque neceſſariam eſſe parvulis & adultis, parvulis quidem ut per novæ perfectionis adminiculum meliores evaderent; adultis vero ut per fidem proficerent: omnibus ut liberum haberent in regnum Chriſti introitum. Suffragantur Hieronymus, aliique Patres, qui Pelagianos debellaverunt. Hoc & Concilia adverſus iſtos hæreticos adunata docent, ubique enim & per omnia ſcriptis, dictis, & definitionibus eos inſectantur, maxime quia pro gratia operis, aut liberum arbitrium, aut ad ſummum legem habere vellent.

Diluuntur objectiones.

OBJICIES: Caput controverſiæ inter ſanctum Auguſtinum & Pelagium fuit de gratia ſanativa: ſed ea eſt habitualis & ſanctificans, iſta quippe juſtificat peccatorem: Igitur controverſia non erat principaliter de gratia actuali.

Ad ſolutionem iſtius difficultatis & aliarum quæ hic proponi poſſunt, unum præmittendum venit, videlicet S. Auguſtinum nonnumquam etiam de gratia habituali cum Pelagio diſceptaſſe, quatenus

eam

eam & meritis naturæ humanæ fœtum proclamaret, & ad delendum peccatum originale prorſus inutilem eſſe affereret; hoc ſolummodo probant omnes adverſus concluſionem noſtram objectiones, nuſquam vero caput palmare controverſiæ in eo potiſſimum articulo ſitum fuiſſe, quod de gratia actuali emerſiſſe contendimus. Qua obſervatione facta, iſta altera non levioris momenti occurrit; videlicet eoſdem prope effectus gratiæ habitualis quandoquidem etiam actualis tribui auxilio, ſed in alio genere cauſæ, quæ quidem diverſitas omnem tollit & æquivocationem & implicantiam. Nec mirum, ſicut gratia ſanctificans formaliter ſanat & juſtificat, & ita & efficienter ac diſpoſitive gratia actualis. Hæc ſi attendas, benevole lector, abſque negotio objectionibus omnibus facies ſatis.

Reſpondeo igitur ad argumentum diſtinguendo majorem: caput controverſiæ erat de gratia ſanativa actualis, concedo: habituali, nego. Similiter & diſtinguo minorem. Gratia habitualis ſanat, & ſupponit actualem, quæ ſuo modo utique ſanat, concedo: & non ſupponit, nego. Gratia habitualis eatenus ſanat, quatenus eſt forma oppoſita peccato, illudque ab anima propellit, qua de cauſa juſtificationis cauſa formalis dicitur; actualis vero ſanat efficienter & diſpoſitive, quandoquidem & cor peccatoris immutat, ut velit bonum, & voluntatem determinat, applicatque ad illud faciendum, hinc & principium bonorum operum, quibus pervenitur ad juſtificationem, jure merito vocatur. Hoc ipſum non ſemel docet & ſcribit D. Thomas, maxime cap. 2. q. 109. art. 1. & ſequentibus. De qua igitur gratia ſanativa erat inter S. Auguſtinum & Pelagium controverſia, jam liquet. Nimirum de actuali quam ſanctus Præſul nomine gratiæ medicinalis paſſim in ſuis operibus celebrat.

Inſtabis: D. Auguſtinus enchir. cap. 3. Pelagianis probat parvulos Chriſto incorporari: Sed hoc ipſum fieri per gratiam habitualem nemo non novit: Igitur palmaris controverſia erat de gratia habituali.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, & hoc eſt argumentum aliquam fuiſſe inter S. Auguſtinum & Pelagianos controverſiam de gratia habituali, concedo: & argumentum eſt fuiſſe capitalem de hoc momento controverſiam, nego. Concedimus S. Auguſtinum de gratia utique habituali diſceptaſſe cum Pelagianis, quandoquidem & ex meritis naturæ conferri, & ad delendum peccatum originale inutilem prorſus aſſerere audebant, contrarium vero propugnabat S. Præſul. Sed contendo S. Doctorem hanc præcipue ſuſcepiſſe provinciam defendendam, gratiam actualem nedum utilem eſſe, verum etiam & ad bonum operandum abſolute neceſſariam.

Urgebis: S. Præſul. lib. de Præd. SS. c. 15. ſic loquitur: „Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua gratia ab initio ſuo factus eſt Chriſtus. „ Sed homo non factus eſt per gratiam actualem Chriſtus: Igitur per habitualem. Ex quo ſequitur principalem controverſiam inter S. Auguſtinum, & Pelagianos fuiſſe de gratia habituali, maxime, cum ſit principium meriti & totius ſalutis cauſa formalis. Tum quia delet peccatum originale, quod quidem pertinaciter negabant Pelagiani. Ex quo errore cæteri veluti ex impuro & primigenio fonte promanabant.

Reſpondeo 1. Secundum hominem eumque novum factum eſſe Chriſtum, non præciſe per gratiam habitualem, quæ eſt accidens, ſed per gratiam unionis hypoſtaticæ, quæ eſt ipſe Deus & ſecunda ſanctiſſimæ Trinitatis perſona, unde ex hoc Auguſtini loco nihil erui poteſt pro controverſia, de qua impræſentiarum movetur difficultas. Ex hoc quippe momento ſequitur ſolum gratiam eſſe gratuitam. Sicut enim incarnatio eſt ante præviſa merita etiam virtute gratiæ comparata, ita & ipſa gratia ante præviſa merita naturæ: & hoc unum propugnat eo loci S. Auguſtinus adverſus Semipelagianos, qui fidem a natura exordium ducere autumabant.

Reſpondeo 2. diſtinguendo, homo fit formaliter Chriſtianus per gratiam habitualem, efficienter vero per actualem, concedo: & nequidem efficienter fit talis per gratiam operantem, nego. D. Auguſtinus ibi principaliter loquitur de gratia actuali, quippequi agat de vocatione ad fidem, quam quidem vocationem gratia operante præveniri contendit adverſus Semipelagianos, quos hic debellat & revincit, oſtendens & fidem, & fidei deſiderium a Spiritu ſancto flante, illuminante, & inſpi-

Digitized by Google

& inſpirante profluere. Cæterum hæc & ſimilia quæ abjiciuntur, probant quidem controverſiam motam fuiſſe etiam de gratia habituali, non tamen principaliter.

Inſiſtes: erat principalis controveſia de gratia, quæ eſt per ſubminiſtrationem Spiritus: Sed talis gratia eſt habitualis: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, erat principalis controverſia de gratia actuali, concedo: de habituali, nego. Utraque eſt a Spiritu ſancto, ſed movebatur principaliter controverſia de prima: ſolutio eſt S. Auguſtini qui in epiſtola ad Innocentium primum de Pelagio, ſic loquitur: " Sive „ gratiam dixerit eſſe liberum arbitrium, „ ſive gratiam eſſe remiſſionem peccato- „ rum, ſive gratiam eſſe legis præceptum, „ nihil eorum dicit quod per ſubminiſtra- „ tionem Spiritus ſancti pertinet ad con- „ cupiſcentias, tentationeſque vincen- „ das. „

Repones: Pelagius admiſit gratiorem peccati remiſſionem: Sed illam non ponebat in gratia habituali, quod erat error maximus: ergo erat principalis controverſia de gratia habituali. Probatur minor. In Concilio Milevitano canone tertio damnatur eo quod admitteret ſolum gratiam peccati remiſſivam: Sed ſi illam poſuiſſet in gratia habituali non debuiſſet propter hoc damnari: Igitur nolebat Pelagius, gratiam habitualem remittere peccatum:

Reſpondeo negando minorem: Ad probationem diſtinguo, damnatur quia admittebat gratiam peccati remiſſivam excludendo actualem, quæ concurrit efficienter per actus bonos ad juſtificationem, concedo: quia negabat gratiam habitualem præciſe, nego. Sic enim loquitur Concilium. *Placuit ut quicumque dixerit gratiam Dei in qua juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ad remiſſionem peccatorum ſolum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam adjutorium quo non committantur, anathema ſit.*

Inſtabis: Pelagius admiſit gratiam ad actus ſupernaturales neceſſariam: Sed hæc gratia eſt gratia habitualis: Et probatur. Gratia illa eſt principium bonorum operum: Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo, gratia habitualis, eſt principium radicale & remotum actuum ſupernaturalium in quantum ab ea fluunt virtutes, ut proprietates ab eſſentia, & quia etiam dat jus ad auxilia actualia, quibus bonum opus conficitur, concedo: eſt principium immediatum & proximum, nego. Iſtud munus ſoli gratiæ actuali tribuitur: principaliter igitur erat controverſia de ea.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Controverſia palmaris inter S. Auguſtinum & Pelagium erat de gratia actuali.

PRIMO: Pelagius conſtanter negabat gratiæ actualis neceſſitatem ad initium fidei; de hoc vero errore paſſim & ubique eum reprehendit S. Auguſtinus, maxime lib. de grat. Ch. & libero arbitrio cap. 13. num. 26. ubi ex profeſſo illi probat gratiam actualem ad initium fidei & præcavenda peccata eſſe admodum neceſſariam.

Secundo: Ipſe Auguſtinus lib. de gratia Ch. cap. 48. num. 52. aſſerit nullum remanere diſſertandi locum, ſi ſemel Pelagius conceſſerit hominem, ſecluſa illa præveniente & adjuvante gratia, nec velle bonum ſalutis, nec operari poſſe.

Tertio: Tametſi Pelagius circa gratiæ habitualis effectus erraret, illam tamen admittebat: Non igitur de ea, ſed actuali cum eo digladiabatur S. Auguſtinus.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Erat quidem lis magna inter S. Auguſtinum & Pelagium de gratia ſanativa, ſed efficienter, & diſpoſitive de ſanativa, ſcilicet actuali.

Secundo: Eſto quod S. Auguſtinus probet Pelagio dari gratiam qua homo fit Chriſtianus; ſed nemo cordatus dixerit eum in hoc a gratia actuali ſecedere, cum his effectus tribuatur utique ut cauſæ efficienti illi adjutorio.

Tertio: Pelagius admittebat, eſto, gratiam quæ eſt per ſubminiſtrationem, eſto habitualem ſolum & non actualem.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Semipelagiani admiſerint gratiam actualem ad initium fidei?

Hiſtoria critica Semipelagianiſmi.

Ortus .

VIRI quidam non ſolum ſcientia & pietate , ſed etiam & dignitate celebres , occaſione D. Auguſtini doctrinæ de efficacia gratiæ erraverunt : Pelagium quidem toto mentis & cordis affectu damnabant , cujus rei argumentum eſt , converſio Leporii a Caſſiano primum cœpta , deinde ab Auguſtino conſummata ; agnoſcebant peccatum originale , concupiſcentiam malam , cæteraſque hominis miſerias tanquam veros primi hominis peccati effectus : inſuper , & neceſſitatem gratiæ actualis ad conſummationem , ſed non ad initium actus , maxime fidei . Ita refert Sanctus Proſper in epiſtola ſua ad Sanctum Auguſtinum , & Sanctus Hilarius in ſua ad eundem Præſulem .

Quo dicti fuerint motivo , ut adhærerent in aliquo Pelagianis , apparet hoc fuiſſe ad liberi arbitrii defenſionem , quod non modicum efficacia gratiæ , qualem prædicabat Auguſtinus , dilacerari autumabant . Sed zelo non ſecundum ſufficientem ſcientiam abrepti , faciendo voluntatem liberam , faciebant ſacrilegam , nempe gratiæ dominam . Tale fuiſſe eorum motivum , & lapſus initium conſtat ex objectionibus Vincentii Semipelagiani , quæ ſexdecim propoſitionibus continentur , quas veluti tot errores doctrinæ divi Auguſtini affigebat . Ita Pater Alexander , Hiſt. Eccleſiaſticæ , 5. ſæculo cap. 3. art. 7. §. 7.

Prima *eſt : Dominus noſter Jeſus Chriſtus non pro omnium hominum ſalute & redemptione paſſus eſt .*

Secunda : *Deus non vult omnes ſalvare , etiamſi omnes ſalvari velint .*

Tertia : *Deus majorem partem humani generis ad hoc creat , ut illam perdat in æternum .*

Quarta : *Major pars humani generis ad hoc creatur a Deo , ut non Dei , ſed diaboli faciat voluntatem .*

Quinta : *Peccatorum noſtrorum auctor eſt Deus eo quod malam faciat voluntatem hominum , plaſmet ſubſtantiam , quæ naturali motu non poteſt niſi peccare .*

Sexta : *Deus tale in hominibus plaſmat arbitrium quale eſt dæmonum , eo quod proprio motu nihil velit , vel poſſit niſi malum .*

Septima : *Hæc eſt voluntas Dei , ut magna pars Chriſtianorum ſalva eſſe nec poſſit , vel velit .*

Octava : *Non vult Deus ut omnes Catholici in fide Catholica perſeverent , ſed vult Deus ut magna exinde pars ſanctorum apoſtatet . .*

Nona : *Vult Deus ut magna pars ſanctorum a ſanctitatis propoſito ruat .*

Decima : *Adulteria & corruptelæ ſacrarum Virginum ideo contingunt , quia illas Deus ad hoc prædeſtinavit ut caderent .*

Undecima : *Quando inceſtant Patres filias , aut Matres Filios , vel quando ſervi dominos occidunt , ideo fit , quia ita Deus prædeſtinavit ut fieret .*

Duodecima : *Dei prædeſtinatione efficiuntur de filiis Dei , filii diaboli , & de templo ſancti Spiritus , templa dæmonum , & de membris Chriſti membra meretricis .*

Decima tertia : *Omnes illi fideles & ſancti , qui ad æternam mortem prædeſtinati ſunt , quando ad vomitum ſuum relabuntur , vitio quidem ſuo hoc facere videntur : Sed ipſius vitii cauſa eſt divina prædeſtinatio , quæ illis latenter ſubtrahit bonas voluntates .*

Decima quarta : *Pars magna illa Chriſtianorum Catholicorum fidelium , atque ſanctorum , quæ ad ruinam & perditionem prædeſtinata eſt , etiamſi petat a Deo ſanctitatis perſeverantiam , non impetrabit : eo quod mutari non poteſt divina prædeſtinatio , quæ illos præordinavit , præparavit , præaptavit ut caderent .*

Decima quinta : *Omnes illi fideles & ſancti , qui ad æternam mortem prædeſtinati ſunt , poſteaquam ceciderint , ſic a Deo diſpenſantur , ne poſſint , vel velint per pœnitentiam liberari .*

Decima ſexta : *Magna pars illa fidelium atque ſanctorum , quæ ad æternam mortem prædeſtinata eſt , quando dicit Deo in oratione Dominica , fiat voluntas tua : nihil aliud quam contra ſe petit , id eſt , ut cadant & ruant : quia voluntas Dei hæc eſt , ut æterna morte pereant .*

Hæ ſunt perverſæ concluſiones quas ex doctrina Auguſtini Catholica de efficacia

cacia gratiæ, Semipelagiani perverſe deducebant, quas ut vitarent, impegerunt in errores ſequentes.

I. *Initium* aliquod juſtitiæ & ſalutis, nimirum fidem & voluntatem aliquam ſalutis obtinendæ, puta bonam cogitationem, bonumque deſiderium eſſe a nobis autumabant, quia tamen ejuſmodi actus nondum ſatis perfecti evadunt, non inter opera juſtitiæ eos annumerabant, ſed tantum ad gratiam Chriſti promovere arbitrantur. Hilarius epiſt. ad S. Auguſt.

II. *Quidam* alii ad Pelagii nævos propius accedentes, hominem ſolis naturæ viribus & bono uſu liberi arbitrii ad gratiam mediatoris pertingere ſentiebant S. Proſper, epiſt. ad S. Aug.

III. *Gratiam*, quam ad perficiendum opus, neceſſariam ponebant, humanæ ſubditam voluntati, ipſique hominis obedientiam præviam eſſe effutiebant. S. Proſper ibidem.

IV. *Dicebant*, omnes homines pari modo beneficii nobis a Chriſto moriente collati participes eſſe, nullos extare ad quos uberior inde quam in cæteros, ad ſuæ ſalutis aſſecutionem gratia derivetur: Deum enim æque velle omnes ſalvos fieri, ſi velint, aſſerere non dubitabant. S. Proſper ibidem. Porro non erant hæretici, neque in eo quod dicerent, Deum velle omnes & ſingulos homines ſalvos fieri, neque in eo quod mortem Chriſti ad ſingulos quoque extendi prædicarent, ſed potius in eo quod & Deum electorum ſalutem ſpeciali conſilio & dilectione nolle, & Chriſtum mortis ſuæ pretium æqualiter omnibus ſingulis hominibus diſpenſaſſe aſſererent.

V. *Ultro* fatebantur gratiam Chriſti ſuppetere omnibus, & ad ſe omnes invitare: ſed unumquemque, proprio arbitrio, vocanti obedire. Sanctus Proſper ibidem. Certe non errabant in eo quod gratiam generalem, quam ſufficientem vocamus, omnibus præſto eſſe propugnarent, ſed quod illam ad initium vel fidei, vel boni operis inutilem eſſe vellent.

VI. *Prædeſtinationem* gratiam & ſecundum propoſitum, nedum ad gloriam, ſed & ad gratiam abnuebant, quinimmo Deum ſortes hominum, vel prædeſtinandorum, vel reprobandorum ſecundum quædam merita, vel demerita fictitie futura & præſcita definiræ arbitrabantur, prædeſtinationem vero omnem ex præviſis naturæ primordiis conſtituebant, hinc in iis omnibus errabant momentis, primoquidem, in eo quod prædeſtinationem adæquate ſumptam, ut gratuitam & ſecundum propoſitum propellerent: Secundo, quod eam, quæ eſt ad gloriam, ortum haberet ex præviſis quibuſdam meritis naturæ, quæ bonis, tum cogitationibus, tum deſideriis ſe præparat ad fidem, cum e contra teſte Auguſtino, voluntas præparetur a Domino: Tertio, in eo quod & reprobationem & prædeſtinationem ſecundum merita & demerita fictitia nonnumquam regulari vellent, ut in pueris, vel aliis cum Baptiſmo, vel aliis abſque Baptiſmo e vita migrantibus: Ideo enim illos qui baptizati moriebantur, prædeſtinatos aſſerebant: quia Deus præviderat multa bona opera meritoria operaturos, ſi vixiſſent, e contra vero mala in iis, qui abſque regenerationis lavacro vita functi erant: ita S. Proſper ibid. epiſt. ad S. Auguſtinum & ipſe Auguſtinus paſſim in libris de prædeſ. SS. & de dono perſev.

VII. *Numerum* prædeſtinatorum certum eſſe non credebant Maſſilienſes, ſed in hunc ordinem quoſdam in dies admitti, quoſdam ex eodem expungi. Prædeſtinationem adæquata gratuitam, efficacem & infallibilem fato non eſſe abſimilem negligentiæ ac temporis, immo & deſperationis anſam præbere effutiebant. Sic referunt S. Proſper & S. Hilarius in ſua viciſſim ad S. Aug. epiſtola.

VIII. *Semipelagiani* perſeverantiam inter dona Dei ſpecialia non annumerabant: nec talem dari credebant perſeverantiam etiam finalem, a qua deficere nemo poſſit: alioqui adhortationem & correctionem fore inutiles. Hæc placita refert Sanctus Hilarius epiſt. ad Sanctus Aug.

IX. *Non* aliam in præſenti ſtatu ad perſeverandum finaliter gratiam dari, quam quæ Adamo innocenti collata fuit, affirmabant. Hanc fuiſſe Maſſilienſum ſententiam ſcribit S. Hilarius ad S. Aug.

X. *S. Auguſtini* de prædeſtinatione & perſeverantiæ dono doctrinam prædicandam non eſſe ſtatuebant. Sententiam ipſius eſſe novam, & vel hoc uno nomine ſilentio premendam, eo quod in multorum offenſionem cadere autumarent. Qua

de re

Digitized by Google

de re certum facit S. Aug. S. Proſper in epiſtola jam laudata.

XI. *Semipelagiani* librum Sapientiæ e numero Canonicorum expungebant. Hilarius ibidem. Hi ſunt Maſſilienſium errores, qui ad quatuor potiſſimum capita reduci poſſunt.

Primo: Initium fidei naturæ tribuebant Semipelagiani, in qua agnoſcebant virtutum quædam ſemina, & hic fuit illorum error capitalis. Ita ſanctus Proſper in epiſtola ad ſanctum Auguſtinum. Ita Hilarius in epiſtola ad eundem ſanctum Doctorem.

Secundo: Inferebant diſcretionem electorum & meritum a propria voluntate ortum habere. Sanctus Proſper ibidem.

Tertio: Perſeverantiam finalem non eſſe ſingulare Dei donum, ſed eſſe in poteſtate cujuslibet perſeverare in bono uſque ad mortem incluſive. Sanctus Hilarius in epiſtola ad ſanctum Auguſtinum.

Quarto: Pueros ſine Baptiſmo decedentes ideo dicebant privari vita æterna, quia Deus prævidebat futuros malos in vita; unde propter fictitia demerita a regno exulare volebant. R. Pater Alexander. hic ſæc. 5. art. 8.

Quia tamen Eccleſia nihil adhuc circa illa momenta tunc temporis de fide ſtatuerat, hæreſeos notam illis inurere nemini licet. Enimvero nulla definitio fidei apparet circa initium fidei & alia capitula ante Concilium ſecundum Arauſicanum ſub Felice 4. anno 529. celebratum: tum quia ſeſe retractarunt, & pie obierunt in Domino; hinc ſanctus Proſper, lib. contra Collatorem cap. 33. eos vocat ſanctos.

Progreſſus.

QUISNAM fuerit Semipelagianiſmi progreſſus, colligitur ex viris omni exceptione majoribus, qui illum & tenuerunt & propugnaverunt. Ipſe Auguſtinus ante Epiſcopatum in hunc impegit errorem, ut videre eſt in expoſitione quarumdam propoſitionum in epiſt. ad Rom. propoſitione 62. & hoc ipſe ultro fatetur in libro de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 3. ſed re maturius ponderata ſe retractavit. Vitalis Carthaginenſis, eodem teſte Auguſtino, epiſtola 107. fuit Semipelagianus. Epiſcopi Galli in Lugdunenſi & Arelatenſi Provinciis, præſertim Maſſiliæ, unde & Maſſilienſes dicti fuerunt, Semipelagianiſmi duces fuere. Caſſianus propter collationem 13. inter palmates a multis annumeratur. Vincentius præ cæteris exarſit, quidam credunt eum fuiſſe Lirinenſem; alii alterum a Lirinenſi, ut Baronius in notis ad martyrologium, die 24. Maii. non minori zelo Semipelagianiſmi partes ſuſcepit Fauſtus Rejenſis Præſul, an. 433. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus iis adhæſit, ut teſtatur S. Proſper in epiſtola ad S. Auguſtinum. Gennadius Maſſilienſis Præsbyter adjungitur cæteris, quod ſatis probat liber de viris illuſtribus ab ipſo conſcriptus.

Interitus, ſeu proſcriptio.

S. AUGUSTINUS ſcripſit librum de prædeſtinatione Sanctorum; alterum de dono perſeverantiæ contra Semipelagianos. Eoſdem debellavit S. Proſper tum in libro contra Collatorem, tum in alio libello, qui hunc præfert titulum, ad capitula Gallorum: præterea in duobus libris de vocatione Gentium.

Gelaſius Papa in Synodo Romana, Caſſiani, Fauſtique libros rejecit, opera vero S. Auguſtini & S. Proſperi plurimum commendavit. Hormiſdas in epiſt. ad Poſſeſſorem, declarat primi & ſecundi opera nullius eſſe auctoritatis.

Pelagianorum errores impugnavit in Galliis Cæſarius Arelatenſis, imprimis Concilium Arauſicanum ſecundum, & Valentinum tertium. Utrumque approbavit Bonifacius II. ut conſtat ex ejus epiſtola ad Cæſarium octavo Kalendas Februarii, an. 530. His præſuppoſitis ſit

CONCLUSIO.

Semipelagiani non admiſerunt gratiam actualem ad initium fidei.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Concilio Arauſicano II.

HOC Concilium anathemate percutit Semipelagianos, can. 4. 5. & 6. ſine reſtrictione, dicendo gratiam actualem requiri ad initium fidei, & hoc contra illorum erro-

errores. Ergo de facto talem opinionem tenuerunt.

Secundo, ex ipſis Semipelagianorum dictis.

CASSIANUS collatione 13. cap. 8. dicit Deum illuminare interius, cum videt in nobis bonæ voluntatis ortum, cap. 11. " Si gratia Dei, *inquit*, ſemper inſpirati ,, bonæ voluntatis principia dixerimus, ,, quid de Zachæi fide, quid de illius ,, in cruce latronis pietate dicimus; qui ,, deſiderio ſuo vim quamdam regnis cæle- ,, ſtibus inferentes, ſpecialia vocationis ,, monita prævenerunt? ,, Tum c. 9: " Ut ,, autem evidentius clareat etiam per natu- ,, ræ bonum, quod beneficio Creatoris in- ,, dultum eſt, nonnunquam bonarum volun- ,, tatum prodire principia, quæ tamen niſi ,, a Domino dirigantur, ad conſumma- ,, tionem virtutum pervenire non poſſunt. ,, Apoſtolus teſtis eſt, dicens: velle adja- ,, cet mihi, perficere autem bonum non ,, invenio. ,,

Tertio, ex S. Auguſtino.

S. DOCTOR l. de prædeſtinat. Sanctorum, c. 2. n. 3. de Semipelagianis ſic loquitur: " Sed nunc eis reſpondendum eſſe vi- ,, deo, qui divina teſtimonia, quæ de ,, hac re adhibuimus, ad hoc dicunt va- ,, lere, ut noverimus ex nobis quidem non ,, habere ipſam fidem, ſed incrementum ,, ejus ex Deo. Rurſus lib. de dono perſeverantiæ cap. 7. num. 14. " Hæc ergo Dei dona ſunt, ut de aliis taceam, ſa- ,, pientia & continentia: adquieſcunt & ,, iſti Maſſilienſes; neque enim Pelagiani ,, ſunt, ut adverſus iſtam perſpicuam ve- ,, ritatem dura & hæretica perverſitate ,, contendant; ſed hæc, *inquiunt*, ut a ,, Deo dentur nobis, fides impetrat quæ in- ,, cipit a nobis, quam fidem & incipere ,, habere, & in ea uſque in fidem perma- ,, nere, tanquam id non a Domino acci- ,, piamus, noſtrum eſſe contendunt, ,,

Rurſus: In eodem verſabantur errore Semipelagiani, quo ante Epiſcopatum tenebatur S. Auguſtinus: Atqui ſanctus Doctor tunc temporis credebat gratiam Dei ad initium fidei inutilem eſſe; ſic enim in expoſ. epiſt. ad Rom. cap. 3. loquitur: " Neque etiam putabant fidem ,, Dei gratia præveniri. ,, Ergo &c.

Quarto, ratione eaque multiplici.

PRIMA: Illuſtratio & bona cogitatio, pia motio, & æternæ vitæ deſiderium ad fidem Chriſtianam amplectendam initium fidei tum a Patribus, tum a Theologis nuncupatur: Sed Semipelagiani ex Auctoribus ſupra laudatis hujuſmodi initium repetebant a natura: hoc ipſum colligitur ex Concilio Arauſicano II. Ergo &c.

Altera: In erroris crimen circa fidei initium Semipelagiani veniunt, ſi eorum doctrina ab Innocentio X. propter hoc fuerit proſcripta: Atqui res ſic ſe habet; hæc enim eſt inter quinque Janſenii propoſitiones damnatas quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, & in hoc erant Hæretici, quod vellent talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*. Prima pars, ſcilicet quod Pelagiani ad ſingulos actus admitterent gratiam prævenientem, rejicitur ut falſa; altera vero ut erronea: Ergo &c.

Tertia: Qui ſcripſere contra Semipelagianos, ut S. Auguſtinus libro toto de prædeſt. Sanctorum, hunc adverſus eos impugnat errorem, ſcilicet initium fidei eſſe a natura. Eundem debellat S. Proſper lib. adverſus Collatorem, nec quiſquam præter Janſenium dixit gratiam fidei a Semipelagianis admitti: Ergo de facto initium fidei ex naturæ viribus, Semipelagiani repetebant, alias ſancti Doctores ſupracitati hæreſim fictitiam impugnaſſent.

Diluuntur argumenta in contrarium.

OBJICIES: Semipelagiani admiſerunt eandem in homine lapſo gratiam quam admittebant in homine innocente: ſed admittebant gratiam ad initium fidei pro Adamo: Ergo &c. Probatur major. S. Hilarius refert Semipelagianos ſcandalizatos fuiſſe de doctrina S. Auguſtini, eo quod diviſiſſet gratiam in eam quæ data eſt primo homini, qua perſeverare poterat, & in eam quæ datur nunc Sanctis, qua de facto perſeverant: " His verbis ,, ſanctitati tuæ, *inquit Hilarius in epiſt. ad S. Auguſt.* ita moventur, ut dicant ,, quandam deſperationem hominibus exhi-

„ exhiberi. Si enim, *ajunt*, ita Adam adju-
„ tus eſt, ut ſtare poſſet in juſtitia, & a
„ juſtitia declinare: & nunc ita Sancti
„ juvantur, ut declinare non poſſint . . .
„ Ad illam voluntatem pertinuiſſe di-
„ cunt exhortationis vel comminationis
„ utilitatem, quæ & perſiſtendi & deſi-
„ ſteodi obtinebat liberam poteſtatem: non
„ ad hanc, cui nolle juſtitiam inevitabili
„ neceſſitate conjunctum eſt. „ Igitur volebant hominem poſſe ad nutum perſeverare ſicut Adam: iſte autem hanc habebat poteſtatem a gratia fidei; quandoquidem fuiſſet in ea conditiooe, juxta illud Auguſtini de Creatore loquens: *Erat condens naturam, & largiens gratiam*.

Reſpondeo 1. ibi non eſſe quæſtionem de initio ad fidem, quam nunquam movserunt Semipelagiani pro Adamo, quem in fide & in virtute creatum fuiſſe credebant; ſed de efficacia gratiæ, in quo etiam momento errabant, admittendo gratiam ſolum per vires liberi arbitrii nudas & naturales efficacem, ita ut ex ipſis initium actus fuiſſet a natura, ne læderetur libertas. Qua de cauſa maxime conquerebantur de Auguſtino, quod vellet gratiam eſſe efficacem iodependenter a viribus pure naturalibus voluntatis. Et certe in objectione difficultas currit de gratia perſeverantiæ, quæ inter omnes eſt efficaciſſima. Porro erat inter eos queſtus maximus, quod Auguſtinus voluntatem pro præſenti ſtatu diceret ita infirmam, ut nequidem initium boni operis, & a fortiori perſeverantiæ poſſet, niſi accederet Dei auxilium.

Reſpondeo 2. diſtinguendo, & pro ſtatu ionocentiæ initium fidei a viribus naturæ etiam ducebant, concedo: non ducebant, nego. Nam ſi hoc pro natura privilegium defenderent in ſtatu natuæ lapſæ, a fortiori in ſtatu naturæ integræ, cujus vires multo præpollentiores quam in hoc præſenti ſtatu erant. Ad probationem diſtinguo, conqueſti ſunt Semipelagiani de diviſione gratiæ actualis ab Auguſtino data, eo quod efficacia gratiæ ab Auguſtino delineata liberum perimi arbitrium putarent, concedo; & admiſerunt gratiam fidei, nego. Hoc unum arguebant in ſeotentia Auguſtini, videlicet efficaciam gratiæ validiſſimam, quam cum libertate cohærere non poſſe propugnabant: at initium fidei in utroque ſtatu a naturæ viribus repetebant, ſi agatur de actu fidei, habitum quippe in anima Adami fuiſſe infuſum, & etiam in anima pueri de novo regenerati infundi non diffitebantur.

Inſtabis: Illam ſolam rejiciebant gratiam Maſſilienſes, quam Auguſtinus dicebat per ſe efficacem, & ex qua multa conſequebantur inconvenientia pro libertate: ſed hæc erat ſolum gratia per ſe efficax: Igitur non negarunt gratiam ſufficientem ſeu prævenientem, quæ per bona deſideria inchoat opus bonum.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, & ſecundum eorum principia etiam gratia præveniens libertati nocebat, concedo, ſecus, nego. Volebant enim per omnem gratiam prævenientem tolli libertatem; & ideo initium fidei ducebant a nudis liberi arbitrii viribus.

Urgebis: S. Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 1. n. 2. de Semipelagianis ait: " Perveneruot etiam, in-
„ quit, fratres ad nos, ut præveniri vo-
„ luntates hominum Dei gratia fateantur,
„ atque ad nullum opus bonum vel in-
„ cipieodum, vel perficiendum ſibi quem-
„ quam ſufficere poſſe conſentiant. „ Ergo &c. Idem dicit S. Proſper epiſt. ad S. Auguſtinum. Igitur ex ſanctis illis Doctoribus Semipelagiani non negabant gratiam ad initium fidei, cum noſtras voluntates a Deo præveniri concederent.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens. Semipelagiani admiſeruot gratiam legalem & metaphoricam, concedo: gratiam veram, ſubdiſtinguo. Ad conſummationem actus fidei, concedo: ad initium, nego. Tria diſtinguenda ſunt: 1. Lex illuminans ad bonum operandum: 2. Initium ſeu præparatio ad actum, quale eſt bonum deſiderium, quod eſt virtutis ſemen: 3. vero ipſe actus. Lex illuminans ab Evangelio & Chriſti exemplis promanat; præparatio ad bonum ſeu deſiderium, a gratia ſufficiente; actus, ab efficaci. Semipelagiani bona virtutis deſideria tribuebaot modo naturæ in ſe relictæ, modo etiam legi, actus vero conſummationem, gratiæ. Sic colligitur ex S. Aug. qui ibidem eſt ſui interpres: " Impendamus, *inquit*,
„ eis dilectionis affectum, miniſteriumque
„ ſermonis. . . . . ut in his litteris ea quæ

„ illis eſſent apta & utilia diceremus. „ Dum cap. 3. pergit & ſubdit : " Prius „ itaque fidem, qua Chriſtiani ſumus, do„ num Dei eſſe debemus oſtendere. „ Igitur ex S. Aug. Semipelagiani fidem, donum Dei eſſe non concedebant, cum ejus initium a libero arbitrio in ſe relicto repeti contenderent.

Repones: S. Proſper in ſua ad S. Auguſtinum epiſtola ait Semipelagianos admittere gratiam prævenientem & cooperantem : " Nec conſiderant, *inquit*, ſe gra„ tiam Dei, quam comitem non præviam „ humanorum volunt eſſe meritorum, e„ tiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab „ ea ſecundum ſuam phantaſiam non ne„ gant eſſe præventas. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, admiſerunt gratiam comitem, ad conſummationem actus propter illud Apoſtoli : *Perficere autem bonum non invenio*, concedo : prævenientem, ſubdiſtinguo, prævenientem indiſtinctam a lege, concedo : Sic ſecundum ſuam phantaſiam dicebant voluntatem præveniri. Diſtinctam a lege, nego. Solutio eſt S. Proſperi, enimvero paulo ante verba objecta, refert quomodo Semipelagiani dicere auderent homines vocari per legem ſive naturalem, ſive ſcriptam, & per Evangelicam Prædicationem, ad bonum ſalutis. Sic loquitur l. contra Collat. cap. 3. " Ipſos laudabiles motus, appetituſque vir„ tutum, remota omni gratia, ſolis natu„ ræ viribus adſcribunt. „

Dices : Semipelagiani eodem modo loquebantur de initio fidei, ac de perſeverantia pro ſtatu innocentiæ, ut patet ex S. Auguſtino lib. de bono perſeverantiæ cap. 17. & 21. ſed dicebant voluntatem præveniri ad perſeverandum : Igitur & ad fidem.

Reſpondeo 1. quæſtionem, ut dictum eſt ſupra, non motam fuiſſe a Semipelagianis de homine in ſtatu innocentiæ, adeoque nec de perſeverantia pro illo eodem ſtatu.

Reſpondeo 2. diſtinguendo, admiſerunt gratiam ad perſeverantiam, ſuppoſitis bonis deſiderijs naturalibus, a quibus omnis actus bonus, ſecundum eos, ſumebat exordium, concedo : non ſuppoſitis, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Maſſilienſes non admiſerunt gratiam ad initium fidei.

PRIMO : Hoc patet ex eorum ſcriptis & dictis, maxime ex collatione 13. apud Caſſianum.

Secundo : Hoc ipſum innuit Arauſicana Synodus, quæ certe non debellavit errorem fictitium.

Tertio : Idem liquet ex D. Auguſtino ; qui ex profeſſo, toto libro de prædeſt. SS. propter errorem circa fidei initium, Semipelagianos inſectatur.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

PRIMO : Tametſi Maſſilienſes magnum ſtatuerint inter hominem innocentem & lapſum diſcrimen, non tamen ab errore ſic receſſerunt, ut actum fidei initialem a gratia dependentem facerent.

Secundo : Nonnunquam quidem hominem aliqua præveniri gratia aſſerunt etiam ad initium fidei, ſed per gratiam intelligunt legem.

Tertio : Non diffitemur Semipelagianos admiſiſſe gratiam actus comitem, ſed numquam vere præviam, niſi ſecundum ſuam phantaſiam, ut inquit D. Proſper, id eſt, gratiam a meritis naturæ dependentem.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum S. Juſtinus præceſſerit in errore Semipelagianos?

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur variis rationibus.

PRIMA : Ille credidit initium fidei a gratia independens, qui ſalutem a gratia præveniente dependentem & docuit & prædicavit : Sed ita res ſeſe habet pro S. Juſtino : quandoquidem Apologia 2. ad Antoninum Pium Imp. neminem abſque precibus, adeoque abſque gratia actuali di-

li divina ſervare mandata ſtatuit : " Nos
,, autem, *inquit* , ſecundum hujuſcemodi
,, lationem, credentem jam & nobis ad-
,, ſcitum ad fratres , qui dicuntur , eo
,, adducimus, ubi illi congregati ſunt ad
,, communes preces , & ſupplicationes ,
,, cum pro ſeipſis , tum pro illuminato ,
,, & aliis ubique gentium omnibus, ani-
,, mo intento peragendas : ut digni ido-
,, neique ſimus , qui veritate agnita ,
,, per opera etiam ipſa boni atque offi-
,, cioſi rerum adminiſtratores , & dato-
,, rum nobis mandatorum cuſtodes inve-
,, niamur , atque ut ſalute ſalvemur ſem-
,, piterna . ,,

Jam vero , ſi qua ratio foret Juſtinum initium fidei a ſolis naturæ meritis in ſuis ſcriptis repetere , maxime quia antiquos Philoſophos ſola ratione ſalvatos fuiſſe crediidiſſet . Atqui hoc falſiſſimum eſt , ut apparet non in uno , aut altero tantum , ſed multiplici Juſtini loco . Primo Apologia 2. tribuit ſalutem rationi quidem , ſed rationi elevatæ, ideſt, per gratiam ex meritis Chriſti: " Chriſtum , *ait* , pri-
,, mogenitum Dei eſſe inſtituti ſumus :
,, & rationem , atque verbum eſſe , cu-
,, jus univerſum hominum genus particeps
,, eſt .... Et quicumque cum ratione &
,, verbo vixere , Chriſtiani ſunt . ,, De-
,, inde ſubjungit : " Perinde atque ex ve-
,, teribus , qui itidem tempore Chriſtum
,, præceſſere , & abſque ratione . Et ver-
,, bo ἄνευ λόγου æternam exegere , ἄχρηστοι,
,, hoc eſt incommodi, & inimici Chriſto
,, fuerunt ; eorumque qui ſecundum ratio-
,, nem & verbum μετὰ λόγου vixerunt per-
,, cuſſores. Atqui cum ratione & verbo
,, vixerunt , atque etiam nunc vivunt ,
,, Chriſtiani , & extra metum , atque per-
,, turbationem omnem ſunt . ,, Ibidem aſſerit neminem poſſe ſalvari ſine regenerationis lavacro : " Chriſtus enim ipſe di-
,, xit : niſi regenerati fueritis, &c. Non
,, intrabitis in regnum cœlorum . ,, Quid plura ? Dum ſalutem rationi tribuit, vel nomine rationis intelligit Verbum divinum , quod a Patribus 2. & 3. ſæculi , maxime a Tertulliano , rationis nomine celebratur . Unde Juſtinus nunquam illa duo vocabula ſeparat , rationem & verbum . Ibidem dicit rationem , atque verbum eſſe : " Quicumque cum ratione ac
,, verbo vixere . ,, Et paucis interjectis :
" Et abſque ratione , & verbo vitam exe-
,, gere . ,, Igitur nuſquam exiſtimavit antiquos Philoſophos ratione nuda ſalvari , ſed ratione elevata , ſed verbo divino ad initim fidei gratiam neceſſariam eſſe Juſtinus non abnegavit .

Altera ratio ſic proponitur : qui aſſerit , vel ipſi juſto incumbere nihil ſibi de bono tribuendm eſſe , ſalutem nec ab ejus viribus & induſtria expectandam eſſe , credidit initium fidei & omne bonum a gratia præveniente ortum ducere : Atqui ſic propugnat Juſtinus Dial. cum Tryphone ubi explicans illa Pſalm. 21. verba : *Deus meus es tu , ne diceſſeris a me* . ait : " Si
,, videmus filium Dei, nec viribus ſuis ,
,, nec ſapientiæ ferre acceptam ſalutem ,
,, cum tamen ſit innocentiſſimus, nec pu-
,, tare ſe poſſe ſine Deo ſalvum evadere ;
,, qui fieri poteſt, ut quicumque ſine hac
,, ſpe ſalutem expectant, non ſeipſos de-
,, cipiant ? ,, Ergo &c.

FIS SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES . Juſtinus Apolog. 2. ſic loquitur : " Quicumque ratione ac verbo vi-
,, xere , Chriſtani ſunt , quamvis Athei
,, ac nullius Numinis cultores habiti
,, ſunt , quales inter Græcos , fuerunt So-
,, crates & Heraclitus , &c. ,, Igitur exiſtimavit Juſtinus initium fidei , immo & conſummationem eſſe a nobis ; quandoquidem dicit eos fuiſſe Chriſtianos, qui ſola ratione vixere .

Reſpondeo diſtinguendo , & Juſtinus per rationem intelligit verbum, ſicut Tertullianus & alii Patres , ut jam diximus , vel etiam rationem elevatam , concedo : nudam , nego. Duplex ratio , altera eſſentialis , altera participata . Prima eſt verbum Dei , ſecunda eſt illuminatio , quæ elevatur per Spiritus ſancti gratiam , qua homo veluti manu ducitur ad ſalutem . Juſtinus loquitur de ratione eſſentiali , vel ad ſummum de ratione participata elevata per gratiam prævenientem , quam quidem Deus miſericorditer impertitur infidelibus , ut ad fidem pervenire & ſalutem operari queant .

Reſpondeo 2. iterum diſtinguendo , & illi Philoſophi gratiam aliquam habebant , concedo : & nullam habebant , nego. Ut hæc ſolutio clarius pateat , duplex diſtinguitur gratia : gratia ſcilicet elevativa rationis , & gratia ſimplex . Prior ea eſt

qua

qua quis quaſi manu ducitur per viſibilia, quæ Philoſophia attingit, ad inviſibilia. De iſta ratione & Philoſophia loquitur Apoſtolus, dum dicit Rom. 1. *Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Poſterior quæ dicitur ſimplex, ea eſt quæ competit Chriſtianis, quæque Deum ut auctorem gratiæ, ut Trinum, ut incarnatum, & ut remuneratorem reſpicit. Jam vero Philoſophi Pagani, qui dicuntur a Juſtino chriſtiane vixiſſe, non habebant gratiam ſimplicem, non enim Deum, ut auctorem gratiæ colebant, ſed habebant tantum gratiam Philoſophiæ & rationis ſuſtentativam & elevativam: hinc utebantur utraque ad cognoſcendum naturæ auctorem, ut iſta cognitione præambula, ad Mediatoris notitiam aſſurgere poſſent. In iſto ſenſu Philoſophi lato quodam modo, ut Chriſtiani a S. Juſtino ventilantur.

Replicabis: eo loci Juſtinus ſermonem habet de Philoſophis qui Chriſtum non cognoſcebant. Igitur non ex gratia, ſed ex ratione nuda eorum deducit Chriſtianiſmum & fidem.

Reſpondeo diſtinguendo, Philoſophi non cognoſcebant Chriſtum explicite, concedo: implicite & ut Verbum Patris, per quod facta ſunt omnia, ſubdiſtinguo, ratione nuda, concedo: ratione elevata, nego. Philoſophi cognoſcentes per Philoſophiam Deum eſſe, legendo prophetias, videndo aut audiendo miracula, tum a Chriſto, tum ab Apoſtolis patrata, conferebant omnia hæc in corde ſuo; hinc & ratione bene utentes, concludebant Chriſtum ab Apoſtolis prædicatum eſſe verum Deum. Sic enim ratiocinabantur. Prophetarum oracula dicunt Chriſtum eſſe filium Dei: iſta oracula proferuntur a Judæis Chriſti inimicis infenſiſſimis, adeoque ſine omni mendacii ſuſpicione datur Deus omnipotens, quidni & propter nos homines & propter ſalutem noſtram incarnatus? Sic Lactantius, ſic ipſe Juſtinus, ponderatis fidei motivis, ſeipſos, adjuvante gratia, ſuaſerunt, & Chriſtum ut verum Deum profeſſi ſunt. Solutio colligitur ex ipſo Juſtino, qui ibidem ſic loquitur: " Non philoſophi tantum, aut philologi, ſed etiam manuarii artifices, atque Idiotæ rudes, prorſus gloriam, metum, & mortem flocci facientes, perſuaſione firma adducti crediderunt. "

Replicabis: Erat diſcrimen inter Chriſtianos & Philoſophos: Sed illud erat, quod Philoſophi non cognoſcerent Chriſtum, quod ſolum facerent opera honeſta naturalia; Chriſtiani vero & cognoſcerent Chriſtum, & propter ejus amorem multa quoque ardua ſuſciperent, & paterentur. Sed Juſtinus dicit cognitionem Philoſophorum attingere ad Chriſtum, ſaltem inchoative: Igitur exiſtimavit initium fidei eſſe a Philoſophia naturali, adeoque a natura.

Reſpondeo 1. cum ſancto Thoma cognitionem exiſtentiæ Dei per creaturas, eſſe quid ad fidem præambulum, & diſpoſitionem ad eam cognitionem, quæ quidem diſpoſitio non eſt poſitiva, quaſi Philoſophia naturalis neceſſariam haberet connexionem cum Deo, ut mediatore; quandoquidem ut ſic, eſt ſupra totius naturæ vires & meritum: Sed negativam, in quantum Philoſophia demonſtrando Deum eſſe, tollit impedimenta occurrentia ex parte rationis, circa fidem in Chriſtum: Unde jam diſtinguo. Philoſophia eſt diſpoſitio ad fidem, negativa, concedo: Et eſt opinio Juſtini: poſitiva, nego.

Reſpondeo 2. Juſtinum eo loci ſermonem inſtituere potiſſimum de doctis, qui legerant libros Judæorum Prophetales, quique ratione bene utentes, omnia poſtea & ipſos cruciatus, quod admirationem, inquit Juſtinus, excedit, propter amorem Chriſti ſpreverunt. Unde diſtinguo ut ſupra. Philoſophia naturalis per gratiam elevata, erat inchoatio Chriſtianiſmi, concedo. Sine gratia, ſubdiſtinguo. Erat inchoatio negativa, concedo: poſitiva, nego. Inchoatio poſitiva eſt ea quæ influit in actum, ut bonum deſiderium, negativa vero, quæ propellit aliquod impedimentum, ut Philoſophia, quæ animam ab ignorantia creatoris purgat, quæ quidem ignorantia eſt impedimentum ad fidem. Juſtinus vult ſolum Philoſophiam, eatenus eſſe quandam fidei inchoationem, quatenus parit cognitionem Dei ut Auctoris naturæ, quæ quidem cognitio, teſte D. Thoma, eſt quid præambulum ad fidem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Lis non movenda eſt contra Juſtinum circa initium fidei.

PRIMO: Quia gratiæ prævenientis precibus ad vocandæ agnoſcit neceſſitatem. Ita Apologia 2.

Secundo: Quia Verbo divino totum ſalutis negotium tribuit ibidem.

Tertio: Nonniſi per fidem & ſacrum lavacrum, homines ſalvari contendit. Cæterum dicit omnia quæ juſta ſunt, eſſe a Deo donante.

SYNOPSIS SOLUTIONUM,

AD DIFFICULTATES.

PRIMO: Juſtinus aſſerit quidem homines per rationem ſalvari, ſed nomine rationis, vel intelligit ipſum Dei verbum, vel ſaltem rationem fide & gratia præveniente elevatam, quia nunquam ſeparat rationem a verbo.

Secundo: Eſto, Juſtinus dicat Philoſophos Philoſophiæ auxilio nonnunquam ſalvos fuiſſe, ſed loquitur de Philoſophia fide & gratia Chriſti roborata; quandoquidem Apol. 2. expreſſe, ait, neminem ſalvari niſi per fidem & ſanctum regenerationis lavacrum.

Tertio: Agnoſcit quidem Philoſophiam ad ſalutem conducere, ſed nonniſi remote & negative, quatenus exiſtentiam Dei, ut auctoris naturæ per ea quæ facta ſunt, demonſtrat; quæ quidem cognitio removet ignorantiæ impedimenta, quibus homo poſſet a fide ſuſcipienda retardari, immo & prorſus impediri.

ARTICULUS QUINTUS.

Num Clemens Alexandrinus impegerit in errorem Maſſilienſium.

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur ex textibus Clementis.

PRIMO: Qui dicit primam ſalutis cognitionem eſſe a fide, fidem vero a ſpe & timore aliiſque virtutibus, initium ipſius fidei in vires naturæ in ſe relictæ, non refundit: Atqui ſic propugnat Clemens: Et probatur. L. 2. Strom. pag. 273. hæc ſcribit: " Prima quidem ad ſalutem „ inclinatio nobis fides apparet, poſtquam „ timor & ſpes, & pœnitentia, cum con„ tinentia & tolerentia proficientes, nos „ ducunt ad charitatem, & ad cognitio„ nem. „ Ergo &c.

Secundo: Vel ipſe Clemens rationibus multis confutat errores Semipelagianorum, quos Valentinus & Baſilides circa fidem & ſalutem aſſequendam defendebant, his enim poſitis, præcepta inutilia evadunt, immo incaſſum Chriſtus venit; in hac quippe hypotheſi homo ex ſolis naturæ meritis ſalvabitur. Sic loquitur S. Doctor lib. 5. pag. 396. " Si quis enim Deum „ ſcit natura, ut exiſtimat Baſilides, in„ telligentiam eximiam fidem ſimul & „ regnum vocans ... Non autem animæ „ libero arbitrio utentis rationalem aſſen„ ſionem dicit fidem. Sunt ergo ſuper„ vacanea præcepta tam in veteri, quam „ in novo teſtamento, cum natura ſalvus „ fiat aliquis . . . fieri autem poterat ut „ abſque adventu Servatoris aliquo tandem „ tempore poſſet natura reſplendeſcere. „ Sin autem neceſſarium dixerint adven„ tum Domini, evaneſcunt eis naturæ „ proprietates: cum doctrina, & purga„ tione, & bonorum operum effectione, „ non autem natura ſervetur electio. „ Ibi confutat Baſilidem cujus opinio erat, Deum ſciri natura: Valentinum, qui credebat hominem eadem natura poſſe ſalvari: Sed ſcientiam de Deo, fidei, fidem vero & electionem adventui Chriſti tribuit: Ergo &c.

Placet iterum noſtram aſſertionem ulteriori hac ipſius S. Clementis loquela confirmare: " Dico ergo fidem, *ait*, ſive „ fundata ſit a charitate, ſive etiam a ti„ more .... eſſe divinum aliquid ... Fi„ des autem eſt baſis, ac ſtabilimentum „ charitatis. „ Si fides ſit quid divinum: ſi ſit baſis ac ſtabilimentum charitatis, ex S. Clemente, dubio-procul non eſt quid naturale: ſi non quid naturale, certe non poteſt ab eodem Clemente tribui ſolius naturæ meritis. Atqui hæc eſt S. Doctoris ſententia ſuperioribus verbis contenta: Ergo &c.

Quid plura? Contendere Dei notitiam, cam

Digitized by Google

eam ſcilicet, quæ ad juſtificationem neceſſaria eſt, non poſſe haberi, ſecluſo gratiæ auxilio, & gratiæ neceſſitatem invincte probare, non eſt initium fidei in naturæ vires refundere, ſed in Deum, ſed in gratiam: Atqui S. Clemens Alex. propugnat gratiam abſolute requiri ad Dei notitiam, per quam ſalus obtineatur. Lib. 6. p. 501. & 502. ſic loquitur: " Quamquam, „ qui Deum ſibi adſcribunt Magiſtrum, „ vix per veniunt ad Dei notitiam, opem „ ferente eis gratia ad quantulamcumque cognitionem: ſola eſt ergo a Deo „ tradita, quæ eſt apud nos doctrina, „ a qua dependent omnes fontes ſapientiæ. „

Denique lib. 7. pag. 526. ait: " Cognitio autem quæ datur ex traditione per „ Dei gratiam, veluti quoddam depoſitum „ committitur eis qui ſeipſos doctrina dignos exhibuerint, ex qua eluceſcit charitatis dignitas ex luce in lucem. „

Reſpondetur objectionibus.

OBJICIES: Ille tribuit viribus naturæ fidei initium, qui hominem Philoſophia juſtificari propugnavit: Atqui ſic aſſirmat Clemens Alex. lib. 1. Strom. pag. 206. ubi ſic loquitur: " Iis enim quia Philoſophia „ fuere juſtificati, auxilium tanquam theſaurus reconditur. „ Et pag. 234. " „ Quanquam per ſe quoque aliquando „ Græcos juſtificat Philoſophia. „ Igitur ex Clemente homo naturæ viribus poteſt habere aliquod ſalutis & fidei initium.

Reſpondeo 1. diſtinguendo. Philoſophia aliquando juſtificavit negative, nempe tollendo impedimenta, quæ ex parte rationis occurrunt fidei propagationi, concedo: poſitive, ita ut cognitio naturalis influat in fidem, & neceſſariam habeat cum myſteriis connexionem, nego.

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo: Philoſophia fide elevata juſtificavit Græcos, concedo: ſine fide diſtinguo: juſtificavit ſecundum quid, concedo: ſimpliciter, nego. Græci & Philoſophi converſi ad fidem probabant aliis Gentilibus optimis rationibus vanam eſſe Deorum multitudinem: unum eſſe Deum, Creatorem cœli & terræ; & ſic juſtificabant ſuam ad Chriſtum converſionem, oſtendendo non temere in ipſum credidiſſe. Et vero docent Theologi nullum teneri novam amplecti religionem, niſi ponderatis prius validitatis argumentis, extrinſece probando myſteria non implicare contradictionem.

Repones. Clemens non ſemel tribuit rationi ſalutem & juſtificationem: Ergo &c. Probatur antecedens lib. 1. Strom. pag. 206. " Per ſe quoque aliquando Græcos juſtificabat Philoſophia. „ Rurſus ibidem pag. 207. " Atque erat quidem ante Do„ mini adventum Philoſophia Græcis ne„ ceſſaria ad juſtitiam: nunc autem eſt uti„ lis ad Dei cultum & pietatem iis qui „ fidem colligunt per demonſtrationem. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem eadem eſt ſolutio ut ſupra, unde diſtinguo: Philoſophia erat Græcis neceſſaria ad juſtificationem ut diſpoſitio negativa, remota & imperfecta, concedo: ut diſpoſitio poſitiva & proxima quæ neceſſariam haberet cum fide connexionem, nego. Hanc ponit Clemens inter Philoſophos & rudiores diſcrepantiam quod illi Philoſophia, qua exiſtentia Dei cognoſcitur, ad cognitionem Dei ut remuneratoris ducerentur, iſti vero ſolum per fidem. Sanctus Doctor ipſe ſuam prodit mentem admittendo auxilium Dei cum Philoſophia: ſic loquitur l. 1. Str. pag. 206. " Iis enim qui a Philoſophia fuere juſti„ ficati, auxilium tanquam theſaurus re„ conditur, ea quoque conſenſio quæ du„ cit ad Dei cultum, & pietatem in Deum. „ Tum ibidem pag. 234. præoccupat objectionem, & ita reſpondet: " Quod ſi „ propter eos qui lubenter reprehendunt, „ oportebit nos diſtinguere, cum dicamus „ Philoſophiam adjuvantem cauſam . . . . „ Fatebimur eam eſſe diſciplinam, quæ „ præcedit vim cognoſcendi, non cauſam „ ſtatuentes eam, quæ eſt cauſa adjuvans, „ neque continens id quod adjuvat, *ſci„ licet gratiam* . . . . Perſpicuitas itaque „ opem fert ad tradendam veritatem: Et „ dialectica, ne proſternamur, ab Hære„ ſibus, quæ faciunt incurſiones. Et eſt „ quidem per ſe perfecta, & nullius in„ diga ſervatoris doctrina, cum ſit Dei „ virtus, & ſapientia. Accedens autem „ Græca Philoſophia, efficit ſophiſticam „ argumentationem. „ Audis Philoſophiam, teſte Clemente, non eſſe Dei virtutem, veritatem Salvatoris potentiorem non facere, ſed ſolum frangere ſophiſticas Paga-

Paganorum argumentationes adverſus fidem, hinc quatenus removet prohibentia ad ſalutem quodammodo & late juſtificare dicitur.

Rurſus l. 7. Str. pag. 526. clare admodum gratiæ prævenientis agnoſcit neceſſitatem his verbis: " Cognitio autem quæ „ datur ex traditione per Dei gratiam, „ veluti quoddam depoſitum committitur „ eis, qui ſeipſos doctrina dignos exhi- „ buerint.... habenti dabitur, fidei qui- „ dem, cognitio; cognitioni autem cha- „ ritas; charitati autem hæreditas. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Clemens Alex. non favet Semipelagianis.

PRIMO: Ipſam inclinationem ad ſalutem tribuit gratiæ lib. 2. Str. pag. 273. " „ Prima quidem, ait, ad ſalutem inclinatio „ nobis fides apparet. „

Secundo: Lib. 5. Strom. pag. 396. ipſe debellat errorem Valentini & Baſilidis, qui fidem & totum ſalutis opus ſolis naturæ viribus adſcribebant.

Tertio: Lib. 7. Strom. pag. 526. Dei Trini & remuneratoris notitiam a gratia repetit.

SYNOPSIS RESPONSIONUM, AD OBJECTIONES.

CLEMENS Alexand. nonnunquam Philoſophiæ juſtificationem adſcribit, ſed hoc intelligendum eſt de Philoſophia per Chriſti gratiam elevata: Quod ſi qui contendant ſanctum Præſulem loqui de Philoſophia nude ſumpta, dicendum eſt unum tantummodo intendere, videlicet Philoſophiam eſſe diſpoſitionem remotam, & negativam ad fidem, quatenus ejus ope cognoſcitur myſteria religionis noſtræ nullam implicare contradictionem.

ARTICULUS SEXTUS.

Utrum S. Chryſoſtomus circa initium fidei erraverit?

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur 1. *auctoritate*.

PRIMO: Ille circa fidei initium non erravit, qui contendit peccatorem a ſolo Deo dependere ut convertatur, converſionem vero promanare a præveniente gratia: Atqui S. Chryſoſtomus propugnat & peccatores obduratos trahi & poſſe ſeſe convertere ad Deum, tametſi obnitantur: alios vero qui convertuntur, Deo donante converti propugnat. Igitur non erravit circa fidei initium.. Probatur minor quoad utramque. Quoad primam homil. 18. in epiſt. ad Rom. explicans illum Iſaiæ locum ab Apoſtolo laudatum: *Inventus ſum a non quærentibus me* ... Ad Iſrael autem dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem*: Sanctus Doctor ſubdit pro obduratis: " Illud vero quod manus ſuas extendiſſe di- „ cit, vocaſſe, traxiſſe, adhortatumque „ eſſe declarat. Deinde oſtendens quod „ univerſa hujus inobedientiæ culpa il- „ lorum fuerit, dicit: Ad populum non „ credentem & contradicentem. Vides „ quanta illorum ſit accuſatio. Ipſi quip- „ pe neque adhortanti quidem obedierunt, „ ſed & contradixerunt; idque cum non „ ſemel, non bis, non ter, ſed per uni- „ verſum tempus eadem perſeveranter fa- „ cientem viderent. „ Duo veniunt in hoc momento conſideranda: Primo quidem Judæos incredulos a S. Chryſoſtomo inexcuſabiles prædicari: deinde vero, ideo inexcuſabiles eſſe, quia gratiæ vocanti, attrahenti, & adhortanti reſtitere. Porro gratia vocans & adhortans eſt ipſa gratia præveniens, ſecundum omnes Patres & Theologos. Igitur S. Chryſoſtomus admittit gratiam ad initium fidei.

Pro his vero peccatoribus qui vocati convertuntur, eandem gratiam fortiter aſtruit: " Alteri vero qui Deum nunquam cogno- „ verunt, ipſum tamen attrahere potue- „ runt. Attamen non dicit, quod ipſi „ Deum per ſe attrahere potuerint. „ Hiſce ultimis illis particulis, non amplius

rema-

remanet circa mentem D. Chryſoſtomi dubitandi locus; quandoquidem explodit penitus initium fidei a puris naturæ viribus.

Secundo: Qui ex profeſſo naturæ in ſe relictæ labores tanquam initium ſalutis & cauſam, ſecluſa gratia, rejicit, ille profecto non cenſet fidem a natura in ſe relicta oriri: Atqui ſic docet & propugnat S. Chryſoſtomus homil. 19. in qua exponens illa ad Romanos verba: *Vide igitur bonitatem ac ſeveritatem Dei: in eos quidem qui deciderunt, ſeveritatem: in te vero bonitatem*, ait " : Non dicit: Vide igi-
„ tur virtutem tuam, aut labores tuos,
„ ſed Dei bonitatem oſtendens quod uni-
„ verſum ex ſuperna gratia ſit factum,
„ inſtituenſque credentem ut tremat.
„ Abuſus quippe gratiæ Dei tremere fa-
„ cit. „

Tertio: Qui revincit inflatos aliquid ſalutis innatis adſcribentes viribus, non vult initium fidei eſſe ex naturæ meritis: Atqui ſanctus Doctor refellit ejuſmodi elatos, & de ſe præſumentes aſſerendo cuncta eſſe Deo tribuenda. Homil. 12. in 1. epiſt. ad Corinth. ſic loquitur: " Po-
„ namus autem te eſſe dignum laudibus,
„ & vere habere gratiam, nec eſſe cor-
„ ruptum hominum judicium. Nam ne ſic
„ quidem oporteret te efferre & ſuperbi-
„ re. Nihil enim habes domo allatum,
„ ſed a Deo acceptum. Quid ergo te ha-
„ bere præ te fers quod non habes? At
„ tu hoc habes, & alii tecum. Acceptum
„ ergo habes, non hoc aut illud, ſed om-
„ nia quæ habes: Non enim tua ſunt hæc
„ recte facta, ſed gratiæ Dei. Etiamſi
„ fidem dicas, ea extitit ex vocatione; etſi
„ dicas remiſſionem peccatorum, ſi dona
„ ac chariſmata, ſi docendi rationem,
„ omnia inde accepiſti. „ Quid ergo habes, *inquit*, quod non habes acceptum ſi acceptum? ergo a gratia: ſi a gratia, ergo non a natura nuda, adeoque catholice cenſuit circa fidei initium.

Secundo, vindicatur S. Chryſoſtomus ab errore rationibus Theologicis.

PRIMA: Modus loquendi ſancti Præſulis collimat in ipſum modum quo ſacra Scriptura utitur ad exaltationem gratiæ Dei ſimul & liberi arbitrii cooperantis in bonis operibus: Igitur ſanctus Præſul in ſuſpicionem hæreſeos pro initio fidei non vocandus eſt. Probatur antecedens. De utroque momento, videlicet de operatione Dei prævenientis, & noſtra cooperatione his verbis conceptiſſimis loquitur Pſalm. 22. *Miſericordia tua ſubſequetur me*. Prov. 16. *Hominis eſt præparare animam*. Zach. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: " Nemo tamen Catholicus dixerit, Scripturam in his & ſimi-
„ libus locis gratiam naturæ pediſſequam
„ facere, ſed ſolum liberam voluntatis
„ gratia præmunitæ exigere cooperatio-
„ nem. „

Secunda: Idem ſanctus Doctor ejuſdem eſt labii in ſuis expreſſionibus cum cæteris Patribus gratiæ neceſſitatem defendentibus: Igitur ſi nullus iſtis pro hoc momento crimen imponere debet, pari & conſimili ratione, nec S. Chryſoſtomo. Probatur antecedens. Ambroſius cujus teſtimonio utitur S. Auguſtinus contra Semipelagianos lib. de dono perſev. cap. 19. ſic habet lib. 1. de Abraham cap. 10. "
„ Talem te præbe bonis ſtudiis & prom-
„ pta fide, ut Deus tui miſereatur & do-
„ ceat te. „ Inſignis eſt pro eodem momento S. Hieronymi locus Dial. 2. adverſus Pelagianos: " Quæ *juſtitia*, ait, labo-
„ re & induſtria ac diligentia, & ſem-
„ per ſuper omnia Dei clementia cuſtodi-
„ tur, ut noſtrum ſit rogare, illius ſit tri-
„ buere quod rogatur, noſtrum incipere,
„ illius perficere, noſtrum offerre, quod
„ poſſumus, illius perficere quod non poſ-
„ ſumus. „ Obſerves velim, S. Hieronymum ſicut Chryſoſtomum ſcribere, noſtrum eſſe incipere, neque tamen dicet quis Pelagianiſmi æmulum gratiam ad initium fidei excludere: Igitur neque dicendum de ſancto Chryſoſtomo.

Tertia: Eccleſia in Conciliis adverſus Pelagianos & Semipelagianos adunata, eam eſſe antiquorum Patrum traditionem dicit, hominem in ſe relictum quidquam ad ſalutem, ſecluſa Dei gratia, poſſe facere, quod dubio-procul non dixiſſet, ſi Chryſoſtomus, cæterique Græci Patres contraria docuiſſent: Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: Qui dicit aliquem ſcientia & innata induſtria attrahere gratiam, qui cenſet bona eaque naturalia animæ deſideria

eſſe

eſſe virtutum ſemina, & viribus propriis ſeſe ad gratiam diſponere, adhæret Semipelagianorum circa fidei initium erroribus: Atqui ſic propugnat S. Chryſoſtomus Homil. 42. in Gen. ubi de Abraham ſic loquitur: " Iſtud ipſum quod Pa-
" triarcha, qui gratiæ tempus, & ante
" legem fuit, a ſeipſo, & a ſcientia
" quæ naturæ inſita eſt, in tantum per-
" venit virtutis faſtigium, ſufficit ut om-
" nes noſtras excuſationes refutet. " Confirmatur: Ibi ait S. Patriarcham ex ſe virtutis faſtigium habuiſſe, quæ quidem verba, *ex ſe*, videntur innuere S. Præſulem exiſtimaſſe initium tum fidei, tum cæterarum virtutum eſſe a natura nude ſpectata.

Reſpondeo 1. Opponendo Chryſoſtomum Chryſoſtomo. Namque Homil. 12. in 1. ad Cor. ait totum eſſe a Deo, nec quemquam, niſi in Domino de bonis actibus gloriari oportere, quo quidem ſuppoſito, loca paululum duriora, aut obſcuriora, clarioribus ad metam fidei abſque negotio explicanda ſunt: " Ponamus autem te eſſe
" dignum laudibus, & vere habere gra-
" tiam, nec eſſe corruptum hominum ju-
" dicium. Nam nec ſic quidem oporteret
" te efferre & ſuperbire. Nihil enim ha-
" bes domo allatum, ſed a Deo acceptum
" . . . Non enim tua ſunt hæc recte facta,
" ſed gratiæ Dei. Etiamſi fidem dicas,
" ea extitit ex vocatione; & ſi dicas re-
" miſſionem peccatorum, ſi dona ac cha-
" riſmata, ſi docendi rationem, omnia
" inde accepiſti. "

Reſpondeo 2. diſtinguendo, Abraham attraxit gratiam ſcientia & propria induſtria, tanquam per diſpoſitiones negativas, in quantum quaſi manu ducimur per rationem, quæ oſtendit exiſtentiam Dei, ad cognitionem auctoris gratiæ, concedo: tanquam per diſpoſitiones poſitivas, ſubdiſtinguo, gratia elevatas, concedo: gratia non elevatas, nego. Cum igitur Abraham ſcientia præditus eſſet, illa bene utendo, attraxit bona Dei. Quod autem hic debeat admitti elevatio per gratiam, patet ex eo quod agatur in objectione non de initio fidei, ſed de virtutum progreſſu; etenim dicitur Abraham perveniſſe ad ſummum perfectionis faſtigium. Omnes autem Patres, immo vel ipſi Semipelagiani concedunt actus conſummationem & perfectionem eſſe a gratia, hinc claret nullatenus tale teſtimonium favere Maſſilienſium circa fidem errori.

Ad confirmationem diſtinguendo, habere aliquid a ſe & propria induſtria quantum ad omnia non eſt habere a gratia, concedo; partim quidem a ſe cooperando, partim vero a gratia elevante naturam, nego. Quia igitur ſcientia naturalis Abrahæ inſerviebat illi ad Deum colendum, in hoc ſenſu Chryſoſtomus aſſerit eum ex ſe attraxiſſe gratiam, ſed non totaliter, quia actus quo ſanctus Patriarcha attrahebat gratias, erat a gratia ſimul & a ſcientia; a gratia & a libero arbitrio, quod mere paſſive non ſe habet ad actum meritorium: Eatenus igitur homo ex ſe dicitur attrahere gratiam Dei, quatenus gratiæ cooperatur, nuſquam igitur omittendum, ipſam cooperationem ab homine, nonniſi gratia præveniente & adjuvante, promanare. Sanctus Doctor eſt ſui ipſius interpres Homil. ſcilicet 18. epiſt. ad Romanos; referens enim hæc verba Iſaiæ: *Expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi*. Subdit: " Vides quanta illorum ſit accuſatio:
" Ipſi quippe neque adhortanti quidem
" obedierunt, ſed & contradixerunt,
" idque cum non ſemel, non bis, non
" ter, ſed per univerſum tempus eadem
" perſeveranter facientem viderent. Al-
" teri vero qui Deum numquam cogno-
" verunt, ipſum tamen attrahere potue-
" runt. Attamen non dicit quod ipſi
" Deum per ſe attrahere potuerint; ſed
" & eorum qui ex gentibus credebant fa-
" ſtus dejiciens, oſtendenſque quod to-
" tum hoc Dei gratia perfecerit, dicit:
" Ego conſpicuus factus ſum, & ego in-
" ventus. Omnium ergo illi vacui ſunt?
" Dices, nequaquam. Sed quod inventa
" apprehenderunt, conſpicuaque facta a-
" gnoverunt, hoc ſcilicet de ſuo attule-
" runt. " Quid clarius? S. Chryſoſtomum gratiam ſupponere prævenientem, deinde vero voluntatis humanæ cooperationem.

Inſtabis: Idem Homil. de Daniele & ejus ſociis, ſic loquitur: " Poſtquam om-
" nia quæ ex ſe erant contulerunt, Deus
" etiam, quod ex ſe erat reliquum con-
" tulit. Neque enim Dei ſolius erat præ-
" clarum illud facinus in his pro quibus
" mercedem adepturi erant: Sed principia

" &

„ & exordia erant ab illorum animo, quem „ cum generoſum & fortem præſtitiſſent, „ Dei auxilium ad ſe attraxerunt. „ Ex „ quibus ſic arguitur. Qui dicit homines primo conferre quod ſuum eſt, Deum vero poſtea quod ſuum eſt, elargiri, profecto concludit homines viribus innatis bonum opus incipere: Sed ut textu allato liquet ſic propugnat S. Chryſoſtomus: Ergo &c.

Reſpondeo hanc homiliam non eſſe S. Joannis Chryſoſtomi; ſed dato & non conceſſo eſſe genuinam, diſtinguo, & per hoc exigit ſolum cooperationem noſtram, agitur enim ibi de perſeverantia & juſtitia, ſcilicet de morte ſubeunda pro Dei legibus, concedo: & vult S. Doctor gratiam non prævenire voluntatem, nego. Nam Homil. 19. in epiſtolam ad Romanos, ſic loquitur de Deo: *Ipſe perpetuo in beneficiis prior eſt*. Igitur ſanctus Doctor, ibi gratiam prævenientem quam non ſemel aſtruit, non inficiatur, ſed loquitur de incremento gratiæ, ad quod ſane prærequiritur hominis indefeſſa cooperatio; jam vero hanc cooperationem eſſe a Deo auxiliante ex ipſomet Chryſoſtomo liquet, & hoc ipſum annuntiant loca in probationibus laudata.

Urgebis: Homil. 12. in epiſtolam ad Hebræos ſic habet: " Noſtrum quidem eſt „ præeligere & velle; Dei autem eſt per„ ficere. „ Eo loci S. Doctor diſertis verbis naturæ tribuit electionum & volitionem boni operis, conſummationem vero Deo auxilianti: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, & vult S. Chryſoſtomus noſtrum conſenſum ante omnia, gratiæ humili obedientia eſſe dandum, tum illam nos ad bonum operandum applicare, concedo: Et vult noſtrum conſenſum ipſam gratiam antecedere, nego. Hanc ſolutionem eſſe juxta mentem S. Doctoris patet ex ipſa ad Heb. homilia, in qua quidem ſic habetur. " Si ve„ limus ſtare firmi, ſtabiles & immobi„ les, non commovebimur. Quid ergo? „ Nihil ne eſt in Dei poteſtate? in Dei „ quidem poteſtate ſunt omnia, ſed non „ ita ut noſtrum liberum lædatur arbi„ trium. Si ergo, inquit, eſt in Dei po„ teſtate, cur in nos confert culpam? „ Propterea dixi: ita ut non lædatur no„ ſtrum liberum arbitrium. Eſt ergo & „ in noſtra, & in ejus poteſtate. Opor„ tet enim nos primum bona eligere: & „ tunc affert quæ ſua ſunt. Non præve„ nit noſtras voluntates, ne perdat noſtrum „ liberum arbitrium. „ Hoc eſt non prævenit cogendo, ſed adjuvando.

Reſpondeo iterum ſed aliter diſtinguendo, Deus non prævenit voluntates per gratiam habitualem, quia homo vi gratiæ actualis primitus datæ ad eam ſe diſponere debet, concedo: per gratiam actualem, nego: eſt enim in nobis ſine nobis.

Reponet: Iſta duo opponuntur, noſtrum eſt incipere & velle, Dei autem perficere: & vero ſi Deus ſolum perficiat, initium fidei eſt a nobis: Sed S. Præſul ait, noſtrum eſt incipere, Dei autem velle: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, duo laudata ſunt diverſa, ſub eodem reſpectu, „ concedo: ſub diverſo, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Deus dat primam gratiam ut homo poſſit, & velit bonum; tum iſte gratiæ cooperando actum bonum elicit, & habet gratiæ augmentum.

Inſiſtes: S. Chryſoſtomus diſtinguit initium actus fidei a fine & conſummatione, quod conſummatio ſit a gratia, quippequi dicat, Dei eſt perficere: Igitur initium eſt juxta Chryſoſtomi ſententiam a libero arbitrio nude ſpectato.

Reſpondeo diſtinguendo, ſecernit initium actus a fine & conſummatione quod finis ſit a gratia efficaci, qua Deus ſpecialiter agit, concedo: excludendo gratiam prævenientem pro initio, nego: Sicut igitur dicendo, *perficere Dei eſt*, noſtram non evacuat cooperationem, ſic & ſcribendo, *noſtrum eſt incipere*, gratiam actualem primam & ſufficientem non abjudicat.

Inſiſtes: Ex S. Chryſoſtomo Deus magis cooperatur ad conſummationem actus quam ad initium: Sed ex eodem concurrit ſolum per gratiam ordinariam ad conſummationem: Igitur nullatenus ad initium.

Reſpondeo diſtinguendo, Deus magis cooperatur dando gratiam efficacem & augendo primam, concedo: dando ſolum gratiam ſimilem primæ, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Deus primum dat gratiam ſufficientem quæ eſt in nobis ſine nobis, quæque dat poſſe & velle bonum: ſi fidelis eſt homo, nec il-

lam

lam reſpuat, datur ei gratia efficax, ut actu faciat bonum, ponendo vero amoris & virtutis actum, novum obtinet gratiæ gradum & argumentum. S. Chryſoſtomus eſt ſui ipſius interpres Homil. 12. in epiſt. ad Hebr. his verbis: " Quando nos elegerimus, tunc nobis multum affert auxilium. "

Inſtabis: Homil. 8. in epiſtolam ad Philippenſes ſic habet: " Si volueris, tunc " operabitur ut velis. " Igitur velle a nobis eſt ex Chryſoſtomo, & noſtrum eſt gratiam attrahere.

Reſpondeo eodem modo quo ſupra, nihil enim ibi aliud intendit, quam gratiæ cooperandum eſſe, nec Deum ita velle & perficere in nobis operari, ut nihil agamus: ex ſequentibus verbis ſolutionis veritas affulget: ſic enim ſubdit: " Quan- " do enim voluerimus, voluntatem no- " ſtram poſtea adauget. " Rurſus ibi- " dem: " Si ergo ipſe operatur, opor- " tet ut nos voluntatem exhibeamus ſimul " applaudentem, complectentem, & mi- " nime effuſam. "

Tum iſtam ibidem præoccupat objectionem: " Si Deus eſt qui hoc in nobis " operatur, ut velimus, cur nos cohor- " tatis? Nam ſi ipſe eſt, qui, ut veli- " mus, facit, fruſtra nobis dicis, obedi- " ſtis: Non enim nos ſumus qui obedi- " mus. " Cui objectioni hanc præbet ſolutionem, quæ omnem de ejus mente ambigendi locum tollit: " Minime vero " hæc ſpectans, iſta verba protuli: Sed " ut veſtram ſollicitudinem ſedarem. Si " volueris, tunc operabitur ut velis, non " te iſte metus angat. Et propenſionem " voluntatis ipſe nobis dat, & opera- " tionem: Etenim ubi voluerimus, de " cætero augebit propenſionem volunta- " tis. "

Inſtabis: Homil. 31. de ſancta Pelagia martyre ait: " Non erat intus ſola, ſed " conſiliarium habebat Jeſum ipſum. Il- " le Virgini præſto erat, ille ipſius men- " tem & cor excitabat, ille animum con- " firmabat, ſolus, inquam, ille metum " omnem ejiciebat. Hæc autem non ſine " cauſa Jeſus faciebat, ſed quoniam mar- " tyr ipſa illius auxilio ſe dignam antea " præbuerat. Igitur ex ſe ipſa, præviis " bonis deſideriis a voluntate propria di- " manantibus, gratiam attrahebat. "

Reſpondeo talem locum intelligi non de prima gratiæ quæ eſt in nobis ſine nobis: Sed de gratiæ incremento & perfectione. Hic eſt germanus ſancti Doctoris ſenſus, ut ſequentia declarant verba, ſic enim habet: " Quod enim exire & car- " nificibus illis, ac militibus reſpondere, " quos os erigere, & vocem emittere, " quod ea aſpicere, quod denique conſi- " ſtere, & reſpirare potuerit, hoc certe " tale, ac tantum eſt, ut nemo poſſit non " illud admirari. Non erant hæc huma- " næ naturæ facta; ſed Dei majorem par- " tem conferentis auxilio id fiebat. At " ipſa tamen otioſa non erat, ſed a ſe ipſa " promptum & generoſum animum, vo- " luntatem, propoſitum, ſtudium & ala- " critatem afferebat: divino vero ſubſidio " ac benevolentia factum eſt, ut hæc om- " nia ad eventum perlata ſunt. "

Inſiſtes: Denique homilia 17. in Joannem aliquid quod Semipelagianiſmum ſapit, loquitur: " Hinc admonere poſſumus, " Deum ſuis in nos beneficiis, noſtras non " prævenire voluntates, ſed a nobis in- " cipiendum eſſe: Sed cum nos prompto " paratoque animo ad ſuſcipiendam gratiam " exhibemus, tunc multos nobis affert ſa- " lutis occaſiones. "

Reſpondeo diſtinguendo: Deus non prævenit voluntates per gratiam neceſſitantem, concedo: Per gratiam excitantem, nego. Ideo autem ſanctus Chryſoſtomus liberi arbitrii vires & conatus commendat, gratiæ vero prævenientis non ita prædicat neceſſitatem & efficaciam, quia Manichæos liberum negantes arbitrium, quavis data occaſione, impugnabat: Pelagianis autem nondum litigantibus & nondum exortis, ſecurius loquebatur, ut ait ſanctus Auguſtinus. Nec mirum verba pro tempore & loco attemperanda ſunt. Jam vero quod ſancti Chryſoſtomi ſcopus fuerit populum a Manichæorum erroribus defendere, non una annuntiat ſanctus Præſulis ſententia. Homilia 45. v. gr. exponens illa verba Chriſti: *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*, ſic habet: " Hic inſurgunt " Manichæi, nihil nos ex nobis ipſis poſ- " ſe, hujus particulæ teſtimonio con- " tendens. Sed plane nos poſſe quæ vo- " lumus, per hoc oſtenditur: inquiunt " enim: Si quis venit ad eum, quid opus " eſt ut trahatur? Verum hoc noſtrum non " tollit arbitrium, ſed divino egere au-

„ xilio oſtendit; & non invitum, ſed omni „ contendentem conatu venire. „

Tandem ab invidia Semipelagianiſmi nedum Chryſoſtomus, ſed & cæteri vindicantur Patres Græci, qui tametſi, ut liberum adverſus Manichæos defendant hominis arbitrium, verbis quandam ſpeciem Semipelagianiſmi præſeferentibus nonnunquam uſi ſint, a neceſſitate tamen gratiæ actualis ad initium & fidei, & cæterarum virtutum non receſſerunt ut fuſo calamo probat R. Pater de Lequien annot. in lib. de præſcientia, & prædeſtinatione cap. 30. Et vero cum Patres Græci modo ſemina virtutum, modo facilitatem tribuunt homini, vel loquuntur de Adamo innocente in omni procreato virtute, vel etiam de idoneitate hominis lapſi, qui poteſt viribus innatis morales & naturales comparare virtutes; modo etiam ſupernaturali, ſed beneficio gratiæ prævenientis, & adjuvantis. Item cum aſſerunt Deum conferre gratiam, quum hominis animum promptum ad bonum operandum videt, nihil aliud volunt quam divinam exaltare providentiam, quæ ita ſuavis eſt, ut tempore congruo gratiam conferat, eo prorſus fine, ut cuncta cedant in bonum electorum.

Rurſus, quum laudati Patres aſſerunt hominem ex ſe virtutis bonum proſequi, unum tantummodo intendunt, videlicet motum voluntatis humanæ, quæ divinæ cooperatur gratiæ, nuſquam vero gratiæ prævenientis neceſſitatem, & exercitium abjudicant. Juvat de his momentis audire non ſolum Chryſoſtomum, ſed veteres Patres Græcos. Inſtar omnium ſit S. Cyrillus Alexand. qui lib. de adoratione in ſpiritu, & verbo pag. 25. ſic loquitur: “ Non nos nudis ſermonibus „ exſtimulari, nec ſuaſionibus quæ mentem percellant, ut a peccato recedamus: Sed omnium ſalvatorem Deum „ eo benignitatis deſcendere, ut ex ſe efficax auxilium præſtet, juxta illud, „ *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me*; nam quia natura hominis infirma eſt, nec ſatis virium habet, ut emergere a vitiis queat, opem illi fert Deus, adeoque duplicem gratiam impertiri cernitur, cum „ monitis ſuadendo, tum ejuſmodi auxilium reperiendo quo valentior reddatur præſente vitio, cujus tyrannide vexatur. „ Plures alios brevitatis cauſa referre ſuperſedeo.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Joan. Chyſoſtomus Semipelagianos in errore non præceſſit.

PRIMO: In multis locis fidem catholicam de neceſſitate gratiæ prævenientis tradit: Imprimis Homil. 18. in epiſt. ad Rom. Rurſus Homil. 12. in 1. ad Corint. 4. “ „ Igitur: *ait*, quod accepiſti, habes, ne„ que hoc tantum, aut illud, ſed quid„ quid habes. „ Expreſſius Homil. 8. in epiſt. ad Philipp. “ Propenſionem volun„ tatis ipſe nobis dat & operationem. „

Secundo: Juxta ſcripturæ ſtylum ſcripſit ſanctus Doctor: nam Proverb. 16. legitur: *Hominis eſt præparare animam*. Tum Zach. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: Potuit igitur S. Præſul dicere ſine fidei diſpendio, *noſtrum eſt incipere*.

Tertio: Eccleſia perſtringens Semipelagianos, in erroris crimen nuſquam S. Chryſoſtomum vocavit.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Dum S. Doctor, ait, Abraham ex ſe ad perfectionis apicem perveniſſe, ſolummodo liberam voluntatis humanæ cooperationem probare intendit.

Secundo: Atque vero ſimiliter explicandus venit, quum dicit Deum noſtras non prævenire voluntates, ſubdit enim ne lædatur liberum arbitrium: hoc eſt, prævenit adjuvando, non cogendo.

Tertio: Recte quidem diſtinguit initium actus boni a fine, ſed non excludendo gratiam prævenientem, quam ſemper ſupponit; hinc quando tribuit *perficere* Deo, ſubindigitat gratiam ſpecialem & efficacem quæ ad actus conſummationem requiritur, quocirca per Antonomaſiam finem operis Deo adſcribit, non quod illius ſolius ſit, ſed quia ſpecialiter ab eo promanat.

AR-

ARTICULUS SEPTITUS.

Num Caſſianus, Gennadius & Fauſtus Eccleſiæ Rejenſis, Præſul poſſint a Semipelagianiſmo vindicari.

ERROR Semipelagianorum non unus fuit, ut dictum eſt ſupra: ſed præcipuus erat circa neceſſitatem gratiæ ad initium tum fidei, tum bonorum operum, quæ ortum a naturæ viribus habere autumabant. Hujus nævi quidam hiſtorici & Theologi, Caſſianum, Gennadium, & Fauſtum, Epiſcopum Rejenſem tametſi virtute immo & ſanctitate celebrem, inſimulant. Verum hæc controverſia in duplici poteſt moveri ſenſu: Primo quidem num hæreſeos labem illis inurere debemus? De primo momento non eſt difficultas, & negativa communiter propugnatur; & vero ille ſolus tanquam hæreticus habendus eſt qui contra definitionem ab Eccleſia factam errorem aliquem pertinaciter defendit, ut videre eſt in Calvino, Luthero, aliiſque hæreſum Architectis: ſed neque Caſſianus, neque Gennadius, neque etiam Fauſtus Rejenſis, errorem aliquem circa fidei initium, ab Eccleſia omni ſolemnitate juris adhibita damnatum propugnarunt. Ergo &c. Totum igitur controverſiæ caput eſt de errore Semipelagianorum palmari. Et quæritur utrum tres illi viri in iſtum impegerint nævum quod initium fidei naturæ in ſe relictæ tribuerint.

De Caſſiano.

CONCLUSIO.

Caſſianus poteſt excuſari a Semipelagianiſmo.

PROBATUR hoc ratiocinio. Ille pie poteſt explicari, & a Semipelagianorum nævis purgari, qui neceſſitatem gratiæ prævenientis ad fidei initium admiſit: Atqui talis gratiæ neceſſitatem admiſit Caſſianus: Igitur negotio ab errore Semipelagianiſmi purgari poteſt &c. Probatur minor: ſenſus Caſſiani repeti debet ex libro cujus titulus, *collationes Patrum*, maxime vero ex primis capitibus, ubi clare ſuam prodit mentem; porro collatione 3. cap. 4. ſic loquitur: " Ex Deo quidem „ eſt, quoties inoperatio quædam immiſ- „ ſa in cor noſtrum nonnunquam etiam „ dormientes nos ad deſiderium æternæ „ vitæ ac ſalutis exſuſcitat, Deumque ſe- „ qui, & ejus inhærere præceptis conjun- „ ctione ſaluberrima exhortatur. „ Rurſus ibidem coll. 13. cap. 3. " Quibus manifeſte colligitur, non ſolum actuum, „ verum etiam cogitationum bonarum ex „ Deo eſſe principium, qui nobis & ini- „ tia bonæ voluntatis inſpirat, & virtu- „ tem atque opportunitatem eorum quæ „ recte cupimus, tribuit peragendi. Om- „ ne enim datum bonum, & omne donum „ perfectum deſurſum eſt, deſcendens a „ Patre luminum, qui & incipit quæ bo- „ na ſunt, & exequitur & conſummat „ in nobis. „ Ecce Caſſianus ſui interpres, quippe qui non ſolum virtutis & actuum perfectionem ſeu conſummationem, ſed ipſius boni & inſpirationem, & cogitationem ac deſiderium a gratia promanare contendit; & hoc etiam collatione 13. de qua apparet circa ejus mentem dubitandi locus. Igitur initium tum fidei, tum cujuſcumque boni operis, credidit eſſe a Deo. Igitur ab errore Semipelagianorum vindicandus eſt.

Fit ſatis objectionibus.

OBJICIES: Ille a nævis Semipelagianorum circa fidei initium vindicari non poteſt, qui initium fidei naturæ tribuit viribus: Atqui ſic ſcribit Caſſianus coll. 13. cap. 3. " Noſtrum vero eſt, ut quo- „ tidie attrahentem nos gratiam Dei hu- „ militer ſubſequamur. „ Unde in quibuſdam editionibus habetur ad marginem collationis, legatur caute. Ergo &c. Qui initium fidei naturæ tribuit viribus: atqui ſic cenſet, ſic ſcribit Caſſianus coll. 13. unde ad marginem habetur. Cum cautela legatur: Igitur fruſtra Caſſianus ab errore Semipelagianorum vindicaretur.

Reſpondeo 1. Opponendo collationem tertiam decimæ tertiæ, eam enim Caſſiani fuiſſe ſententiam, quod initium fidei ſit a gratia, claret, cum vel ipſas bonas cogitationes, inſpirationes ſalutis, & bona deſideria, citra tergiverſationem Spiritus ſancti gratiæ tribuat. Quo ſcopo igitur contradictorie & loqueretur, & ſcriberet?

Reſpondeo 2. diſtinguendo minorem: Et Caſſianus non loquitur ſecundum propriam ſententiam in collatione 13. concedo: & loquitur juxta ſuam opinionem, ſubdiſtinguo, initio collationis, concedo: in decurſu, nego minorem & conſequentiam. Obſervandum eſt ibi Caſſianum referre ſententiam Abbatis Chæremonis, unde ſi quis ibi nævus ſcateat, non Caſſiano ſed Abbati tribui æquum eſt; maxime vero cum alibi ſuum prodat ſenſum, & in errorem Semipelagianorum collimare nequaquam conſtet. Unde facili negotio ab omni erroris labe purgari poteſt Joannes Caſſianus, quippe qui in præfatione libri collationum teſtetur ſe Patrum placita hiſtorice referre, porro collatio tertia eſt Abbatis Paphnutii, eaque catholica, quam quidem nullibi debellat Caſſianus: quo jure igitur decimæ tertiæ ſenſus & ſententia potiuſquam tertiæ tribueretur collatori? Eſto nulla ex his collationibus adſcribatur Caſſiano: ſed neque illi Semipelagianiſmi affingendus eſt error, cum de illo nonniſi propter collationem decimam tertiam in ſuſpicionem veniat. Cæterum ibidem coll. 13. loquitur admodum catholice, quandoquidem Deum etiam bonorum cogitationum auctorem eſſe aſſerit.

Reſpondeo 3. aliter diſtinguendo, & per verba in objectione laudata Caſſianus vult ſolum indicare neceſſe eſſe hominem gratiæ attrahenti cooperari, concedo: nos innatis viribus fidem advocare, nego. Illam ſolutionem juxta mentem Caſſiani eſſe, ex antecedentibus & conſequentibus conſtat. Primo quidem, ex capitis titulo. *Reſponſio, quod ſine adjutorio Dei non ſolum perfectio caſtitatis, ſed omnino nihil boni perfici poſſit.* Porro initium fidei inter magna bona annumeratur: ſed eo loci Caſſianus juxta ſententiam Abbatis Chæremonis, ait, nihil boni niſi a Deo perfici. Ergo &c. Secundo, ibidem conſtat ex ſerie capitis, ubi probat, nequidem initium boni eſſe a natura, ſecluſo Dei auxilio, & hoc exemplo agricolæ, qui nihil ubertatis in meſſe, niſi providentia adſit, expectare debeat, tum ſubdit: " In quo tamen humana ſuperbia nullatenus ſe gratiæ Dei vel exæquare, vel admiſcere contendat, participemque ſe in muneribus Dei per hoc conetur inſerere, ut laborem ſuum auctorem eſſe divinæ exiſtimet largitatis; ac proventum copioſiſſimarum frugum, induſtriæ ſuæ meritis reſpondiſſe glorietur. ,, Deinde vero comparatione inter agricolam qui in omnibus a providentia dependet, & hominem animæ veluti vineæ ſuæ excultorem abſoluta, concludit ex præcedentibus, & initium & conſummationem virtutis, immo ipſius boni cogitationem ſalutarem a Deo promanare: " Quibus, *ait*, manifeſte colligitur, non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum a Deo eſſe. ,, Tertio, nihil infra dicit quod ab hac dependentia a Deo detrahat, ſed ſolum quo cooperationis deſiderium & amorem accendat. Et vero non dicit nos gratiam attrahere, ſed gratiam nos attrahentem eſſe ſequendam, ne reſiſtendo ſolus in periculum veniat; qui loquendi modus collimat cum modo loquendi tum ſcripturæ, tum Patrum, ut oſtendimus ſupra, ubi de S. Chryſoſtomi ſenſu & ſententia: " Noſtrum vero eſt, ait: *Caſſianus ibid. coll.* 13. *cap.* 3. Ut quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter ſubſequamur, vel certe dura cervice, & incircumciſis, ut ſcriptum eſt, auribus eidem reſiſtentes, per Jeremiam mereamur audire. . . . Induraverunt cervices ſuas, noluerunt reverti. ,, Quid magis catholicum? Hinc in editione Atrebati ann. 1628. nulla eſt ad marginem clauſula, ſeu obſervatio.

Inſtabis: Atqui Caſſianus loquutus eſt in propria ſententia coll. 13. cap. 3. & in hoc redarguitur. Ergo &c. Probatur ex S. Proſpero cui fidem adhibere debemus etiam pro iſto momento, quandoquidem librum ex profeſſo contra Collatorem eo ſcripſit ſcopo, ut Caſſiani debellaret errorem. Porro ſi S. Præſul Caſſianum a Semipelagianiſmo immunem credidiſſet, non Collatorem, ſed collationem decimam tertiam impugnare conclamaſſet. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo S. Proſper ſcripſit librum contra Collatorem eo quod collatio decima tertia eſt pars libri Caſſiani, concedo: ita ut ſenſus iſtius collationis fuerit & Caſſiani, nego. In tertia loquitur catholice, in decima tertia erronee equidem ut aliqui volunt, ſed hiſtorice & in aliena ſententia. Quia vero erat auctor collationum, potuit S. Proſper ſcribere librum contra Collatorem, ſed ſi attendamus

ad

ad tertiam, certe librum pro Collatore æqua lance, quiſquis inſcribere poterit. Reſpondeo ſecundo, vel ipſum coll. 13. cap. 3. ſenſum eſſe catholicum, ut oſtenſum eſt.

Inſiſtes. S. Proſper in libro ſuo adverſus Collatorem argumentatur ad hominem; namque cap. 5. increpat Caſſianum quod non ſibi conſtet, quod a recta definitione neceſſitatis gratiæ pro initio fidei col. 3. cap. 4. primum data deflectat in errorem, & veluti de verbis catholice prolatis ſe retractet. Igitur exiſtimat S. Præſul Caſſianum loquutum fuiſſe in collatione tertia, juxta primam ſententiam, & redargutione dignum: " Doctor catholice, " cur profeſſionem tuam deſeris? Ait S. Proſper.

Reſpondeo diſtinguendo, S. Proſper argumentatur ad hominem attendendo ad auctorem collationum, concedo: ad ipſum ſenſum auctoris, ſubdiſtinguo, loquentis in perſona Abbatis Chæremonis, concedo: ad ſenſum ipſius Caſſiani, nego. Quinimmo hoc ex operis inſtituto juxta juris apices fieri non poteſt. Cum enim opus ſit liber collationum Patrum, ſolummodo ad ſenſum auctoris collationis, nuſquam vero auctoris libri collationum ſpectandum eſt. Ita quippe duo apprime diſtinguenda ſunt, videlicet auctor collationis, & auctor libri collationum: Caſſianus eſt quidem auctor libri collationum, ſed non auctor collationum. Quia tamen potuit non ſatis clare quorumdam referre & ſecernere ſententias, hac forſan de cauſa eum increpat ſanctus Proſper, maxime vero quia melius fuiſſet caput tertium collationis 13. perpetuo claudere ſilentio, quam eam explanare, quippe quæ fuerit cauſa ſcandali & erroris quibuſdam in regionibus.

Urgebis: Si catholice Caſſianus pro initio fidei locutus eſt, maxime col. 3. ubi expreſſe dicit nedum actus bonos, ſed ipſam boni faciendi inſpirationem eſſe a Deo: atqui eo loci non receſſit a Lege pro fidei & bonorum actuum initio. Et probatur. Ibidem ſuam aperit mentem de inſpiratione ad bonum duplex laudando exemplum, alterum Patriarchæ Abrahæ; alterum vero S. Antonii: Abrahæ quidem cui Deus apparens dixit: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui*, Sancti vero magni Antonii: " " Quo etiam modo, *inquit*, B. Antonium " accitum eſſe cognovimus, qui occaſio- " nem ſuæ converſionis a ſola divinitate " percepit. Ingreſſus namque Eccleſiam, " ibique audiens in Evangelio Dominum " prædicantem, *qui non odit patrem, &* " *matrem &c.* " Quibus exemplis claret Caſſianum repetere inſpirationem ſalutis a Lege & verbo foris inſonante: Igitur nequidem in collatione tertia receſſit a Lege, & Semipelagianiſmo.

Reſpondeo negando minorem, ad probationem diſtinguo: Caſſianus laudat duo exempla quibus legem & Evangelii prædicationem tum pro converſione & perfectione, tum pro fidei initio aſtruit non excludendo gratiam prævenientem, concedo: eam excludendo, nego. Spiritus ſanctus primum inſonat per prædicatores auribus corporis, ſed deinde per gratiam auribus mentis, ut legitur Act. 17. *Quidam quidem irridebant* Paulum prædicantem, *quidam vero adhærentes ei*, & gratiæ obedientes, *crediderunt*, *ut mulier nomine Damaris*, *Dionyſius & alii cum eis*. Quid mirum igitur ſi Caſſianus duplex gratiæ genus ad ſalutem concurrens explicet, extrinſecam ſcilicet & intrinſecam? prima non otioſa eſt, dicente Apoſtolo Rom. 10. *Quomodo autem audient ſine prædicante*: ſed non excludit interiorem, qua Deus loquitur ad cor; dum prædicator auditorum inſonat auribus.

Reſpondeo 2. Eo loci nullam fieri mentionem de initio fidei, ſed de ſumma perfectione, ut patet exemplis & Abrahæ, qui jam juſtus erat dum a Deo ad ſummum perfectionis apicem vocatus eſt, & D. Antonii qui jam jam Chriſtianus audiens Evangelium, interius gratia ſpeciali adjuvante, ad hanc perfectionem gradum fecit, ut etiam venditis omnibus, & propriis relictis parentibus, ſeceſſerit in eremum, Angelicam ibi ducturus vitam: jam vero Caſſianum non negaſſe gratiæ adjuvantis auxilium pro tanta aſſequenda perfectione, nemo non novit. Gratis igitur propter hæc adducta exempla erroris inſimulatur.

Replicabis: Gelaſius Papa libros Caſſiani in Synodo velut Apocryphos explodit: Igitur Caſſianus in ſua & non Patrum ſententia locutus eſt; ideo enim Apocryphi declarantur, quia ſunt a ſenſibus Patrum alieni.

Reſpondeo D. Thomam multi facere librum collationum, nec deſunt alii multi ſancti Doctores & Theologi qui illum tanquam genuinum Caſſiani fœtum agnoſcant, immo & tanquam opus pietate refertum prædicent. Quo ſenſu igitur Gelaſius illum explodat ut Apocryphum, patet hoc eſſe penes collationem decimam tertiam, quæ tametſi referat ſententiam Abbatis Chæremonis, non tamen ſanctorum Patrum Doctrinam qui neceſſitatem gratiæ prævenientis ad initium tum fidei, tum cæterorum bonorum operum utique propugnant, ſequitur: igitur ſic diſtinguo in forma. Gelaſius declarat libros Caſſiani veluti Apocryphos circa decimætertiæ collationis mentem, hoc eſt, talis collatio SS. Patrum doctrinam non ſatis aſſequitur, concedo: hoc eſt, liber collationum non eſt genuinus Caſſiani fœtus, nego. Cæterum cenſura a Gelaſio prolata intelligi debet de aliis quibuſdam operibus, quæ Caſſiano aliqui tribuebant, non deſunt enim qui aſſerant commentarios de inſtitutis Monachorum Ægypti, ipſum ſcripſiſſe. Ita B. Alex. Hiſt. ſec. 4. & ut omnia paucis concludam, loca quæ in gratiam Semipelagianorum Caſſiano tribuuntur, illa ſolum ſunt, quæ ex collatione 13. cap. 8. 11. 12. 14. 15. eruuntur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Caſſianus poteſt a Semipelagianorum errore vindicari.

PRIMO, quia in collatione tertia initium fidei & bonorum operum, immo & inſpirationem ſicut & bona deſideria a quibus ortum ducunt actus ſupernaturales, tribuit Deo. Tum quia caput tertium col. 13. ſubdit ſenſum catholicum.

Secundo: Quia ſenſum bonum illi affingere nihil vetat, maxime vero cum pietate, morum integritate, & ſanctimonia floruerit.

Tertio: Quia nullibi reperitur Caſſianum, dum loquitur in propria ſententia, errorem Semipelagianum circa fidei initium propugnaſſe.

SYNOPSIS RESOPNSIONUM,

AD OBJECTIONES.

PRIMO: Dato & non conceſſo, Caſſianum in collatione 13. initium fidei naturæ ſibi relictæ tribuere, loquitur in aliena ſententia.

Secundo: Norunt quoque omnes S. Proſperum debellare collatorem, ſed non ſenſum Caſſiano affixum.

Tertio: Gelaſius explodit quidem libros quoſdam Caſſiani velut Apocryphos: ſed nihil aliud inde ſequitur, niſi collationem 13. non eſſe ſanctorum Patrum Doctrinam, vel etiam multa incaſſum ſcripta a quibuſdam Caſſiano attribui.

De Gennadio & Fauſto.

GENNADIUS Semipelagianiſmum propugnat l. de virib. illuſt. cujus rei argumentum eſt, quod inſectetur Doctrinam D. Auguſtini, qui neceſſitatem gratiæ pro initio fidei, & bonorum operum ita defendit, ut qui ab ipſo ſejungitur, in Semipelagianorum errorem declinare videatur, multis vero laudibus Fauſti Rejenſis placita circa gratiam ibi celebrat. Si de Fauſto loquamur, tanquam Semipelagianorum ducem eum arguere neceſſe eſt, quippequi initium fidei viribus naturæ aperte & ex profeſſo tribuat lib. 1. de lib. arb. cap. 47. & alibi: Uterque tamen poteſt excuſari: tum quia ante definitionem Eccleſiæ pro Semipelagianiſmo ſcripſerunt, tum quia eos ſe retractaſſe pie creditur, cum in pace Eccleſiæ ita defuncti ſint, ut tanquam ſancti habeantur.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA
DE
EXISTENTIA GRATIÆ.

DICTUM & oſtenſum eſt Pelagianos omnem actualem negaſſe gratiam, Lutheranos & Calviniſtas male ſenſiſſe de actuali & ſanctificante; nec deſunt naturæ præſumptores qui credant viribus innatis cuncta poſſe: ſed contra quod Chriſtus, ait, Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxererit eum.*

Dogma de exiſtentia gratiæ.

Quatuor probatur momentis.

PRIMO: Oſtendendo dari gratiam ſufficientem.

Secundo: Dari etiam gratiam efficacem.

Tertio: Præter gratiam actualem, dari etiam habitualem & ſanctificantem.

Quarto: Tandem concedi electis, & dari gratiam ſpecialiſſimam, quæ donum perſeverantiæ finalis dicitur.

ARTICULUS PRIMUS.

Num detur gratia ſufficiens?

NOMINE gratiæ ſufficientis, intelligimus gratiam actualem interiorem, quæ dat poſſe bonum proxime, illudque expeditum, quatenus & mentem illuminat, & movet ſeu excitat voluntatem ad ea quæ ſalutem ſpectant. Calvinus lib. 2. inſtitut. cap. 3.nu. 10. aſſerit nullam dari gratiam actualem præter efficacem idem docet Janſenius tom. 3. lib. 3. cap. 1. immo cap. 2. & 3. ſcribit, & ait propugnantes gratiam ſufficientem, in errorem ipſius Pelagii impingere, contra quos ſit

CONCLUSIO.

Datur in præſenti ſtatu gratia ſufficiens.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

LEGITUR Iſaiæ 5. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Si expectavit, ut faceret uvas: igitur poterat facere: ſed qua gratia poterat? niſi ſufficienti.

Non abſimilia leguntur Ezech. 24. *Væ civitati ſanguinum .... Quia mundare te volui, & non eſt mundata a ſordibus tuis.* Si voluit mundare, dubio-procul per gratiam ſufficientem, quæ compellit ad bonum, ſed cui reſiſtitur, juxta illud Jerem. 7. *Loquutus ſum ad vos mane conſurgens, & loquens & non audiſtis: & vocavi vos, & non reſpondiſtis.* Rurſus proverb. 1. *Vocavi, & renuiſtis.* Pſalm. 94. habetur. *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*

Celeberrimum eſt Chriſti oraculum, Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia, ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Et illud Matth. 23. *Jeruſalem, Jeruſalem .... Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Sed quorſum, inquiunt ſancti Doctores, Judæi inexcuſabiles, niſi quia habentes poſſe operari bonum virtute gratiæ ſufficientis, non fecerunt, ſed reſtiterunt? de qua ingratitudine increpantur Act. 7. & Rom. 10. S.

 Ste-

Stephanus in primo loco eos ſic revincit. *Dura cervice, & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Apoſtolus in altero introducit Deum ſic loquentem: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Sanctus Paulus eamdem prædicat veritatem 2. ad Cor. 6. bis verbis: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid eſt autem in vacuum gratiam Dei recipere, niſi excitanti? & præparanti ad bonum non conſentire, porro gratiæ efficaci nunquam reſiſtitur: Igitur eo loci loquitur Apoſtolus de ſufficiente: de qua quidem ſermonem inſtituerat alibi, nec tacet ejus naturam, his verbis: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Ne quidem ſileatur nomen; ſcriptum eſt enim: *Sufficit tibi gratia mea.* 2. Cor. 12.

Ex his ſic argumentari fas eſt: Deus, ut patet, in locis allatis & ſimilibus, dat & juſtis, & peccatoribus poſſe bonum; & Apoſtolus hortatur, ut nullus in vacuum gratiam recipiat: Igitur datur gratia ſufficiens, quæ præbet poſſe, alias fruſtra increparet Deus peccatores, quod reſiſterent, & quod vocationi ad bonum non conſentirent: fruſtra S. Paulus homines ad faciendum bonum adhortaretur; quia ſine gratia ſufficiente, non poſſunt proxime operari aliquid ad vitam æternam conducens.

Secundo, ex Conciliis, & ſummis Pontificibus.

CONCILIA.

PRINUM nobis occurrit Arauſicanum ſecundum quod loquens de auxilio ſufficienti Can. 19. ita definit: " Natura hu- ,, mana.... Cum ſine gratia Dei ſalutem ,, non poſſit cuſtodire, quam accepit, ,, quomodo ſine Dei gratia, poterit repa- ,, rare, quod perdidit? ,, Rurſus Can. 25. ſic loquitur: " Hoc etiam ſecundum fi- ,, dem catholicam credimus, quod acce- ,, pta per Baptiſmum gratia, omnes ba- ,, ptizati, Chriſto auxiliante, & coope- ,, rante, quæ ad ſalutem pertineant, poſ- ,, ſint & debeant, ſi fideliter laborare vo- ,, luerint, adimplere. ,,

Valentinum Can. 2. ait: " Nec ipſos ,, malos ideo perire, quia boni eſſe non ,, potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt, ,, ſuoque vitio in maſſa damnationis, vel ,, merito originali, vel etiam actuali per- ,, manſerunt. ,,

Audis, ex Conciliis laudatis hominem poſſe, ſi velit, ea quæ ſalutis ſunt, adimplere: Audis peccatorem ſua culpa perrire, ut etiam Concilium Arelatenſe tertium anno 524. docet approbando Epiſtolam Fauſti Rejenſis Epiſcopi, in qua quidem perſtringebat errorem Lucidi Presbyteri: *Anathema illi qui dixerit, illum qui periit, non accepiſſe ut ſalvus eſſe poſſet.* At vero ſi peccator careret omni gratia etiam ſufficienti, certe ſua abſque culpa periret, cum non haberet poſſe expeditum ad faciendum bonum.

Suffragantur alia Concilia, imprimis Senonenſe anno 1528. decreto 15. ubi ſic loquitur: " Neque tamen tanta gratiæ ne- ,, ceſſitas libero præjudicat arbitrio, cum ,, illa ſemper ſit in promptu, nec momen- ,, tum quidem prætereat, in quo Deus non ,, ſtet ad oſtium & pulſet: cui ſi quis a- ,, peruerit januam, intrabit ad illum, & ,, cœnabit cum illo. Nec denique tale ſit ,, hujuſmodi trahentis Dei auxilium, cui ,, reſiſti non poſſit. ,,

Colonienſe anno 1536. capite 32. ita definit: " Jam, quanquam nemo converta- ,, tur ad Dominum, niſi tractus per Pa- ,, trem, attamen nemo hic excuſationem ,, prætexat, quod non trahatur. Cum ille ,, ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimi- ,, rum per internum & externum verbum ,, commonens, ut convertamur a via no- ,, ſtra peſſima. ,,

Eminet cæteris Trident. ſeſs. 6. cap. 5. his verbis: " Ita ut tangente Deo cor ho- ,, minis per Spiritus ſancti illuminationem, ,, neque homo ipſe nihil omnino agat, in- ,, ſpirationem illam recipiens; quippe qui ,, illam & abjicere poteſt. ,,

Rurſus cap. 11. " Deus impoſſibilia non ,, jubet, ſed jubendo monet, & facere ,, quod poſſis, & petere quod non poſſis; ,, & adjuvat ut poſſis. ,, Eo loci Sacra Synodus triplicem agnoſcit gratiam: ſufficientem quidem remotam, his verbis: *Jubendo monet, & facere quod poſſis.* Sufficientem proximam, dum, ait: *Et petere quod non poſſis.* Denique efficacem, iſtis ulterioribus verbis, *& adjuvat ut poſſis.* Ibi loquitur de potentia conjuncta cum actu: jam ſic reſumo. Ex Senonenſi gratia ſemper adeſt & pulſat: ex Colonienſi,

ideo peccator inexcuſabilis eſt: ex Tridentino quilibet, vel ipſi inſpirationi interiori quam recepit, reſiſtere poteſt: ex eodem homo per gratiam habet poſse bonum, & requiſita ad ſalutem; immo hoc ipſum negantes anathemate percellit ſeſs. 24. Can. 9. de reform. Matrini. *Si quis*, inquit, *dixerit. ... Poſſeque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam noverint, habere donum, anathema ſit: Cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari.*

Summi Pontifices.

HIS accedunt multa SS. Pontificum diplomata ab univerſali Eccleſia recepta, quibus perſtringuntur quinque Janſenii Iprenſis Epiſcopi propoſitiones, quarum ſecunda, hæc eſt, *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Cujus, hæc eſt, contradictoria, eaque catholica, *gratiæ interiori quandoque reſiſtitur*, cui gratiæ? Niſi ſufficienti; tametſi enim poſſimus & efficaci reſiſtere, nunquam tamen illi obniti volumus. Quarta vero ſic concipitur: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici quod vellent eam gratiam talem eſſe cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* In iſta propoſitione duæ ſunt partes, prima quidem quod Semipelagiani admiſerint gratiam ad initium fidei, & eſt falſiſſima: altera, quod fuerint hæretici propugnando talis naturæ eſse gratiam iſtam, cui poſset humana voluntas reſiſtere: hoc ipſum erroneum eſt, & hæc eſt contradictoria, juxta mentem Innocentii X. & Alexandri VII. qui ſumma cum juris ſolemnitate, & auditis partibus damnaverunt quinque Janſenii propoſitiones: *Humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare poteſt gratiæ interiori.* Ergo &c.

Tertio, ex traditione Patrum.

Primo, ex Græcis.

DIONYSIUS qui putatur Areopagita lib. de Cæl. Hier. multum de gratia Mediatoris diſserit: deinde, ſic loquitur: " Divini luminis immenſum eſt pelagus, & ,, exundans, quod in promptu ad operan- ,, dum omnibus eſt expanſum. ,,

Juſtinus Martyr in reſponſione ad quæſtionem nonam Orthodoxorum, ait: " Accepimus autem a Deo faciendi & non ,, facindi poteſtatem: faciendi inquam ju- ,, ſta, non faciendi autem injuſta. Quan- ,, do igitur juſta facimus, & injuſta non ,, facimus, juſte coronamur. ,, Rurſus Dial. cum Tryphone ſub finem: " Itaque ,, ſi omnes qui miſericordiam a Deo con- ,, ſequi volunt, ſuperioris vitæ pæniteat, ,, id præſtare poſsunt. ,,

S. Irenæus, non abſimili modo loquitur lib. 4. adverſus hæreſes cap. 71. his verbis: " Si autem qui illud non operan- ,, tur, *ſcilicet bonum*, judicium juſtum re- ,, cipient Dei, quoniam non ſunt operari ,, bonum, cum poſſint oprrari illud. ,, Hoc eſt, reſtiterunt gratiæ: ipſe Irenæus hunc prodit ſenſum ibidem cap. 76. " Sed ,, ille, *inquit*, qui non conſequitur eam, ,, ſibimet ſuæ imperfectionis eſt cauſa. ,, Hoc eſt, qui non recipit gratiam operis, ſeu efficacem: proſequitur: " Nec ,, enim lumen deficit propter eos, qui ſe- ,, metipſos excæcaverunt: ſed illo perſe- ,, verante quale eſt, excæcati per ſuam ,, culpam, in caligine conſtituuntur, ne- ,, que lumen cum magna neceſſitate ſubji- ,, ciet ſibi quemquam, neque Deus cogit ,, eum, qui nolit continere ejus artem. ,, *Nempe gratiam*, qui igitur abſtiterunt a ,, paterno lumine, & tranſgreſſi ſunt le- ,, gem libertatis, per ſuam abſtiterunt cul- ,, pam, liberi arbitrii, & ſuæ poteſtatis ,, facti. ,,

Clemens Alex. eidem adhæret ſententiæ lib. 2. Stromatum circa medium, ubi hæc profert: " Divinum Verbum clama- ,, vit omnes ſimul vocans, eos quidem vel ,, maxime cognoſcens qui non erant pari- ,, turi: & tamen quoniam eſt in noſtra ,, poteſtate parere, & non parere, ut nul- ,, li poſſint cauſari prætextum ignorantiæ, ,, juſtam fecit vocationem. ,,

S. Baſilius comment. in cap. 5. Iſaiæ mirum in modum ſufficientem prædicat gratiam: " Quando vineæ illius, *ait*, ,, germina improbanda veniunt, ab ea ,, tollitur pluvia: quandoquidem auxiliari ,, gratia Dei ſibi prærogata, non ut con- ,, veniebat, uſa eſt. Itaque, etiam nos ſi ,, quando deprehendemur, minus recte uſi ,, occaſione rei bene gerendæ indulta no- ,, bis a Deo, tunc nobis adimitur cæleſte ,, præſidium. ,,

S. Cy-

S. Cyrillus Alex. lib. 1. in Joan. cap. 11. eandem profert ſententiam & ſic loquitur : “ Non Verbum Dei , & æternam
,, hanc lucem , ſed imbecillitatem ſuam
,, mundus accuſet . Illuminat enim Filius ,
,, repellit autem gratiam creatura . ,,

Non omittendus S. Chryſoſtomus qui Homil. 7. in cap. 1. Joan. egregium illud profert teſtimonium : “ Gratia in omnes diſ-
,, fuſa eſt , non Judæum , non Græcum ,
,, non Barbarum , non Scytham , non li-
,, berum , non ſervum , non virum , non
,, mulierem , non ſenem , non juvenem
,, effugit , aut dedignatur , omnibus ea-
,, dem eſt , omnibus ſe facilem exhibet ,
,, omnes pari honore advocat . Qui autem
,, ejus munere frui negligunt , hanc ſuam
,, cæcitatem æquo librent examine . Cum
,, enim omnibus aditus pateat , & a ne-
,, mine prohibeatur , perditi quidam & ne-
,, quam homines propria duntaxat malitia
,, ingredi recuſant . ,,

Ex illis Patribus datur gratia quæ omnibus communis eſt , quæ reddit peccatorem inexcuſabilem , eo quod omnibus det poſſe bonum , cui tunc ex innata fragilitate & malitia reſiſtunt : ſed hæc eſt gratia ipſa ſufficiens , quandoquidem efficax & dat agere , & illi non reſiſtitur . Ergo &c.

Patres Latini .

PRIMUS nobis occurrit S. Ambroſius qui in Pſalmum 118. iſta verba : *Prope es tu Domine* , interpretans , ait : “ Numquid
,, ſi quis oſtia domus ſuæ claudat , ſolis eſt
,, culpa quod non illuminat domum ejus ?
,, Ergo , ſi quis peccatorum ſuorum re-
,, pagulis obſerandam mentem propriam
,, judicaverit , & verbi a ſe ſplendorem
,, ſtultus avertat , ac ſibi inſerat inſipien-
,, tiæ cæcitatem ; cauſari poterit quod ſol
,, juſtitiæ noluerit intrare ? Aut infirmi-
,, tatem luminis cæleſtis arguere ? Pulſat
,, januam tuam Dei Verbum : ſi quis mi-
,, hi aperuerit , *inquit* , intrabo . Si quis
,, ergo non aperuerit , numquid non in-
,, gredientis , & non magis non aperien-
,, tis eſt culpa ? ,, Porro Deus pulſat per gratiam ſufficientem , intrat vero per efficacem : Igitur qui non aperit oſtium , ideo culpandus eſt , quia poterat aperire & non aperuit .

Sequitur S. Hieronymus qui ſimilia dicit in Pſalmum 140. his verbis : “ O in-
,, feliciſſimum humanum genus , qui pec-
,, cata excuſamus , dicentes : victus ſum a
,, natura : cum in poteſtate noſtra ſit &
,, peccare , & Domino adjuvante non pec-
,, care . ,,

Non prætereundus Oroſius : In Apologetico , ſic loquitur : “ Mea ſemper ,
,, hæc eſt , fidelis atque indubitata ſen-
,, tentia , Deum adjutorium ſuum non
,, ſolum in corpore ſuo , quod eſt Eccle-
,, ſia , cui ſpecialia ob credentium fidem ,
,, gratiæ ſuæ dona largitur ; verum etiam
,, univerſis in hoc mundo gentibus pro-
,, pter longanimem ſuam æternamque cle-
,, mentiam ſubminiſtrare , non ut tu aſſe-
,, ris cum Diſcipulo tuo Cæleſtio . ,, Tum ſubjungit dari omnibus gratiam a libero arbitrio diſtinctam : “ Sed ſpecialem , *in-*
,, *quit* , quotidie per tempora , per dies ,
,, per momenta . . . . Cunctis & ſingulis
,, miniſtrare : dicit enim ſcriptura qui fa-
,, cit ſolem oriri ſuper bonos & malos . ,,
Ergo &c.

Inter omnes audiendus eſt S. Auguſtinus Doctor gratiæ lib. de præd. Sanct. cap. 16. duplicem eo loci diſtinguit vocationem ad fidem : alteram cui voluntas humana obnititur , & ideo ſufficiens ſolum evadit : alteram qua ita efficaciter homo vocatur , ut ipſi conſentiat : prior eſt gratiæ ſufficientis fœtus , poſterior vero efficacis : “ Vocat enim Deus , *inquit* , præ-
,, deſtinatos multos filios ſuos , ut eos fa-
,, ciat membra prædeſtinati unici filii ſui ,
,, non ea vocatione qua vocati ſunt & qui
,, noluerunt venire ad nuptias : illa quippe
,, vocatione & Judæi vocati ſunt , quibus
,, *Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt* : & gen-
,, tes , quibus *crucifixus ſtultitia eſt* : ſed ea
,, vocatione prædeſtinatos vocat , quam
,, diſtinxit Apoſtolus dicens : *Ipſis vocatis*
,, *Judæis & Græcis prædicare ſe Chriſtum*
,, *Dei virtutem & Dei ſapientiam* . . . . Ad
,, hanc vocationem qui pertinent , *omnes*
,, *ſunt docibiles Dei* . ,,

Rurſus lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. ſic loquitur : “ Non tibi deputatur ad cul-
,, pam , quod invitus ignoras , ſed quod
,, negligis quærere quod ignoras : neque
,, illud , quod vulnerata membra non col-
,, ligis , ſed quod volentem ſanare con-
,, temnis . ,, Quomodo autem Deus vult ſanare , niſi per gratiam ſufficientem , qua quidem pulſat ad oſtium cordis ut inter juxta illud Apocal. 3. *Ecce ſto ad*

oſtium

Digitized by Google

oſtium & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.

Rurſùs enarrat. in Pſalmum 124. ait, Auguſtinus. " Cor eorum congeleſcit adverſus Deum, & fit durum adverſus imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat.,, Ecce ex Auguſtino aperta reſiſtentia gratiæ interiori: ſed cui? Citra dubium ſufficienti: tametſi enim homo ex ſolis innatis viribus non poſſit proxime bonum, ex ſe tamen habet impedire gratiæ effectum. Sic pronuntiat idem S. Doctor lib. de Spiritu & Littera cap. 34. " Agit, *inquit*, Deus ut velimus. . . . Sive extrinſecus . . . ſive intrinſecus; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. ,,

Celeberrimus eſt locus ex lib. de correp. & grat. cap. 7. excerptus, ubi ſic loquitur S. Præſul: " Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo PERSEVERARES SI VELLES. ,,

Multo-plura teſtimonia pro eodem momento, ex eodem S. Auguſtini fonte excerpta protulimus in Tract. de Scientia Dei ſub finem diſſertationis quartæ puncto VIII. egregia ſunt quæ eo loci ſcripſimus ex lib. 6. Confeſſ. S. Præſulis cap. 4. n. 5. cap. 5. n. 7. c. 6. n. 9. cap. 11. n. 18.

S. Proſper reſpon. ad capitula Gallorum objectione tertia, inhærens S. Auguſtini veſtigiis, ait: " Igitur ſicut bona opera ad inſpiratorem eorum Deum, ita mala ad eos ſunt ferenda qui peccant. Non enim relicti ſunt a Deo, ut relinquerent Deum: ſed reliquerunt, & relicti ſunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati ſunt. ,,

Subſcribit alter Auguſtini diſcipulus Fulgentius epiſt. 7. ad Venantium cap. 8. his verbis: " Ideo ipſe medicus, ſemper ſe poſſe converſo ſalutem donare teſtatur, dicens: cum converſus fueris, & ingemueris, ſalvus eris. ,, Et cap. 10. dicit peccatores inexcuſabiles, ex eo quod damnati ſint, cum potuiſſent ſalvari, ſcilicet per gratiam ſufficientem, quæ dat poſſe.

Inſigne eſt D. Bernardi teſtimonium ſerm. 5. de quagrageſſima, ſic loquitur: " In nobis eſt ſi vinci nolumus, & nemo noſtrum in hoc certamine dejicitur invitus. Sub te eſt, o homo appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Poteſt inimicus excitare tentationis motum, ſed in te eſt, ſi volueris, dare ſeu negare conſenſum. ,, Eo loci ſanctus ille Pater alludit ad iſta Auguſtini verba *perſeverares ſi velles.*

Sanctus Thomas agmen claudet. 1. 2. quæſt. 106. art. 2. ad 2. gratiam ſufficientem, & quoad rem, immo & quoad ipſum nomen docet: " Si quis, *inquit*, poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti, peccaverit, majori pœna eſt dignus tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens: nec tamen propter hoc dicitur, quod lex nova iram operatur, quia quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum. ,, Similia profert in caput epiſt. 5. ad Theſal. lectione ſecunda, ubi dicit peccatorem extinguere Spiritum ſanctum, quod quidem probat his Actuum 7. verbis: *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.*

Ex his auctoritatibus prædicatur gratia actualis quæ dat poſſe bonum ſalutis, cui quandoque reſiſtitur, quæ communis eſt, & datur omnibus: ſed illa omnia ſoli conveniunt gratiæ ſufficienti. Ergo &c.

Quarto, ex Theologis omni exceptione majoribus.

OMNES Catholicorum Academiæ propugnant gratiam ſufficientem: inſtar omnium ſit Academia Pariſienſis; ex qua juvat quædam referre teſtimonia.

Habertus Epiſcopus Vabrenſis & Doctor Sorbonicus, lib. 2. Theologiæ Græcorum Patrum cap. 6. ait: " Catholici Doctores omnes quorum ſcripta ab Eccleſiæ Concilio damnata, prohibita-ve non ſunt, aut a ſummis Pontificibus, non omnem gratiam excitantem neceſſario efficacem eſſe, darique gratiam aliquam vocantem vere ſupernaturalem, ac intrinſecam quæ poſſit conſenſum voluntatis ad bonum ſalutis elicere: nec tunc propter liberam voluntatis electionem ac reſiſtentiam eumdem aliquando eliciat, omnibus in ſcholis, ac Sorbonica præſertim ſemper profeſſi ſunt, hodieque profitentur. Illam adverſus hæreticos ſic tueri tanquam Eccleſiæ ſententiam palam docent, clamant & ſcribunt: ita ut contrariam, nemo in

Sorbo-

Digitized by Google

„ Sorbonica palæſtra publicis Theſibus pro-
„ pugnare merito permittatur: Ortho-
„ doxam vero ſingulis quæ de gratia pro-
„ ponuntur aſſertionibus, quotidie ipſa
„ ſubſellia parietes ipſi perſonent. „

Philippus Gammachæus 1. 2. ad quæſtionem tertiam cap. 5. propoſitione ſecunda, ait: " Gratia ſufficiens nemini prorſus
„ denegatur, ſed datur revera omnibus
„ cujuſcumque ſortis, ſtatus, & condi-
„ tionis fuerint, nec ſolum electis, ſed
„ etiam reprobis. „

Andreas Duvallius profeſſor Regius alter eſt ejuſdem veritatis teſtis: " Legiti-
„ ma, *inquit*, diviſio gratiæ prævenien-
„ tis in ſufficientem, & efficacem. „

Tſambertus ſuum addit calculum Tractatu de gratia quæſt. 2. de gratia ſufficienti art. 10. Tum & Scotus in 1. ſent. diſt. 46. quæſt. 7. ſubſcribit tota noſtra Schola Angelica D. Thomæ; conſentiunt & omnes congruiſtæ. Ergo &c.

Quinto, ex ratione, eaque multiplici.

Prima ſic procedit: Deus non deficit in neceſſariis: ſed gratia quæ dat poſſe bonum ſupernaturale, eſt neceſſaria; Scriptum eſt enim Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*. Igitur datur gratia quæ dat poſſe bonum; & hæc eſt ſufficiens.

Altera: Sapientia divina attingit omnia a fine uſque ad finem fortiter, ſimul & ſuaviter diſponit: Igitur dat gratiam quæ dat poſſe, & in hoc eſt, ſuavitas, quia per iſtam gratiam *præparatur voluntas a Domino*, ut legunt Septuaginta in libro proverbiorum cap. 8. ad bene agendum ſupernaturaliter quæ quidem gratia, gratiæ ſufficientis nomine appellatur.

Tertia: Nomine gratiæ ſufficientis, ut dictum eſt, intelligitur gratia quæ dat medium ad ſalutem conſequedam: ſed talis datur. Et probatur. Qui dat eſſe, dat & conſequentia ad eſſe: ſed Deus elevat hominem ad finem ſupernaturalem: Igitur dat poſſe hunc conſequi finem per gratiam prævenientem eamque ſufficientem: cum natura non habeat eſſe proximum, nec hanc poſſit aſſequi metam, niſi per gratiam.

Quarta: Nomine gratiæ ſufficientis eam intelligimus gratiam qua Deus pulſat ad cor peccatoris, ut illud aperiat & convertatur, qua fit congreſſus & conflictus adverſus carnem & ſanguinem, qua ſpiritus initium habet alicujus bonæ voluntatis, cui gratiæ voluntas tametſi excitata & præparata ad bonum nonnunquam reſiſtit: Atqui talis datur. Ergo &c. Probatur minor: Act. 9. Chriſtus ait Saulo perſecutori, ſed ad converſionem ſtimulato: *Saule, Saule, quid me perſequeris? ..... Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Auguſtinus lib. 8. Conf. cap. 11. n. 28. de gratia qua movebatur ad pœnitentiam ſed cui reſiſtebat, ait, ad Deum: " Ne memor fueris iniquita-
„ tum noſtrarum antiquarum. Sentiebam
„ enim eis me teneri; jactabam voces mi-
„ ſerabiles, quandiu? quandiu? cras &
„ cras: quare non modo? quare non hac
„ hora finis turpitudinis meæ? „ Ergo &c.

Quinta, quæ quidem permultas complectitur. Deus impoſſibilia non jubet, immo vult omnes & ſingulos homines ſalvos fieri; hinc Chriſtus eſt mortuus pro ſingulis ut pro eis mereretur gratiam quæ dat poſſe ſalvari: ſed illa ipſa eſt ſufficiens: Ergo &c. Major certa eſt, minor quoque patet, alias Deus impoſſibilia juberet; nec probari poſſet eum velle omnium hominum ſalutem, ac Chriſtum pro ſingulis mortuum.

Propelluntur Heterodoxorum cavilli.

Objiciunt 1. cuncta Scripturæ loca allata pro gratia ſufficiente aſtruenda, nonniſi de vocatione exteriori & doctrina ſeu lege foris inſonante intelliguntur: qualia ſunt iſta Proverb. 16. *Vocavi & renuiſtis*. Iſaiæ 5. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Act. 7. *vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*. Sic enim ea interpretatur Calvinus his verbis: " Reſiſtere Spiritui ſancto di-
„ cuntur qui eum in Prophetis loquen-
„ tem contumaciter rejiciunt; neque enim
„ de arcanis revelationibus hic agitur, quas
„ Deus cuique intus inſpirat, ſed de ex-
„ terno miniſterio. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens & quidem propter multa: Primo quidem ſententia Calvini collimat in ſententiam Pelagii, qui non aliam præter legem agnoſcebat gratiam. Secundo adverſatur ſanctis Patri-

tribus ; ſic enim loquitur Hieronymus comment. in locum Iſaiæ: " Cuncta quæ „ dicuntur de vinea , & ad animæ huma- „ næ referri ſtatum, quæ a Deo planta- „ ta in bonum , non uvas attulerit ſed „ labruſcas . . Tollitur antecedens Dei au- „ xilium ab iis qui indigni ſunt, ut qui non „ ſenſerunt Deum per beneficia , ſentiant „ per ſupplicia . „ S. Baſilius in cap. 5. Iſaiæ eamdem adhibet axplicationem : eamdem & Cyrillus Alexand. lib. 1. in Joannem cap. 11. eamdem demum & Stapletonus in antidoto in Acta Apoſtol. cap. 7. ubi dicit de interna inſpiratione loqui Stephanum: " Nam ait S. Stephanus „ Spiritui ſancto reſiſtitis , opus autem „ Spiritus ſancti proprium , eſt intus „ commovere : ſane in ſolo externo mi- „ niſterio, niſi Spiritus ſanctus cor tan- „ gat , Spiritus ſanctus in ipſo audiente ni- „ hil operatur . „

Opponunt 2. omnem gratiam ſuum habere effectum . Igitur omnis gratia eſt efficax, & nulla ſufficiens. Probatur antecedens. Eo ipſo quo gratia habet effectum ad quem datur , jam evadit efficax ; atqui nulla eſt gratia quæ hujuſmodi effectu careat : Et probatur . Si eſt gratia debilis excitat quidem , & pulſat , & in hunc ſiſtit gradum : ſi vero robuſtior , jam actum virtutis conjunctum habet : Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens . Ad probationem diſtinguendo majorem , eo ipſo quo gratia habet effectum completum eſt efficax : concedo : incompletum , nego : & ſic diſtincta minore , nego conſequentiam . Duplex effectus gratiæ diſtinguitur; unus incompletus, completus alter: prior eſt actus indeliberatus qui & primoprimus dicitur, qualis eſt illuminatio & pia motio ſubitanea, quæ eſt in nobis ſine nobis, poſterior vero eſt actus deliberate elicitus : Talis eſt contritio . Ille tribuitur gratiæ ſufficienti nec ab ullo vocatur efficax ; quinimmo , ipſe Janſenius eam ſolam gratiam habet efficacem, quæ vincit concupiſcentiam . Neque igitur in ejus principiis gratia ſufficiens dicenda eſt efficax, cum & ipſe hujuſmodi gratiæ effectus vocet velleitates, quæ ſæpius nullum ulteriorem habent effectum præ voluntatis humanæ contumacia & reſiſtentia : iſte vero, hoc eſt, actus completus eſt ſolius gratiæ efficacis fœtus , ex quo liquet illam ſolam gratiam eſſe efficacem, quæ effectum habet completum . Et ſic patet ſolutio ad ulteriorem probationem .

Reponunt : Si aliquid poſſet concludi pro gratia ſufficiente , maxime ex auctoritate Concilii Senonenſis, & conſtitutionum Innocentii X. tum & Alexandri VII. ſed ex his capitibus non colligitur exiſtentia gratiæ cui reſiſtitur , ſeu ſufficientis : Et probatur . Primo quidem illud Concilium rejectum fuit in congregationibus habitis coram Paulo V. ſed nec aliquid erui poteſt pro eodem momento ex conſtitutionibus Innocentii X. & Alexand. VII. quippe quæ ſint æquivocæ; quandoquidem juxta aliquem ſenſum falſæ ſunt, juxta vero alium veræ evadunt : Et probatur . Omnis gratia interior vel eſt habitualis, vel actualis ; ſi habitualis, dubio - procul nunquam ei reſiſtitur ; ſi actualis vel illa eſt intellectus vel voluntatis . Equidem gratiæ intellectus reſiſtitur, quando non habet gratiam voluntatis comitem ; quæ certe non deeſt, cum adeſt gratia Mediatoris in intellectu : Neque vero gratiæ voluntatis , quandoque reſiſti negatur , cum in ſtatu naturæ lapſæ concupiſcentia adverſus ſpiritum ſemper pugnet : tamen ita gratia concutitur , ut vel iſti gratiæ interiori nunquam reſiſtatur .

Reſpondeo negando minorem . Ad probationem primæ partis dico congregationes coram Paulo V. habitas nullius eſſe ponderis ; quandoquidem Innocentius X. dicit in reſcripto poſt condemnationem Janſeniſmi nullam fidem adhibendam eſſe quibuſdam ſcriptis, quæ ſub nomine congregationum Paulo V. ſummo Pontifice habitarum diſſeminata ſunt .

Ad alteram probationem diſtinguo : & propoſitiones Janſenii in ſenſu obvio proſcriptæ ſunt , concedo : in ſenſu aſtuto , nego . Controverſia erat de gratia actuali & quidem voluntatis cui voluntatem humanam reſiſtere non poſſe aſſerebat Janſenius, & in hoc ejus doctrina proſcripta eſt veluti Concilio Tridentino adverſa ſeſſ. 7. cap. 5. ubi ſic habetur : " Ita „ ut tangente Deo cor hominis per Spiri- „ tus ſancti illuminationem, neque homo „ ipſe nihil omnino agat , inſpirationem „ illam recipiens , quippe qui illam & „ abjicere poteſt . „ Igitur ex mente Concilii

Digitized by Google

cilii reſiſtere gratiæ interiori eſt impedire ejus effectum poſitivum ad quem datur, ſcilicet converſionem & non pure aliquam concupiſcentiæ luctam experiri, ſicut enim peccatores, ſic & juſti illam patiuntur, cum hoc tamen diſcrimine quod illi ut plurimum concupiſcentiæ cedant, e contra vero iſti.

Contunduntur ſpicula Novatorum qui in adulterinum explicant ſenſum, iſta divi Auguſtini verba, perſeverares ſi velles.

OBJICIUNT: Senſus D. Auguſtini eſt, *perſeverares ſi vellet Deus*: Igitur ex illa D. Auguſtiui ſententia nihil pro exiſtentia gratiæ ſufficientis concludi poteſt.

Reſpondeo negando antecedens: ſenſus enim in objectione allatus eſt aſſutus, & a mente B. Auguſtini prorſus alienus propter multa.

Primo: S. Auguſtiuus eſt ſui ipſius interpres multis in locis, maxime vero lib. de corr. & gr. cap. 12. ubi ait: *Manerent ſi vellent*: Tum lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. num. 32. *Certum eſt enim nos mandata ſervare ſi volumus*. Audis ſanctum Doctorem ſemper reſundere in voluntatem humanam gratia præveniente eaque ſufficiente adjutam, poſſe bonum ſalutis.

Secundo: Si opus ſalutis ſolum illam Dei ſpectet voluntatem cui omnia agentia cedunt, jam de libertate actum eſt, cum non erit in potentia creaturæ bonum in ordine ad vitam æternam operari. Abſurdum conſequens: Ergo & antecedens.

Tertio; allato ſuppoſito ſenſu non dabitur correctionis ſimul & exhortationis locus, corrigendus enim reſpondebit, quando erit Dei voluntas præceptis obediam, ſin minus non poſſum: quæ omnia inconcuſſis D. Auguſtini principiis adverſantur: eodem quippe libro de gr. & libro arb. cap. 2. probat infinitis prope & veteris & novi Teſtamenti textibus, hominem in ſua poteſtate habere poſſe bonum operari vel non facere; dari correptionis locum, & nullum prævaricatorem a culpa excuſari: 12. 3. ſic præoccupat objectionem, & reſpondet: " Sed ſunt homi-„ nes qui etiam de ipſo Deo ſe excuſare „ conantur....„ Reſpondet liber Pro-„ verbiorum Salomonis: *Inſipientia viri* „ *violat vias ejus, Deum autem cauſatur in* „ *corde ſuo*. Et liber Eccleſiaſtici dicit: „ *Ne dixeris, quia propter Dominum receſſi.* „ *Ipſe ab initio fecit hominem, & reliquit* „ *eum in manu conſilii ſui. Si volueris,* „ *conſervabis mandata, & fidem bonam placiti*... Et ad Philemonem: *Ne bonum* „ *tuum velut ex neceſſitate eſſet, ſed ex voluntate*. Servos etiam ipſos monet, ut „ dominis ſuis *ex animo ſerviant cum bona* „ *voluntate*. „ Dubio-procul argumentum incorrigibilium non ſolveret Auguſtinus, ſi iſta verba, *Si volueris, conſervabit mandata*, non ſumerentur in ſenſu obvio, & incaſſum ex poſſibilitate boni, & bona voluntate libera, obduratorum inexcuſationem ventilaret.

Quarto: Vel ipſe Janſenius ſenſum ſententiæ S. Auguſtini ita apertum animadvertit, ut veritate ſuperatus eum negare non auſus ſit.

Inſtat Arnaldus Janſenio audacior in libro de correp. & grat. quem typis mandari ſategit cum textu & obſervationibus ann. 1644. cap. 7. dicens S. Aug. verba optime ſic explicari, *Perſeverares, ſi in eadem voluntate permaneres*. Ergo &c.

Reſpondeo nihil roboris iſtam interpretationem continere: Et vero vel in ſenſum Auguſtini collimat, *perſeverares, ſi velles*: vel in iſtum, *perſeverares, ſi velles*. Si primum, eſt mera battologia: ſi ſecundum ſenſus ſancti Præſulis defloratur. Igitur Arnaldus illudit legentibus.

Inſiſtit: Atqui explicatio valet: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. In pluribus manuſcriptis, ſic legitur textus: *Perſeverares, ſi velles*. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probat. diſtinguo, in pluribus manuſcriptis vel ex inadvertentia, vel ex ignorantia, vel forſitan ex malitia ſcriptoris defloratis, error irrepſit in textum, concedo: ſecluſa interpolatione, nego. Plura de hac ſolutioue evincunt: Primo quidem error non reperitur in vetuſtis manuſcriptis, ſed ſolum in recentioribus quæ vix quadringentos annos ſuperant, ut legimus in uno codice caſalis S. Benedicti prope Biturigas, cum e contra in alio perantiquo quem vir nobilis nobis familiaris ex Africa aſportaverat, haberet, *perſeverares, ſi velles*. Secundo, admiſſo alio textu, nec relinqueretur libertati locus, ut dictum eſt, & quod abſit, non dicam dicere, verum

rum & cogitare videtur quod prævaricantis culpa in primam cauſam refunderetur, cum nullo modo foret in creaturæ poteſtate perſeverare in bono; quandoquidem ſolum perſeveraret ſi Deus vellet, ſin minus e contra.

Sed ne remaneat in ore obſtrepentium redargutiones, juvat hic texere Pelagianorum raciocinationem qua quidem ut facerent voluntatem liberam, omnem gratiam explodere volebant, ut liberum arbitrium innatis viribus, omne poſſet operari bonum. Objectionem refert S. Auguſtinus lib. de gr. & lib. arbit. cap. 16. n. 32. his verbis. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt, non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri.*

Reſpondet ſanctus Doctor 1. ſemper hominem poſſe ſervare mandata ſi velit. 2. Voluntatem præparari a Domino. 3. Orandum eſſe ut habeat gratiam qua velit ſervare legem, & illam de facto adimpleat. Si dixerint textus hujuſmodi eſſe aſſutos replicabunt Patres Congregationis S. Mauri eſſe genuinos, quippe qui ex vetuſtiſſimis codicibus optimæ notæ excerpti. Sic enim loquitur S. Aug. in eorum editione nova Pariſ. ann. 1696. " Ideo ju-
,, bet aliqua, *Deus* quæ non poſſumus,
,, ut noverimus quid ab illo petere debea-
,, mus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando
,, impetrat quando lex imperat. Denique
,, ipſe qui dixit: *Si volueris, conſervabis*
,, *mandata*, Eccli. 22.... Cum ergo ve-
,, rum ſit, quod dixit: *Si volueris, con-*
,, *ſervabis mandata*: quare quærit in ore
,, ſuo dari cuſtodiam?... Quare non ei ſuf-
,, ficit mandatum Dei & voluntas ſua?
,, quandoquidem ſi voluerit, conſervabit
,, mandata...... Velit ergo & faciat
,, quod jubetur; quoniam ſi voluerit, conſer-
,, vabit mandata. Quare ſequitur & dicit,
,, *Concupiſcentiam aver.e a me*? Contra lu-
,, xuriam Deus quam multa mandavit?
,, faciat ea; quia ſi voluerit conſervabit
,, mandata. Quid eſt quod clamat ad
,, Deum Eccl. 23. *Ventris appetitio & con-*
,, *cubitus ne apprehendat me?* Si hæc ei
,, præſenti diceremus, rectiſſime nobis re-
,, ſponderet & diceret, ex iſta oratione
,, mea, qua hæc a Deo peto, intelligite
,, quomodo dixerim: *Si volueris, conſervabis*
,, *mandata*. Certum eſt enim nos manda-
,, ta ſervare, ſi volumus: ſed quia prepara-
,, tur voluntas a Domino, ab illo poten-
,, dum eſt ut tantum velimus, quantum
,, ſufficit, ut volendo faciamus. ,,

Objectiones ex ſacra Scriptura prodeuntes ſolvuntur.

OPPONES: Gratia ſufficiens illa cenſetur quæ dat poſſe: ſed talis non datur: Igitur ſola gratia quæ dat agere admittenda eſt. Probatur antecedens. Joan. Chriſtus ſic loquitur: *Ego vado & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini: Quo ego vado, vos non poteſtis venire.* Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem dico locum allatum intelligi tripliciter: primo quidem in eo ſenſu quod Judæi obdurati non poſſent venire in regnum Chriſti, quia obduratio eſt ab ipſo Chriſto receſſus. Secundo: Chriſtus loquebatur, eorum impœnitentiæ finalis præſcius, ex quo quidem ſequitur eos noluiſſe quidem uti gratia ut ad fidem Mediatoris venirent, minime vero gratia, quæ dat poſſe caruiſſe. Tertio: Chriſtus eo loci non aufert ſpem ut gratiam quæ dat poſſe, haberent Judæi, ſed tantum prædicit gratiæ efficacis dilationem, quæ quidem gratia dat poſſe conjunctum cum actu. Solutiones iſtæ ſunt divi Thomæ comment. in cap. 8. Joannis ubi auctoritate Patrnm ſuffultus, ſic interpretatur Scripturam: " Aug. Quæritis ergo,
,, *inquit*, me, non pio deſiderio, ſed odio.
,, Nam illum poſteaquam abſceſſit ab ocu-
,, lis hominum, inquiſierunt & qui
,, oderunt, & qui amabant, illi perſe-
,, quendo, iſti habere cupiendo, & ne pu-
,, tetis quia me bene quæretis: in pecca-
,, to veſtro moriemini, hoc eſt, Chriſtum
,, male quærere, in peccato ſuo mori: hoc
,, eſt, illum odiſſe, per quem ſolum poſ-
,, ſet ſalvus eſſe: dixitque ſententiam
,, præſcius, quod in peccatis ſuis morien-
,, tur... Origenes.... ſed ad illos dice-
,, bat quos ſciebat non eſſe credituros, &
,, propter hoc in eorum peccatis eſſe mo-
,, rituros, & non valentes poſt ipſum ſe.
,, qui, nam ſequitur: Quo ego vado &c.
,, ubi ſcilicet veritas & ſapientia eſt: hoc
,, eſt enim, ubi eſt Jeſus. Non poſſunt
,, ait, quia non volunt... Auguſtinus...
,, Quid enim non poterant illi venire,
,, quo ipſe perrexiſſet, ſi interficeret ſeme-
tipſum,

„ tipſum, nunquid ipſi non erant moritu-
„ ri? Ergo quo ego vado dixit, non quo
„ itur ad mortem, ſed quo ipſe ibat poſt
„ mortem. „

Inſtabis: Si daretur gratia cui poteſt reſiſti, eſſet in hominis poteſtate currere, vel non currere in via mandatorum: Atqui hoc ipſum non eſt in hominis poteſtate, juxta illud Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo minorem: homo in ſe relictus non habet poteſtatem currendi, concedo: adjutus a gratia, nego. Habet igitur poſſe currere per gratiam ſufficientem quæ eſt in nobis ſine nobis, ipſum vero currere per efficacem; ideo autem currere dicitur miſerentis Dei, quia gratia utraque eſt gratuita, curſus tamen eſt ab ipſo etiam homine, eo quod gratiæ prævenienti & adjuvanti cooperetur: ſolutio eſt D. Auguſtini, qui in Enchiridio cap. 22. ſic loquitur:
" Quomodo ergo non volentis neque cur-
„ rentis, ſed miſerentis eſt Dei: ni-
„ ſi quia & ipſa voluntas, ſicut ſcri-
„ ptum eſt, a Deo præparatur? Alio-
„ quin ſi propterea dictum eſt, non vo-
„ lentis, neque curentis, ſed miſerentis
„ eſt Dei, quia ex utroque fit, id eſt,
„ ex voluntate hominis, & miſericordia
„ Dei: ut ſic dictum accipiamus, non
„ volentis, neque currentis, ſed miſe-
„ rentis eſt Dei: tanquam diceretur,
„ non ſufficit ſola voluntas hominis,
„ ſi non ſit etiam miſericordia Dei.
„ Non ergo ſufficit ſola miſericordia Dei,
„ ſi non ſit etiam voluntas hominis: ac
„ per hoc ſi recte dictum eſt non volentis
„ hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quia id
„ voluntas hominis ſola non implet, cur
„ non & e contrario recte dicitur, non
„ miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt ho-
„ minis, quia id miſericordia Dei ſola non
„ implet? Porro ſi nullus Chriſtianus di-
„ cere audebit, non miſerentis eſt Dei,
„ ſed volentis eſt hominis, ne Apo-
„ ſtolo apertiſſime contradicat: reſtat ut
„ propterea recte dictum intelligatur,
„ non volentis neque currentis, ſed miſe-
„ rentis eſt Dei, ut totum Deo detur,
„ qui hominis voluntatem bonam & præ-
„ parat adjuvandam, & adjuvat præpara-
„ tam. „ Præparat adjuvandam per gratiam ſufficientem; adjuvat vero præparatam per efficacem:

Reſpondeo 2. Eo loci Apoſtolum revincere Judæos, qui putabant legem ſufficere ad ſalutem, cum tamen ſufficientia noſtra ex gratiæ opitulatione ſit: ſolutio eſt divi Thomæ comment. in epiſtola ad Rom. lect. 3. his verbis:
" Igitur ipſa
„ ſalus hominis non eſt volentis, neque
„ currentis, id eſt, non debetur alicui
„ per aliquam ejus voluntatem, vel ex-
„ teriorem operationem qua datur curſus
„ ſecundum illud primæ Cor. 9. *Sic cur-
rite ut comprehendatis*: Sed eſt miſerentis
„ Dei, id eſt, procedit ex ſola Dei miſe-
„ ricordia, & maxime ſequitur ex aucto-
„ ritate inducta Deuteron. 9. nec dicas
„ in corde tuo propter juſtitiam meam,
„ introduxit me Dominus ut terram hanc
„ poſſiderem. „

Reſpondeo 3. Apoſtolum ibi non movere quæſtionem de gratia ſufficiente, ſed de ſpeciali data Jacob, & negata Eſau. Ita Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ubi ſic habet:
" Verum eſt,
„ non volentis neque currentis, ſed mi-
„ ſerentis eſt Dei: quia etiamſi multos vo-
„ cet, eorum tamen miſeretur, quos ita
„ vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut
„ ſequantur. „

Replicabis: Atqui Apoſtolus omnem eliminat gratiam ſufficientem cui reſiſti poteſt: ergo &c. Probatur ſubſumptum. Si daretur hujuſmodi gratia, dixiſſet S. Paulus non ſolum miſerentis eſt Dei, ſed & volentis hominis: Atqui non dixit: Ergo &c.

Reſpondeo 1. Eo loci Apoſtolum loqui de gratia per ſe efficaci, ſed non excludendo ſufficientem; cum Chriſtus dicat S. Paulo 2. Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea*.

Reſpondeo 2. negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo majorem, dixiſſet etiam volentis hominis, ſi effectus æqualiter eſſet & a Deo, & a creatura, concedo: ſi principaliter a Deo promanet, nego. Et ſic diſtincta minore, negando conſequentiam. Effectus v. g. artis eſt ab artifice ſimul & ab inſtrumento: Sed denominat ſolum artificem, eo quod ſit cauſa principali. Pari & conſimili modo actus bonus procedit & a Deo, & a creatura: Sed principaliter tribuitur Deo ut cauſæ primæ quæ movet ſecundam. D. Thomas ibidem comm. in cap. 9. epiſt. ad Rom. hanc præoccupat

Digitized by Google

difficultatem & ſolvit his verbis; " Poteſt autem & aliter intelligi, ut ſit ſenſus, omnia procedunt ex Dei miſericordia; igitur non eſt volentis ſcilicet velle, neque currentis ſcilicet currere; Sed utrumque eſt miſerentis Dei ſecundum illud 1. Corinth. 15. non autem ego, ſed gratia Dei mecum; & Joan. 15. ſine me nihil poteſtis facere. Sed ſi hoc ſolum in hoc verbo intellexiſſet Apoſtolus cum etiam gratia ſine libero arbitrio hominis non velit, neque currat, potuiſſet e converſo dicere non eſt miſerentis Dei, ſed volentis & currentis, quod aures piæ non ferunt; unde plus aliquid eſt ex verbis intelligendum, ut ſcilicet principalitas gratiæ Dei attribuatur: ſemper enim actio magis attribuitur principali agenti quam ſecundario; puta ſi dicamus quod ſecuris non faciat arcam, ſed artifex per ſecurim, voluntas autem hominis movetur a Deo ad bonum. "

Urgebis: Gratia ſufficiens cui reſiſtitur eſt quodammodo in poteſtate hominis ut perfectum ſortiatur effectum: Sed hoc eſt inconveniens; nam inde ſequeretur hominem ab alio ſe diſcernere, quod eſt contra Apoſtolum 1. Cor. 4. dicentem: *Quis enim te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis.*

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: homo poſita gratia ſufficiente ſimul & efficaci ſe diſcernet, concedo: abſque efficaci, nego. In ſententia Moliniſtarum voluntas gratia ſufficiente adjuta diſcernit juſtum a peccatore, ſed melius & tutius in ſententia Thomiſtarum adjuta ſuper a gratia per ſe efficaci: quocirca Angelica noſtra ſchola toto corde cum Apoſtolo conclamat: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Cæterum ibi Apoſtolus perſtringit Hebræos qui volebant a Gentilibus diſcerni per legem.

Sanctus Thomas comment. in 1. ad Corinth. 4. lect. 2. hanc tradit ſolutionem, & ait aliquem ſe ab aliis diſcernere tripliciter. Primo quidem a maſſa perditionis: Secundo, quoad dignitatem & ſuperioritatem: Tertio, penes dona ſupernaturalia virtutum, ſubditque neminem ſibi eſſe applaudendum, cum ſola gratia a maſſa perditionis nos ſecernat; nos omnes in religione Chriſtiana eſſe confratres, & unum corpus: quocirca ſuperiores non debent ex paſſione inflari ſuper ſubditos; a fortiori ſubditi ſuper alios in gradu ſuperiores: Sed neque quoad virtutem, cum ipſa ſit donum Dei, ſic loquitur: " Poſtquam Apoſtolus reprehendit in Corinthiis temeritatem qui miniſtros Chriſti judicabant, hic arguit eorum elationem, qua miniſtros Chriſti contemnebant . . . . . Deinde cum dicit, quis enim te diſcernit? Aſſignat rationem quare unus non debeat contra alium inflari: & primo ponit rationem dicens, quis enim te diſcernit? Quod poteſt intelligi dupliciter, uno modo ſic, quis enim te diſcernit a maſſa perditorum? Tu te ipſum diſcernere non potes, unde non habes in te, unde contra alium ſuperbias & de hac diſcretione dicitur in Pſalmo 42. *Judica me Deus & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta*: Alio modo poteſt intelligi: *quis te diſcernit?* Scilicet ſuperiorem, faciens proximo tuo, hoc quod tu facere non potes, unde contra eum ſuperbire non debes: & de hac diſcretione dicitur Eccl. 33. *In multitudine diſciplinæ Domini ſeparavit eos, & immutavit vias illorum*: Sed inter homines in quantum ſunt fideles Chriſti, non eſt diſcretio, quia ut dicitur Rom. 12. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto*: Et Act. 15. dicit Petrus, *Nihil diſcernit inter nos & illos, fide purificans corda eorum*. Secundo, excludit quamdam rationem, poteſt enim aliquis diſcerni a bonis, vel a malis melior eis exiſtens propter bona quæ habet, puta fidem, ſapientiam, & hujuſmodi: Sed hoc excludit Apoſtolus dicens: *Quid autem habes quod non accepiſti?* Quaſi dicat nihil. Omnia enim bona ſunt a Deo ſecundum illud Pſalmi 103. *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*. Et ſecundo Paralip. 29. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus*, dedimus tibi: Et ex hoc concludit propoſitum, dicens, *Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* "

Replicabis: In hypoth. quod detur gratia ſufficiens, cui aliquando reſiſtatur, aliquando vero non, jam non diſſentiens ab altero ſeſe diſcernet; ſed hoc eſt contra Apoſtolum: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, ſe diſcer-

ſcernet negative, hoc eſt non diſſentiendo gratiæ efficaci oblatæ, concedo : poſitive & per actum ſupernaturalem, qui infallibilem habeat cum gratia efficaci connexionem, nego : hoc enim ſuperat vires naturales, & de iſta diſcretione tantum loquitur Apoſtolus. Solutio eſt Bellarmini tract. de gratia : eſt utique Lherminier tract. de gratia pag. 324. cæterum diſcretio ab actu converſionis profluit, adeoque a gratia per ſe efficaci, quæ talis eſt independenter a conſenſu, quippequi ſit ejus effectus.

Perſiſtes : Si daretur gratia ſufficiens, maxime ut homo vellet & deſideraret bonum : Sed hoc ipſum eſt gratiæ fœtus, juxta illud Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis, & velle & perficere* : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, ideo gratia ſufficiens datur, ut homo inchoate velit bonum, concedo: Perfecte, & per actum completum atque deliberatum, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Gratia ſufficiens ſeminat in nobis bonas voluntates, quæ ſunt in nobis ſine nobis, & vocantur bona deſideria. Efficax vero ea complet applicando nos actu ad bonum; quocirca habet actum cum voluntate conjunctum & de iſta loquitur Apoſtolus.

Solvuntur objectiones ex D. Auguſtino depromptæ.

OPPONES. S. Auguſtinus ſolam gratiam efficacem agnoſcit : Igitur cum ſit doctor gratiæ quem in hoc momento juxta ſummorum Pontificum placita audire debemus; gratiam ſufficientem cum ipſo abnegare neceſſe eſt. Probatur Ant. multis momentis, libro de prædeſt. SS. cap. 8. num. 13. ait gratiam a nullo corde quantumvis puro reſpui : " Hæc itaque ,, gratia, quæ oculte humanis cordibus, ,, divina largitate tribuitur, a nullo du- ,, ro corde reſpuitur. ,, Tum lib. de gratia Chriſti aſſerit gratiam efficacem operari in nobis & velle, & perficere : quinimmo lib. de correptione & gratia c. 12. num. 38. aſſerit eamdem gratiam dare poſſe bonum his verbis: " Si tanta in- ,, firmitate vitæ hujus.... ipſis relinque- ,, retur voluntas ſua, ut in adjutorio ,, Dei ſine quo perſeverare non poſſent, ,, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis ,, operaretur ut vellent; inter tot & tan- ,, tas tentationes infirmitate ſua volun- ,, tas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare ,, non poſſent. ,, Igitur ex mente Auguſtini non datur gratia ſufficiens, ut homo poſſit operari bonum & cui voluntas humana reſiſtere queat, cum gratia efficax cui non reſiſtitur, hoc ipſum faciat.

Reſpondeo 1. has & ſimiles B. Auguſtini auctoritates unum tantummodo probare dari gratiam efficacem, de qua ſæpius loquitur in variis Polemicis operibus adverſus Pelagianos; cum inter iſtos & ſe ipſum palmaris controverſia foret de gratia operis : Sed ſanctum doctorem non excludere gratiam ſufficientem, ex probationibus liquet, potiſſimum vero ex illa ſententia: *Perſeverares ſi velles*, cui prorſus ſimilis eſt iſta lib. de correp. & grat. cap. 12. *Manerent ſi vellent*.

Reſpondeo 2. negando Ant. Ad primam probationem diſtinguo, gratia efficax dat poſſe bonum completum & conjunctum cum actu, concedo : Excludit incompletum, quo præparatur voluntas a Domino, nego. De priori gratia loquitur in omnibus locis pro objectione laudatis: & ſic ſolvuntur omnes inſtantiæ.

Inſtabis : Homo per gratiam interiorem audit quid loquatur ei dominus : Sed illa ex S. Auguſtino eſt ſemper efficax, & nuſquam ſufficiens : Ergo &c. Probatur minor. Joan. 6. habetur : *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Quem locum expendens S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 8. ſic concludit : " Niſi nullus eſt qui audiat a Patre & ,, diſcat & non veniat .... profecto ,, omnis qui non venit, non audivit a ,, Patre, nec didicit. ,, Sed ſi daretur gratia ſufficiens, quandoque homo audiret, & non veniret, cum gratia ſufficiens in hypotheſi talis ſit naturæ, ut illi, & reſiſti poſſit, & de facto ſæpius reſiſtatur; Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, gratia qua Deus loquitur ad cor eſt efficax & nonnumquam etiam tantummodo ſufficiens ex mente ſanctus Auguſtini, concedo : ſemper efficax, nego. Ad probationem non abſimili modo diſtinguo, & eo loci S. Doctor loquitur de gratia efficaci, non excludendo ſufficientem, concedo, excludendo, nego. Ibi agit contra Monachos Adrumetinos qui in vitium verte-

bant

bant efficaciam gratiæ ab Auguſtino adverſus Pelagianos propugnatam : hinc controverſia tantum erat de illa gratia quam auctoritate B. Joannis confirmat contra ob ſtrepentes , qui nonniſi gratiam verſatilem , & a libero hominis arbitrio dependentem cum Semipelagianis in votis habebant : namque ex efficacia gratiæ inferebant , libertatis humanæ extinctionem . S. Doctor eſt ſui ipſius interpres ibidem num. 13. his verbis : " Multos venire ,, videmus ad filium ; quia multos crede- ,, re videmus in Chriſtum : Sed ubi & quo- ,, modo a Patre audierint hoc & didi- ,, cerint , non videmus . Nimirum gratia ,, iſta ſecreta eſt , gratiam vero eſſe quis ,, ambigat ? Hæc itaque gratia , quæ oc- ,, culte humanis cordibus divina largitate ,, tribuitur , a nullo duro corde reſpuitur . ,, Ideo quippe tribuitur , ut cordis duri- ,, tia primitus auferatur . ,, Audis Auguſtinum ibi ſolum movere quæſtionem de gratia operis .

Replicabis : Atqui ſanctus Præſul eo loci ita loquitur de gratia efficaci , ut omnem eliminet ſufficientem : Ergo &c. Probatur ſubſumptum . Ibidem num. 15. ſubjicit : " Qui autem non credunt , foris ,, audiunt , intus non audiunt neque diſ- ,, cunt . ,, Sed ſi daretur gratia ſufficiens , eaque interior , quidam interius audirent , & tamen aliquando non venirent , quod eſt contra S. Auguſtinum : Ergo &c.

Reſpondeo 1. negando ſubſumptum . Ad probationem diſtinguendo : qui non credunt foris audiunt comparative ad eos qui audiunt per gratiam efficacem , concedo : Abſolute loquendo , nego . Ex Concilio Trident. Spiritus ſanctus eſt ſolum aſſiſtens peccatori per gratiam ſufficientem , inhabitans vero per efficacem & habitualem . Qui igitur audit ſolum per ſufficientem , interius quidem audit , ſed eatenus forinſecus dicitur audire , quatenus Deus per illam pulſat ad cor , & ab eo quandoque etiam rejicitur : Sed ſenſus S. Doctoris non eſt hominem nullomodo audire interius per gratiam ſufficientem , cum ipſe de ſe loquens , lib. 8. confeſſ. cap. 11. num. 28. (vinculis concupiſcentiæ adhuc alligatus) ſed tamen gratia interiori , cui reſiſtebat , preſſus , dicebat : " Jactabam voces miſerabiles , ,, quamdiu ? Quamdiu ? Cras & cras : quare non modo ? Quare non hac hora finis ,, turpitudinis meæ ? ,,

Reſpondeo 2. ad eamdem probationem : & eo loci loquitur Auguſtinus in ſenſu oppoſito ſententiæ Pelagii , concedo : Explodendo gratiam ſufficientem qua præparatur voluntas a Domino , nego . Ibi S. Doctor argumentatur ad hominem . Pelagius nullam aliam præter legem admittebat gratiam : ſed hoc fieri non poſſe aiebat Auguſtinus , cum multi audiant legem , & non veniant : e contra vero qui audit per gratiam operis , de qua erat controverſia , ſemper venit , juxta illud Chriſti Joan. 6. *Omnis qui audivit a Patre & didicit , venit* . S. Auguſtinus eſt ſui ipſius interpres , quippequi ibidem cap. 8. num. 15. ſic loquitur : " Qui cre- ,, dunt prædicatore forinſecus inſonan- ,, te , intus a Patre audiunt atque ,, diſcunt ; qui autem non credunt , fo- ,, ris audiunt , intus non audiunt , neque ,, diſcunt : Hoc eſt , illis datur ut credant , ,, illis non datur . ,, Ecce quomodo de gratia operis ſolum ibi moveat quæſtionem S. Præſul .

Urgebis : S. Auguſtinus contendit eum nullo modo audire per gratiam , qui audit & non venit : Igitur in ejus ſententia non alia datur gratia præter efficacem : Probatur Ant. lib. de gratia Chriſti cap. 13. ait : Qui autem novit quidem quod fieri ,, debeat , & non facit , nondum a Deo di- ,, cit ſecundum gratiam , ſed ſecundum ,, legem ; non ſecundum Spiritum , ſed ſe- ,, cundum litteram . ,,

Rurſus : cap. 14. ſic loquitur : " Quan- ,, do Deus docet , non per legis litte- ,, ram , ſed per Spiritus gratiam ; ita do- ,, cet , ut quod quiſque didicerit , non tan- ,, tum cognoſcendo videat , ſed etiam vo- ,, lendo appetat , agendoque perficiat . ,, Ergo &c.

Reſpondeo negando Anteced. Ad probationem reſpondeo ut ſupra , S. Doctorem loqui in ſenſu oppoſito ſententiæ Pelagii : Revera quidem intus audire juxta Auguſtinum eſt obedire de facto inſpiratione ; ſic enim ſuam prodit mentem libro de bono perſev. cap. 19. " Aures ,, ergo audiendi , ipſum eſt donum obe- ,, diendi .

Replicabis . Pelagius admittebat gratiam poſſibilitatis , adeoque & ſufficientem : Igitur non aliam præter efficacem agnoſcit

Digitized by Google

Auguſtinus dum ait illum forinſecus audire, qui audit, & non venit.

Reſpondeo diſtinguendo, Pelagius admittebat gratiam poſſibilitatis a lege indiſtinctam, concedo: gratiam interiorem, nego. Hoc ipſum ex Auguſtino conſtat, qui lib. de gratia Chriſti cap. 10. ſic loquitur de Pelagio; " Quid maniſe„ ſtius eſt, nihil aliud eum dicere gra„ tiam qua Deus in nobis operatur velle „ quod bonum eſt, quam legem atque do„ ctrinam? „

Perſiſtes: de ea gratia loquitur ſemper Auguſtinus quam precibus a Deo expoſtulare debemus: Atqui S. Doctor ſemper mentionem facit de precibus Eccleſiæ, ubi tantum agitur de gratia operis: Igitur illam ſolum admiſit.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. S. Auguſtinus recurrit ad preces Eccleſiæ pro gratia efficaci obtinenda, non excludendo ſufficientem, concedo: illam non ſupponendo, nego. Movebat tantum controverſiam de gratia efficaci ſeu operis adverſus Pelagiauos illam negantes, ſed ſupponebat gratiam prævenientem, ſeu ſufficientem qua præparatur voluntas a Domino: quinimmo obdurati qui habent ſufficientem remotam, precibus quoque ex Auguſtino proximam debent expoſtulare. Ita Concilium Tridentiuum ſeſſ. 6. cap. 11. his verbis: " Deus impoſſibilia non ju„ bet, ſed jubendo monet, & facere quod „ poſſis, & petere quod non poſſis; & „ adjuvat, ut poſſis. „ Quod loquatur de gratia operis in ſenſu oppoſito ſententiæ Pelagii, argumentum eſt, quia ibi inſtituit quæſtionem ſolum de gratia efficaci. Hoc patet ex his quæ eodem capite octavo numer. 15. lib. de prædeſt. Sanct. dicit: " „ Quid ergo oramus pro nolentibus cre„ dere, niſi ut Deus in illis operetur & „ velle? „

Inſurges: gratia ſufficiens eſt adjutorium ſine quo, & quæ dat poſſe operari bonum; efficax vero, adjutorium quo fit actu bonum: Sed ſanctus Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 11. num. 31. aſſerit adjutorium ſine quo eſſe gratiam tantum ſtatus innocentiæ; alterum vero naturæ lapſæ; ſic enim loquitur: " Ta„ le quippe erat adjutorium *: ſtatus inno„ centiæ*, quod desereret, *nimirum A„ dam*, cum vellet, & in quo permane„ ret, ſi vellet; non quo fieret, ut vel„ let. „ Tum num. 34. " Ipſa adjutoria „ diſtinguenda ſunt; aliud eſt adjutorium „ ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt „ adjutorium quo aliquid fit, . . . Primo „ itaque homini, qui in eo bono quo fa„ ctus fuerat rectus, acceperat poſſe non „ peccare . . . . Nunc vero ſanctis in re„ gnum Dei per gratiam Dei prædeſtina„ tis, non tale adjutorium perſeverantiæ „ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia „ ipſa donetur. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Sanctus Auguſtinus adjutorium *quo* perſeverantiæ excludit a ſtatu innocentiæ, & ſolum pro ſtatu naturæ lapſæ admittit, non abjiciendo adjutorium *ſine quo*, concedo; illud abjiciendo, nego; Adjutorium *quo* duplex diſtinguitur; unum quidem ad actum ſupernaturalem ut ſic, alterum vero ad perſeverantiam finalem: Primum Adam habuit cum ut primum creatus eſt, ad Deum per amorem ſeſe converterit: & teſte Hugone a ſancto Victore, altiſſimo contemplationis Dei gradu donatus ſit: Qui quidem actus, teſte Div. Thoma, 1. 2. qu. 109. art. 2. non ſine gratia efficaci fiunt, propter creaturæ a Deo dependentiam, ſed caruit altero quo actu homo perſeverat finaliter in bono, e contra vero opitulatione gratiæ, mediatoris electi, non ſolum adjutorium ſine quo, ſed & quo actu uſque ad finem in bono perſeverent, etiam terrente mundo, & ſæviente diabolo, habent. Quod autem hic ſit genuinus Auguſtini ſenſus, ex duobus maxime patet: Primo quidem ex illo loquendi modo: *Nunc vero ſanctis &c.* Quibus verbis unum ſolummodo innuit S. Doctor ſcilicet quod electi impræſentiarum non ſolum habeant gratiam qua poſſint perſeverare; ſed qua de facto perſeverent. Secundo, quia a capite octavo uſque ad decimum quartum perpetuus eſt ſermo de gratia Adæ, & Chriſti: inter utramque vero hoc ſtatuit diſcrimen, quod gratia Adæ dederit illi ſolum poſſe perſeverare, Chriſti vero det & poſſe, & ſæpius actu perſeverare.

Replicabis: S. Doctor aſſerit gratiam Adami, quæ eſt noſtra ſufficiens, non omnibus dari in præſenti ſtatu; ſic enim loquitur ibidem, Cap. 11. ubi inſtituit quæſtionem de gratia Angelis data: " Nunc „ autem quibus deeſt tale adjutorium, jam „ pœna peccati eſt, quibus autem datur, „ ſecun-

„ ſecundum gratiam datur, non ſecundum „ debitum. „ Igitur nullam admittebat gratiam ſufficientem S. Auguſtinus pro ſtatu naturæ lapſæ.

Reſpondeo negando conſequentiam, quandoquidem eo loci S. Præſul loquitur de gratia efficaci bonorum Angelorum, qui vel ipſo teſte, cæteris cadentibus fuerunt magis adjuti: ex quo duo concludit, nimirum & gratuitatem gratiæ, & neminem abſque gratia efficaci, eaque ſpecialiſſima poſſe in bono perſeverare.

Inſtabis: S. Auguſtinus hanc ponit inter utrumque ſtatum diſcrepantiam quod primus Adam poſſet operari bonum ſi vellet, in præſenti vero propter concupiſcentiam non poſſit quin ſimul velit, qui quidem actus eſt ſolius gratiæ efficacis fœtus: Ergo &c.

Reſpondeo, S. Doctorem non ideo excludere gratiam ſufficientem, ut ex probationibus liquet, ſed eodem innixum principio contendere gratiam Mediatoris dare ſimul & poſſe, & actum; immo & finaliter vincere concupiſcentiam, quæ ad agonem uſque, ait teſte Tridentino, remanet.

Fit ſatis objectionibus, ex ratione prodeuntibus.

OBJICIES: Gratia ſufficiens non diſtinguitur a gratia poſſibilitatis Pelagii: Sed iſta, teſte S. Auguſtino, non erat vera gratia: Ergo &c. Probatur major. Illa gratia a gratia Pelagii non ſecernitur, qua poſita, altera prærequiruntur ad agendum: Sed poſita gratia ſufficiente, efficax ulterius prærequiritur, tam enim neceſſaria eſt ad agendum quam calamus neceſſarius ad ſcribendum. Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem. Ratio diſcriminis non una eſt: Prima quidem, gratia Pelagii in ſtatu etiam perfecto erat doctrina quæ nonniſi extrinſece & objective movebat voluntatem ad operandum: Secunda, non interius ſanabat voluntatem, at vero gratia Chriſti & movet intrinſece, & voluntatem ſanare incipit ſi non reſiſtat: juxta illud Dei Iſai. 5. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Dubio-procul vinea, ſeu homo non foret ex reſiſtentia culpabilis, ſi gratia moveret tantummodo extrinſece: cum enim gratia legis nihil ponat in re, & non adjuvet interius, manerent præcepta ſemper impoſſibilia, adeoque & peccatores excuſabiles cum tentationi cederent.

Ad probationem diſtinguendo, poſita gratia ſufficienti, ulterior ſcilicet efficax prærequiritur ut homo poſſit agere potentia conjuncta cum actu, concedo: ut poſſit agere in actu primo, nego. Oculi dant proxime poſſe videre; niſi accedat lumen, nuſquam erit viſio. Ergo ne oculi inutiles? Abſurdum prorſus dicere: Non diffitemur igitur gratiam ulteriorem neceſſariam eſſe, ſed ad actu agendum, ſicut calamus utilis eſt ad actu ſcribendum; utrumque igitur ſupponit actum primum & poſſe expeditum: hinc eſt perpetua allucinatio in objectionibus quæ unum tantummodo probant, nimirum gratiam efficacem dare poſſe conjunctum cum actu, quod non negamus.

Inſtabis: Gratia quæ dat proxime ad agendum movet & illuminat, prævenit & excitat, & ea præparatur voluntas a Domino: Sed iſta munia, ne quidem uno dempto, conveniunt gratiæ efficaci, ut paſſim docet S. Auguſtinus. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, iſta munia conveniunt gratiæ efficaci, ſed uberius & inferendo actum, concedo: ſecus, nego. Gratia ſufficiens & efficax præveniunt, movent & illuminant; ſed illa prævie & inchoative, iſta vero complete, & conjungendo actum cum potentia; & ſic non eſt paritas.

Inſurges, Illa gratia eſt inutilis quæ numquam habet effectum: Atqui ſic eſt gratia ſufficiens; ſi enim ſit ſola in anima, numquam operabitur homo. Ergo &c.

Reſpondeo retorquendo argumentum: intellectus & oculus ſe ſolis actum elicere non valent. Ergo inutiles ad effectum? abſit dicere.

Reſpondeo 2. diſtinguendo minorem: gratia ſufficiens nunquam habet effectum incompletum, nego. Completum, ſubdiſtinguo, ſi voluntas ei reſiſtat, concedo: ſi non reſiſtat, iterum ſubdiſtinguo, ſe ſola, concedo: ſi addatur gratia efficax, nego. Hæc eſt gratiarum actualium ſeries & œconomia: ſufficiens dat poſſe proximum per illuminationes & motiones interiores quæ fiunt in nobis ſine nobis: quæque vocantur actus primus, & in-

indeliberatus, de ſe tendens ad actum perfectum & deliberatum, puta ad contritionem, cui gratiæ humana poteſt reſiſtere voluntas, & de facto ſæpius reſiſtit: efficax dat poſſe conjunctum cum actu, & ita illuminat, atque movet, ut ſemper inferat actum. Iſti gratiæ poteſt etiam reſiſtere liberum arbitrium, juxta illam Concilii Tridentini definitionem can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum....* Neque poſſe diſſentire, ſi velit... *Anathema ſit*. Sed nuſquam reſiſtit.

Inſurges: Non datur gratia cui homo reſiſtat: Ergo &c. Probatur Ant. peccator hærens in ſolo præceptum adimplendi deſiderio nulli gratiæ reſiſtit, cum de facto experiatur & ſentiat bona deſideria a prima gratia ſeminata; Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, experitur deſideria & ulterius non progreditur contra intentionem Dei gratiam ſufficientem elargientis, concedo: & Dei voluntatem adimplet, nego. Deus, ut liquet ex probationibus, eo ſcopo dat gratiam ſufficientem, ut det & efficacem quam offert, ut producatur effectus completus: quem quidem impedit peccator reſiſtendo gratiæ ſufficienti, propter quam obnitentiam denegatur gratia efficax, hinc non fit converſio, qua de cauſa eſt culpabilis.

Replicabis: Atqui non eſt culpabilis peccator; ergo &c. Probatur ſubſumptum. Ille non eſt culpabilis qui non habet omnia prærequiſita ad adimplendum præceptum: Atqui cum ſola gratia quæ vocatur ſufficiens, non habet omnia prærequiſita ad præcepti adimpletionem: Et probatur multis momentis: Primo quidem ſine gratia efficaci non adimplebit, quam tamen promereri non poteſt, qua etiam conſequenter abſque culpa caret: Secundo, ad privationem gratiæ illius efficacis ſequitur omiſſio præcepti: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Et vero non obediens exhortationi, jam reus evadit: A fortiori non conſentiens gratiæ interiori ſufficienti eſt culpabilis.

Ad primam probationem diſtinguo, ſine gratia efficaci homo non implebit præceptum, & poteſt adimplere, concedo: & non poteſt, nego. Ideo igitur reus eſt teſte S. Thoma, quia poteſt operari bonum quod de facto non operatur, & ſua reſiſtentia propellit efficacem qua de facto præceptum adimpleret.

Ad ſecundam diſtinguo: ad privationem gratiæ efficacis ſequitur omiſſio actus propter reſiſtentiam gratiæ ſufficienti, concedo: ſecus, nego. Peccator poteſt non reſiſtere gratiæ ſufficienti, hoc eſt non ponere impedimentum, ſi vero de facto non reſiſtat, gratiam uberiorem quæ infert actum & converſionem habebit; licet igitur non poſſit iſtam advocare gratiam, poteſt tamen ex ſua propria malitia ejus impedire receptionem, & tunc ipſo facto evadit reus.

Iſta doctrina eſt Concilii Trid. ſeſſ. 6. cap. 13. his verbis: " In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere. "

Succinit, S. Auguſtinus lib. 2. de peccat. meritis & remiſ. cap. 17. num. 26. ubi ſic loquitur; " Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat.... Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates; qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo. "

Sanctus Thomas ſuum addit calculum lib. 3. contra gentes cap. 159. " Licet homo, *inquit*, per motum liberi arbitrii nec gratiam promereri poſſit, nec ad Deum converti, poteſt tamen ſe ipſum impedire ne eam recipiat, ut oſtenditur Job 21. & 24. Ideo non immerito imputatur in culpam ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni, quia Deus quantum eſt in ſe, paratus eſt omnibus gratiam dare, ut patet 1. Tim. 2. Illi autem ſoli privantur gratia, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant. Declaratur exemplo claudentis oculos, ſole mundum illuminante. "

Rurſus 1. 2. qu. 112. art. 3. ad 1. eamdem tradit ſolutionem his verbis: " Dicendum, quod gloſſa illa loquitur de illo, qui confugit ad Deum per actum meritorium liberi arbitrii jam per gratiam informati: quem ſi non reciperet, eſſet contra juſtitiam, quam ipſe ſtatuit. Vel ſi referatur ad motum liberi arbitrii ante gratiam, loquitur ſecundum quod ipſum confugium hominis ad

" Deum,

Digitized by Google

„ Deum , eſt per motionem divinam , „ quam juſtum eſt non deficere . „ Et ibid. ad 2. " Dicendum , quod defectus „ gratiæ prima cauſa eſt ex nobis : Sed „ collationis gratiæ prima cauſa eſt a Deo, „ ſecundum illud Ozeæ 13. perditio tua „ ex te Iſrael , tantummodo in me auxi- „ lium tuum . „

Eodem modo cæteri Theologi hanc graviſſimam ſolvunt difficultatem, divi Thomæ innixi principiis : inſtar omnium ſit Lherminier tractatu de gratia pag. 340. qui quidem in laxioris opinionis ſuſpicionem non venit : " Reſpondeo , *in-* „ *quit* , ad inſtantiam : hanc ratiocinatio- „ nem , quæ prima fronte aliquid roboris „ & momenti habere videtur , ruere pe- „ nitus ſi dicatur ex defectu & culpa ho- „ minis eſſe , quod , qui habet auxilium „ ſufficiens ad bene agendum , non ha- „ beat gratiam illam efficacem , inſuper „ neceſſariam ad quodlibet opus bonum . „ Exiſtimo autem hoc verum , quam „ quod veriſſimum eſt in certis Theo- „ logiæ principiis, ſcilicet aliquo ſenſu eſ- „ ſe in poteſtate hominis habere gratiam „ efficacem , non quod illa gratia detur „ meritis: gratia enim non ex operibus; „ ſed eo ſenſu quod ſi gratiæ ſufficientis „ motioni non reſiſteret, Deus qui ſince- „ re vult illum ſalvare, aliam gratiam ei „ ulterius daret; gratiam nempe per ſe ef- „ ficacem: hujus præſumptionis ne dicam „ certitudinis , hæc fundatiſſima ſunt „ momenta. „ Primum quia ex ipſo Apoſtolo Deus vult omnes homines ſalvos fieri: alterum quod Chriſtus ſit mortuus pro ſingulis hominibus; cujus quidem , voluntatis Dei & mortis Chriſti effectus , eſt gratia ſufficiens pro ſingulis .

Ad id vero quod dicitur neminem poſſe , aut promereri , aut advocare ſibi gratiam efficacem , diſtinguendo poſitive , concedo ; negative , nego . Priori modo advocare gratiam eſt actum ſupernaturalem elicere qui infallibilem habeat cum ea connexionem : negative vero , eſt non reſiſtere gratiæ ſufficienti , quia tunc Deus ex mera miſericordia paratus adjuvare , dat gratiam operis .

Inſtabis : Non reſiſtere gratiæ eſt ipſius gratiæ efficacis effectus : Igitur cum homo careat efficaci , quam ſuis innatis viribus nequit ſibi comparare , manebit ſemper ex lapſu inculpabilis ; & quidem propter duo . Primo , lapſus ſequetur ad privationem gratiæ efficacis quam promereri non poteſt . Secundo , in hypotheſi gratiæ ſufficientis evaderet magis reus , propter iſtam gratiam cui reſiſteret , maxime cum juxta aliquorum Theologorum placita , nuſquam habeat effectum : quis autem dixerit illam gratiam eo ſcopo dari , ut homo ſit magis culpabilis ?

Reſpondeo 1. cum Cardinali Noriſio in ſuis de gratia diſſertationibus , actus imperfectos , qualis eſt non reſiſtere gratiæ interiori , eſſe ipſius gratiæ ſufficientis fœtum , & ideo obtinens ſit magis reus , non defectu gratiæ , quæ tendit ut ad finem ad actum perfectum , ſed propter voluntatis rebellis malitiam : Solutio quoque colligitur ex D. Thoma qui 1. 2. quæſt. 106. art. 2. ad 2. ait : " Si quis poſt acce- „ ptam gratiam novi Teſtamenti pec- „ caverit , majori pœna dignus eſt , „ tanquam majoribus beneficiis ingratus , „ & auxilio ſibi dato non utens , nec ta- „ men propter hæc dicitur quod lex nova „ iram operatur , quia quantum eſt de ſe , „ ſufficiens auxilium dat ad non pecca- „ dum . „

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo : non reſiſtere poſitive gratiæ eſt ipſius gratiæ efficacis effectus , concedo : non reſiſtere negative , nego . Homo aliquo tempore poteſt reſiſtere tentationi & orare Deum ut habeat gratiam uberiorem , quam quidem miſericorditer dabit , ſi non ponat obicem cedendo tentationi ; & ſic in hominis poteſtate quodammodo eſt , ut & habeat gratiam efficacem , & tentationem vincat , non quod illam poſſit promereri , ſed quia non reſiſtendo gratiæ ſufficienti , illam præbebit Deus miſericors : Tum quia , inquit S. Thomas , quod per amicos poſſumus , per nos quodammodo poſſumus : Deus autem nedum amicus , ſed & Pater eſt miſericordiarum .

Ad primam probationem diſtinguo ad privationem gratiæ efficacis ſequetur lapſus defectu peccatoris, qui reſtitit gratiæ ſufficienti , concedo : ſequetur neceſſario , nego . Tametſi abſque gratia efficaci peccator non ſuperet tentationem , reus tamen evadit dum prævaricatur ; quia ex propria electione vult peccare ; & bonum apparens pluris facit quam verum . Et ſic ad ulteriorem probationem patet reſponſio .

Perſiſtes: Atqui gratia ſufficiens non ſatis virium confert ut homo vincat tentationem gravem: Igitur vel ipſa admiſſa, non evadit reus. Probatur ſubſumptum. Quandoque tentatio eſt ut octo; gratia vero ut duo: quinimmo omnes Theologi ultro concedunt obduratos gratiam ſufficientem nonniſi remotam habere: Sed nemo dixerit in hypotheſi tantum virium habere gratiam ſufficientem, quantum concupiſcentiam, ut compellat ad peccatum. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguendo minorem, gratia ſufficiens in hypotheſi non tantum virium habet ad ponendum actum converſionis, tranſeat; ad reſiſtendum tentationi, nego. Duo diſtinguenda & nuſquam obmittenda ſunt. Videlicet vires ex parte actus primi ad reſiſtendum tentationi; vires vero ex parte actus ſecundi, ut de facto & ſuperetur tentatio & ponatur converſio. Illum effectum ſine gratia efficaci non producit ſufficiens, bene vero poſſe reſiſtere tentationi; & hoc propter duo: Primo quidem ex eo quod omnis gratia ſufficiens & moveat, & elevet mentem ad Deum, quem illuminando oſtendit eſſe ſolum verum bonum: quocirca gratia quamtumvis inferioris gradus tantum habet virium ut inducat ad bonum, immo pluſquam quælibet concupiſcentia habet ad malum, eo quod concupiſcentia habeat ſolum pro objecto bonum apparens & finitum; gratia vero bonum verum & infinitum & conſequenter motivum ad converſionem omni bono apparenti præponderans, quinnimmo tangit cor & illud ſaltem, inchoative ſanat: unde non mirum ſi dicamus cum tota noſtra Angelica Schola gratiam ſufficientem dare poſſe proximum & expeditum ad agendum, atque ejus virtute hominem poſſe cuilibet reſiſtere tentationi: altera ratio ea eſt, quod quilibet peccator quantumvis concupiſcentia & agitatus & fortaſſe ab ea non ſemel victus immo & obduratus, cum gratia ſufficiente etiam debiliſſima, habeat poſſe proximum orare, & oratione gratiam ſufficientem uberiorem, tum & ad agendum efficacem advocare. S. Th. 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. hanc tradit doctrinam & ſic loquitur: " Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ. " In quo ſenſu quilibet tentatus & vinculis concupiſcentiæ conſtrictus habet poſſe proximum ſaltem mediate, ad reſiſtendum malo.

Hæc ſententia ſana prorſus diſcedit a Janſenio, qui propugnat in hypotheſi concupiſcentiæ ut octo, & gratiæ ſolum ut duo, neceſſario ſequi peccatum: e contra vero bonum, ſi delectatio cæleſtis terrenam in gradu ſuperat: quod non ſemel fuit a ſummis Pontificibus proſcriptum. At noſtra opinio eſt Concilii Trident. dicentis: " Deus impoſſibilia non " jubet, ſed jubendo monet ſeſſ. 6. cap. " 11. & facere quod poſſis, & petere " quod non poſſis; & adjuvat ut poſſis. " Et ſic patet ſolutio ad inſtantiam ex obduratis facta.

Replicabis: Si gratia ſufficiens dat ſemper poſſe proximum, tunc perpetuum erit æquilibrium inter gratiam ſufficientem & quamlibet concupiſcentiam quantumvis exardeſcentem; & ſic gratia non erit per ſe efficax, ſed ſolummodo dependenter a conſenſu gratiæ ſufficientis; quod ſane procul facit Angelica ſchola. Sed non poteſt admitti hujuſmodi æquilibrium, nec dici gratiam dependenter a conſenſu fieri efficacem: Ergo &c.

Reſpondeo negando utramque ſequelam: ut enim foret æquilibrium, gratia ſufficiens deberet non ſolum ex parte actus primi, ſed & actus ſecundi dare vires ut tentatus & poſſet ſuperare quamlibet concupiſcentiam, & de facto ſuperaret: porro ad actum ſecundum exigitur gratia efficax, & quidem per ſe; quippe quæ pro munere habeat perfecte ſanare voluntatem, & illam præmovere atque applicare ad bonum conjungendo actum cum potentia.

Inſurges iterum: Atqui his omnibus poſitis pro gratia ſufficiente data, & efficaci oblata; non conſtat hominem ſua culpa prolabi in peccatum: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Ille abſque ſua culpa peccat, qui gratia caret quæ non eſt in ejus poteſtate, & ſine qua peccabit; immo qua abſque ſua culpa privatur: Atqui in hypotheſi res ſic ſe habet: Et probatur. Primoquidem gratia efficax eſt in ſola Dei poteſtate. Secundo, homo illa ſæpius caret abſque ſua culpa; pueri quidem ſine Baptiſmo e vita migrantes; adulti vero propter occulta Dei judicia. Ita cenſet S. Auguſtinus de prioribus, epiſt. 217 ad Vitalem, ſic loquitur: " Quomodo " dicitur omnes homines eam fuiſſe

" acce-

,, accepturos, ſi non illi quibus nou donatur, eam ſua voluntate reſpuerent, quo-
,, niam *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, cum multis non detur parvulis, &
,, ſine illa plerique moriantur qui non ha-
,, bent contrariam voluntatem, & ali-
,, quando cupientibus, feſtinantibuſque pa-
,, rentibus, miniſtris quoque; volentibus
,, ac paratis Deo nolente non detur. „ De poſterioribus vero lib. 2. de peccatorum meritis & remiſ. cap. 5. num. 6. ait: " Cur autem illum adjuvet, illum non
,, adjuvet; illum tantum, illum autem
,, non tantum; iſtum illo, illum iſto mo-
,, do; penes ipſum eſt, & æquitatis tam
,, ſecretæ ratio, & excellentia poteſta-
,, tis. ;, Rurſus lib. 12. cap. 6. de civitate Dei loquens de duobus hominibus æqualiter circa aliquam mulierem affectis, quod unus cedat tentationi, alter vero non, dicit refundendum eſſe in judicia Dei. Ergo &c.

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum. Ex his enim omnibus ſequeretur, ſublata gratia ſufficiente, vel a fortiori ſola admiſſa efficaci, hominem nuſquam de culpa reum evadere, cum iſta nullomodo ſit in ejus poteſtate, & ſæpius illa careat: quocirca Dei præcepta peccatori ſemper eſſent impoſſibilia, quandoquidem ſolummodo per gratiam efficacem qua ut dictum eſt, ſæpius caret, & poſſe adimplere, & ipſum adimplere haberet. Quales conſequentiæ?

Reſpondeo 2. negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo primam partem minoris: gratia efficax eſt in poteſtate alterius, & Deus ſemper paratus eſt illam dare, ſi peccator non reſiſtat ſufficienti, concedo: ſin minus, nego. Igitur & culpæ & pœnæ reus fit, cum bonum non operatur, quippequi potens illud facere, ipſum ex voluntatis protervia omittit.

Ad alteram partem ejuſdem minoris nego hominem citra ſuam culpam carere gratia efficaci; pueris quidem qnandoque Deus denegat Baptiſmum ſed non poſitive at ſolum permiſſive ſinendo creaturas ſecundas pro ſuo more agere, unde ſi elapſa e tecto tegula occiditur puer ante Baptiſmum ſuſceptum, eſt per accidens: & hoc unum intendit S. Auguſtinus adverſus Pelagianos, qui volebant iſtis pueris denegari Baptiſmum propter futura demerita præſcita; cæteris vero conferri propter merita naturæ prævisa, quod conſtanter negat S. Doctor, aſſerendo propter peccatum originale priores excidere a Baptiſmo; poſteriores vero non habere gratiam converſionis & propter reſiſtentiam gratiæ ſufficienti, & in pœnam præcedentium peccatorum, & etiam quia præcedit elatio, & inobedientia negationem gratiæ efficacis, ſic ſuperbiam, ait, fuiſſe lapſus luciferi cauſam. Utrumque tamen, videlicet & denegationem baptiſmi pro parvulis, & gratiæ efficacis pro adultis peccantibus refundit ultimate in occulta Dei judicia: quomodo enim gratia denegetur uni & detur alteri? Exclamat Apoſtolus, ait, S. Aug. lib. 12. de civ. cap. 6. *O altitudo divitiarum &c.* Unum eſt de fide certum. Neminem a Deo derelinqui, niſi prius derelinquat Deum juxta illud Pſalmi 118. *Priuſquam humiliarer, ego dereliqui.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur gratia ſufficiens.

PRIMO: Habetur Iſai. 5. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ & non feci?* Et 2. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea*, ad compeſcendum carnis ſtimulum colaphizantem.

Secundo: Concilia eamdem prædicant veritatem: Senonenſe quidem ann. 1528. decreto 15. tum Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 11. his verbis: " Deus impoſſibilia non
,, jubet . . . Adjuvat ut poſſis. ,, Concinunt Patres: Juſtinus Reſp. 9. ad qn. Orthodox. Chryſoſtom. hom. 7. in cap. 1. Joan. Auguſt. lib. 6. Conf. cap. 3. nu. 5. & ſequent. S. Thomas 1. 2. quæſt. 106. art. 2. ad 2.

Tertio: Ratio ſuffragatur. Deus vult omnes & ſingulos homines ſalvos fieri, nec deficit in neceſſariis: Igitur dat gratiam ſufficientem qua homo ſuam poſſit operari ſalutem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Chriſtus quidem Joan. 8. ait, Judæis, *quo ego vado, vos non poteſtis venire*, ſed loquitur ex præſcientia eorum

obdu-

obdurationis, nuſquam vero ab eis gratiam qua poſſent ſuam operari ſalutem excludendo, cum increpet Jeruſalem Matth. 23. quod noluerit ſub ejus alas congregari: & Act. 7. S. Stephanus eoſdem de reſiſtentia Spiritui ſancto reprehendat.

Secundo: Non negamus S. Aug. dicere lib. de prædeſt. Sanct. cap. 8. gratiam a nullo corde reſpui, ſed eo loci ſermonem de efficaci inſtituit, de perſeverantia vero finali, quæ habet mortem cum charitate conjunctam, cum ſcribit gratiam inſuperabiliter movere.

Tertio: Gratis replicant Novatores ut gratiam ſufficientem exſufflent, neminem poſſe gratiæ reſiſtere, cum ei non ſemel reſiſtat peccator, ut habetur Act. 7. immo vel ipſi efficaci poteſt in ſenſu diviſo reſiſti.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num detur gratia efficax?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura ſacra.

VETUS Teſtamentum hanc innuit veritatem: Jerem. 30. habetur: *Applicabo eum, & accedet ad me*. Ezech. 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Concinit novum Teſtamentum. Chriſtus Joan. 6. ſic loquitur: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Philipp. 2. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere*. Sed applicare ad actum; ſed facere ut aliquis in præceptis Dei ambulet; ſed eumdem trahere ad Deum, ſed Deum ipſum in eo operari & velle, & perficere, indigitat gratiam admodum efficacem, quæ dicitur gratia operis, quæque peccatorem inter deſideria boni hærentem determinat ad bonum de facto faciendum. Igitur datur gratia efficax.

Secundo, ex Conciliis.

CONCILIA Africana & alia adverſus Pelagianos adunata illam operis gratiam magnificant; de ea quippe potiſſimum erat controverſia inter Eccleſiam & Heterodoxos, inſtar omnium ſit Arauſicanum ſecundum quod Can. 4. adverſus Semipelagianos obſtrepentes, ita loquitur: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto, per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas a Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*. Rurſus cap. 9. *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur*. Audis *Deus in nobis*, ecce gratia efficax & applicans ad opus; *atque nobiſcum*, ecce gratia adjuvans & cooperans. Obſerves velim Semipelagianos initium boni operis tribuiſſe naturæ, actus vero perfectionem & conſummationem gratiæ verſatili per naturam determinandæ ad actum. Utrumque impugnat Concilium definiendo Deum, & initium actus operari, cum ait,: *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur*. Et per iſtam vocem, *nobiſcum*, oſtendit perfectionem actus eſſe a gratia efficaci quod & innuit in priori loco ubi ait: *Si quis, &c.*

Tertio, ex ſanctis Doctoribus.

PRIMUS occurrit S. Auguſtinus qui lib. de correp. & grat. cap. 12. num. 38. ait: „ Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret. „ Rurſus lib. de prædeſtin. SS. cap. 8. “ Hæc itaque gratia „ quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. „ En gratia a ſufficiente prorſus diſtincta, immo & efficaciſſima.

Celebris eſt locus ex lib. de gratia & lib. arbitr. excerptus, ubi S. Præſul variis exquiſitiſque Scripturæ ſacræ auctoritatibus probat dari gratiam nedum efficacem, ſed & efficaciſſimam, eamque ad actus ſalutis eſſe neceſſariam, ſic loquitur cap. 16. num.

num. 32. " Certum eſt enim nos man-
,, data ſervare, ſi volumus: ſed quia præ-
,, paratur voluntas a Domino, ab illo pe-
,, tendum eſt ut tantum velimus, quan-
,, tum ſufficit ut volendo faciamus. Cer-
,, tum eſt nos velle, cum volumus: ſed
,, ille facit ut velimus bonum, de quo
,, dictum eſt, quod paulo ante poſui,
,, *præparatur voluntas a Domino*: de quo
,, dictum eſt, *a Domino greſſus hominis*
,, *dirigentur & viam ejus volet*: De quo
,, dictum eſt, *Deus eſt qui operatur in no-*
,, *bis & velle*. Certum eſt nos facere,
,, cum facimus: ſed ille facit, ut facia-
,, mus, præbendo vires efficaciſſimas vo-
,, luntati, qui dixit, *faciam ut in juſti-*
,, *ficationibus meis ambuletis, & judicia mea*
,, *obſervetis & faciatis*. Cum dicit, *fa-*
,, *ciam ut faciatis*: quid aliud dicit, niſi
,, *auferam a vobis cor lapideum*, unde non
,, faciebatis; *& dabo vobis cor carneum*,
,, unde faciatis? ,, Certe eo loci, S. Doctor non loquitur de gratia verſatili qualis eſt ſufficiens, ſed de potentiſſima qualis eſt efficax, addo & per ſe efficax ut in decurſu Tractatus ex profeſſo probabitur.

Huic accedit S. Proſper qui carmine de ingratis, cap. 15. eandem prædicat gratiam, his verſiculis.

> *At vero omnipotens hominem cum gratia ſalvat,*
> *Ipſa ſuum conſummat opus: cui tempus agendi*
> *Semper adeſt quæ geſta velit, non moribus illi*
> *Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.*

Suffragatur S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 2. ubi ſic loquitur: " Secundum au-
,, tem utrumque ſtatum natura humana
,, indiget auxilio divino ad faciendum,
,, vel volendum quodcumque bonum . .
,, . . . Sic igitur virtute gratuita ſuper-
,, addita virtuti naturæ indiget homo in
,, ſtatu naturæ integræ quantum ad u-
,, num, ſcilicet ad operandum & vo-
,, lendum bonum ſupernaturale; ſed in
,, ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo,
,, ſcilicet ut ſanetur, & ulterius, ut bo-
,, num ſupernaturalis virtutis operetur
,, quod eſt meritorium; ulterius autem in
,, utroque ſtatu indiget homo auxilio di-
,, vino, ut ab ipſo moveatur ad bene agen-
,, dum. ,, Eo loci S. Doctor gratiam efficacem admittit pro ſtatu naturæ integræ, ad operandum propter dependentiam creaturæ a Deo, ut a primo movente & applicante: eamdem vero pro ſtatu naturæ læſæ & propter dependentiam, & propter peccati ægritudinem. Hoc eſt, ut ſanetur, tum ut bonum ſalutis operetur.

Quarto, ex ratione, eaque multiplici.

PRIMA: Gratia operis illa eſt quæ convertit de facto infidelem; non enim gratia ſufficiens, cui ſæpius reſiſtitur, ſe ſola hunc habet effectum: Atqui talis gratia datur; juxta illud Apoſt. 1. ad Theſſ. 1. *Converſi eſtis ad Deum a ſimulacris, ſervire Deo vivo, & vero*. Et iſtud 1. Petri 2. *Vos autem genus electum . . . . Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum*. Ergo &c.

Secunda; Gratia quæ facit facere, quæ affert fructum & dat in bono perſeverantiam eſt vere efficax: Atqui talis datur juxta illud Joan. *Poſuit vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*. Ergo &c.

Tertia demum ſic proponitur: gratia quæ vincit omnem tentationem quantumvis gravem eſt efficax, juxta illud Chriſti Matth. 7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Sed datur hujuſmodi gratia dicente Apoſt. 1. Cor. 10. *Faciet etiam cum tentatione proventum ut poſſitis ſuſtinere*. Ergo &c.

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Omnis gratia non eſt, niſi dependenter a voluntatis conſenſu efficax: ſed hujuſmodi gratia nihil eſt aliud præter ſufficientem: igitur non datur gratia vere efficax. Probatur major. proverb. 1. *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*. Rurſus Matth. 20. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*. Rurſus Joan. 15. *Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Act. 7. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*. Rurſus 2. ad Cor. 6. *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam dei recipiatis*.

De-

Demum Apocalyp. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo, & hæc omnia loca allata præter gratiam efficacem probant dari ſufficientem, concedo: non dari efficacem, nego. Hoc ipſum liquet ex probationibus ubi eadem ſcripturæ auctoritate probavimus dari gratiam quæ facit facere, applicando ad actum. Unde nego conſequentiam.

Inſtabis. Gratia quæ eſt in poteſtate liberi arbitrii, eſt tantum ſufficiens: ſed omnis gratia eſt in poteſtate liberi arbitrii, juxta illud Joan. 5. 4. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Item Ezechiel. 33. *Convertimini a viis veſtris peſſimis*. Item Zachar. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum: & convertar ad vos*. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, omnis gratia eſt in poteſtate liberi arbitrii quantum ad unum, concedo: quantum ad efficaciam & ſui infuſionem, nego. Nam utraque gratia ſufficiens, ſcilicet & efficax eſt in nobis, ſine nobis, teſtante facundo Concilio Arauſicano Can. 9. *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis operatur*. Tum & juxta illud Proverb. 19. ſecundum verſionem 70. *Præparatur voluntas a Domino*. Inchoative quidem & ex parte actus primi per gratiam ſufficientem, complete vero & ex parte actus ſecundi per efficacem: jam vero ſi ſit ſermo de uſu utriuſque gratiæ, dicendum eatenus eam eſſe in noſtra poteſtate, quatenus & liberrime utrique contentimus, & utraque adjuti libere bonum operamur; ſed dubio procul non ſenſus eſt hominem ſuam actu operari ſalutem, cum ſola gratia ſufficiente, & ſic apprime explicantur ſcripturæ oracula; ſolutionem non obſcure indicat ſacra Synodus Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. " In ,, ſacris litteris, cum dicitur, converti- ,, mini ad me, & ego convertar ad vos; ,, libertatis noſtræ admonemur. Cum re- ,, ſpondemus; converte nos Domine ad te, ,, & convertemur; Dei nos gratia præve- ,, niri confitemur. ,,

Perſiſtes: Poſita gratia vere efficaci, multa ſequuntur abſurda; ſed hujuſmodi procul facienda ſunt. Ergo &c. Probatur ſequela, jam inutiles forent exhortationes ad virtutem, tum & correptiones, atque comminationes, ut homines a malo perpetrando deterrerentur: quinimmo agerentur in deſperationem ſalutis peccatores. Et probatur. Quiſque poterit dicere ſi quando habuero gratiam efficacem, jam legem adimplebo, ſin minus e contra. Ergo &c.

Reſpondeo 1. hujuſmodi objectiones eſſe Semipelagianorum querelas adverſus gratiam efficacem quam prædicabat S. Auguſtinus, ut patet ex epiſtolis SS. Hilarii & Proſperi ad S. Doctorem, tum ex libro ſancti Præſulis de dono perſev. cap. 15. maxime vero ex libro de corrept. & gratia cap. 4. ubi ſic alloquuntur Auguſtinum: " Præcipe mihi quid faciam: & ſi fece- ,, ro, age pro me gratias Deo, qui mi- ,, hi ut facerem dedit: ſi autem non fe- ,, cero, non ego corripiendus ſum, ſed ,, ille orandus eſt, ut det quod non dedit, ,, ideſt, ipſam, qua præcepta eius fiunt, ,, fidelem Dei & proximi charitatem. ,, Neque tamen S. Aug. ceſſavit propugnare gratiam nedum efficacem, ſed & efficaciſſimam, maxime vero in libris de gratia & libero arbitrio, de prædeſt. SS. & de dono perſever. quos eo ſcripſit ſcopo, ut gratiæ efficacis a ſufficiente prorſus diſtinctæ propugnaret energiam; quæque ſalva exhortationis & correptionis Lege recte defenditur.

Reſpondeo 2. retorquendo argumentum: eædem prorſus difficultates, & ne dicam graviores, in altera occurrunt ſententia quæ propugnat gratiam tantummodo evadere efficacem, per propriæ voluntatis conſenſum, cum Deus illam confert in circumſtantiis amicis prius prævifis: quaſi vero, quod abſit dicere, peccator pro executione, afferre poſſet, ſi dediſſes mihi gratiam in circumſtantia congruentiori, egiſſem pœnitentiam, ſed ad iſtam replicam dicit Apoſtolus Rom. 9. *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo! . . . An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Igitur datur gratia efficax, & quidem a ſufficiente entitative diſtincta.

Reſpondeo 3. Nulla ex præcedentibus rationibus, pro gratia efficaci ſequi abſurda propter duo: primoquidem ex eo quod detur gratia ſufficiens quæ dat poſſe operari

Lo-

bonum, porro, *teſte S. Auguſt.* qui poteſt facere, & non facit, inexcuſabilis eſt: Secundo eo ipſo quo datur gratia ſufficiens, ſimul & offertur efficax: Igitur & exhortatio, & correptio utiles admodum ſunt, ut peccator non reſiſtat gratiæ ſufficienti, & habeat efficacem; quocirca non eſt deſperationis motivum, cum homo ſua culpa careat auxilio efficaci, ut ſalutem conſequatur, juxta illud Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael*. Iiſdem argumentis fuſo calamo fecimus ſatis, ubi de præſcientia Dei & de decretis præmoventibus actitatum eſt. Non abs re tamen erit, aliqua hic texere SS. Auguſtini & Thomæ loca, quibus elucidetur ſolutio. Ille lib. de corrept. & grat. cap. 6. refundit lapſum hominis in ejus culpam, his verbis: " Nec „ attendunt, ſi nondum regenerati ſunt, „ primam eſſe cauſam, cur objurgati „ quod ſint inobedientes Deo, ſibi debeant diſplicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non eſt iniquitas apud Deum. „ Ac per hoc prima pravitas qua Deo „ non obeditur, ab homine eſt; quia ex „ rectitudine, in qua eum Deus primitus „ fecit, ſua mala voluntate decidens, „ pravus effectus eſt. An vero ideo pravitas iſta corripienda non eſt in homine, quia non ejus propria qui corripitur, ſed communis eſt omnibus? Immo „ vero corripiatur & in ſingulis, quod „ eſt omnium. Non enim propterea cujuſquam non eſt, quod ab ea nullus immunis eſt.... Si autem jam regeneratus „ & juſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certe iſte non poteſt dicere non accepi: quia acceptam gratiam „ Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio. Igitur ex S. Auguſtino culpa originalis & malitia propria, ſunt lapſus cauſæ.

Tum lib. de dono perſever. ſubmovet deſperationis prætextum increpando peccatores quod ſub fucato præſcientiæ Dei motivo libertati, ut falſo putant adverſanti, torpori, & concupiſcentiæ ad malum operandum cedant. Tum cap. 17. pronuntiat quemlibet caſtum eſſe poſſe, ſi velit; & ſic loquitur: " Quem caſtum futurum „ eſſe præſcivit, quamvis id incertum „ habeat, agit ut caſtus ſit: ita ille quem „ caſtum futurum prædeſtinavit, quamvis „ id incertum habeat, non ideo non agit „ ut caſtus ſit. „

Sanctus Petrus epiſt. 2. cap. 1. hanc eamdem præoccupat objectionem, his verbis: *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*. Unde auctor operis de vocatione Gent. lib. 2. cap. 36. ad pacandos animos inquietos, hæc profert: " Quamvis quod ſtatuit „ Deus, nulla poſſit ratione non fieri, „ ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec „ per electionis propoſitum liberi arbitrii devotio relaxatur: cum implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, ut per laborem operum, „ per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: & quia bona geſſerint, non „ ſolum ſecundum propoſitum Dei, ſed „ etiam ſecundum ſua merita coronentur. „

Sanctus Thomas, non abſimili modo prædictis facit ſatis objectionibus 2. 2. quæſt. 2. art. 5. " Dicendum, *inquit*, quod ſi „ in poteſtate hominis eſſe dicatur, aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt „ ſine gratia reparante: ſicut ad diligendum Deum & proximum; & ſimiliter „ ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ, „ quod quidem auxilium quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur. „ Quibus autem non datur, ex juſtitia non „ datur, in pœnam præcedentis peccati, „ & ſaltem originalis peccati; ut Auguſtinus dicit in lib. de correptione & „ gratia. „

Replicabis. S. Auguſtinus ſolum gratiam ſufficientem agnoſcit quæ evadit efficax per conſenſum: Igitur proprie loquendo non datur gratia efficax. Probatur antecedens lib. de Spiritu & Littera cap. 34. ſic loquitur: " Nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. „ Rurſus lib. 12. de civitate Dei cap. 6. cur ex duobus æqualiter affectis circa unam mulierem, unus cedat tentationi, alter vero non, „ hanc reddit rationem: " Unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere. „ Quæ quidem reſponſio non valeret, ſi ad ſuperandam tentationem requireretur gratia intrinſece efficax.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem dico, auctoritates prædictas & ſimi-

ſimiles unum tantummodo probare, videlicet hominem manere liberum ſub dominio cujuſcumque gratiæ: ſed non inde ſequi gratiam ulteriorem præter ſufficientem non requiri ad actum, ut dictum eſt ſupra: Igitur homo poteſt cum gratia ſufficiente quodlibet bonum, ſed non actu operabitur, niſi accedat efficax. S. Auguſtinus hunc ipſe prodit ſenſum cum ibidem refundat in judicia Dei quod unus conſentiat tentationi, alter vero diſſentiat.

Inſtabis: Si gratia ulterior requiratur præter ſufficientem, non erit verum dicere Deum velle ſincere ſalutem ſingulorum hominum, & Chriſtum mortuum eſſe pro ſingulis, cum talis voluntatis, atque mortis effectus ſit gratia ſufficiens, efficax vero multis denegetur: ſed utrumque eſt contra Auguſtinum. Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem. Et vero voluntas beneplaciti ſeu ſincera Dei de ſalute hominum duplex eſt, antecedens ſcilicet & conſequens. Priore vult Deus in genere omnium ſalutem; poſteriore vero, hoc eſt, attentis omnibus circumſtantiis, nonniſi bonos vult ſalvari. Similiter Chriſtus promeruit gratias pro ſingulis & ſufficientes & efficaces; ſufficientes dat de facto omnibus; efficaces vero offert: quocirca reſiſtentes ſufficienti ſua culpa carent efficaci, & a ſalute excidunt.

Inſtabis. Gratia efficax ignota fuit ſanctis Patribus ne lædatur libertas; ſed S. Auguſtinus non eſt contrarius Patribus qui illum præceſſere. Ergo &c. Probatur major. S. Irenæus lib. 4. cap. 48. Clemens Alexandr. lib. 7. Stromatum. Et Cyrillus Alex. lib. 3. contra Julianum docent Deum noſtras non præcedere voluntates ne lædatur liberum arbitrium: ſimilia prædicant Ambroſ. lib. 2. de Abraham cap. 10. Hilarius in illa verba Pſalm. 118. *Inclina cor meum*. Tum vero Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos, his verbis: " Quod „ rogaturi noſtrum incipere, illius per- „ ficere; noſtrum offerre quod poſſumus, „ illius implere quod non poſſumus. „ Ergo &c.

Reſpondeo 1. opponendo Patres Patribus. Ex Græcis Irenæus lib. 4. cap. 70. ait: " „ Gratuito quidem donat, ſcilicet Deus „ in quos oportet, ſecundum autem me- „ ritum digniſſime diſtribuit adverſus in- „ gratos non ſentientes benignitatem ejus, „ juſtiſſimus diſtributor. „ Gregorius Naz. orat. 31. ſic effatur: " Voluntas quoque „ ipſa, & electio eorum, quæ recta & „ cum officio conjuncta ſunt, divinum „ quoddam beneficium eſt, atque a Dei „ benignitate manans. Idcirco, ait, non „ volentis, ideſt, non ſolum volentis nec „ currentis ſolum, ſed etiam miſerentis „ Dei. Itaque quoniam velle quoque ip- „ ſum a Deo eſt, optimo jure totum Deo „ aſſignavit. „ Non diſſentit Baſilius in liturgia: " Dona Domine virtutem ac „ tutamentum, malos, quæſumus, bonos „ facito, bonos in bonitate conſerva, om- „ nia enim potes, & non eſt qui contra- „ dicat tibi: quod enim volueris ſalvas, „ & nullus reſiſtit voluntati tuæ. „ Sed totum eſſe a Deo; ſed Deum cuncta perficere, ita ut nullus ejus reſiſtat voluntati, eſt gratia admodum efficax: Igitur Patres Græci non abnuunt gratiam efficacem, immo & efficaciſſimam, De Patribus Latinis non eſt relictus ambigendi locus, ut ex probationibus claret.

Reſpondeo 2. Patres priorum ſæculorum, maxime Græcos, nullam ex profeſſo moviſſe quæſtionem de gratia efficaci, cum nondum ortus eſſet Pelagianiſmus; unde nonniſi obiter de ea loquuti ſunt; quocirca nihil roboris eorum auctoritas detrahit ab efficacia gratiæ. Sic ſolvit argumentum S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 14. num. 27. his verbis: " Quid igitur opus „ eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui „ prius quam iſta hæreſis oriretur, non „ habuerunt neceſſitatem, in hac difficili „ ad ſolvendum quæſtione verſari? Quod „ procul dubio facerent, ſi reſpondere ta- „ libus cogerentur. Unde factum eſt, ut „ de gratia Dei quid ſentirent, breviter „ quibuſdam Scriptorum ſuorum locis & „ tranſeunter attingerent: immoraren- „ tur vero in eis, quæ adverſus inimicos „ Eccleſiæ diſputabant, & in exhorta- „ tionibus ad quaſque virtutes, quibus Deo „ vivo & vero pro adſcribenda vita æter- „ na, & vera felicitate ſervitur. „

Repones: Gratia efficax tollit libertatem: Igitur non eſt admittenda. Probatur ant. Poſita gratia efficaci, homo non poteſt non agere: Ergo &c.

Reſpondeo negando ant. Ad probationem diſtinguo, non poteſt non agere in ſenſu compoſito, concedo: in ſenſu diviſo, nego. Senſus compoſitus eſt potentia conjuncta cum actu: certum eſt autem v. g. ſeden-

dentem eodem tempore non poſſe non ſedere; ita & qui operatur, non poteſt ſimul non operari: diviſus vero ille eſt cum potentia ſpectatur ſecundum ſe, & ut recipiens gratiam. In illo priori poteſt non agere, poteſt enim rejicere gratiam juxta illud Tridentini ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium a Deo motum & excitatum . . . non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit*.

Solutio eſt etiam S. Ambroſii qui epiſt. 84. ad Demetriadem ſic loquitur: " An „ forte verendum eſt ne liberum tollere „ videamur arbitrium, cum omnia per quæ „ propitiatur Deus, ad ipſum dicimus eſſe referenda? Quod nequaquam eſſe „ conſequens veritatis oſtenditur. Operante enim Spiritu Dei juvatur arbitrium, „ non aufertur & hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus „ ebria . . . non remaneat in languoribus „ ſuis, ſed per opem miſerentis Medici „ curata revaleſcat, & gaudeat ſe non interrogantem edoctam, & non quærentem eſſe quæſitam. „

Inſtabis: Alio modo ſe habet potentia ſecundum ſe conſiderata, alio modo cum gratia ſecundum ſe & in abſtracto ſpectata: poteſt quidem non agere; alias ſecundum ſe ſpectata poſſet ponere actum ſine gratia efficaci: Igitur in quocumque ſenſu poſita gratia efficaci, non poteſt non agere.

Reſpondeo diſtinguendo, alio modo ſe habet potentia quæ ultimate completur per gratiam efficacem ad agendum, concedo: quia non poteſt non agere, nego. Voluntas humana poteſt conſiderari quadrupliciter: Primo ſecundum ſe & ſine gratia ulla; & ſic habet potentiam remotam ad agendum ſupernaturaliter, ſeu eſt apta ad hoc. Secundo cum gratia ſufficiente; & ſic eſt proxime præparata ad faciendum bonum: Tertio cum gratia efficaci, & ſic eſt ultimate completa ad ponendum actum: Quarto dum actu agit, & operatur bonum. Poteſt autem non agere in primo, in ſecundo & tertio ſtatu conſiderata. In primo quidem, quia eſt de ſe inclinata ad malum & libera. In ſecundo, quia gratia ſufficiens ſolum excitat ad bonum. In tertio etiam, quia voluntas poteſt non ſequi determinationem gratiæ efficacis & ad aliud ſe convertere. In quarto denique ſeipſam cum gratia determinavit, & actu operatur libere: dico libere, ideo enim operatur, quia elegit & voluit operari: Igitur ubique manet liberrima.

Replicabis: Voluntas creata poteſt ſolum reſiſtere gratiæ quando offertur non vero quando datur actu: ſed ad libertatem requiritur quod voluntas poſſit actu reſiſtere gratiæ, alias non haberet potentiam ad actum vel non actum. Igitur non eſt libera cum gratia efficaci, quippe quæ non poſſit reſiſtere quum actu confertur.

Reſpondeo 1. negando majorem; voluntas enim mota per gratiam ex Concilio Tridentino, poteſt conſentire, vel diſſentire, ſi velit.

Reſpondeo 2. diſtinguendo ſecundum partem majoris, voluntas non poteſt reſiſtere quando actu datur gratia in ſenſu compoſito, concedo: in ſenſu diviſo, nego. Hæc eſt autem & ſuavitas, & œconomia gratiæ: Datur duplex præmotio, una ſcilicet moralis, eaque principalis cauſa, cum ibi agatur de actu morali. Altera phyſica, namque actus moralis eſt ſimul & vitalis atque phyſicus: Porro nemo non novit voluntatem motam moraliter poſſe diſſentire etiam in ſenſu compoſito gratiæ moralis ſi velit, hoc eſt, quum actu datur: Præſuppoſita igitur voluntatis deliberatione & electione, quæ fit ſub dominio huiuſmodi gratiæ, tunc præmotio phyſica advenit & jungit actum cum potentia; in qua quidem circunſtantia vel ipſa voluntas eſt libera; maxime propter duo: Primo quidem ex eo quod libere conſentiat gratiæ excitanti & ſuadenti: deinde vero quia poſſit ceſſare ab actu & contrarium operari, quod noſtri Thomiſtæ explicant, ſic diſtinguendo: poſita præmotione phyſica, homo non poteſt non agere potentia futuritionis, concedo: ad hoc enim neceſſe foret jungere ſimul actum cum non actu: potentia poſſibilitatis, nego: quandoquidem ab actu poteſt ceſſare:

Inſtabis: Ut ſit libertas in ſenſu compoſito, requiritur ut voluntas poſſit non agere etiam in ſenſu compoſito, quia potentia etiam agens actu manet ſemper libera: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, requiritur ut poſſit non agere in eodem inſtanti materialiter ſumpto, concedo: in eodem inſtanti

ſtanti formaliter ſpectato, nego. Inſtans menſurans actionem poteſt conſiderari dupliciter, materialiter ſcilicet & ſecundum ſe, tum & formaliter quatenus ipſam menſurat actionem: in inſtanti priori modo conſiderato voluntas poteſt non agere, quatenus ceſſare poteſt ab actu: ſed non in inſtanti poſteriori modo ſpectato, alias actus & non actus eſſent ſimul, quod manifeſtam implicat contradictionem.

Perſiſtes ex S. Auguſtino lib. de correctione & gratia cap. 8. & paſſim lib. de prædeſt. SS. gratia efficax movet inſuperabiliter & indeclinabiliter: Igitur eo ipſo quo datur & recipitur in anima, voluntas non poteſt non agere.

Reſpondeo diſtinguendo, gratia efficax ut ſic, movet indeclinabiliter, nego. Gratia efficax perſeverantiæ & ſecundum quod dicit quid extrinſecum a nobis independens & afferens mortem in tempore quo homo eſt in gratia, ſubdiſtinguo, præciſe ut dicit quid extrinſecum, ſcilicet providentiam ſpecialem mortem eum gratia conjungentem, concedo: ut ſolam gratiam interiorem, & efficacem importat, nego.

Repones: Atqui etiam gratia efficax ſecundum ſe ſpectata movet indeclinabiliter: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. A nullo corde duro reſpuitur: " Ideo enim datur, *inquit Auguſtinus*, ut cordis duritia primitus auferatur. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: a nullo corde reſpuitur, & poteſt reſpui, concedo: ſecus, nego. Non enim hoc dicit ſanctus Præſul, immo in multis locis conqueritur quod gratiæ divinæ multi reſiſtant; immo lib. de corr. & grat. cap. 8. ait voluntatem eſſe liberrimam ſub dominio vel ipſius gratiæ finalis ſeu perſeverantiæ, qua Martyres, ſævientibus mundo & diabolo, victores evaſere. Poteſt etiam dici quod gratia efficax ut ſic, moveat indeclinabiliter, ſed ſecundum quid & in ſenſu compoſito, dico ſecundum quid, quia etiam præmotioni morali poteſt quiſquis reſiſtere in ſenſu compoſito, immo & phyſice cum datur, & in priori quam applicet potentiam ad actum; tum & quando actu applicat, quatenus liberum eſt voluntati ab actu cœpto ceſſare.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur gratia efficax.

Primo: Eam gratiam paſſim ſacra Scriptura ſubindigitat. Sic habetur Jerem. 30. *Applicabo eum, & accedet ad me*. Sic Ezech. 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Sic Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui me miſit, traxerit eum*.

Secundo: Eamdem annuntiat veritatem Concilium Arauſicanum II. can. 9. his verbis: " Quoties enim bona agimus Deus „ in nobis atque nobiſcum ut operemur operatur. "Succinunt SS. Patres; in primis „ S. Aug. in multis locis, ut lib. de corr. & gr. cap. 8. dicens gratiam movere indeclinabiliter: Tum lib. de gr. & lib. arb. cap. 16. n. 22. " Quia, *ait*, præparatur „ a Domino, ab illo petendum eſt, ut „ tantum velimus quantum ſufficit ut vo„ lendo faciamus.

Tertio: De hoc momento S. Th. 1. 2. qu. 109. art. 2. ſic ait: natura infirma indiget Dei auxilio ad bonum ſalutis operandum ut ſanetur, elevetur & applicetur ad actum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET RESPONSIONUM.

Primo: Tametſi requiratur humanæ voluntatis conſenſus ad actum, opus eſt tamen ut prius a cauſa prima moveatur: quia debet reduci de potentia ad actum a primo motore qui eſt ſemper in actu.

Secundo: Gratia efficax eſt quidem ab homine independens, eam tamen advocare poteſt non reſiſtendo gratiæ ſufficienti; eo enim ipſo quo Deus iſtam elargitur ut homo poſſit bonum, alteram offert ut illud faciat.

Tertio: Dato & non conceſſo, gratiam efficacem inſuperabiliter movere, hoc enim ſoli perſeverantiæ finali tribuitur; non inde ſequeretur liberi arbitrii læſio, quandoquidem iſta efficacia nonnihil etiam a voluntate creata, quæ libere gratiæ attrahenti cedit, promanat.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum detur gratia habitualis.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

HABETUR Levit. 11. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum...* Pſal. 81. *Ego dixi Dii eſtis*. Joan. vero cap. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Rurſus Rom. 8. *Si autem filii, & hæredes*. Et iterum ibid. *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*. Et Joann. epiſt. 1. cap. 4. *Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Jeſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo*. Sed homo non eſt Deus per participationem niſi per gratiam ſanctificantem, quæ, teſte S. Petro, eſt vel ipſa Dei naturæ participatio, ſic enim ait epiſt. 2. cap. 1. *Per quem magna & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*. Sed eadem gratia homo fit Filius Dei adoptivus ſimul & hæres: ſed Deus nonniſi per eamdem gratiam inhabitat animæ, illamque formaliter ſanctificat: Igitur ex ſacris Scripturis datur gratia habitualis.

Secundo, ex Conciliis.

ARAUSICAMUM II. eamdem indicat gratiam, maxime vero Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. de juſtificatione adverſus Proteſtantes, qui quidem eam non infuſione gratiæ ſanctificantis, ſed ſolummodo mera peccatorum tectione fieri propugnabant " Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem „ juſtificatio ipſa conſequitur; quæ non „ eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & „ ſanctificatio, & renovatio interioris ho„ minis per voluntariam ſuſceptionem „ gratiæ & donorum. Unde homo ex „ injuſto fit juſtus, & ex inimico ami„ cus, ut ſit hæres ſecundum ſpem vi„ tæ æternæ. Hujus juſtificationis cauſæ „ ſunt; finalis quidem, gloria Dei, & „ Chriſti, ac vita æterna... Formalis cau„ ſa eſt juſtitia Dei, non qua ipſe eſt juſtus, „ ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet „ ab eo donati nos renovamur ſpiritu men„ tis noſtræ; & non modo reputamur, „ ſed vere juſti nominamur, & ſumus, „ juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſ„ que ſuam ſecundum menſuram, quam „ Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout „ vult, & ſecundum propriam cujuſque „ diſpoſitionem. „ Eo loci Patres loquuntur de gratia quæ datur ſecundum diſpoſitiones, gratia actuali adjuvante, ſactas; & ad quam dona cætera ſicut proprietates ad eſſentiam conſequuntur: ſed gratia ſic delineata non eſt alia quam habitualis: Ergo &c.

Tertio, ex ratione eaque multiplici.

PRIMA ſic ſe habet. De fide eſt multos eſſe juſtos: ſed ex S. Ambroſio juſtitia in omni gratiarum ſupellectili ad gratiam habitualem conſequendam ſita eſt: Ergo &c.

Secunda: Juſtus non eſt tranſeunter juſtus, nam Patriarchæ & Prophetæ erant amici Dei; erant & primi Chriſtiani, juxta illud Apoſt. ad Epheſ. 2. *Sed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei*. Atqui hoc non habetur ex natura quæ eſt de ſe corrupta, neque ex gratia actuali, quæ datur ad actionem tranſeuntem, quæque ipſa tranſit: Igitur a gratia habitualiter ſanctificante.

Tertia hæc eſt: Homo eſt elevatus ad finem ſupernaturalem ad quem debet eſſe habitualiter converſus: ſed hæc habitualis converſio fit per gratiam in anima relictam, alias non poſſet producere hunc effectum permanentem: Igitur datur gratia habitualis & ſanctificans.

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Homo nihil eſt, juxta illud Pſal. 38. effatum: *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te*. Et tamen David erat amicus Dei: Igitur videtur quod non detur gratia ſanctificans; ſin minus homo eſſet aliquid, immo aliquid magnum.

Reſpondeo diſtinguendo, homo nihil eſt comparative ad Deum, concedo; namque in immenſum excedit Deus omnem creaturæ juſtitiam etiam ſupernaturalem, in quo quidem ſenſu idem Propheta Pſal. 142. ait: *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. Homo nihil eſt abſolute in ſe & per donum gratiæ, nego.

Inſtabis: Ille non eſt juſtus per gratiæ ſan-

ſanctificantis donum, cujus vel ipſa juſtitia eſt inquinata: Atqui talis eſt ſanctitas hominis, juxta illud Iſaiæ 64. *Quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ*: Rurſus. *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*. Quod dicitur univerſaliter de omnibus hominibus, nimirum tam de juſtis, quam de peccatoribus: Igitur non datur gratia habitualis & ſanctificans.

Reſpondeo diſtinguendo, juſtitiæ legales & exteriores quæ apud homines ſolum ponderantur, ſunt ut pannus menſtruatæ, concedo: juſtitiæ a gratia interiori procedentes, nego. Reprehendit Propheta juſtitias fucatas Judæorum, qui ad litteram non ad ſpiritum attendebant; quod quidem vitium etiam redarguit Chriſtus in Phariſæis, qui ore confitebantur Deum, factis autem negabant: juſtitiæ autem interiores dant veram ſanitatem, juxta illud Jerem. 15. *Sana me Domine & ſan. bor*.

Inſiſtes: Habetur Thren. 3. *Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti*. Quod utique vel de ipſis juſtis profert: ſed ſi daretur gratia ſanctificans, homo ex juſtitia ſalvaretur, quia gratia daret jus ad gloriam: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, miſericordia ſalvantur homines eo quod Filius Dei non tenebatur hominem redimere, & a maſſa perditionis eripere; quia prima gratia a qua totius meriti principium oritur, eſt mere gratuita, concedo: quia non datur gratia ſanctificans, nego. Suppoſita igitur prima gratia, homo poteſt habere gratiam habitualem, & factus amicus Dei per juſtificationem promereri gloriam ex juſtitia: ait enim Apoſtolus 2. ad Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus Judex, non ſolum autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus*.

Perſiſtes: Si daretur gratia ſanctificans, non remanerent concupiſcentia & paſſiones: Atqui remanent etiam in baptizatis & juſtificatis: Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem, ſanctitas enim non conſiſtit in eo quod extinguantur paſſiones & fomes peccati, namque ut ait S. Thomas quod fuit inquinatum, non poteſt non fuiſſe inquinatum & corruptum, ſed in eo quod deleantur peccata, quod concupiſcentia minuatur, quod homo ſit gratus Deo, & ejus amicus, immo & filius. Cæterum juſtificatio, ut perperam contendunt Proteſtantes, in mera peccatorum tectione non ſita eſt, & hoc patet ex Pſalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*, ait David. Tum: *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*. Ibi cette Pſalmiſta loquitur de lotione animæ & non corporis.

Replicabis: Luc. 2. Angeli in ſuo canunt hymno Deum alloquentes: *Tu ſolus ſanctus*. Saltem Eccleſia hæc adjunxit hymno: igitur homines etiam juſti non ſunt Sancti, & conſequenter non datur gratia ſanctificans.

Reſpondeo diſtinguendo, ſolus Deus eſt ſanctus per eſſentiam, quippe qui totius ſanctitatis fons & origo, concedo: ſolus ſanctus per excluſionem ſanctitatis participatæ a creaturis, nego: namque ipſe vult quod ſimus ſancti, juxta illud Levit. 11. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur gratia habitualis & ſanctificans.

PRIMO: Id probatur ex ſacra Scriptura; legitur enim Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Rurſus Rom. 8. *Si autem filii, & hæredes*. Porro certum eſt nos gratia habituali & formaliter ſanctificante filios Dei fieri, & regni cæleſtis hæredes evadere.

Secundo: Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. mira de hoc momento eloquitur, ubi de juſtificatione tractans, ait: " Non eſt ſola ,, peccatorum remiſſio, ſed & ſanctifica- ,, tio & renovatio interioris hominis per ,, voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & ,, donorum. ,,

Tertio: De fide eſt multos extitiſſe habitualiter juſtos, ut legitur de Patriarchis, de Prophetis, de Apoſtolis & aliis innumeris quos Eccleſia in albo Sanctorum repoſuit: ſed tales erant per gratiam: igitur datur gratia habitualis & ſanctificans.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Fatemur hominem ex ſe nihil eſſe, quippe qui ex nihilo creatus, ad nihilum tum naturæ, tum peccati perpetuo tendat, ſed gratia ſit Dei adoptivus Filius.

Secundo: Remanet quidem etiam in rena-

natis concupiſcentia, ſed ad exercitium; non enim peccatum eſt, donec ei cedat homo.

Tertio: Recte quidem Angeli canunt Deo Luc. 2. *Tu ſolus ſanctus*: quippe qui ſolus talis ſit per eſſentiam, homines vero nonniſi per participationem ſancti ſint & nominentur.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum detur gratia perſeverantiæ finalis.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis argumentis.

PRIMUM ſic proponitur: Illud eſt gratia, & quidem perſeverantiæ finalis, quod rapit hominem, ne ſi diu vivat pervertatur, & pereat in æternum improborum malitia: Atqui talis datur gratia; ſic enim habetur Sap. 4. de quodam juſto: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Ergo &c. Quod autem hoc ſit gratia, manifeſte patet, cum Deus non faciat taliter omni nationi, teſte Propheta, immo nequidem omnibus juſtis; quot enim a bono cœpto deficiunt! Jam vero perſeverantia dicit firmam in operibus bonis propter Deum ſumme dilectum conſtantiam. Profecto amor iſte ſuperat omnem conatum & ſolius gratiæ fœtus eſt.

Secundum: Nomine perſeverantiæ finalis intelligimus conjunctionem mortis cum gratia; ſed illud ipſum abſque gratia perſeverantiæ non habetur, eſt enim donum ſpeciale, quatenus reddit mortem Deo gratiſſimam, dicente Propheta Pſalmo 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Hoc de fide definit Concilium Trid. ſeſſ. 6. can. 22. his verbis: *Si quis dixerit juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.*

Tertium: Gratia, teſte Apoſtolo Rom. 6. eſt vita æterna, eaque finalis & conſummata: ſed per perſeverantiam juſtus habet vitam æternam, ſic enim ſcriptum eſt Heb. 11. 33. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Igitur datur gratia perſeverantiæ.

Quartum: Ab actu ad poſſe valet conſequentia, ſed de facto multi inter juſtos, quales fuere Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & Virgines ad finem uſque, & in fide, & in charitate perſeverarunt etiam terrente mundo & ſæviente diabolo, quod fieri non potuit abſque magna gratia: Igitur datur perſeverantia finalis quæ eſt gratia, immo ſpecialis & maxima. Hoc ipſum probat S. Ambroſius lib. de bono mortis, tum & ſanctus Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OPPONES: Quod eſt debitum non eſt gratia: ſed perſeverantia finalis, quæ, teſte S. Auguſtino lib. de dono perſ. cap. 1. eſt ipſa vitæ æternæ aſſequutio, debetur homini. Et probatur. Primo quidem ex eo quod homo ſit ad Dei imaginem, quæ prototypo conjungi expoſtulat, ſecundo finis debetur cuilibet creaturæ: ſed poſſeſſio Dei eſt hominum finis: Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad primam probationem diſtinguo, homo eſt ad imaginem Dei imperfecte, ſcilicet per intellectum, per voluntatem & memoriam, concedo: modo ſupernaturali, ſubdiſtinguo, per gratiam, concedo: ſine gratia, nego. Creaturæ inanimatæ ſunt veſtigia Dei, homo vero quia ſpiritualis, eſt imago Dei ſecundum ſua naturalia, ſed imperfecta, viva quidem ſed per gratiam; quocirca gloria non illi debetur, ſed eſt ſumma gratia, & conſequenter perſeverantia.

Ad alteram probationem ſimiliter diſtinguo, Deus poſſeſſus eſt finis hominis ſupernaturalis & indebitus, concedo: proportionatus, naturalis & debitus, nego. Cognitio Dei abſtractiva per creaturas eſt finis hominis nedum proportionatus, ſed & naturalis, iſtum habuiſſet ſuis viribus homo in ſtatu naturæ puræ: at vero viſio intuitiva eſt finis excedens & vires & merita naturæ: Igitur eſt ſumma gratia ejus aſſecutio, ſeu perſeverantia finalis.

Inſtabis: Si homini non daretur ex debito poſſeſſio Dei intuitiva, deterioris foret conditionis ipſis belluis, quæ viribus innatis ſuos aſſequuntur fines: abſurdum conſequens: ergo & antecedens.

Reſpondeo negando ſequelam propter duo: primo quidem ex eo quod homo in puris

conditus ſuam potuiſſet viribus innatis aſſequi beatitudinem, quod autem impræſentiarum non poſſit aſſequi vel ipſam beatitudinem naturalem, quæ ſita eſt in cognitione Dei ut auctoris naturalis abſtractiva ab ejuſdem amore, eſt per accidens: Et vero peccati fomes impedit quominus homo abſque gratiæ auxilio poſſit diligere Deum perfecte etiam ut auctorem naturæ. Altera ratio ea eſt, quod idem homo ſit elevatus ad finem ſupernaturalem. Equidem abſque gratia illum aſſequi non valet, ſed illi non deeſt in neceſſariis. Cæterum creatura rationalis etiam in libertate excedit belluas, quippe quæ ſint ad unum determinatæ, homo vero eſt liberrimus; nam & cum electione agit & reflectit atque diſcurrit, ſuper ipſam reflexionem, atque de ea judicat, quod eſt irrefragabile libertatis & immortalitatis animæ argumentum.

Urgebis: Perſeverantia eſt virtus moralis, aut ad ſummum gratiæ actualis & habitualis fœtus, maxime cum vitæ æternæ aſſequutio juſtis debeatur, dicente Apoſtolo 2. ad Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, juſtus Judex: non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.*

Reſpondeo diſtinguendo, perſeverantia incompleta & ad tempus in bono a virtute perſeverantiæ & gratia ordinaria tum actuali, tum habituali promanat, concedo: perſeverantia completa & finalis, nego. Non diffitemur juſtum aliquo tempore poſſe in bono perſeverare, ſed dubio-procul, ſecluſo dono ſpeciali, non perſeverabit finaliter, ut liquet ex probationibus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur gratia perſeverantiæ finalis.

PRIMO: Iſtud Sap. 4. prolatum de juſto oraculum: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, annuntiat gratiam perſeverantiæ: Tum iſtud Pſalm. 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.*

Secundo: Hoc ipſum de fide definivit Synodus Trid. ſeſſ. 6. can. 22. his verbis: *Si quis dixerit juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.*

Tertio: Ab actu ad poſſe valet conſequentia; ſed conſtat Sanctos, quorum Eccleſia celebrat feſtivitatem, ultimum in gratia & charitate clauſiſſe diem, ſin minus vel ipſa Eccleſia, quæ illos cæleſti gloria donatos declaravit, in momento Religionis graviſſimo erraſſet, quod non poteſt dici: Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Eſto quod gloria ſit juſto debita, ſed, ſuppoſita prima gratia, quæ eſt indebita: ſed ad illam habendam requiritur perſeverantia finalis quæ non cadit ſub meritum.

Secundo: Licet homini perſeverantia non debeatur, non inde ſequitur eum eſſe vel brutis animantibus deterioris conditionis, cum illi concedatur ex miſericordia ſimul & magnificentia finis ſupernaturalis, quæ in ipſa Dei poſſeſſione ſita eſt.

Tertio: Perſeverantia virtus non gratia extraordinaria cenſetur, ſed ſpecialiſſima eſt finalis; quippe quæ mortem cum charitate in æternum conjungat.

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA DE ESSENTIA GRATIÆ IN GENERE.

POST quæſtionem an ſit & detur gratia, petitur quid ſit. Probata igitur divinæ gratiæ exiſtentia, ordo rerum poſtulat ut de ejus eſſentia ſeu natura tractemus. Quia vero gratia ut nomen ipſum ſonat, dicit quid gratuitum, de iſta prærogativa, in qua quidem omnes gratiæ conveniunt & adunantur, agendum incumbit. Hoc ipſum negabant Pelagiani, ſed contra quod dicit Apoſtolus 1. Cor. 4. *Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*

Dogma de gratuitate gratiæ quatuor potiſſimum mediis probatur.

PRIMO: Quia poſſibilis eſt ſtatus naturæ puræ in quo quidem homo nullam habuiſſet gratiam.

Secundo: Quia gratia eſt ſolius miſericordiæ effectus.

Tertio: Quia Patres Dioſpolitani non aliter ſenſerunt.

Quarto: Nec ipſe Zoſimus Papa in congreſſu cum Cæleſtino.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ſtatus naturæ puræ ſit poſſibilis?

NEGANT Baius, & poſt ipſum Janſenius. Hanc hic movemus quæſtionem, quæ ad probandam gratiæ gratuitatem plurimum conducit. Et vero ſi Deus hominem in puris & ad finem tantummodo naturalem potuit condere, ſequitur gratiam eſſe mere gratuitam.

Antequam ad concluſionem veniamus, obſervandum eſt ſtatum eſſe conditionem firmam, qua homo vivit ſecundum leges ſibi præſcriptas, & eſt juris ſui: ſtatus in quo homo vixit uſque ad Moiſen, dicitur ſtatus naturæ, eo quod tunc ſine lege ſcripta non tamen ſine gratia viveret: a Moiſe ad Chriſtum uſque, dicitur ſtatus legis ſcriptæ, a Chriſto demum uſque ad nos, ſtatus legis gratiæ.

Status alio modo uſurpatur. Primo quidem pro ſtatu naturæ innocentis. Ille eſt in quo homo fuit conditus cum omni gratiarum ſupellectili, & dicitur etiam ſtatus naturæ ſanæ & integræ; quia ad perfectionem nihil deerat homini. Poſt peccatum fuit ſtatus naturæ lapſæ, in quo Adam ſpoliatus omnibus donis, adverſantibus illi concupiſcentia, & paſſionibus, ingemiſcebat. A Chriſto Mediatore dicitur ſtatus naturæ reparatæ, ea potiſſimum ratione quod Dominus Jeſus jus amiſſum ad gloriam nobis miſericorditer reſtituerit.

Præter iſtos ſtatus, cogitatur alter, qui dicitur ſtatus naturæ puræ. In illo homo fuiſſet conditus ſine gratia ſupernaturali & ſine peccato, cum perfectionibus mere naturalibus, ad finem quoque tantum naturalem ordinatus, viſionem tamen Dei abſtractivam habuiſſet: In eo quoque fuiſſent concupiſcentia naturalis & aliæ naturæ appendices, ſed ordinatæ. Multa quidem ignoraſſet, at eorum ſcientiam labore & induſtria potuiſſet comparare, & ſic, inquit Auguſtinus, *ediſcendo proficere*, his prælibatis ſit

CONCLUSIO.

Status naturæ puræ eſt poſſibilis.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

ECCLI. 17. habetur: *Deus creavit de*

terra hominem . . . . & ſecundum ſe veſtivit ipſum virtute . Luc. 10. homo dicitur ſpoliatus a latronibus . Rurſus 1. ad Corinth. 4. *Quid autem habet quod non accepiſti ? Si autem accepiſti , quid gloriaris , quaſi non acceperis ?* Rurſus . *Gratia Dei ſum id quod ſum* . Et Rom. 6. *Gratia autem vita æterna* .

Si homo veſtitus eſt virtute : Igitur virtus non erat illi naturalis , quia ſolum veſtitus poteſt ſpoliari veſtibus , & de facto Adam dicitur ſpoliatus a latronibus , ideſt a peccato originali & paſſionibus , quæ in ſenſu morali recte dicuntur latrones : ſi gratia diſcernit , ita ut non poſſit homo gloriari , & de ſuis præſumere viribus , jam gratia non eſt debita : Igitur homo potuit condi in puris . Si gloria eſt gratia : Igitur non eſt quid debitum , adeoque homo potuit abſque injuria & offendiculo creari ad finem mere naturalem , qui quidem ſtatus , nomine naturæ puræ celebratur .

Secundo , ex decretis S. Pii V. & Gregorii XIII. ſummorum Pontificum .

ISTI Papæ varias Baii proſcripſere propoſitiones , inter quas hæc eſt ſeptima : *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera ; ſed juxta modum loquendi Scripturæ ſacræ non recte vocantur gratia ; quo fit ut tantum merita , non etiam gratia debeant nuncupari* . Igitur iſta contradictoria ſola eſt catholica : *Primi hominis integritas eſt gratia* . Damnata eſt & XXI. his expreſſa terminis : *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ , debita fuit integritati primæ conditionis , & proinde naturalis dicenda eſt , & non ſupernaturalis* . Damnata utique legitur iſta quæ eſt XXVI. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio , ſed naturalis ejus conditio* . Rurſus & iſta : *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem , qualis nunc naſcitur , ideſt , deſtitutum juſtitia originali & gratia ſanctificante* : Igitur iſtæ ſolum propoſitiones ſunt veræ : *Humanæ naturæ ſublimatio in conſortium divinæ naturæ , non fuit debita naturæ humanæ : ſublimatio non eſt naturalis* . Igitur Deus potuit condere hominem in ſtatu naturæ puræ , hoc eſt , & ſine juſtitia originali & abſque gratia ſanctificante , quandoquidem propoſitiones iſti contradictoriæ proſcriptæ fuerunt .

Tertio , ex S. Auguſtino ejuſque rationibus .

S. AUGUSTINUS plurimum noſtræ ſuffragatur ſententiæ , maxime lib. 3. de libero arbitrio , ubi revincit Manichæos , qui duo admittebant prima principia , alterum bonorum , quod & optimum vocabant , alterum vero malorum quod & peſſimum nominabant . Enimvero ne Deus foret auctor mali , cunctos naturæ defectus tum phyſicos , tum morales refundebant in aliud principium . Eos debellat ſanctus Doctor propugnando unicum eſſe Deum , cunctaque mala in creaturam legitime refundi : quam quidem Provinciam variis adimplet argumentis hic cap. 20. 22. & 23. Eo loci diſtinguit quatuor ſtatus animarum . Primum , in quo animæ naſcerentur ex una peccatrice . Secundum , in quo ex nullo præexiſtente creato naſcerentur abſque peccati labe ; ſubditæ tamen ignorantiæ & difficultati ad operandum bonum . Tertium , in quo infunderentur in corporibus corruptis quibus conjungerentur . Quartum denique in quo proprio pondere propriaque inclinatione prolaberentur in ejuſmodi corpora .

De primo ſtatu ſic loquitur S. Auguſtinus cap. 20. n. 56. " Deinde ſi una anima facta eſt , ex qua omnium hominum animæ trahuntur naſcentium ; quis poteſt dicere non ſe peccaſſe , cum primus ille peccavit ? Sicut autem ſingillatim fiunt , in unoquoque naſcentium , non eſt perverſum , immo convenientiſſimum & ordinatiſſimum apparet , ut malum meritum prioris , natura ſequentis ſit ; & bonum meritum ſequentis , natura prioris ſit . "

De ſecundo ibidem ſic habet : " Si ergo altera talis eſſe cœpit , non ſolum ante peccatum , ſed ante omnem vitam ſuam , qualis alia poſt vitam culpabilem facta eſt , non parvum bonum habet , unde conditori ſuo gratias agat : quia ipſe ortus ejus & inchoatio quovis perfecto corpore eſt melior . Non enim mediocria bona ſunt , non ſolum quod anima eſt , qua natura jam omne corpus præcedit , ſed etiam quod facultatem habet , ut adjuvante Creatore ſeipſam excolat , & pio ſtudio poſſit omnes acquirere & ca-

,, pere

„ pere virtutes, per quas & a difficulta- „ te cruciante & ab ignorantia cæcan- „ te liberentur. Quod ſi ita eſt, non erit „ naſcentibus animis ignorantia & diffi- „ cultas ſupplicium peccati, ſed proficien- „ di admonitio, & perfectionis exordium; „ non enim ante omne meritum boni ope- „ ris parum eſt accepiſſe naturale judicium, „ quo ſapientiam præponat errori, & quie- „ tem difficultati, ut ad hæc non naſcen- „ do, ſed ſtudendo perveniat. Quod ſi „ agere noluerit, peccati rea jure tenebi- „ tur, tanquam quæ non bene uſa ſit ea „ facultate, quam accepit. Quanquam e- „ nim in ignorantia & difficultate nata „ ſit, non tamen ad permanendum in eo „ quod nata eſt aliqua neceſſitate compri- „ mitur: neque omnino potuit, niſi Deus „ omnipotens eſſet etiam talium Creator „ animarum, quas & non dilectus ipſe fa- „ ciat, & diligens eas reficiat, & dile- „ ctus ipſe perficiat: qui & non exiſtenti- „ bus præſtat ut ſint, & amantibus eum a „ quo ſunt, præſtat ut beatæ ſint. „

De tertio ibid. n. 57. ait: “ Si vero in „ Dei aliquo ſecreto jam exiſtentes animæ „ mittuntur ad inſpiranda & regenda cor- „ pora ſingulorum quorumque naſcentium, „ ad hoc utique mittuntur officium, ut „ corpus quod de pœna peccati, hoc eſt, „ mortalitate primi hominis naſcitur, be- „ ne adminiſtrando, ideſt, caſtigando per „ virtutes, &c.

De quarto ibidem nu. 58. ſic ſcribit: “ „ Si autem alibi animæ conſtitutæ non „ mittuntur a Domino Deo, ſed ſua ſpon- „ te ad inhabitanda corpora veniunt; fa- „ cile eſt jam hoc videre &c. „ Ex his multa eruuntur argumenta pro poſſibilitate ſtatus naturæ puræ.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Divus Augustinus in his omnibus revincit Manichæos oſtendendo in nulla e quatuor hypotheſibus Deum fore aut peccati, aut alicujus vitii auctorem: non quidem in primo ſtatu, anima quippe ex altera peccatrice procreata, haberet pro peccato contracto cauſam creatam. In tertio creatura utique eſſet peccati tranſmiſ- ſi & communicati principium, corpus ſcilicet corruptum, quod ex conjunctione cum anima ipſam fœdaret. In quarto voluntas propria animæ de ſe ultro cum corpore corrupto conjungendæ, eſſet peccati prima origo, ejuſque cauſa: unde in his hypotheſibus non eſſet culpandus Creator: ſed ex S. Auguſt. neque foret in ſecunda, in qua ſcilicet anima naſceretur abſque peccato, tametſi ignorantiæ & difficultati ad bonum ſubdita, maxime quia perfectio omnis & plena, non cito-citius debetur in ordine morali, modo alias natura ſit phyſice perfecta: ſed in iſta hypotheſi perfecte delineat ſanctus Præſul ſtatum naturæ puræ, illumque admittit, ſin minus perfecte non revinceret Manichæos, qui replicarent Deum bonum non eſſe hujuſce ſtatus auctorem propter defectus illi annexos: Igitur ex S. Auguſt. ſtatus naturæ puræ eſt poſſibilis; cum in illo ex eodem S. Doctore homo adjuvante Creatore, ſuam potuiſſet conſequi beatitudinem: “ Quanquam enim *ait*, in „ ignorantia & difficultate nata ſit, non „ tamen ad permanendum in eo quod „ nata eſt aliqua neceſſitate comprimitur: „ neque omnino potuit, niſi Deus omni- „ potens eſſet etiam talium Creator ani- „ marum, quas & non dilectus ipſe faciat, „ & diligens eas reficiat, & dilectus ipſe „ perficiat, qui & non exiſtentibus præ- „ ſtat ut ſint, & amantibus eum a quo „ ſunt, præſtat ut beatæ ſint. „

Non in uno ſed in multiplici argumento eamdem urget rationem contra Manichæos Auguſtinus in libro de dono perſeverantiæ cap. 11. ubi ſic loquitur: “ Etſi „ verum eſſet quod dicunt Pelagiani, igno- „ rantiam & difficultatem, ſine quibus „ nullus homo naſcitur, primordia non „ ſupplicia eſſe naturæ, vincerentur ta- „ men Manichæi qui volunt duas, ſcili- „ cet boni & mali coæternas naturas. „ Rurſus lib. 1. retract. cap. 9. n. 6. clarius ſe explicat his verbis: “ Ignorantia & dif- „ ficultas etiam ſi eſſent hominis primor- „ dia naturalia; nec ſic culpandus, ſed „ laudandus eſſet Deus. „ Jam vero, quare vincerentur adhuc Manichæi in hypotheſi quod ignorantia & difficultas ad bonum, forent hominis primordia, niſi quia omnis ſcientia, & ad bonum ſupernaturale facilitas non ſunt humanæ naturæ debita, adeoque in ſtatu naturæ puræ homo creari potuit. Quorſum non culpandus eſſet Creator, niſi quia in tali ſtatu homo haberet quidquid exigeret ſtatus naturæ puræ? Ergo &c.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

IN illo ſtatu abſque ulla inconvenientia potuit homo creari in quo anima foret corpore præſtantior, multiſque donaretur virtutibus quibus & in perfectione creſcere, & ſeſe excolere poſſet, ut ad ultimum perveniret finem, unde quidquid ignorantiæ & difficultatis ab bonum in tali foret ſtatu, in Creatore non argueret defectum; ſicque per omnia vincerentur Manichæi in iſta hypotheſi. Atqui ex S. Auguſt. lib. 3. de liber. arbitr. nu. 56. res ſic ſe haberet in ſtatu naturæ puræ, ſic enim loquitur: "Unde Conditori ſuo gratias agat; „ quia ipſe ortus ejus & inchoatio quo- „ vis perfecto corpore eſt melior. Non „ enim mediocria bona ſunt, non ſolum „ quod anima eſt, qua natura jam omne „ corpus præcedit, ſed etiam quod facul- „ tatem habet, ut adjuvante Creatore ſe- „ ipſam excolat, & pio deſiderio poſſit „ omnes acquirere & capere virtutes per „ quas & a difficultate cruciante, & ab „ ignorantia cæcante liberetur. „ Rurſus ibidem cap. 22. n. 64. " Ignorantia ve- „ ro & difficultas ſi naturalis eſt, inde in- „ cipit anima proficere, & ad cognitionem „ & requiem, donec in ea perficiatur vi- „ ta beata promoveri. „

TERTIUM ARGUMENTUM.

ILLE ſtatus eſt abſque injuria erga Creatorem poſſibilis, in quo juſtum daretur pro natura in ſe relicta naturaliter beatificanda medium, in quo nec viſione Dei donaretur intuitiva, nec pœnis ſubjaceret æternis, ſed naturalem haberet beatitudinem ſibi proportionatam, quæ potiſſimum conſiſtit in perpetua & perfecta bonorum naturalium poſſeſſione: Atqui ex D. Auguſt. poſſibilis eſt hujuſmodi ſtatus, & dato quod eſſet, vincerentur adhuc Manichæi, quatenus nullam argueret in Deo injuſtitiæ labem; unde fruſtra recurrunt ad principium malum Deo coæternum, in quod refundi volunt & vitia & defectus: Ergo &c. Probatur minor S. Præſul ibid. cap. 23. nu. 66. ſic pronuntiat: " Huic autem diſputationi objici ab im- „ peritis ſolet quædam calumnia de mor- „ tibus parvulorum, & de quibuſdam cru- „ ciatibus corporis, quibus eos ſæpe vidi- „ mus affligi; dicunt enim: quid opus erat „ ut naſceretur, qui antequam iniret ul- „ lum vitæ meritum, exceſſit e vita? aut „ qualis in futuro judicio deputabitur, qui „ neque inter juſtos loquutus eſt, quoniam „ nihil recte fecit; neque inter malos, „ quoniam nihil peccavit? Quibus reſpon- „ detur ad univerſitatis complexum, & „ totius creaturæ vel per locos, vel per „ tempora ordinatiſſimam connexionem „ non poſſe ſuperfluo creari, qualemcum- „ que hominem ubi folium arboris nullum „ ſuperfluo creatur ſed ſane ſuperfluo quæ- „ ri de meritis ejus, qui nihil meruerit. „ Non enim metuendum eſt, ne vita eſſe „ potuerit media quædam inter recte fa- „ ctum atque peccatum, & ſententia Ju- „ dicis media eſſe non poſſit inter præ- „ mium atque ſupplicium. „

Quarto, ex S. Thoma.

S. DOCTOR paſſim ſtatus naturæ puræ aſtruit poſſibilitatem 1. p. qu. 95. art. 1. in corp. ſic loquitur: " Manifeſtum eſt „ autem quod illa ſubjectio corporis ad ani- „ mam, & inferiorum virium ad ratio- „ nem non erat naturalis: alioquin poſt „ peccatum manſiſſet, cum etiam in dæ- „ monibus data naturalia poſt peccatum „ permanſerint. „ Igitur ex S. Thoma ſubjectio carnis ad animam quæ nunc per gratiam habetur, non eſt naturalis & debita: alioquin permanſiſſet poſt peccatum, & conſequenter poſſibilis eſt ſtatus naturæ puræ in quo homo foret conditus ſine gratia.

Rurſus quæſt. 4. de malo art. 1. ad 14. " Carentia divinæ viſionis, *ait*, duplici- „ ter competit alicui. Uno modo ſic quod „ non habeat in ſe unde poſſit ad divinam „ viſionem pervenire. Et ſic carentia di- „ vinæ viſionis competeret ei qui in ſolis „ naturalibus eſſet etiam abſque peccato. „ Sic enim carentia divinæ viſionis non „ eſt pœna, ſed defectus conſequens om- „ nem naturam creatam. „ Quo nihil clarius & expreſſius contra doctrinam Janſenii dici poteſt.

Rurſus in 2. diſtinc. 31. q. 1. art. 2. ad 3. ait: " Poterat Deus a principio quan- „ do hominem condidit, etiam alium ho- „ minem ex limo terræ formare, quem „ in conditione ſuæ naturæ relinqueret, „ ut ſcilicet mortalis & paſſibilis eſſet; &

„ pa-

„ pugnam concupiſcentiæ ad rationem ſen-
„ tiens, in quo nihil naturæ humanæ de-
„ rogaretur, quia hoc ex principiis natu-
„ ræ conſequitur, non tamen iſte defectus
„ in eo rationem culpæ & pœnæ habuiſ-
„ ſet, quia non per voluntatem iſte defe-
„ ctus cauſatus eſſet. Ergo &c.

Quinto, ratione multiplici.

PRIMA: Finis ſupernaturalis non eſt homini debitus, ſiquidem homo eſt in ordine naturali ſecundum ſe, ut cæteræ creaturæ; item finis ſupernaturalis ipſius excedit vires. Igitur potuit creari abſque injuria in puris & ad finem tantummodo naturalem.

Secunda: Gratia ideo gratia dicitur, quia eſt indebita: Sed ſi ſtatus naturæ puræ non foret poſſibilis, jam gratia non eſſet gratia, quippe quæ homini debita diceretur: quandoquidem Deus teneretur eum in gratia & charitate condere: quis autem unquam dixerit gratiam nec eſſe gratiam, nec indebitam, cum contrarium non ſemel aſſerat Apoſtolus? Ergo &c.

Tertia: Omnis creatura eſt naturaliter & ex ſua conditione Creatoris ſerva: Sed ſervus non habet jus innatum ad hæreditatem Domini. Igitur homo potuit in puris, & abſque gratia atque gloria creari.

Quarta: Quæcumque creatura ſpiritualis, ut Angelus & homo ſunt ſolum Filii Dei adoptivi: Sed filius adoptivus non jure, ſed aſſumptione gratuita vocatur ad hæreditatem: Igitur Deus non tenebatur Angelum & hominem in gratia & ad finem ſupernaturalem condere, ſed in puris naturalibus utrumque relinquere poterat, & ſic ſtatus naturæ puræ eſt poſſibilis.

Quinta: Dato quod homo conditus fuiſſet in ſtatu naturæ puræ, in hac hypotheſi affulgerent omnia Dei attributa, unde nihil aut indignum majeſtati divinæ, aut bonitati inde eorum fieret. Appareret omnipotentia in creatione hominis, affulgeret ſapientia in gubernatione, rutilaret providentia in conſervatione; ſe commendaret amor in bonorum effuſione; magnificentia in beatitudine; omnibus ſiquidem afflueret deliciis homo purus in termino vitæ poſitus. Igitur non repugnat ille ſtatus, nullum quippe ex eo ſequeretur inconveniens.

Sexta: Homo in ſtatu naturæ puræ foret in ſuo ordine perfectus: Sed omnis ſtatus perfectus poſſibilis eſt: Igitur & ſtatus naturæ puræ. Probatur major: in illo ſtatu omnibus polleret virtutibus moralibus homo; omnem ex jure naturali cognitionem ad finem aſſequendum neceſſariam haberet, cæterarum vero rerum ſcientiam labore & induſtria poſſet comparare; nulla paſſione mala anxiaretur; concupiſcentiam quidem experiretur, ſed ordinatam, & ut eſt deſiderium, ac ſimplex boni naturæ convenientis appetitus: Igitur homo foret perfectus ſecundum ſuam conditionem in ſtatu naturæ puræ: quidni ergo ille ſtatus foret poſſibilis?

Eliduntur cavilli Janſenii Iprenſis.

JANSENIUS exſufflare conatur decreta adverſus Baii propoſitiones lata, quæ paſſim ſtatui naturæ puræ opponuntur, maxime vero etiam contra propoſitionem qua Baius poſuerat omnia infidelium opera eſſe peccata, quod quidem mordicus, ſed incaſſum negat.

Objicit: Leges quas bellum tulit, plerumque pacis tempore abrogantur: ſic non pauci licere ſibi nunc putant diſputare de auxiliis, cum jam paululum pacati ſint animi. Et vero tametſi Paulus V. ejuſque ſucceſſores id prohibuerint, nihilominus tamen, vel iſtis temporibus non ceſſat controverſia ac diſputatio. Pari & conſimili ratione decretum iſtud Pontificium contra propoſitiones Baii, occaſione exardeſcentium in Academia Lovanienſi diſceptationum latum, reddita ſcholis pace, deſiit prohibitio, & conſequenter licitum eſt ejuſdem Baii defendere propoſitiones.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, leges quæ vel ad ſuſcipiendum, vel ad ſovendum bellum inſtitutæ ſunt, ceſſante bello, ſunt inutiles, concedo: quæ ad conciliandam ſtabiliendamque pacem latæ ſunt, nego. Alias liceret omnium Conciliorum & SS. Pontificum decreta explodere, & velut inutilia habere.

Ad probationem dico magnum eſſe diſcrimen inter Bullam S. Pii V. contra propoſitiones Baii, & conſtitutionem Pauli V. occaſione diſputationum de auxiliis factam;

ctam; in illa enim propoſitiones a quibus abſtinendum jubet ſanctiſſimus Pontifex, aliqua cenſura notantur; in iſta vero impreſſio ſola atque propoſitionum in lucem editio prohibetur. Quid plura? Jamjam uſus invaluit ab ortu hæreſis Janſenianæ, libros de auxiliis publici Juris facere, ne lupi rapaces gregem dominicum non ſine magna animarum pernicie invadant.

Ad minorem propoſitionem reſpondetur falſiſſimum eſſe Baii propoſitiones ad tempus tantum, donec pararentur animi, fuiſſe damnatas; namque primo S. Pius in Bulla ſua ait ſe ad perpetuum ſilentium propoſitiones proſcribere, jubetque in perpetuum aboleri: Secundo, quia quidam non ſine auſu temerario dicebant conſtitutionem non eſſe inſcriptam, ad perpetuam, ſed tantummodo ad futuram rei memoriam, Urbanus VIII. occaſionem omnem ſic cavillandi abripuit, in Bulla ſua quam inſcripſit; *ad perpetuam rei memoriam*. Tertio, idem Urbanus reſponſioni prædictæ omnem veri ſpeciem abſtulit, anno 1643. in Bulla contra librum Janſenii quæ incipit *In eminenti* in qua ſic pronuntiat: " Cum autem ex
,, diligenti & matura ejuſdem libri lectio-
,, ne compertum fuerit in eodem libro
,, multas ex propoſitionibus a prædeceſſo-
,, ribus noſtris olim, ut præfertur, da-
,, mnatis contineri, & magno cum Catho-
,, licorum ſcandalo & auctoritatis di-
,, ctæ ſedis contemptu contra præfatas da-
,, mnationes & prohibitiones defendi. ,,
Ex quibus omnibus patet Iprenſem falſo exiſtimaſſe ſe poſſe prædictas defendere, quaſi vero ſua ætate ceſſaſſent prohiberi, cum ipſius molitione prælium magnum factum ſit, & veluti cancer ſerpſerit inſtaurata hæreſis.

Inſtat: inter Baii propoſitiones quædam damnatæ ſunt quidem tanquam falſæ, quædam tanquam piarum aurium offenſivæ: immo, *inquit*, verba Bullæ aperte declarant aliquas earum poſſe ſuſtineri in rigore, & in proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento. Hæc enim ſunt verba Bullæ: *Licet nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſint, in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſcandaloſas, tranſeuntium auctoritate damnamus*. Nam iſta, *inquit Iprenſis*, legenda ſunt ſine virgula poſt verbum *poſſint*, idque probat ex originali Bulla a ſe viſa Lovanii. Atqui ſi aliqua propoſitio Baii non eſt falſa, ſed ad ſummum offenſiva, ſi aliqua poteſt in proprio rigore verborum ab aſſertoribus intento ſuſtineri; certe iſta eſt, *omnium infidelium &c.*

Reſpondeo, eſto, quod primo loco concedit, fuerit damnata propoſitio; ex conceſſis illa de qua agitur, tanquam piarum aurium offenſiva proſcripta eſt; cautum eſt autem ſub pœna excommunicationis, ne quis eam innovaret: cur ergo ipſe Janſenius illam reſtituat cap. 107. cui hanc inſcriptionem præfigere non dubitat: *Nugæ, delirium, inſania, error, impietas contraria Chriſtianorum ſenſui, Scripturis, & fidei, Chriſtianorum ſenſui, quod infidelium ſit nulla vera virtus*. Ad illud vero quod ait, vocem *poſſint* legendam eſſe abſque virgula, bene vero poſt verbum *intenta*, reſpondeo fidem eſſe potius adhibendum Cardinali D. de Lugo contrarium propugnanti; hinc Iprenſis illudit Theologis dum ait ſe Lovanii Bullam originalem ſine virgula vidiſſe; namque Bullæ originales Pontificiæ in Romanæ curiæ ſcriniis diligentius aſſervantur: Cardinalis enim laudatus teſtatur ſe vidiſſe virgulam in ipſomet autographo Cardinalis illius qui S. Pii juſſu Bullam exaravit, poſt hæc verba: *Aliquo pacto ſuſtineri poſſint*. Tum & ante illa quæ immediate ſequuntur, *In rigore & proprio verborum ſenſu*.

Aliorum teſtimonio non immoror. Litem iſtam leviorem ad metam perduxit Urbanus VIII. Nam appoſitis in ſuo contra Janſenium diplomate, Bullis tum S. Pii, tum Greg. XII. factum cumque eſſet, ut, omiſſa ab aliis, ab aliis vero reſtituta virgula, conquererentur de hoc Bajaniſtæ apud Pontificem, juſſit Urbanus educi ex ſcriniis ſancti officii Bullam, & ei fidem haberi; porro inventa eſt cum interpunctione laudata.

Adde quod ratio confirmare videatur virgulam eſſe apponendam ante illa verba, *in rigore*: Nam primo, ſi in proprio ſenſu propugnari poſſent illæ propoſitiones, jam non aliquo pacto, ut ait Bulla, ſed ſimpliciter poſſent defendi. Igitur damnatæ ſunt in ſenſu obvio quem præ ſe ferunt, quandoquidem non poſſunt damnari & defendi ſimul in ſenſu proprio, & alieno

ab.

Digitized by Google

ab auctoribus intento, alias in nullo proſcriberentur. Igitur dicendum eſt tales propoſitiones fuiſſe damnatas in proprio earum ſenſu & quidem ab aſſertoribus intento; adeo non poſſe defendi in ſenſu a Baio intento.

Reſpondeo iterum ſic diſtinguendo, propoſitiones non damnatæ ſunt in ſenſu ab auctore intento, tranſeat: in ſenſu quem præ ſe ferunt, quique obvius vocatur, nego. Et vero Eccleſia non judicat de internis, idcirco recte proſcribuntur propoſitiones quæ malum præ ſe ferunt ſenſum obvium: ſi enim ad intentionem auctoris abſolute loquendo menſurandæ forent, vix ullæ hæterodoxorum propoſitiones damnari poſſent, cum facile admodum ſit ſcriptori varios ſubſtituere ſenſus, inter quos aliquis bonus reperiretur; ſicque omnia Eccleſiæ anathemata declinarent. Denique quod aliquæ propoſitiones in ſe bonum aliquem ſenſum ſubire queant, juſto tamen judicio non ſemel ab Eccleſia propelluntur relative ad mala auctoris principia; idcirco non mirum videri debet, ſi omnes prædictæ Baii propoſitiones proſcriptæ ſint.

Objectio Janſenii ex damnatione in globo excepta diluitur.

REPONIT Iprenſis: damnatio vaga nullam inducit propoſitiones rejiciendi obligationem, & contrarium credendi: Atqui damnatio propoſitionum Baii fuit tantum vaga, quippe quæ tantum in globo proſcriptæ ſint. Igitur propoſitiones contrariæ, tum de impoſſibilitate ſtatus naturæ puræ, tum de abjectione omnium prorſus Gentilitatis operum, citra errorem propugnari poſſunt.

Confirmatur: Ut quiſque fidelium poſſit rejicere propoſitiones Baii ſcire debet quænam ſint inter eas hæreticæ, quænam erroneæ, quænam tantummodo male ſonantes: Sed hoc impoſſibile eſt intellectui; eo enim ipſo quo ſunt tantummodo in genere qualificationis cenſura notatæ, dum una creditur erronea, forſitan eſt duntaxat ad errorem inductiva. Ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo, damnatio vaga tam quoad ſubſtantiam, quam quoad individuum, concedo: vaga tantum & indeterminata quoad individuum, nego. Damnatio vaga duplex ſecernitur, quædam vaga omnimode, & omni ſecluſa qualificatione, quæ cadat in doctrinæ ſubſtantiam, altera vero quæ, ſervatis omnibus de jure ſervandis, & maturo examine prævio, nedum de operis corpore, verum etiam de ſingulis propoſitionibus fit, & adverſus quas brevitatis cauſa, judicium ac proſcriptionis ſententia fertur: dubio-procul poſterior damnatio eſt legitima, tametſi prior non ponderat: quod autem damnatio propoſitionum Baii non ſit poſteriori abſimilis, nun unum probat argumentum.

Primo quidem, ex uſu perpetuo Eccleſiæ, quandoquidem in ſententia Neſtorii, & a Cæleſtino Papa, & a Concilio Epheſino lata nonniſi in genere ſit mentio de Neſtorii erroribus, ſolum enim habetur in ſententia lata, niſi ſentias, ut Romana Eccleſia ſcias te eſſe exauctoratum: ſimiliter in ſententia Eutychetis quam pronuntiavit Synodus Calchedonenſis, ne quidem ſit mentio de ejus palmari errore, quo naturas in Chriſto confundebat: Sed damnatur eo quod, inquiunt Patres, laboraret ægritudinibus Apollinaris, qui dicebat carnem Chriſti phantaſticam. Non abſimili modo Gotheſcalcus a Concilio Cariſiaco ejectus eſt: nec alia in ejus ſententia redditur ratio, niſi quod perturbaſſet negotia Eccleſiaſtica, & peregrinas habuiſſet doctrinas. Igitur mirum videri non debet, ſi proſcriptio ſæpius fiat, nominando ſolum in globo propoſitiones erroneas, cum in proceſſu & congreſſu litis cunctæ, vel ad unguem uſque ſingulæ ponderentur & diſcutiantur.

Concilium Conſtantienſe in Gallia tam percelebre nonniſi in globo 73. propoſitiones Wiclefi, & Joannis Hus damnavit, quam tamen proſcriptionem ratam habuit omnis Eccleſia Gallicana, nec ullum reperias qui dixerit damnationem in globo vacuam eſſe, tametſi propoſitiones Wiclefi nullas habuerint in particulari qualificationes a Concilio, ſed tantum a quibuſdam Theologis, qui abſoluta Synodo, quamlibet in individuo qualificatione notarunt. Revera quidem damnatis in globo alicujus libri propoſitionibus, ſequitur librum eſſe erroneum, malum & prohibitum.

His accedit diploma Leonis X. qui etiam tantum in globo 35. articulos doctrinæ Lutheri ſuo perſtrinxit ſtylo cenſorio.

Ab

Ab hac quidem conſtitutione provocavit Lutherus ad Concilium Tridentinum: Sed hujuſmodi appellatio non ſuſpendit Bullæ effectum; alias in pace Eccleſiæ obiiſſet Heterodoxus, quippequi mortuus ſit die 10. Febr. ann. 1546. & Tridentinum nonniſi die 17. Junii ejuſdem anni inchoatum ſit: quis autem ſanæ mentis hæc dixerit, cum ejus doctrina ante Synodum Trid. foret peſſima, & a Sorbona in Virtute Conſtitutionis Dogmaticæ Leonis & Concilii adunationis proſcripta? Immo vel ipſe Senatus Pariſienſis, repetitis ſententiis, inſectatus eſt Lutheranos nimirum 20. Martii 1524. 8. Januarii 1525. 29. Auguſt. 1525. Rurſus 24. Novemb. ejuſdem anni. Demum propulſi ſunt Edicto Franciſci I. Regis Chriſtianiſſimi Francorum 26. Januar. 1534.

Quid plura pro eodem momento adjiciam? Primum Concilium Senonenſe Pariſiis adunatum, ubi præſidebat Cardinalis a Prato conſtitutionem Leonis tametſi in globo conceptam plurimum celebrat his verbis decreti generalis anno 1528. facti: *Rurſus etiam intelleximus nonnullos Martini Lutheri libellos perniticſos jam pridem cum ſuo auctore a ſanctis Pontificibus Leone Papa, & Adriano, nec non Clemente Papa moderno damnatos, a nonnullis nihilo-ſecius timore divino & pudore, humano prorſus abjectis adhuc vulgari & legi, & circumferri, propterea prohibemus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ &c.* Ergo &c.

Suffragatur Concilium Bituricenſe eodem anno 1528. capite 1. his verbis: " Decernit Synodus quod damnatum dogma Lutheri, & ſequacium a ſacroſancta ſede Apoſtolica jam pridem reprobatum, in publicis concionibus, locis & temporibus opportunis prout expediens ordinariis locorum videbitur, generaliter tantum reprobetur. "

Dupinus hiſt. Eccleſ. obſervat decretum Sorbonæ adverſus Lutherum die 10. Martii anno 1545. datum fuiſſe; & hoc ante Tridentini celebrationem.

Demum Innocentius XI. ſexaginta circiter quinque propoſitiones Molinos damnavit tantum in globo, pari & conſimili modo Alexander X. quinquaginta & amplius circa Probabiliſtarum molitiones: neque tamen quiſquam adverſus hujuſmodi proſcriptiones inſurrexit, quin potius decreta Pontificia veluti tot fidei regulas omnes habuere. Igitur ex perpetuo Eccleſiæ uſu damnatio errorum in globo rata habita & uti talis habenda eſt.

Replicabis: Diploma Leonis X. nullum habuit robur donec accederet Concilii Trid. adverſus errores Lutheri definitio, Igitur proſcriptio propoſitionum in globo non valet. Probatur Ant. ex Cardinali Palavicino qui lib. 1. hiſt. Concilii Trid. cap. 21. num. 3. ſic loquitur: " opponit tertio Suavis articulos propoſitos in diplomate, ſub incerta quadam verborum clauſula fuiſſe damnatos, quæ erat reſpective, vel tanquam hæreticos, vel tanquam ſcandaloſos, vel tanquam piarum aurium offenſivos, vel alia cenſura, atque adeo ex diplomate controverſum fuiſſe, quænam eſſet eorum ſingulis aſſignanda cenſura: atque eo magis hinc patuiſſe Concilii neceſſitatem. " Ergo &c.

Reſpondeo negando Ant. Ad probationem diſtinguo, & Cardinalis loquitur in ſententia aliena, ſcilicet Fra Pauli, qui certe multa intempeſtive non ſine ſcandalo de Synodo Trid. ſcripſit, concedo: in propria, nego. Ipſe eſt ſui ipſius interpres, hanc ſcilicet negando conſequentiam, ideo Tridentinum adunatum fuiſſe, ut damnationem propoſitionum Lutheri factam in globo reſtauraret; quaſi antea nullum habuiſſet robur: Ibidem enim ait: " Sed imprimis ultima concluſio uſque adeo falſa eſt, ut potius celebre, recenſque Concilium Conſtantiæ habitum hanc ipſam damnandi rationem uſurpaverit..... jam vero quia multæ doctrinæ homines inclinant in hæreſim ...... par eſt eas e linguis ac paginis relegare: atque ad id neceſſe non eſt, ut illa certo Dei verbis repugnent; ſatis eſt, ſi aut gravia extent indicia hujus repugnantiæ....... aut deprehendantur ut ſemina operum quæ officiant Chriſtianæ reipublicæ, ac proinde mereantur aliquam ex ſupra memoratis cenſuris, quæcumque tandem ea ſit... ſolum illi *Pontifici* Concilium fuit, ut certi tantum haberemus, quantum ſatis erat: nimirum declaravit eas omnes propoſitiones perniciosas eſſe, ſi tradantur, periculoſas, ſi credantur. "

Inſtabis: Atqui nullum Diploma Pontificium etiam dogmaticum evadit regula

fidei,

fidei, niſi accedat Concilii Oecumenici definitio. Ergo &c. Probatur ſubſumptum ex S. Auguſtino qui lib. 2. de Bapt. cap. 4. ſic habet: " Nec nos ipſi tale aliquid „ auderemus aſſerere, niſi Eccleſiæ U- „ niverſæ concordiſſima auctoritate fir- „ mati, & cui ipſe ſine dubio Cyprianus „ cederet, ſi jam illo tempore hujus quæ- „ ſtionis veritas eliquata & declarata, „ per plenarium Concilium ſolidaretur. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: requiritur Concilium Oecumenicum ad melius, concedo: abſolute loquendo, nego. Quod autem hic ſit Auguſtini ſenſus, ex multis patet. Primo quidem, idem S. Doctor lib. 3. ad Bonifacium ſub finem expreſſe dicit, non opus eſſe ſemper adunare Concilia, cum multo plures hæreſes, ait, abſque Conciliis proſcripuæ ſint. Secundo, Serm. 2. de verbis Apoſtoli, aſſerit cauſam Pelagianorum finitam per decreta Innocentii I. & Zoſimi. Tertio, vel ipſum Concilium plenarium de quo loquitur lib. 2. de Bapt. fuit Arelatenſe primum, quod certe juxta doctiſſimos non fuit Oecumenicum.

Pro coronide ſolutionum, obſervandum eſt Clerum Gallicanum, cui præſidebat Cardinalis de Noailles anno 1700. damnaſſe in globo quatuor probabilitatis propoſitiones, ex quo liquet omnes cordatos non diffiteri uſum perpetuum fuiſſe in Galliis, ſuſcipere decreta Pontificia dogmatica, tametſi in globo adverſus hæreticam proterviam concepta, eaque veluti fidei regulas habere.

Convelluntur nonnullorum de novo obſtrepentium commenta.

OBJICIUNT nonnulli multa ad evacuandas Bullas S. Pii V. & Gregorii XIII. adverſus Doctrinam Baii latas, & contendunt nullius eſſe roboris.

Primo: quod Baius Doctor Lovanienſis adfuerit Concilio Tridentino, a quo quidem, teſte Cardinali Pallavicino, honorifice ſuſceptus eſt.

Secundo: Baius propugnabat nullas, e dictis propoſitionibus damnatis, eſſe ſuas.

Tertio: Bulla neque affixa, neque publicata, ſervatis juris ſolemnitatibus Romæ, ſed primum miſſa fuit ad Cardinalem Granvel Mechlinienſem Archiepiſcopum, cum præcepto ut eam legi curaret coram Baio, ita ut neque originale, neque exemplar ei relinqueret.

Quarto: Doctores Lovanienſes, a Vicario Apoſtolico exemplar, aut ſaltem inſtrumentum, in quo eſſent propoſitiones expoſtularunt: " *Petebamus*, ait, *facultatis Decanus*, copiam dictæ Bullæ, ſeu „ ſaltem articulorum in ea damnato- „ rum, ad quæ dictus præpoſitus reſpon- „ dit ob multas, eaſque graves cauſas im- „ præſentiarum non poſſe tradi copiam „ Bullæ: „

Quinto: Diploma S. Pii V. ſubdatum anno 1567. occultatum permanſit in ſecretario Papali, uſque ad annum 1579. quo tempore Gregorius XIII. ejus ſucceſſor in ſcriniis Apoſtolicis illud invenit quod quidem inventum roboravit, his verbis: *Tenorem litterarum felicis recordationis Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri in ejus regiſtro repertum deſcribi, & præſentibus annotari fecimus*. Sed ibi altum de confirmatione ſilentium.

Sexto: Anno 1641. Urbanus VIII. Bullam *in Eminenti* dedit; ubi quidem commemorat Diplomata Pii V. & Gregorii XIII. adverſus Baium, quibus & ſuum addidit calculum, ſed abſque conſultatione aut Cardinalium, aut Theologorum; adeoque omiſſa juris ſolemnitate requiſita.

Septimo: Bulla *in Eminenti*, in Galliam quidem miſſa fuit, ſed non affulget ibi fuiſſe receptam.

Denique: Graviſſimi Theologi propugnant iſtam non fuiſſe fidei regulam; inter quos annumerantur Suarez, Vaſquez, & Bellarminus, quinimmo vel ipſe Toletus miſsus a Gregorio XIII. Lovanium, aſserit nihil præter duriorem ſtilum animadvertiſse in propoſitionibus 28. 29. 31. & 60. Ergo &c.

Reſpondeo: Iſtas objectiones nullius eſse ponderis adverſus veritatem: cujus rei non unum eſt irrefragabile argumentum.

Primo quidem, vel ipſe Baius ſubſcripſit ſuarum propoſitionum damnationi, & reſipuit, unde ſtupendum prorſus videtur quoſdam non ſine auſu temerario purgare velle Baium, qui a 120. circiter annis ſe ſe retractavit, ut Cathedræ Petri illudant auctoritati.

Secundo, Clerus Gallicanus anno 1655. in

in proceſſu verbali pag. 712. ſuſcepit ea qua par eſt reverentia Diplomata laudata, his verbis: " Tales equidem motus ſedari ,, oportebat, tum Concilii Tridentini au,, ctoritate, tum Bullæ illius qua Urbanus ,, VIII. felicis memoriæ adverſus Janſenii ,, Dogmata pronuntiavit, & decreta Pii ,, V. & Gregorii XIII. in Baium edita ,, confirmavit. ,,

Audiendus eſt de hoc momento P. Alexander Hiſt. Eccl. 16. ſæculi art. 14. de erroribus Michaelis Baii verſus finem, ubi ſic ait: " Pii V. & Gregorii XIII. ,, cenſuram ac judicium contra Baium ,, confirmavit Urbanus VIII. anno Do,, minicæ Incarnationis 1641. pridie no,, nas Martii, Diplomate quod per ejus ,, in Gallia tunc Apocriſiarium, deinde ,, S. R. Eccleſ. Cardinalem D. Grimal,, dum tranſmiſſum, Sacra Facultas Pa,, riſienſis, quæ Baii errores prima om,, nium olim damnaverat, ſummo omnium ,, Doctorum conſenſu, & ſingulari vene,, ratione ſuſcepit, Kalendis Februarii ,, 1644. ,,

Eadem ſuſcepit decreta Clerus Gallicanus, eaque commemorat Epiſtola ad Innocentium X. in qua Janſenii propoſitionum damnationem expoſtulat: rurſus idem Clerus in proceſſu verbali die 10. Martii 1710. aſſerens nihil roboris deeſſe in Conſtitutionibus adverſus Baium, Janſenium, Molinos: Porro ibi præerat Cardinalis de Noailles, qui idem iterum confeſſus eſt in ea quam ad Pontificem Epiſtolam an. 1710. conſcripſit. Eamdem adverſus Baium conſtitutionem & laudavere & ſuſcepere omnes fere Theologi in primis Sylvius in 1. 2. D. Thomæ quæſt. 109. art. 2. pag. 707. col. 1. edit. Duacenſis anno 1635. Eſtius in 2. ſentent. diſtinc. 24. tom. 2. pag. 261. col. 1. edit. Pariſ. anno 1680. Hubertus Vabrenſis Epiſcopus tom. 2. Tract. de Gratia cap. 3. pag. 341. & 542. & alii recentiores.

Ex his ſequuntur multa. Primo quidem, dato & non conceſſo Bullas adverſus Baium non fuiſſe ſtatim ab omnibus ſuſceptas, certum eſt tamen eas decurſu temporum omnes ea qua par eſt erga SS. Pontificem reverentia de facto ut ratas habuiſſe. Secundo, non diffitemur aliquas Baii propoſitiones hæreſeos venenum in ſe ſpectatas non ſpirare, quod quidem unum intendunt aliqui Theologi, eas tamen relative ad auctoris principia rejiciendas eſſe nemo vere catholicus dubitat. Tertio, conſenſum Eccleſiæ tandem Baii propoſitionum proſcriptioni acceſſiſſe conſtat, quocirca non ſine temeritate aliquis adverſus conſtitutiones Apoſtolicas inſurgeret.

Jam ad ſingula breviter faciendum eſt ſatis. Primum quidem nihil urget; neminem quippe latet aliquem auctorem in aliquo, ſed non in omnibus deficere: ſic Theodorus Mopſueſtenus applaudente SS. Patrum cœtu inſectatus eſt Sabellianos & Arianos: deinde tamen in Concilio V. generali ejus doctrina cum perſona anathemate profligata eſt. Eſto igitur quod bene ſe ſe geſſerit in Concilio Tridentino Baius, quia tamen occultos errores juriſpublici poſtea fecit, propoſitiones ejus recte damnatæ ſunt.

Ad ſecundum, falſum eſt Baium non agnoviſſe ut ſuum fœtum propoſitiones, cum ſuadente, & convincente Toleto, eas ipſe rejecerit.

Ad alia falſiſſimum eſt etiam ſolemnitatem juris ad recipiendam S. Pii V. Conſtitutionem, non fuiſſe obſervatam. Inſtar omnium ſit publicatio Bullæ in Galliis anno 1644. tunc enim Diploma Pontificium ad Sorbonam miſſum eſt cum Epiſtola Regia, ut inſcriberetur in ſcriniis, die 2. Januarii. Tum Sacra Facultas negotium diſcutiendum ad diem decimum quintum remiſit: auditis vero deputatis qui relationem Diplomatis exhibuerunt, abſque mora ea qua par eſt reverentia ſuſcepta eſt conſtitutio: quinimmo prohibuit Baccalaureis, Licentiatis, & Doctoribus Baii in poſterum defendere propoſitiones: Sic refert Dominus Dumas lib. 1. Hiſtoriæ Janſenianæ p. 3.

Argumenta in contrarium, ex D. Auguſtino deſumpta diluuntur.

OPPONES: Homo non potuit in alio creari ſtatu, quam in ſtatu naturæ integræ. Ergo &c. Probatur antecedens, ex D. Auguſtino qui Ench. cap. 11. dicit malum nihil aliud eſſe quam naturalium privatio bonorum. Eo loci loquitur de homine lapſo: ſi ergo peccatum eſt privatio bonorum naturalium, gratiæ erant naturalia hominis bona, ex quo ſequitur eum ex natura ſua ad ſupernaturalem erigi

gi finem, adeoque non potuiſſe condi in puris, cum naturalia, teſte D. Thoma ſint a natura inſeparabilia, & in ipſis dæmonibus remanſerint.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo, peccatum eſt privatio bonorum naturalium, hoc eſt, ab initio homini primo conceſſorum, concedo: hoc eſt, debitorum, & a natura profluentium, nego. Naturale in duplici ſumitur ſenſu: Primo quidem pro eo quod habetur ab ortu: deinde vero pro eo quod fluit a natura veluti proprietas ab eſſentia. Priori modo gratiæ ſunt bona naturalia, quatenus ab exordio fuerunt Adamo datæ, juxta illud ejuſdem Auguſtini: " Deus erat ,, condens naturam & largiens gratiam. Sed non poſteriori modo, cum ſint quid ſupernaturale, adeoque miſericordiæ & magnificentiæ creatoris effectus. Sanctus Doctor loquitur tantum in primo ſenſu, quippequi loquatur de lapſu Adami, qui peccando amiſit juſtitiam originalem, & ad poſteros ſuum tranſmiſit peccatum; quod quidem intendit probare adverſus Pelagianos originalem culpæ reatum abjudicantes.

Inſtabis: Atqui ex D. Auguſt. gratia eſt homini connaturalis. Et probatur. In præſenti ſtatu liberatio a peccatis, & vita æterna ſunt dona gratiæ: ſed non ſic erant in ſtatu innocentiæ. Ergo &c. Probatur antecedens, ſic loquitur S. Doctor lib. de corrept. & grat. cap. 11. nu. 37. " Quid ,, erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato, quæ fu- ,, tura erat & homini ſicut facta eſt Angelis merces meriti? Nunc autem per ,, peccatum perdito bono merito, in his ,, qui liberantur factum eſt donum gratiæ, ,, quæ merces meriti futura erat. ,,

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo antecedens, nunc liberatio & vita æterna ſunt donum gratiæ tam radicaliter, quam formaliter, concedo: formaliter tantum, nego. Diſcrimen inter hominem innocentem, & lapſum reparatum, illud intercedit quod ille in radice erat ſanctus, hoc eſt, a creatione, idcirco habebat jus quaſi communale ad vitam æternam, quam per gratiam in creatione acceptam datam promereri poterat, iſte vero eſt corruptus ab ipſa origine, idcirco nullum habet jus ad vitam æternam, immo & ad gratiam: quo quidem argumento probat S. Auguſtinus adverſus Pelagianam perfidiam dari peccatum originale, cum gratia ſit prorſus indebita tam radicaliter quam formaliter.

Inſiſtes: S. Auguſtinus lib. 3. contra Julianum cap. 12. ait, hominem non poſſe excludi a regno cœlorum: Igitur non datur ſtatus in quo beatifica privaretur viſione: confirmatur, S. Doctor non loquitur ex ſuppoſitione elevationis hominis ad finem ſupernaturalem, quia Pelagiani quos inſectabatur, ſupponebant ſtatum naturæ puræ in quo pueri naſcebantur. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, in præſenti ſtatu homo juſtus a regno non eſt excludendus, concedo: in poſſibili non poſſet excludi, nego. Sanctus Doctor argumentatur ad hominem adverſus Pelagium qui duo contendebat, nimirum pueros naſci abſque peccato originali, & tamen ſecludi a regno, niſi baptizarentur, ſic inſurgit S. Præſul. Non datur medium in præſenti ſtatu inter eſſe cum Chriſto, & cum diabolo; hanc enim urget reſponſionem paſſim, maxime lib. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 26. unde ſic urget. Vel pueri peccato originali detinentur, vel non: Si primum a regno, niſi baptizentur, propellendi ſunt: Si ſecundum etiam omiſſo Baptiſmo in, regnum cœlorum intrare debent: atqui tamen ex te regno abſque Baptiſmo non donantur: Igitur peccati originalis reatum habent.

Ad confirmationem nego S. Auguſtinum non loqui ex ſuppoſitione elevationis hominis ad finem ſupernaturalem. Pelagiani admittebant quidem ſtatum naturæ puræ, ſed diverſum ab illo quem poſſibilem eſſe propugnamus: namque contendebant hominem naſci ſine gratia & virtute, immo & abſque peccato: ſed tamen elevatum ad finem ſupernaturalem ad quem obtinendum neceſſe erat Baptiſma, propter illud Chriſti effatum, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Beatos tamen eſſe pueros ſine Baptiſmo e vita migrantes, ſed non introire in regnum Dei: Porro S. Auguſtinus dicebat hominem potuiſſe creari abſque donis, & elevatione ad finem ſupernaturalem, ut magnam atque indebitam prædicaret gratiam, quocirca non ſupponebat quod erat probandum, ſcilicet poſſibilem eſſe ſtatum naturæ puræ.

Solvuntur objectiones, ex fine ſupernaturali qui homini debetur.

OPPONES. Ille ſtatus non eſt poſſibilis, qui ſacræ adverſatur Scripturæ: atqui talis eſt ſtatus naturæ puræ. Et probatur. Scriptura finem hominis ultimum in viſione Dei reponit, juxta illud Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Sed in iſto ſtatu homo, ut pote gratia privatus, viſionem Dei & poſſeſſionem aſſequi non poſſet. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo, viſio Dei ex vi præſentis decreti eſt ultimus hominis finis, concedo: & ex alio res aliter non potuiſſet ſe ſe habere, nego. Verum quidem eſt Deum ex ſumma magnificentia hominem ad finem ſupernaturalem creaſſe, ſed dubioprocul ad hoc non tenebatur: Igitur ex vi alterius decreti potuit hominem in puris condere.

Inſtabis: In hac hypotheſi homo non aliam haberet beatitudinem præter viſionem Dei abſtractivam, ſed beatitudo in tali non eſt reponenda. Et probatur multis momentis. Primo quidem ex eo quod inde ſequeretur hominem in illo poſſibili ſtatu non magis fore beatum in termino quam in via eſſet, cum vel ipſe homo viator tunc haberet hanc eandem viſionem, quæ eſt cognitio Dei per creaturas. Secundo iſta viſio non eſt bonum infinitum; idcirco nec omnem ſatiaret appetitum; nec conſequenter hominem beatificaret. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo; homo in hypotheſi laudata haberet pro beatitudine viſionem Dei duntaxat modo abſtractivam, ſed perfectam & ab omni miſeria, immo & imperfectione immunem, concedo: perfectiſſimam, nego. Eadem quidem foret cognitio abſtractiva objective in via, & in termino, ſed prorſus diverſa penes perfectionis gradus, quandoquidem in termino foret homo in bono immutabiliter fixus, in terræ quadam regione ſederet, ſed velut in paradiſo voluptatis, cui omnis obediret creatura & ad jucunditatem, & ad conſolationem: non ſic autem in via, ubi refertus miſeriis, etiam potuiſſet, quod eſt ſumma inter omnes miſeria, peccare.

Ad ſecundam probationem diſtinguendo, poſſeſſio Dei non eſſet bonum infinitum intuitive, concedo: abſtractive & per altiſſimam contemplationem cogniti, nego. Etiam impræſentiarum Deus per fidem & viſionem beatificam eſt idem tum viatoris, tum comprehenſoris objectum, & ſane perfectiſſimum, omne deſiderium ex ſe ad ſatiandum ſupra modum ſufficiens, quippe quod omnis perfectionis gradum habeat: quod igitur in via in quocumque ſtatu hominis non impleat, & non impleret appetitum, eſt propter hominis inconſtantiam, qui voluntarie paſſionibus obrutus, derelinquit fontem aquæ vivæ, ut ſodiat ſibi ciſternas diſſipatas, quod utique in ſtatu naturæ puræ potuiſſet contingere.

Inſurges: In illo ſtatu ne quidem finem ultimum in cognitione abſtractiva perfectiſſima poſitum aſſequi poſſet: igitur nulla ex parte ſtatus ille foret poſſibilis; cum non detur ſtatus in quo homo ſuum non poſſit aſſequi finem & beatitudinem. Probatur antecedens. Homo, ſecluſo gratiæ auxilio, non poteſt elicere actum amoris Dei etiam ut auctoris naturæ perfectum, qui tamen amor eſſet abſolute neceſſarius ut in ſtatu naturæ puræ Deum, omni ſecluſa anxietate, poſſideret. Ergo. &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo. In præſenti ſtatu & propter ægritudinem naturæ, quæ concupiſcentia atteritur, homo non poteſt diligere Deum ſine gratia, etiam ut auctorem naturæ, concedo: & hoc non poſſet in ſtatu naturæ puræ, nego. Deus enim ut auctor naturæ eſt bonum homini proportionatum, hinc poſſet abſque gratia illum uti talem diligere; neque enim in illo ſtatu mala ſtimularet carnem concupiſcentia: cæterum eſſet pro illo ſtatu quædam providentia ſpecialis extrinſece removens peccandi occaſiones, neque vero deeſſent pro peccatis, ſi quæ ex fragilitate committerentur, remedia.

Inſiſtes. In hypotheſi ſtatus naturæ puræ eſſet queque concupiſcentia, immo urgerent & tentationes: ſed nec concupiſcentia, nec gravis tentatio abſque gratia vinci poſſunt. Igitur homo purus abſque Dei ope non poſſet elicere actum amoris perfectum quo poſſidetur Deus etiam abſtractive.

Reſpondeo diſtinguendo: eſſet tunc concupi-

cupiſcentia naturalis, quæ eſt appetitus ad bonum ſenſibile naturæ neceſſarium, concedo: concupiſcentia mala, quæ pervertit ſenſum & rationem immo & voluntatem ad peccandum inducit, nego. Tentationes nonniſi extrinſecæ forent, & abſque negotio amore Dei ut auctoris naturæ propellerentur: ſolutio colligitur ex D. Thoma qui in 2. diſt. 31. quæſt. 1. art. 2. ad 2. & ad 3. ait, quod nihil derogaretur naturæ humanæ etiamſi in aliquo ſtatu pugnantem concupiſcentiam adverſus rationem experiretur. Tum 1. 2. quæſt. 82. art. 3. ad 1. diſtinguit concupiſcentiam ut ſupra delineatam, his verbis: " Ergo dicendum, quod quia in
„ homine concupiſcibilitas naturaliter re-
„ gitur ratione, in tantum concupiſcere eſt
„ homini naturale, in quantum eſt ſe-
„ cundum rationis ordinem; concupiſcen-
„ tia autem quæ tranſcendit limites ra-
„ tionis, ineſt homini contra naturam,
„ & talis eſt concupiſcentia originalis pec-
„ cati. „

Objectiones, ex concupiſcentia, & ignorantia procedentes.

OBJICIES 1. Homo non potuit creari cum concupiſcentia, ſed in ſtatu naturæ puræ illam habuiſſet, ut ſupponimus. Ergo &c. Probatur major. Concupiſcentia eſt mala, & ex ea ſanctus Auguſtinus in primo & ſecundo opere contra Julianum probat dari peccatum originale; impium autem foret dicere Deum produxiſſe creaturam malam. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Concupiſcentia in præſenti ſtatu eſt mala, concedo: & fuiſſet in ſtatu naturæ puræ, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam: in præſenti ſtatu eſt inordinata, quippe quæ ſit peccati effectus, e contra vero non fuiſſet in ſtatu naturæ puræ. S. Auguſtinus de ea in priori ſenſu loquitur, alias nihil probaſſet adverſus Pelagianos negantes peccatum originale.

Inſtabis: Atqui etiam in ſtatu naturæ puræ concupiſcentia fuiſſet inordinata. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Ideo eſt inordinata in præſenti ſtatu, quia inclinat ad bonum ſenſibile, & ſæpius prævenit rationem: Atqui etiam in hypotheſi ſtatus naturæ puræ talis fuiſſet. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo minorem, concupiſcentia in ſtatu naturæ puræ compuliſſet hominem ad bonum ſenſibile, juxta rationis regulam & limites, concedo: ſecus, nego. Impræſentiarum non eſt rationi ſubdita, ſed in hypotheſi ſtatus naturæ puræ non præveniſſet rationem, niſi objective, hoc eſt, ab objectis mota; quocirca ratione abſque negotio ſedata fuiſſet; nunc vero propter peccati fomitem etiam intrinſece rationem prævenit, juxta illud Apoſtoli: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter rogavi Dominum, ut diſcederet a me.* Audis concupiſcentiam intrinſece movere ad peccatum, & ideo nonniſi adjutorio Dei compeſci poſſe.

Opponet 2. Ignorantiæ ſubditus fuiſset homo in hypotheſi ſtatus naturæ puræ: ſed hoc implicat. Et probatur, ex SS. Hieronymo & Auguſtino. Ignorantia eſt ſolius peccati fœtus: ſed non fuiſset in illo ſtatu peccatum. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, in ſtatu naturæ puræ homo fuiſſet ſubditus ignorantiæ aliquarum rerum, quarum ſcientiam potuiſſet labore & induſtria comparare, concedo: ignorantiæ juris naturæ & mediorum quæ ſunt ad beatitudinem aſſequendam neceſſaria, nego.

Inſiſtes: Atqui in hac hypotheſi homo non haberet cognitionem ſufficientem ad finem ultimum aſſequendum. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Non ſufficienter cognoſceret, ſecluſa gratia illuminante, pulchritudinem Dei, ut illi creaturæ pulchritudinem præponeret; quis enim Deum inviſibilem bonis ſenſibilibus ſine gratiæ auxilio anteponendum concludet?

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo, homo, ſecluſa gratia, non poteſt in præſenti ſtatu anteponere bona inviſibilia viſibilibus, concedo: in ſtatu naturæ puræ hoc ipſum non poſſet, ſubdiſtinguo, ideſt, Deum ut auctorem gratiæ, concedo: ut auctorem naturæ, nego. Quatuor impræſentiarum diſtinguenda ſunt, & nuſquam omittenda, nimirum ſtatus naturæ corruptæ, & ſtatus naturæ ſanæ; deinde vero Deus ut auctor gratiæ & gloriæ, & Deus ut auctor naturæ, ſeu ut finis naturalis. In ſtatu naturæ lapſæ homo, teſte Concilio Tridentino, non poteſt cognoſcere & diligere

Digitized by Google

Deum ſicut oportet, videlicet ad ſalutem conſequendam ſine ope gratiæ: Addo nec illum diligere perfecte etiam ut naturæ auctorem, propter naturæ corruptionem, quæ de ſe ad malum propenſa eſt: in ſtatu vero naturæ puræ etiam, ſecluſo Dei auxilio, non poſſet tendere ad Deum, ut ad finem ſupernaturalem, bene vero tamen ad finem naturalem; hinc protegente Deo extrinſece, in hac hypotheſi homo & cognoviſſet Deum ſuper omnia diligendum, & de facto eum amore tum benevolentiæ, tum præferentiæ, tum etiam complacentiæ dilexiſſet.

Objecta, ex aliis miſeriis ſolvuntur.

OPPONES: Concilium Arauſicanum II. num. 3. ait, illum tribuere Deo injuſtitiam, qui aſſerit hominem moriturum ſi non peccaſſet; ejuſdem eſt ſententiæ S. Auguſtinus lib. 13. de civitate Dei cap. 15. ubi ſic loquitur: " Conſtat inter Chriſtia- ,, nos.... ipſam nobis carnis mortem non ,, Lege naturæ, ſed merito inflictam pec- ,, cati. ,, Subſcribunt Honorius & Theodoſius Imperatores qui in ſuis adverſus Pelagianos edictis, eos credulitatis inſimulant, eo quod propugnarent hominem etiam ſecluſo peccato, miſeriis ſubjici. Igitur non eſt poſſibilis ſtatus naturæ puræ in quo quidem homines citra peccatum & morti & aliis miſeriis ſubjicerentur.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Non eſt poſſibilis ſtatus naturæ puræ in quo homo obnoxius foret miſeriis propter peccatum, concedo: defectibus naturalibus, nego. Mors & miſeriæ poſſunt ſpectari duplici modo; velut pœna peccati, quatenus homo ex privilegio creatus fuerat in gratia & inexterminabilis, quas quidem dotes granditate peccati, inquit, S. Aug. amiſit: deinde vero ut defectus naturales creaturæ, quippe quæ ex nihilo facta, de ſe tendit in nihilum; hinc ſequitur incorruptibilitatem non eſſe homini debitam, juxta illud Geneſ. 2. *In quacumque die comederitis, morte morieris*. Porro Pelagiani volebant etiam in præſenti ſtatu hominem, ſecluſo ipſo peccato originali, ſubjici miſeriis, & in hoc ab omnibus redarguuntur. Namque laudatæ in objectione auctoritates loquuntur de rebus ut factæ ſunt, ex vi ſcilicet præſentis decreti, nuſquam vero alium excludunt ſtatum, in quo homo naſceretur innocens quidem, ſed abſque peccato & gratia, immo & ad finem tantum naturalem ordinatus: qua hypotheſi facta, homo ſubjiceretur miſeriis ut defectibus mere naturalibus, quocirca, ait Auguſtinus, tunc non foret culpandus Creator, ſed potius in immenſum laudandus.

Inſtabis. Atqui illum etiam ſtatum rejicit ſanctus Auguſtinus. Ergo &c. Probatur ſubſumptum: lib. 3. de lib. arb. illum quidem ſtatum admittit, quippequi duplici ratione probet abſque injuſtitia Creatoris parvulos innocentes variis poſſe affici & doloribus, & miſeriis: Primo quidem, vel in vindictam peccatorum a parentibus commiſſorum, vel etiam ad eorumdem probandam fidem: Secundo, ex eo quod poſſet vel ipſos remunerare parvulos propter tolerantiam dolorum; quæ rationes pro cæteris utique adultis valent; ſed hoc ipſum retractavit epiſt. 28. ad Hieronymum, ubi fatetur hujuſmodi rationes non ſatis ponderare contra Manichæos obſtrepentes. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo, rationes allatæ non ſatis ponderant adverſus Pelagianos, qui negabant etiam pro præſenti ſtatu peccatum originale, concedo: adverſum ipſos Manichæos, nego. Eo loci agit quidem S. Doctor contra Manichæos, ſed non negat rationes allatas eos urgere; quinimmo non modicum illos premebant; in ea enim erant ſententia, quod duos admitterent Deos, unum bonum, alterum vero malum, quem dicebant miſeriarum auctorem: ſic autem adverſus eos inſurgit Auguſtinus. Etiamſi homo concupiſcentiæ & ignorantiæ obnoxius naſceretur, non ideo culpandus foret Deus, ſed potius maxime laudandus, quippequi crearet hominem perfectum, cui alias nec gratiam, nec gloriam debet.

Inſiſtes. Idem Auguſt. lib. de lib. arbir. cap. 9. ſic loquitur: " Si peccatis anima- ,, rum detractis miſeria perſeverat, aut ,, etiam præcedit, recte deformari dicitur ,, ordo atque adminiſtratio univerſitatis. ,, Igitur ex S. Præſule ſtatus naturæ puræ non eſt poſſibilis, cum in eo citra peccatum homines ſubjicerentur miſeriis.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. S. Auguſtinus loquitur de præſenti ſtatu, concedo: de altero, nego. Ibi retorquet ad-

ver-

verſus Pelagianos argumentum: ex vobis, & nunc & mors, & aliæ miſeriæ exſtant: Igitur datur peccatum originale; ipſo enim ſecluſo, primævam innocentiam, ſuis adornatam privilegiis, qualis eſt incorruptibilitas, & a cæteris miſeriis immunitas, haberet homo. In eodem ſenſu intelligendus venit, quum lib. 4. contra Julianum cap. ultimo dicit Deum non potuiſſe homini innocenti infligere miſerias, alias non ſtetiſſet promiſſis; quandoquidem Adamo ejuſque poſteris ſpoponderat immortalitatem ſolo peccato amiſſibilem, juxta oraculum jam laudatum: *In quocumque die comederis &c.* Igitur, ſecluſo peccato, morti non fuiſſet ſubditus.

Replicabis: Si S. Auguſtinus eo argumentatus fuiſſet ſenſu, ſuppoſuiſſet & primum hominem inexterminabilem, atque ab omni miſeria immunem conditum, & poſteros ita naſcituros eſſe, ſed hoc eſt petere principium, namque quæſtio inter eum & Pelagianos erat utrum Adam ita fuerit innocens creatus, ut ad poſteros transfunderet juſtitiam, ſimiliter & peccatum in caſu lapſus. Ergo &c.

Reſpondeo, S. Auguſtinum ne leviter quidem petere principium, &, ſecluſo peccato, hominem vi præſentis decreti, non eſſe miſeriis obnoxium contendere: merito quidem prædicta ſupponere, quippequi jam probaverat miſerias ad peccatum conſequi. Primo quidem, in libro de nuptiis & concupiſcentia, deinde vero in libro de peccat. meritis & remiſ. cap. 1. & 2. ubi oſtendit mortem & miſerias per ſolum peccatum intraſſe in mundum: & hoc ex illo Geneſ. 2. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Et ex illo cap. 3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Rurſus cap. 9. tum ex illo Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*. Hoc ipſum fuſo probat calamo lib. 1. contra Julianum, eo quippe loci dari peccatum originale quatuor argumentis, demonſtrat. Primo, ex illo Apoſtoli dicentis: *Per unius inobedientiam, peccatores conſtituti ſunt multi*. Secundo, ex concupiſcentia pudenda. Tertio, ex miſeriis & ignorantia: demum ex morte.

Urgebis: Idem S. Doctor lib. 4. contra Julianum cap. ultimo aſſerit veteres Philoſophos peccatum originale a miſeriis per quamdam illationem cognoviſſe: igitur non datur ſtatus in quo citra peccatum homo miſeriis ſubditus foret.

Reſpondeo diſtinguendo: peccatum originale ex miſeriis conjecturaliter cognoverunt Philoſophi, concedo: ex his enim ſuſpicati ſunt tantorum malorum cauſam eſſe peccatum, maxime vero cum & hæc ediſcere potuerint vel ex lectione veteris Teſtamenti, vel etiam ex familiaritate & conſortio cum Judæis: cognoverunt demonſtrative, nego. Cæterum Auguſtinus loquitur ex hypotheſi præſentis ſtatus; eadem eſt ſolutio ad auctoritatem D. Thomæ qui lib. 4. contra gentes infideli negativo probat ex miſeriis peccatum originale, hoc eſt, conjecturaliter, & ex vi præſentis decreti.

Inſtabis. S. Thomas eo loci loquitur de providentia quæ coaptat perfectibilia naturæ humanæ: ſed illa perfectibilia in eo præcipue conſiſtunt, quod homo ſit ab omni miſeria immunis. Ergo &c. Confirmatur; hoc ipſum exigit animæ dignitas, ut eodem loco docet S. Thomas: tum quia non eſt juſtum innocentem ſubjici miſeriis. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, & loquitur D. Thomas de providentia pro homine ad finem ſupernaturalem elevato, concedo: ad finem tantummodo naturalem, nego. Quod autem S. Doctor ſermonem inſtituat de homine innocente, ſicut de facto creatus eſt, ex eo potiſſimum liquet, quod in textu non legatur, *coaptat*, ſed *coaptavit*.

Ad primam probationem dico S. Thomam non demonſtrationis, ſed convenientiæ rationem aſſerre cur primus homo omnibus indutus ſit donis gratiæ, a quibus per peccatum excidit.

Ad alteram probationem, diſtinguo: non æquum eſt hominem innocentem, ſecluſo peccato, ex vi præſentis decreti ſubjici miſeriis, concedo: ex vi decreti ſtatus naturæ puræ, nego. Tunc enim miſeriæ fuiſſent defectus tantummodo naturales.

Repones: Contra dignitatem animæ eſt, quod non dominetur parti inferiori: ſed in hypotheſi ſtatus naturæ puræ, non dominaretur parti inferiori. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, eſt contra animæ dignitatem viribus inferioribus non dominari politice, concedo: deſpotice, nego. Dominari politice eſt per rationem & conſilium inferiorem partem regere: deſpoti-

potice vero eſt ei dominari per vim, ſicut Rex dominatur ſubditis, ita ut non audeant rebellare: priori modo anima dominata fuiſſet viribus inferioribus, ſed non poſteriori; ita ut nullos expertus fuiſſet homo ſenſualitatis motus primo-primos.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Poſſibilis eſt ſtatus naturæ puræ.

Primo: Non obſcure hoc indicat Apoſt. 1. Cor. 4. ubi dicit gratiam ita eſſe gratuitam, ut homo in nullo gloriari debeat: igitur potuit creari ad finem tantum naturalem.

Secundo: Hanc eandem veritatem cenſetur definiviſſe S. Pius V. qui ſeptimam damnavit Baii propoſitionem, in qua aſſerit ſupernaturalia Dei dona primo homini conceſſa, gratias non eſſe nuncupanda.

Tertio: Hujuſce ſtatus probat poſſibilitatem S. Auguſtinus lib. 3. de lib. arbit. cap. 20. ubi oſtendit Manichæis non eſſe admittendum primum verum principium malum propter concupiſcentiam. Quia etſi iſta foret hominis primordio, non ideo culpandus eſſet Creator, quippe quæ non mala, ſed ſolum appetitus naturalis ad bonum ſenſibile honeſtum exiſteret.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET EXPLICATIONUM.

Primo: Verum quidem eſt S. Auguſtinum quandoque dicere non dari medium inter illud, eſſe beatum vel damnatum, ſed loquitur ex ſuppoſitione præſentis decreti: ſed non negat Deum potuiſſe hominem condere in puris, ſi voluiſſet, maxime cum gloria ſit gratia conſummata prorſus indebita.

Secundo: Non implicat hominem in puris creatum quædam ignorare, ſed ſtudendo comparare ſcientias, & ſic, ait Auguſtinus, proficere potuiſſet.

Tertio: In illo ſtatu fuiſſet quidem concupiſcentia, ſed non mala, & ad peccatum inclinans hominem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum de facto gratia ſit gratuita & prorſus homini indebita.

Hanc quæſtionem dirimendam habemus, ſpecialiter adverſus Pelagianos & Semipelagianos: contra illos quidem qui non aliam præter liberum arbitrium & legem, gratiam actualem admittebant: Contra iſtos vero qui licet auxilium Dei tum ad fidei, tum ad bonorum operum conſummationem exigerent, nuſquam tamen ad initium: contra omnes, qui ut ait S. Auguſtinus, naturæ inflatores gratuitatem gratiæ prorſus evacuabant, inſurgimus. Unde ſit

CONCLUSIO.

Gratia actualis eſt mere gratuita.

Probatur auctoritate, & ratione.

§. I.

Ex veteri Teſtamento.

Primo, ex Pſalmis.

Psalmo 24. 11. habetur: *Univerſa via Domini miſericordia & veritas*. Rurſus Pſalm. 36. 23. *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet*. Rurſus Pſalm. 84. 7. *Deus tu converſus vivificabis nos*. Et adhuc Pſalm. 118. 36. *Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua*. Demum Pſalm. 126. 1. *Niſi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt qui ædificant eam*. Ex his ſequitur iſtud argumentum. Si univerſæ viæ Domini, hoc eſt, ſi operari ſaltem a divina promanet miſericordia: ſi in hoc adimplendo opere greſſus hominis dirigantur, & Deus viam ejus prius velit: ſi ad hoc Propheta petat a Domino ut inclinet ejus cor in teſtimonia ſua: ſi cuncta quæ pro iſto momento fecerit homo, ſecluſa gratia Dei, ſint inania: ſi ſolummodo ad Deum ſpectet nos & convertere & vivificare, luce pomeridiana clarius apparet, hominem in ſe relictum quidquam pro ſalute aſſequenda, ſine Dei auxilio non poſſe, adeoque gratiam eatenus indebitam

tam eſſe, quatenus eſt Dei miſericordiæ effectus. Ergo &c.

Secundo, ex Proverbiis.

LEGITUR cap. 8. juxta LXX. *Præparatur voluntas a Domino*. Rurſus cap. 21. *Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud*. Sed præparare voluntatem humanam ad bonum: ſed inclinare corda ad faciendas Domini juſtificationes, eſt aliquid operari quod vires hominis longe ſuperat: Igitur gratia eſt indebita: ſin minus natura nec præparari, nec inclinari efficacia virtutis deſuper miſericorditer datæ opus haberet: ſemetipſam enim ex innatis viribus ad bonum faciendum accingeret, cujus tamen contrarium ex utraque Proverbiorum ſententia apparet. Ergo &c.

Tertio, ex Prophetis.

SCRIPTUM eſt Iſa. 54. 14. *In juſtitia fundaberis*. Rurſus cap. 60. 1. *Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum*. Et iterum Ezech. 36. 27. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Et adhuc Jerem. 30. 21. *Applicabo eum, & accedet ad me*. Iſaias eo loci celebrat Dei miſericordias, quas per Incarnationem facturus prævidebat, quæque in eo potiſſimum ſitæ erant, ut Iſrael alternatis vicibus modo juſtus, modo etiam malus & prævaricator in juſtitia tandem in perpetuum fundaretur, ſermonem facit de lumine novo, & ad hæc uſque tempora inaudito, in quo quidem ſicut plebeii, ſic & Reges, immo & ipſi Gentiles in ſemitis juſtitiæ ambulaturi erant. Deus per os Ezechielis novum quoque promittit bonum, quo adjutus Iſrael & viam mandatorum curret, & ad Deum ſuum accedet ardentius... Jam vero ubi eſt miſericordia, ſi cuncta ſint homini debita? Ubi nova dona, ſi poſſe operari ſalutem innatum ſit homini? Ubi gratia, ſi natura ſe ſola ad Deum accedere poſſit? Si enim homo vel ipſum inchoet bonum opus fidei, ſequitur gratiam eſſe liberi arbitrii ſervam & pediſſequam. Abſurdum conſequens: Ergo & antecedens.

§. II.

Primo, ex Evangelio.

Ex novo Teſtamento.

CHRISTUS non ſemel prædicat gratiæ gratuitatem: ſic loquitur Joan. 6. 29. *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum*. Ibidem v. 36. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*. Tum v. 44. *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Et adhuc ibidem: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*. Quibus poſitis ſic argumentari fas eſt. Illud eſt indebitum & mere gratuitum, quod eſt ſpecialiter opus Dei; quod homo in ſe relictus, & niſi deſuper adjuvetur atque trahatur non poteſt facere: Atqui credere in Deum, & ad ipſum venire eſt donum Dei ſpeciale: Igitur gratia qua fit bonum opus, eſt mere gratuita, quod certe manifeſte propugnat ipſe Chriſtus Joan. 15. 16. dicens: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Et vero ſi natura vel in aliquo inciperet opus ſalutis, non Deus creaturam, ſed creatura Deum eligeret. Ergo &c.

Secundo, ex Actibus Apoſtolorum.

CONCINUNT tres potiſſimum ſententiæ. Prima 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam*. Secunda, 16. 14. *Quadam mulier nomine Lydia... audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo*. Tertia 17. 34. *Quidam irridebant, quidam vero dixerunt, audiemus te de hoc iterum... Quidam vero viri adhærentes ei crediderunt*. Sed qui nonniſi, ordinante Deo aperiente cor, credunt; qui, ipſo ſolo donante credunt, dum aliis non datur ut credant, certe nec a ſeipſis habent fidem Dei, nec illa gratia omnibus communis eſt; alias nullus Paulum prædicantem irriſiſſet, ſed omnes auditores ei adhæſiſſent, & credidiſſent. Ergo &c.

Tertio, ex B. Pauli Epiſtolis.

APOSTOLUS commendat plurimum Chriſti gratiam, in eo maxime quod ſit ejus miſericordiæ donum, adeoque & mere

re gratuita . Audiamus loquentem Rom. 9. *Non volentis , ſed miſerentis Dei* . Sermonem eo loci facit de gratia fidei, quæ Judæis ob eorum duritiem & obcæcationem denegata , tranſmiſſa eſt ad Gentiles. Hinc ad Tit. 3. ait : *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei : non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit* . Rurſus 2. Corint. 2. 14. *Chriſti bonus odor ſumus Deo: in his qui ſalvi fiunt , & in his qui pereunt : aliis quidem odor mortis in mortem , aliis autem odor vitæ in vitam* . Rurſus Col. 4. 2. *Orationi inſtate , vigilantes in illa in gratiarum actione* . Expreſſius Eph. 2. 9. *Non ex operibus , ne forte quis extollatur , ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Jeſu in bonis operibus* : Non aliis poteſt gratiæ gratuitas delineari characteribus , quam quum ipſa opus non currentis , ſed miſerentis Dei dicitur; opus benignitatis Dei , nuſquam vero operum noſtrorum ; opus vitæ non in omnibus, ſed in iis ſolum qui ſunt & vocati , & electi a Deo; opus ſicut orationis, ſic & creationis, iſtæ enim præclare dotes demonſtrant gratiam non eſſe aut naturæ fœtum, aut quid ejus meritis debitum , cum ante illam ne minima quidem habeat. Neque vero ipſi naturæ innata eſt, nam a Deo eatenus creati prædicatur, quatenus noſmetipſi , quoties bona agimus , creati in operibus bonis appellamur. Demum ſi quid vel virtutis , vel quod majus , ipſius gratiæ ſemen ineſſet nobis , non veluti figmentum, nec creati in bono a Doctore gentium diceremur : Cæterum quod eſt aut innatum , aut debitum, non eſt juxta Auguſtini regulam orationis objectum , quandoquidem illud ſolum quod indebitum eſt, oratione petimus, ut quod meritis conſequi non valemus , ſaltem ſimili & ferventi ſupplicatione obtineamus. Ergo &c.

Denique Apoſtolus commentum Pelagianum circa debitum gratiæ prorſus explodit Rom. 9. ubi eo medio, gratuitate ſcilicet gratiæ, & Judæorum & Gentilium, omniumque de ſe præſumentium contundit ſuperbiam, dicendo : *Non volentis , ſed miſerentis Dei* . Judæorum quidem, quatenus fidem ex lege , & quia filii Abrahæ ſibi debitam putabant : Gentilium vero qui inani Philoſophorum ſapientia eam attigiſſe arbitrabantur, quos omnes ut refellat, gratiam eſſe mere gratuitam propugnat , quo ſublato, nihil prorſus probaret : Non volenti igitur & currenti ſola vel lege , vel ſapientia philoſophica ducto, ſed gratiæ miſerentis Dei totum vocationis & ſalutis negotium tribui debet.

Omnem S. Paulus abſolvit controverſiam 1. Cor. 7. his verbis : *Quis te diſcernit ? Quid habes quod non accepiſti ? Si accepiſti , quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Eo loci probat gratiæ gratuitatem duobus potiſſimum momentis. Primo quidem quia homo non ſuis ſed gratiæ meritis diſcernitur. Secundo , ex eo quod in nullo niſi in Domino gloriari queat; e contra vero ſi ex innatis viribus opera bona ab ipſo profluerent. Ergo &c.

§. III.

Ex Conciliis.

CONCILIUM Milevitanum , Carthaginenſe , tum Romanum ſub Zoſimo Papa & alia quævis adverſus Pelagianam proterviam adunata, uno ore, unoque velut calamo gratiam actualem homini indebitam, & mere gratuitam eſſe, definiere : Idem ſancivit contra Semipelagianos Synodus Arauſicana ſecunda in variis canonibus, maxime canone 9. & 10. in illo ſic loquuntur Patres : *Quoties bona agimus , Deus in nobis , atque nobiſcum ut operemur , operatur* . In iſto vero : *Renatis ac ſanctis adjutorium Dei ſemper implorandum eſt, ut in bono &c.*

Fidei confeſſio igitur hæc eſt, neminem ex ſe habere ut incipiat bonum , & cœptum perficiat, ſed ad primum gratia præveniente, ad ſecundum vero adjuvante opus habere, dicendum eſt; ex quo manifeſte ſequitur gratiam nec debitam naturæ, nec ipſi innatam, ſed prorſus gratuitam eſſe, quod ulterius confirmat Concilium , quum eam precibus expoſtulandam & obtinendam eſſe aſſerit.

§. IV.

Ex ſanctis Patribus.

QUOTQUOT de auxiliis ſcripſere , tot gratiam prædicavere gratuitam : aliquorum verba hic texere juvat.

Cyprianus l. 3. ad Quirin. c. 4. ait : “

„ In

Digitized by Google

„ In nullo gloriandum, quando noſtrum „ nihil eſt. „

Ambroſius l. de fuga ſæc. c. 1. " Non eſt „ in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtræ cogitationes. „

Gregorius Nazianz. orat. 44. in Pentecoſten: " Unius Deitatis, quæſo vos, „ *ait*, confitemini Trinitatem: Si vero aliter vultis, dicite unius eſſe naturæ, „ & Deus vocem dari vobis a ſancto Spiritu deprecabitur. „ Ideſt, *ait Auguſtinus l. de dono perſev. c. 19. n. 49.* rogabitur Deus, ut permittat vobis dari „ vocem, qua quod creditis, confiteri poſſitis. „ Eo loci ſanctus Doctor probat triplici iſtorum Patrum teſtimonio gratiam eatenus eſſe gratuitam, quatenus eſt orationis objectum, & nihil boni pro vita æterna niſi, Deo donante, habemus. Tum hæc verba Gregorii addit: *Dabit enim, certus ſum, qui dedit quod primum eſt, dabit & quod ſecundum eſt*: " Ideſt, „ *inquit Aug.* qui dedit credere, dabit & „ confiteri. „

B. Auguſtinus his peractis, ſuum ſubſumit n. 50. argumentum, & ait: " Iſti tales tantique Doctores dicentes non eſſe „ aliquid, de quo tanquam de noſtro, „ quod nobis Deus non dederit, gloriemur ... Numquid autem quiſquam eos „ dicturus eſt, ita confeſſos iſtam Dei gratiam, ut auderent negare ejus præſentiam, quam non ſolum docti etiam confitentur. „ Ulteriores ſancti Præſulis afferre auctoritates ſuperſedeo, cum in omnibus libris quos contra Pelagianos & Semipelagianos ſcripſit, duo intendat probare, gratuitatem ſcilicet & neceſſitatem gratiæ, maxime vero & ex profeſſo in libris de præd. SS. & de dono perſeverantiæ.

Mitto alios SS. Doctores, ut Proſperum, Hilar. Fulgent. Bernardum, qui idem non ſemel ſcripſerunt. Mitto, Scotum, S. Bonaventuram, Alenſem, omnes & Theologos & Doctores qui gratiæ gratuitatem tanquam fidei dogma defendunt, & propugnant; omnium inſtar ſit D. Thomas qui 1. 2. qu. 109. in ſingulis articulis id ex profeſſo docet; ibidem namque art. 5. ait viribus innatis & proprio marte neminem poſſe æternam aſſequi vitam: " Vita autem æterna eſt, *ait*, finis excedens „ proportionem naturæ humanæ .... Et „ ideo homo per ſua naturalia non poteſt „ producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, ſed ad hoc exigitur „ altior virtus, quæ eſt virtus gratiæ. „ Igitur ex D. Thoma gratia neque eſt homini innata, neque ipſi debita, cum ejus excedat ordinem: Unde ibidem qu. 112. art. 3. propugnat hominem in ſe relictum ne quidem poſſe ſe præparare ad gratiam: " Poteſt igitur *ait*, præparatio dupliciter „ conſiderari. Uno quidem modo, ſecundum quod eſt a libero arbitrio; & ſecundum hoc nullam neceſſitatem habet „ ad gratiæ conſecutionem: quia donum „ gratiæ excedit omnem præparationem „ virtutis humanæ. Alio modo poteſt „ conſiderari ſecundum quod eſt a Deo „ movente; & tunc habet neceſſitatem „ ad id, ad quod ordinatur a Deo, non „ quidem coactionis, ſed infallibilitatis. Ex quo patet non eſſe in natura virtutum ſemina, ut contendunt Semipelagiani, cum homo indigeat gratia præveniente, ut ſe ad gratiam juſtificationis diſponat. Ergo &c.

§. V.

Ex rationibus D. Auguſtini.

PRIMA. Illud eſt mere gratuitum quod uni etiam juſto ſubtrahitur, alteri vero præmature conceditur; qui & ab hac vita rapitur, ne ſi diu viveret, malitia perverteretur, & poſtea damnaretur. Nihil certe hoc magis gratuitum eſt, namque ſi debitum foret, omnibus juſtis æqualiter tribueretur: immo nonumquam unus in vita relinquitur, qui ſub finem vitæ excidit a juſtitia & reprobus moritur, dum alius qui utique peccaſſet, ſi diu vixiſſet, & in peccato moriturus, conceditur ut ſalvetur. Atqui tale tantumque gratiæ donum, uni tametſi juſto conceditur, & alteri æqualiter juſto quandoque negatur. Igitur gratia eſt mere gratuita & indebita.

Hac ratione S. Aug. lib. de præd. SS. cap. 4. num. 26. contundit Pelagianos, & ſic loquitur. Explicans illam libri Sapientiæ ſententiam, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*: " Dictum eſt „ enim ſecundum pericula vitæ... Sed quare „ aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis eximantur dum juſti ſunt, alii vero juſti donec a juſtitia cadant, in eiſdem

,, periculis vita productiore teneantur ;
,, quis cognovit ſenſum Domini ? Et ta-
,, men hinc intelligi datur , etiam illis
,, juſtis , qui bonos pioſque mores uſque
,, ad ſenectutis maturitatem , & diem vi-
,, tæ hujus ultimum ſervant , non in ſuis
,, meritis , ſed in Domino eſſe glorian-
,, dum : quoniam qui vitæ brevitate rapuit
,, juſtum , ne malitia mutaret intellectum
,, ejus , ipſe in quantacumque vitæ longi-
,, tudine cuſtodit juſtum , ne malitia mu-
,, tet intellectum ejus . Cur autem hic te-
,, nuerit caſurum juſtum , quem priuſ-
,, quam caderet hinc poſſet auferre , ju-
,, ſtiſſima omnino , ſed inſcrutabilia ſunt
,, judicia ejus .

Secunda : Illud donum eſt indebitum quod ad nutum Dei , ſecluſa omni iniuſtitia a proprio aufertur populo , & datur extraneis & inimicis , cuius ſola ratio eſt penes Dei voluntatem , quia Dominus eſt . Atqui gratia vocationis ad fidem Chriſti Judæis tametſi Abrahæ filiis ſublata , tranſmiſſa eſt ad Gentiles Idololatras . Igitur gratia eſt prorſus indebita , ſed miſericordiæ ſupra modum magnæ fœtus . Ita Aug. ibidem cap. 6. nu. 11. pag. 798. *Quod quærebat Iſrael* , ait Apoſtolus , *hoc non eſt conſecutus : electio autem conſecuta eſt : cæteri vero excæcati ſunt , ſicut ſcriptum eſt , dedit illis Deus ſpiritum compunctionis , oculos ut non videant , & aures ut non audiant* . . . . " Ecce miſericordia & iu-
,, dicium , miſericordia in electionem
,, quæ conſecuta eſt iuſtitiam Dei ; iudi-
,, cium vero in cæteros qui excæcati ſunt :
,, & tamen illi quia voluerunt , credide-
,, runt ; illi quia noluerunt , non credi-
,, derunt . Miſericordia igitur , & iudi-
,, cium in ipſis voluntatibus facti ſunt .
,, Electio quippe iſta gratiæ eſt , non uti-
,, que meritorum . ,,

Tertia : Illud auxilium omnino gratuitum cenſeri debet , quod antequam quidquam aut boni , aut mali fiat , datur uni , alteri vero abnegatur : Atqui res ſic ſe habet in hoc gratiæ actualis momento . Ergo &c. Hac ratione premit liberi arbitrii inflatores S. Auguſtinus , ibidem cap. 3. num. 7. pag. 794. explanans enim hanc Apoſt. ſententiam , *Jacob dilexi , Eſau autem odio habui* , ſubdit : " Non
,, eſt gratia , ſi eam merita ulla *natura*
,, præcedant : ne iam quod datur , non ſe-
,, cundum gratiam , ſed ſecundum debi-
,, tum , reddatur potius meritis , quam
,, donetur . ,,

Quarta : Eo modo gratia eſt gratuita , quo ipſa Verbi incarnatio , quæ tamen eſt cauſa meritoria omnium auxiliorum ad ſalutem conducentium : Namque ſi cauſa & principium totius gratiæ eſt indebitum , a fortiori & ipſa gratia , cum effectus cauſæ naturam & conditiones ſequatur : Atqui incarnatio eſt mere gratuita , eſt ſolius miſericordiæ divinæ fœtus , nulla quippe merita præceſſere ut homo fieret Deus , ita quoque nec ut homo lapſus fieret Chriſtianus . S. Auguſtinus plurimum pro gratuitate gratiæ iſtud commendat exemplum ibidem cap. 15. num. 39. " Eſt
,, etiam præclariſſimum lumen prædeſti-
,, nationis & gratiæ , ipſe mediator Dei &
,, hominum homo Chriſtus Jeſus : qui ut
,, hoc eſset , quibus tandem ſuis , vel ope-
,, rum , vel fidei præcedentibus meritis
,, natura humana quæ in illo eſt , compa-
,, ravit ? Reſpondeatur quæſo : ille homo ,
,, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem
,, perſonæ aſsumptus , Filius Dei unigeni-
,, tus eſset , unde hoc meruit ? Quod ejus
,, bonum qualecumque præceſſit ? . . . Iſta
,, omnia ſingulariter miranda , & alia ſi
,, qua eius propria veriſſime dici poſsunt ,
,, ſingulariter in illo accepit humana , hoc
,, eſt , noſtra natura , nullis ſuis præce-
,, dentibus meritis . ,, Tum num. 31. "
,, Appareat itaque nobis in noſtro capite
,, ipſe fons gratiæ , unde ſecundum unius-
,, cuiuſque menſuram ſe per cuncta eius
,, membra diffundit . Ea gratia fit ab ini-
,, tio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtia-
,, nus , qua gratia homo ille ab initio ſuo
,, factus eſt Chriſtus . ,,

Quinta : Quod datur indignis & in maſſa perditionis concluſis , non ex iuſtitia certe & ex debito , ſed ex miſericordia ſola præbetur : Atqui gratia datur indignis , puta gratia ſacri lavacri pueris peccato originali maculatis , item & gratia ſacramenti quæ potiſſimum ſita eſt in quodam iure gratis conceſso ut habeant auxilia quibus cum adoleverint , chriſtiane vivere queant . Ergo &c. Hac ratione os loquentium iniqua pro ſuppoſitis naturæ meritis claudit Beatus Auguſtinus ibidem cap. 12. num. 23. ſic enim intonat & loquitur S. Præſul : " Sed omnis hæc ra-
,, tio qua defendimus gratiam per Je-
,, ſum Chriſtum Dominum noſtrum vere

,, eſſe

,, eſſe gratiam, ideſt, non ſecundum me-
,, rita noſtra dari, quamvis evidentiſſi-
,, me divinorum eloquiorum teſtimoniis
,, aſſeratur; tamen apud eos, qui niſi ali.
,, quid ſibi aſſignent, quod priores dent,
,, ut retribuatur eis, ab omni ſtudio pie-
,, tatis reprimi ſe putant, laborant ali-
,, quantulum in ætate maiorum iam uten-
,, tium voluntatis arbitrio: Sed ubi veni-
,, tur ad parvulos, & ad ipſum Mediato-
,, rem Dei & hominum, hominem C. J.
,, omnis deficit præcedentium gratiam Dei
,, humanorum aſſertio meritorum: quia
,, nec illi ullis bonis præcedentibus meri-
,, tis diſcernuntur a ceteris, ut pertineant
,, ad liberatorem hominum, nec ille ullis
,, humanis præcedentibus meritis, cum
,, & ipſe ſit homo, liberator factus eſt
,, hominum. ,,

Sexta: Si gratia non eſſet gratuita, daretur æqualiter duobus eodem modo tentatis ad ſuperandam tentationem: Atqui tamen in eiuſdem tentationis congreſsu, nonnunquam datur uni, qui & tentationi conſentire non vult, negatur vere alteri qui tentationi cedens peccat, & fit reprobus: Igitur gratia eſt indebita & mere gratuita. Probatur minor ex D. Auguſt. qui lib. 12. de civ. cap. 6. loquens de duobus circa mulierem æqualiter affectis, ſeu tentatis: " Hanc igitur, *ait*,
,, conſenſionem, hanc malam quam male
,, ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in
,, eo res fecerit, quærimus. Nam ut hoc
,, quoque impedimentum ab iſta quæſtio-
,, ne tollatur, ſi eadem tentatione am-
,, bo tententur, & unus ei cedat atque
,, conſentiat, alter idem qui fuerat, per-
,, ſeveret, quid aliud apparet, niſi unum
,, voluiſse, alterum noluiſse a caſtitate
,, deficere. ,,

Jam vero unde unus victor tentationis evadit? Certe non a natura, ambo quippe in natura, immo & in lege pares; habent quippe legem & Prophetas qui declinare a malo, & facere bonum præcipiunt: Igitur a gratia, quæ profecto ſufficientia noſtra eſt, & ideo gratuita, maxime vero cum detur uni & alteri negetur, ex quo ſequitur non in nobis, ſed in Domino gloriandum. Ita idem Auguſtinus lib. de præd. SS. cap. 2. num. 3. "
,, Commendans *Apoſtolus* iſtam gratiam,
,, quæ non datur ſecundum aliqua meri-
,, ta, ſed efficit omnia bona merita: *Non*
,, *quia idonei ſumus cogitare aliquid quaſi ex*
,, *nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*
,, ... Unde in omni opere bono & inci-
,, piendo, & perficiendo ſufficientia noſtra
,, ex Deo eſt. ,, 2. Cor. 3.

B. Auguſtinus iſta ultima ſententia gladio veluti ancipiti Pelagianum & Semipelagianum confringit commentum: Pelagianum quidem quo totum a natura & lege promanare propugnatur: Semipelagianum vero quo nos bonum ſalutis incipere aſtruitur; nam ex Auguſtino qui auctoritate Apoſtoli fretus pronuntiat, non ſolum ex nobis ſalutem operari, ſed ne quidem incipere, niſi Deo præveniente & adiuvante, valemus. Fuſior eſsem ſi cuncta B. Aug. argumenta in medium hic afferre ſatagerem: unum eſt apud S. Præſulem in hac materia & quidem de fide certum, videlicet prædeſtinationem ad gratiam eſse mere gratuitam, hoc unum dogma veluti palmare propugnat in toto libro de prædeſtinatione SS. quem ſic inchoat: " Ego autem quamvis me
,, moleſte ferre confiteor, quod divinis
,, eloquiis quibus Dei gratia prædicatur,
,, quæ omnino nulla eſt, ſi ſecundum me-
,, rita noſtra datur, tam multis manife-
,, ſtiſque non ceditur. Veſtrum tamen ſtu-
,, dium, fraternamque dilectionem filii
,, Cariſſimi Proſper & Hilari, qua eos
,, qui tales ſunt, ita non vultis errare;
,, ut poſt tot libros de hac re vel epiſtolas
,, meas, adhuc me deſi deratis hinc ſcribe-
,, re: tantum amo, quantum non poſſum
,, dicere; & tantum me amare, quantum
,, debeo, non audeo dicere. Quapropter
,, ecce reſcribo vobis. ,,

Septima: Si gratia non eſt gratuita, ſed naturæ debita: ſi natura ſe ſola ſuam vel initiare, vel perficere ſalutem poſſit, jam Chriſti exhibita pro nobis ſatisfactio non miſericordiæ, ſed ſolius iuſtitiæ debitæ opus eſt: mortuus eſt enim Chriſtus pro hominum ſalute: Sed hoc eſt contra Apoſtolum dicentem ad Tit. 3. *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit:* Sed abſurdum eſt propugnare, Chriſtum non gratis mortuum: Ergo &c. ſanctus Auguſtinus iſtud urget argumentum lib. de natur. & grat. cap. 2. num. 2. pag. 129. adverſus Pelagium, qui exaltando naturam, evacuabat Chriſti gratiam: eo enim loci S. Doctor contendit nemi-

nem

nem abſque in Deum fide ſalvari poſſe, gratiam ex meritis Chriſti & miſericorditer nobis concedi: ſin minus inutilis foret
,, Chriſti mors & redemptio: " Quod ſi
,, fieri potuit aut poteſt, *inquit*, hoc &
,, ego dico, quod de lege dixit Apoſto-
,, lus. Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.
,, Si enim hoc ille dixit de lege, quam
,, accepit gens una Judæorum, quantum
,, juſtius dicitur de lege naturæ, quam ac-
,, cepit univerſum genus humanum, ſi
,, per naturam juſtitia, ergo Chriſtus gra-
,, tis mortuus eſt? Si autem non gratis
,, Chriſtus mortuus eſt, ergo omnis na-
,, tura humana juſtificari & redimi ab ira
,, Dei juſtiſſima, hoc eſt a vindicta, nul-
,, lo modo poteſt, niſi per fidem & ſacra-
,, mentum ſanguinis Chriſti. ,,

Fit ſatis Pelagianorum & Semipelagianorum objectionibus.

OBJICIUNT Pelagiani: quod eſt ab homine, ſuumque bonum, quod dum operatur in propriam cedit gloriam, ab ipſo ut fructus ab arbore promanat; nuſquam vero a gratia, niſi eam dixeris, vel libero arbitrio in creatione hominis gratis datam, vel ad ſummum a lege bonum proponente indiſtinctam: Atqui opus bonum etiam ad ſalutem conducens talis eſt naturæ, ut ſit voluntatis humanæ fœtus, quod ſi fiat, reputatur homini & ad juſtitiam & ad vitæ æternæ meritum. Igitur vel gratia eſt a libero arbitrio & lege indiſtincta, vel ſaltem meritis naturæ operantis debita.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, a gratia ſola non promanat, concedo: a gratia ut a prima cauſa, & virtute qua præparatur voluntas a Domino, nego: bonum ſupernaturale eſt ſimul & a prima cauſa movente, & a ſecunda quæ ut mota agit: a gratia ut a primo principio: ab homine ut a ſecundo, hinc ſi Deo inſpiranti bonum, conſentiat, hoc ipſum primo quidem & principaliter in Dei prævenientis & adjuvantis, deinde vero & ſecundario in hominis gloriam cedit. Hæc reſponſio eſt B. Auguſtini qui lib. de prædeſt. SS. cap. 3. num. 7. pag. 794. " Quod
,, ergo, *inquit*, credimus, noſtrum eſt;
,, quod autem bonum operamur illius
,, eſt qui credentibus dat Spiritum ſan-
,, ctum: profecto non dicerem, ſi jam
,, ſcirem etiam ipſam fidem inter dona
,, Dei reperiri, quæ dantur in codem ſpi-
,, ritu. Utrumque ergo noſtrum eſt,
,, propter arbitrium voluutatis: & utrum-
,, que tamen datum eſt per ſpiritum fi-
,, dei & caritatis. Neque enim ſola ca-
,, ritas, ſed, ſicut ſcriptum eſt, *caritas*
,, *cum fide a Deo Patre & Domino Jeſu*
,, *Chriſto*. Eph. 6. & paulo poſt dixi, no-
,, ſtrum eſt enim credere & velle; il-
,, lius autem, dare credentibus & volen-
,, tibus facultatem bene operandi per Spiri-
,, tum ſanctum, per quem caritas diffundi-
,, tur in cordibus noſtris: verum eſt qui-
,, dem, ſed eadem regula, & utrumque
,, ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem,
,, & utrumque noſtrum, quia non fit niſi
,, volentil us nobis. ,,

Inſtant: Atqui bonum etiam ſupernaturale eſt ab homine in ſe relicto: Et probatur. Qui credit dum prædicatur Chriſtus, ſeipſum diſcernit ab alio qui nedum credere vult, ſed ipſum Evangelii prædicatorem irridet, ſicut legitur Act. 17. de quibuſdam qui Paulum de reſurrectione mortuorum perorantem illudebant. Igitur fidei opus penes liberum hominis arbitrium eſt. Confirmatur: ideo unus credit, quia vult. Igitur a ſeipſo meritum fidei eſt.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: qui credit, ſeipſum ope gratiæ a non credente diſcernit, concedo: Secluſo gratiæ auxilio, nego. Quia ſufficientia noſtra ex Deo eſt, unde præcedit gratia, ut fides habeatur, quia tamen homo gratiæ cooperatur in credendo, ideo & a Deo & a ſemetipſo diſcernitur: non inde tamen niſi in Domino gloriandum.

S. Auguſtinus ibidem lib. de præd. SS. cap. 5. num. 10. hoc ſibi proponit argumentum, & illud ſic ſolvit: " Poſſet quippe dicere
,, homo inflatus, diſcernit me fides
,, mea, juſtitia mea .... Nihil
,, autem huic ſenſui tam contrarium eſt,
,, quam de ſuis meritis ſic quemquam
,, gloriari tanquam ipſi ſibi ea fecerit,
,, non gratia Dei: Sed gratia quæ bonos
,, diſcernit a malis, non quæ communis
,, eſt bonis & malis... Poſſe babere fi-
,, dem ſicut poſſe habere caritatem, natu-
,, ræ eſt hominum: habere autem fidem,
,, quemadmodum hal ere caritatem, gra-
,, tiæ eſt fidelium........ Quiſquis au-

dax

„ det dicere habeo ex me ipſo fidem, non „ ergo accepit : profectò contradicit huic „ apertiſſimæ veritati . . . Quis enim te di- „ ſcernit ? Quid autem habes quod non ac- „ cepiſti ? „

Ad confirmationem reſpondet ibidem S. Præſul cap. 6. num. 11. pag. 798. “ Mul- „ ti audiunt Verbum veritatis , Sed alii „ credunt ; alii contradicunt . Volunt er- „ go iſti credere , nolunt aûtem illi . „ Quis hoc ignoret ? Quis hoc neget ? „ Sed cum aliis præparetur , aliis non præ- „ paretur voluntas a Domino ; dicendum „ eſt utique , quid veniat de miſericordia „ ejus , quid de judicio . „ Igitur quod unus velit credere , habet a Domino juxta inconcuſſam S. Aug. & Eccleſiæ doctrinam , quocirca natura in ſe relicta nihil poteſt , unde non in propriis , ſed in gratiæ gratuitæ meritis gloriandum eſt , juxta illud B. Cypriani lib. 3. ad Quirin. cap. 4. *in nullo gloriandum , quando noſtrum nihil ſit* .

Inſiſtunt : Atqui abſque præparatione per gratiam voluntas nutibus ſuis credit quando vult : ergo nulla ſolutio : Probatur Ant. exemplo Cornelii qui tametſi Paganus & Gentilis , attraxit tamen ſibi Petrum fidei prædicatorem , & ipſam fidem : Igitur abſque gratia homo poteſt ſe præparare ad bonum . Iſtud argumentum a Semipelagianis qui ſemina virtutum in voluntate humana admittunt , promanat .

Reſpondeo negando ſubſumptum . Ad probationem diſtinguo , & Cornelius gratia præventus & adjutus bona , tum orationis , tum eleemoſynarum opera , quibus attraxerat fidem , patrarat , concedo : & illa bona opera , ſecluſo gratiæ auxilio fecerat , nego . Solutio eſt D. Aug. qui ibidem cap. 7. num. 12. pag. 798. ſic reſpondet : Solet enim dici , ideo cre- „ dere meruit , quia vir bonus erat & „ antequam crederet . Quod de Cornelio „ dici poteſt , cujus acceptæ ſunt elemoſy- „ næ & exauditæ orationes antequam cre- „ didiſſet in Chriſtum : nec tamen ſine ali- „ qua fide donabat , & orabat . Nam quo- „ modo invocabat , in quem non credi- „ derat ? Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſ- „ ſe ſalvus , non ad eum ædificandum mit- „ teretur Architectus Apoſtolus Petrus : „ quamvis , *Niſi Dominus ædificaverit do- „ mum , in vanum laboraverunt ædificantes „ eam* .

Perſiſtunt Semipelagiani . Plantare & rigare eſt boni operis initium , incrementum vero præbere , perfectio : Sed Apoſtolus ſolum incrementum Deo tribuit , unde majorem ipſi quam homini redit gloriam dicendo neque qui plantat & rigat eſt aliquid , ſed qui incrementum dat Deus . Igitur inchoatio eſt a voluntate humana in ſe relicta , diſtinguit quippe Apoſtolus quid a libero promanet arbitrio ; nempe plantare & rigare ; quid vero a gratia , ſcilicet incrementum dare . Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo , plantare & rigare ex prævia præparatione gratiæ ſeu virtute gratiæ eſt aliquod ſalutis initium , concedo : plantare & rigare , tum Evangelii prædicatione , tum adhortatione ad præcepta Dei adimplenda , eſt ſalutis initium , ſubdiſtinguo : materialiter & objective , ſeu extrinſece , concedo : formaliter & intrinſece , nego . Eo loci Apoſtolus diſtinguit id quod eſt ab Evangelizantibus Chriſtum , & id quod eſt ab efficacia gratiæ mediatoris , primum aut nihil , aut parum eſt ipſo teſte , *neque qui plantat* , inquit , *neque qui rigat eſt aliquid* , alterum vero eſt id quod intrinſece bonum eſt , quod autem illud ſecundum initium operis ſicut & perfectio ſit a Deo , ipſe aſſerit Apoſtolus dicens , *dat velle & perficere* . Et iterum : *Nemo poteſt dicere Jeſu niſi in Spiritu ſancto* .

S. Auguſtinus , utrumque , videlicet & initium & conſummationem operis eſſe a Deo propugnat ibidem cap. 2. num 3. ubi refert objectionem , quam quidem his dirimit verbis : “ Sed nunc eis reſponden- „ dum eſſe video , qui divina teſtimo- „ nia , quæ de hac re adhibuimus , ad hoc „ dicunt valere , ut noverimus ex nobis „ quidem nos habere ipſam fidem , ſed „ incrementum ejus ex Deo . „ Tum „ num. 4. “ Sed contra , cur non potius „ audimus , *quis prior dedit ei , & retri- „ buetur illi ?* „ Rom. 11. & num. 5. “ Et „ ideo commendas iſtam gratiam , quæ „ non datur ſecundum aliqua merita , ſed „ efficit omnia bona merita , *non quia „ idonei ſumus* , inquit , *cogitare aliquid „ quaſi ex nobis metipſis , ſed ſufficientia noſtra „ ex Deo eſt* 2. Cor. 3. 5. Unde in omni „ opere bono & incipiendo , & perficien- „ do ſufficientia noſtra ex Deo eſt . „ Immo plantare & rigare ſicut oportet a Deo eſſe contendit S. Doctor : ibidem

enim

enim cap. 5. num. 9. ſic loquitur: "Vi-
„ des ne nihil agere, Apoſtolum niſi ut „ humilietur homo, & exaltetur Deus „ ſolus? quandoquidem in eis qui plantan-„ tur & rigantur, nec ipſum plantato-„ rem & rigatorem dicit eſſe aliquid, „ ſed qui incrementum dat Deus, quam-„ vis & hoc ipſum quod ille plantat, „ hic rigat, non ipſis ſed Domino tri-„ buat, dicens unicuique, ſicut Domi-„ nus dedit, *Ego plantavi, Apollo rigavit*. „ 1. Cor. 3.

S. Thomas eamdem ſtrenue propugnat doctrinam: Non enim in uno aut altero, ſed multiplici loco docet, hominem poſſe quidem ad bonum naturalis ordinis ſe præparare, & illud quandoque viribus innatis facere, nuſquam vero ad bonum ſalutis, niſi donante Domino. Audiamus loquentem 1. 2. q. 109. art. 5. " Homo per „ ſua naturalia non poteſt producere ope-„ ra meritoria vitæ æternæ, ſed ad hoc „ exigit altior virtus, quæ eſt virtus gra-„ tiæ. Et ideo ſine gratia nemo poteſt „ mereri vitam æternam. Poteſt tamen „ facere opera perducentia ad bonum ali-„ quod homini connaturale: ſicut laborare „ in agro, bibere, manducare & habere „ amicum, & alia hujuſmodi. „

Rurſus art. 6. quærit num homo poſſit ſe ad gratiam præparare per ſeipſum abſque exteriori gratiæ auxilio? Et reſpondet negative; aſſerendo hominem indigere & gratia actuali, ut ſe diſponat ad habendam gratiam habitualem, & gratia ipſa habituali ad conſequendam vitam æternam.

Rurſus ibidem q. 12. ex profeſſo docet facienti quod in ſe eſt ſolum gratia actuali prævento & adjuto gratiam juſtificationis conferri.

Obſtrepunt Pelagianorum & Semipelagianorum phalanges. Deus imponit præcepta pro fuga mali & proſecutione boni omnibus, etiam obduratis peccatoribus, etiam Paganis & Infidelibus, quibus, ut quidam tenent Theologi, ipſa gratia ſufficiens deeſt: immo ipſe S. Auguſtinus lib. de præd. SS. cap. 8. num. 15. diſtinguit duplex hominum genus prædicatorem Evangelii audientium, quidam credunt, & eos dicit intus audire, ceteros vero non: Igitur gratiam ſufficientem ad credendum non habent. Quid plura? Gratia qua præparatur voluntas a Domino, non eſt, teſte Auguſtino, gratia ſufficiens, ſed efficax quæ multis deeſt: ſic loquitur ibidem cap. 5. num. 11. pag. 798. " Volunt ergo iſti credere, nolunt „ autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc „ neget? Sed cum aliis præparetur, aliis „ non præparetur voluntas a Domino, „ dicendum eſt utique quid veniat de mi-„ ſericordia ejus, quid de judicio. „ Ideo quidam credunt, ex S. Aug. quia in eis præparatur voluntas: ecce gratia operis, videlicet qua præparatur voluntas. Sed ſi gratia abſolute, aut requiratur, aut meritis naturæ bonum inchoantis non detur, jam videtur, quod abſit dicere, iniquitas in Deo; homo enim peccabit non adimplendo præcepta, & hoc quia non poterit: Jam actum erit de libertate, quatenus abſque gratia operari bonum non valebit; ipſa vero ab eo nec pendet, nec eam quando vult, habere poteſt. Igitur ut ſalvetur & Dei ſanctitas & hominis in operando bonum libertas, dicendum eſt eum ex ſe poſſe, aut bonum facere, aut ſaltem inchoare ut meritis ejus gratia qua perficiatur, adſit.

Reſpondeo diſtinguendo, Deus præcipit bonum, & intuitu meritorum Chriſti dat omnibus etiam obduratis, etiam infidelibus gratiam ſufficientem qua voluntas ab eo præparatur ad converſionem, vel ſaltem ad orandum, ut precibus gratiam uberiorem, qua de facto ſe convertant aſſequantur, concedo: & non dat, nego. Igitur neque iniquitas & injuſtitia, apud Deum eſt, ſed ſemper ſumma miſericordia: neque etiam offenſio, aut ulla libertatis læſio, quandoquidem Deus in miſericordiis dives ſemper adeſt ut ſuccurrat miſeris & indigentibus, tum quia gratia mediatoris, teſte S. Auguſtino, non deſtruit, ſed ſanat & perficit libertatem; hinc Deus impoſſibilia non jubet, cum det, ut bonum quod præcipit, fiat. Jam vero quum S. Auguſtinus dicit voluntatem præparari per gratiam efficacem, non excludit præparationem illi præviam quæ eſt per gratiam ſufficientem, quam dari peccatoribus nuſquam negat, ſed loquitur de præparatione ultimata quæ effectum converſionis conjunctum habet: & actu homo credit: Et vero cur alius non credat, hanc reddit rationem S. Præſul, quia pulſanti non vult obedire: Judæi iterum atque iterum ad fidem in Chriſtum

excitati, noluerunt credere; quorſum? niſi quia Spiritui ſancto ſicut Patres eorum, ut habetur Act. 7. reſiſtebant: ſi culpa refunditur in talem reſiſtentiam, habebant igitur gratiam ſufficientem & compellentem ad credendum, alias falſo increparentur his verbis: *Vos ſemper ... Spiritui ſancto reſiſtitis*. Cæterum non faceſſit negotium dum idem Aug. dicit quoſdam audire intus & credere: quoſdam vero forinſecus tantum & non credere, eo quippe loci loquitur ſolum S. Doctor de gratia efficaci qua actu creditur in Chriſtum, ſed nullo modo excludit gratiam ſufficientem, quam quidem tacet, ſed ſupponit: loquitur vero principaliter de altera, quia ibi agit contra Pelagianos, inter quos & ipſum movebatur controverſia de gratia operis & neceſſaria ad operandum actu bonum.

Illuſtrantur iſtæ ad ſingula momenta reſponſiones variis auctoritatibus.

Primo: " Deus impoſſibilia non jubet, *inquit Conc. Tridentinum*, ſeſſ. 6. cap. 11. „ ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat „ ut poſſis. Cujus mandata gravia non „ ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus „ leve. „

Secundo: Homo ſua gaudet libertate, nec illam lædit præceptum quum imponitur: immo ideo cum exortatione ad illud adimplendum imponitur, quia liber eſt ad transgrediendum, vel non transgrediendum juxta illud Eccli. 31. 10. *Qui potuit transgredi & non eſt transgreſſus, facere mala & non fecit*. Et iſtud Auguſtini l. de grat. & lib. arb. cap. 2. n. 4. p. 719. " Quid illud quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri & fieri jubet „ Deus; quomodo jubet, ſi non eſt liberum arbitrium? „

Tertio. Voluntas humana ſub dominio gratiæ eſt libera, nam gratia mediatoris non deſtruit, ſed reparat libertatem, inquit idem S. Doctor lib. de corr. & cap. 11. n. 31. " Hæc autem tanto major eſt, „ ut parum ſit homini per illam reparare „ perditam libertatem: parum ſit denique „ non poſſe ſine illo, vel apprehendere „ bonum, vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur ut velit. „

Quarto: Gratia efficax præparat voluntatem ex parte actus ſecundi inferendo actum; ſufficiens vero ex parte actus primi excitando ad actum. Primam agnoſcere Auguſtinum nemo non novit: Alteram admittere etiam in præſenti ſtatu ſi negas, ipſi contradicis Auguſtino qui locum Proverbiorum potiſſimum intelligit de ea, cum in libro Confeſſ. aſſerat non ſemel ſe reſtitiſſe Deo vocanti, libro vero de ſpiritu & litera cap. 34. ſic definit: " Conſentire autem vocationi Dei, „ vel diſſentire ab ea, propriæ voluntatis „ eſt. „ Quid plura? Agnoſcit gratiam cui excitanti ad bonum reſiſti poteſt, immo & nonnumquam reſiſtitur. Lib. de prædeſt. SS. c. 6. n 11. " Multi audiunt verbum „ veritatis: Sed alii credunt, alii contradicunt. „

Quinto: Gratia ſufficiens dat poſſe bonum proxime & datur omnibus, etiam obduratis: efficax offertur, & rogandus eſt Deus ut habeatur. De primo momento audi Auguſtinum ſerm. 2. in Pſalm. 58. " Deus averſum revocat, & refugientem quodammodo ad ſe redire compellit & attrahit; in omnibus implet, ut „ dictum eſt, miſericordia ejus præveniet „ me. „ De ſecundo ſic loquitur lib. de præd. SS. cap. 11. num. 22. reſpondendo ad objectionem Pelagianorum: " Sed „ cum dicitur, inquiunt, ſi *credideris*, „ *ſalvus eris*: Unum horum exigitur, alterum offertur; quod exigitur, in hominis, quod offertur, in Dei eſt poteſtate. Cur non utrumque in Dei, & „ quod jubet, & quod offert? Rogatur enim „ ut det quod jubet: rogant credentes, „ ut ſibi augeatur fides; rogant pro non „ credentibus, ut eis donetur fides: & in „ ſuis igitur incrementis, & in ſuis initiis Dei donum eſt fides .... Omnia „ autem hæc operatur unus atque idem „ ſpiritus, dividens propria unicuique „ pro ut vult... Ideo autem & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe demonſtrantur; ut intelligatur quod & nos ea facimus, & Deus facit, ut illa faciamus. „

Sexto: Dictum eſt S. Auguſtinum gratiam ſufficientem non explodere, cum l. de præd. SS. cap. 8. ait eos qui audiunt & non credunt, foris audire, vocabulum quippe *foris* diſtinguit gratiam qua intrans Spiritus ſanctus ſolum ut aſſiſtens, ab ea qua in cor & inhabitans loquitur, iſta quippe eſt efficax. Nec mirum, eo loci loquitur tantum de gratia operis quæ effe-

effectum conjunctum habet, & de qua ſolum movebatur controverſia. Audiamus loquentem: Ait ibidem num. 15. " Qui „ credunt, prædicatore forinſecus infonante, intus a Patre audiunt atque diſcunt . . . . Illis datur ut credant. „ Ex his omnibus liquet & præcepta juſte imponi, & ſanctitatem Dei, atque hominis libertatem non offendi, & voluntatem humanam omne bonum poſſe, ſed ea conditione ut præparetur a Domino.

Repones 2. Prædeſtinatio eſt ſecundum præſcientiam naturæ meritorum. Igitur gratia non eſt mere gratuita. Pelagius apud S. Aug. lib. de præd. SS. cap. 18. num. 36. ſic probat antecedens: " Præſciebat ergo qui futuri eſſent ſancti & „ immaculati per liberæ voluntatis arbitrium. Et ideo eos ante mundi conſtitutionem in ipſa ſua præſcientia, quales tales futuros eſſe præſcivit, elegit. „ Elegit ergo, *inquit*, antequam eſſent, „ prædeſtinans filios, quos futuros ſanctos, „ immaculatoſque præſcivit, utique ipſe „ non fecit, nec ſe facturum, ſed illos „ futuros eſſe prævidit. „ Ex Pelagianis prædeſtinatio fit ſecundum merita propriæ voluntatis præſcita, quatenus præſcientia bonorum operum regulatur, quod multi Theologi etiam orthodoxi propugnant. Ergo &c. Confirmatur: Ideo puer baptizatus e vita migrat & gloria donatur, quia Deus præſcit eum multa bona facturum, ſi vixiſſet; qui vero e contra abſque Baptiſmo exul a patria moritur, propter malam vitam futuram, ſi diutius in terris ſuperſtes fuiſſet; alias quædam appareret in Deo injuſtitia, ſi ſors utriuſque abſque relatione ad merita vel demerita propriæ voluntatis definiretur. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Prædeſtinatio puerorum qui poſt ſuſceptum Baptiſma moriuntur, eſt per præſcientiam meritorum, nego: jure quippe hæreditatis per merita Chriſti gloria donantur æterna: prædeſtinatio adultorum, ſubdiſtinguo: eſt per præſcientiam meritorum quæ virtute gratiæ comparantur, transeat, de hoc enim momento non eſt una & eadem apud Theologos etiam Orthodoxos ſententia: quæ ſolius naturæ viribus acquiruntur, nego. Deus præſcit quidem merita ſed quæ ipſe per gratiam ſuam, cooperante voluntate humana, facturus eſt, unde Pelagiani totum naturæ conferentes, graviter hallucinantur.

Solutio eſt S. Auguſtini qui ibidem num. 36. propoſitam obiectionem his dirimit verbis: " Intueamur ergo verba Apoſtoli, „ atque videamus utrum propterea nos „ elegerit ante mundi conſtitutionem, „ quia ſancti & immaculati futuri eramus, an ut eſſemus? „ *Benedictus*, inquit, *Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nos benedixit in omni benedictione ſpiritali in cæleſtibus in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati*. Epheſ. 1. " Non ergo quia futuri eramus, „ ſed ut eſſemus . . . . ita ergo nos benedixit benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto Jeſu ſicut elegit nos in „ ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu „ eius, in charitate prædeſtinans nos in „ adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum „ in ipſum: deinde quid adiungat, attendite: *ſecundum propoſitum*, inquit, *voluntatis ſuæ*, ne in tanto beneficio gratiæ de placito gloriaremur voluntatis noſtræ . . . in hoc myſterio voluntatis ſuæ „ poſuit divitias gratiæ ſuæ, ſecundum „ voluntatem ſuam, non ſecundum noſtram „ quæ bona eſſe non poſſet, niſi ipſe ſecundum bonamvoluntatem ſuam, ut bona fieret, ſubveniret. „

Ad confirmationem, negat pueros alios cum Baptiſmo mori propter bona merita, alios vero ſine Baptiſmo propter demerita futura præſcita, utraque enim mere fictitia ſunt. Ibidem c. 12. nu. 24. ſic reſpondet ſanctus Præſul: " Quis enim „ audiat, quod dicuntur parvuli pro ſuis „ futuris meritis in ipſa infantili ætate „ baptizati exire de hac vita; & ideo „ alii non baptizati in eadem ætate mori, quia & ipſorum præſcita ſunt merita futura, ſed mala; non eorum vitam bonam vel malam Deo remunerante, „ vel damnante, ſed nullam? Apoſtolus „ quidem limitem fixit, quem transgredi „ non debeat hominis, ut mitius loquar, „ incauta ſuſpicio. Ait enim 2. Cor. 5. „ *Omnes aſtabimus ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque ſecundum ea quæ per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum*: Geſſit, *inquit*, non adiunxit, vel geſturus „ fuit. Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit, neſcio, ut futura quæ non „ ſunt

„ ſint futura puniantur, aut honorentur „ merita parvulorum. Cur autem dictum „ eſt ſecundum ea quæ per corpus geſſit, „ hominem iudicandum, cum gerantur „ multa ſolo animo, non per corpus, nec „ per ullum corporis membrum, & plerumque tam magna, ut talibus cogitationibus pœna iuſtiſſima debeatur; ſicuti eſt, ut talia taceam, quod *dixit insipiens in corde ſuo non eſt Deus*? Quid „ eſt ergo ſecundum ea quæ per corpus „ geſſit: niſi ſecundum ea quę geſſit eo „ tempore quo in corpore fuit, ut per corpus intelligeremus per corporis tempus? „ Poſt corpus autem nemo erit in corpore, niſi reſurrectione noviſſima. „

Neque vero abſque blaſphemia dici poteſt vel minimam eſſe apud Deum optimum iniquitatis umbram, omneſque in maſſa perditionis Adæ concludantur, unde miſericordia in iis qui liberantur affulget maxima, inquit ibidem Aug. c. 6. nu. 11. iudicium vero in cæteris tam adultis quam parvulis, qui æterna beatitudinis regno privantur.

Replicant liberi arbitrii inflatores: ſi res ita ſe habeat, ut totum prædeſtinationis myſterium penes ſit gratiam mere gratuitam, cum iſtam habere non ſit in poteſtate hominis, iam ecce anxietatis ſupremæ, immo & deſperationis locus: ſed hoc bonitati divinæ repugnat: Igitur dicendum eſt, vel liberum arbitrium ſe ſolo poſſe ſalvari, vel ſi gratia ad hoc neceſſaria ſit, eam meritis naturæ tribui concedendum eſt.

Reſpondet S. Auguſtinus ad hanc vanam inſtantiam ibidem cap. 11. n. 21. “ Sane „ cum Apoſtolus dicat, *ideo ex fide, ut* „ *ſecundum gratiam firma ſit promiſſio*, „ Rom. 16. Miror homines infirmitati „ ſuæ ſe malle committere, quam firmitati promiſſionis Dei. Sed incerta eſt „ mihi, inquis, de meipſo voluntas Dei. „ Quid ergo tuane tibi voluntas de teipſo „ certa eſt, nec times *&. qui videtur ſtare,* „ *videat ne cadat*. Cum igitur utraque incerta ſit, cur non homo firmiori quam „ infirmiori fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit? „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Gratia eſt mere gratuita.

PRIMO: Hoc ipſum ubique Scriptura ſacra dicit, juxta illud Pſalm. 126. 1. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*. Et iſtud Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*.

Secundo: Idem conclamant Patres. Cyprianus l. 3. ad Quirinum c. 4. “ In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil „ eſt. „ Suffragatur ſanctus Auguſtinus ubique, maxime l. de præd. SS. c. 1. nam gratia, ait, non eſſet gratia, ſi vel eſſet debita, vel naturæ meritis daretur.

Tertio. Concioit ratio, & quidem multiplex. Primo datur indignis & Dei inimicis apertis, pueris quidem in peccato originali immerſis ut ſacro lavacro regenerentur: peccatoribus adultis, ut vivificentur. Quid plura? Nonnunquam e duobus æqualiter tentatis, unus vincit inimicum atque ſalvatur, alter vero oblatam rejiciens gratiam cedit tentationi & reprobatur; in quo quidem exemplo apparet, *inquit S. Auguſtinus*, miſericordia & judicium: miſericordia in eo qui credit Spiritui ſancto loquenti, & liberatur: judicium in alio qui rebellat, & abjicitur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET AD EASDEM RESPONSIONUM.

PRIMO QUIDEM, juſte & præcepta imponuntur & fiunt exhortationes, tum ad vitandum malum, tum ad faciendum bonum, & hoc abſque libertatis humanæ læſione: tametſi enim homo bonum abſque gratia peragere non valeat: *Omnia tamen poſſum*, inquit Apoſtolus, Philip. 4. 13. *in eo, qui me confortat*. Quod per amicos, ait D. Thomas poſſumus, per nos quodammodo poſſumus; Deus autem nedum amicus, ſed & Pater miſericordiarum eſt: hinc intuitu meritorum dilectiſſimi filii ſui dat omnibus gratiam ſufficientem ut poſſint adimplere præcepta, offert vero efficacem qua de facto adimpleant, ſi innata malitia Deo vocanti non reſiſtant.

Secun-

Secundo : Incaſſum Semipelagiani iſtud laudant in gratiam naturæ axioma , *facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam*, hoc quippe , teſte divo Thoma , intelligitur de diſpoſitione ad juſtificationem , quæ quidem diſpoſitio non fit abſque auxilii prævenientis ope: *Unde*, inquit Tridentinum ſeſs. 6. cap. 5. in Sacris litteris, cum dcitur : *Convertimini ad me , & ego convertar ad vos , libertatis noſtra admonemur :* Cum reſpondemus *: Converte nos , Domine , ad te , & convertemur , Dei nos gratia præveniri confitemur .*

Tertio: licet ſine gratia neque inchoare, neque a fortiori conſummare aliquem actum ſupernaturalem non poſſimus , non inde ſequitur voluntatem creatam mere paſſive ſe habere , cum potius & ſanata & mota per gratiam ſeipſam moveat & accingat ad bonum ſalutis , juxta illud Concilii Arauſicani ſecundi Can. 9. *Quoties bona agimus , Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur , operatur .*

Cæterum, nihil aut anxietatis, deſperationiſve ex neceſſitate gratiæ emergit , cum fidem, ſpem & charitatem noſtram Deo committendo , tutiores , inquit S. Auguſtinus evadamus , quippe qui ſit *Pater miſericordiarum*, ait Apoſtolus , *& Deus totius conſolationis , qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra* . 2. Cor. 1.

ARTICULUS TERTIUS.

Num Patres Dioſpolitani abſolvendo Pelagium , ejus adhæſerint erroribus .

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur ratione multiplici .

PRIMA ſic ſe habet *:* Illi non adhæſerunt erroribus Pelagii quem citatum coegerunt duodecim proſcribere erroneas propoſitiones , quæ illi per accuſationis libellum objiciebantur : Atqui ex actitatis in Concilio res ſic ſe habet: Ergo &c. Probatur minor . Sic habetur in Concilio Dioſp. apud Labbæum pag. 1529.

" *Primo*: Objectum eſt enim cum dice„ ret, Adam mortalem factum ; qui ſive „ peccaſset, ſive non , mortuus eſset . „

" *Secundo* : Quod peccatum ipſius ip„ ſum ſolum læſerit , & non genus hu„ manum . „

" *Tertio:* Et quod infantes nuper nati, „ in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit an„ te prævaricationem . „

" *Quarto* : Et quod per mortem , vel „ prævaricationem Adæ non omne genus „ humanum moriatur : & quod non per „ Reſurrectionem Chriſti omne genus hu„ manum reſurgat . „

" *Quinto*: Infantes, etiamſi non bapti„ zentur , vitam æternam habere poſ„ ſunt . „

" *Sexto*: Et divites baptizatos , niſi om„ nibus abrenuntient , ſi quid boni vel ſne„ rint facere , non reputari illis, nec eos „ habere poſſe regnum Dei . „

" *Septimo*: Et gratiam Dei atque adju„ torium non ad ſingulos actus donari , „ ſed de libero arbitrio eſſe, vel in lege „ atque doctrina . „

" *Octavo*: Et gratiam Dei ſecundum me„ rita noſtra dari . „

" *Nono* . Et filios Dei non poſſe vocari , „ niſi omnimode abſque omni peccato fue„ rint effecti . „

" *Decimo* : Et non eſſe liberum arbi„ trium , ſi Dei indigeat auxilio , quoniam „ in propria voluntate habet unuſquiſque „ facere aliquid , vel non facere . „

" *Undecimo*: Et victoriam noſtram non " eſſe ex Dei adjutorio , ſed ex libero ar„ bitrio . „

" *Duodecimo*: Et quod petentibus veniam „ non detur ſecundum gratiam & miſe„ ricordiam Dei , ſed ſecundum merita „ & laborem eorum qui per pœnitentiam „ digni fuerint miſericordia . Hæc om„ nia Pelagius ſic anathematizavit . „ Ergo &c.

Altera ratio ſic proponitur : Illi non veniunt in hæreſeos ſuſpicionem, qui, ſervatis ſervandis, Pelagium ſecundum allegata & probata judicarunt . Atqui ita ſe geſſit Patrum Dioſpolitanorum cœtus in negotio Pelagii : Et probatur . Duo juxta juris apices ad purgationem canonicam Pelagii erant neceſſaria ; ſcilicet quod ſuos ejuraret errores ; tum fidei confeſſionem exhiberet : Atqui ejuratis erroribus prædictis, hanc fidei profeſſionem propalavit : Igitur Judices abſolvendo Pelagium illius non adhæſere erroribus.

Confeſſio fidei Pelagii exhibita in Concilio Dioſpolitano. Ibidem pag. 1530.

PRIMO: *Quod Adam niſi peccaſſet, non fuiſſet moriturus.*

Secundo: *Quod peccatum ejus non ipſum ſolum læſerit, ſed & genus humanum.*

Tertio: *Quod infantes nuper nati non ſint in illo ſtatu in quo Adam fuit ante prævaricationem.*

Quarto: *Ut ad ipſos etiam pertineat*, quod breviter ait Apoſtolus: PER UNUM HOMINEM MORS, ET PER HOMINEM RESURRECTIO MORTUORUM: ET SICUT IN ADAM OMNES MORIUNTUR, ITA ET IN CHRISTO OMNES VIVIFICABUNTUR.

Quinto: *Quod infantes non baptizati, non ſolum regnum cælorum, verum etiam vitam æternam non habere poſſint.*

Sexto: *Ut confiteatur divites baptizatos, etiam ſi divitiis ſuis non careant, & ſint tales, quales ad Timotheum deſcribit Apoſtolus, dicens*: PRÆCIPE DIVITIBUS HUJUS MUNDI NON SUPERBE SAPERE, NEQUE SPERARE IN INCERTO DIVITIARUM SUARUM, SED IN DEO VIVO, QUI PRÆSTAT NOBIS OMNIA ABUNDANTER AD FRUENDUM: DIVITES SINT IN OPERIBUS BONIS, FACILE TRIBUANT, COMMUNICENT, THESAURIZENT SIBI FUNDAMENTUM BONUM IN FUTURUM, UT APPREHENDANT VITAM ÆTERNAM: NON EOS A REGNO DEI POSSE PRIVARI.

Septimo: *Ut fateatur gratiam Dei & adjutorium etiam ad ſingulos actus dari, eamque non dari ſecundum merita noſtra.*

Octavo: *Ut revera ſit gratia, id eſt gratis data per ejus miſericordiam, qui dixit*: MISEREBOR, CUJUS MISERTUS ERO: ET MISERICORDIAM PRÆSTABO CUI MISERTUS FUERO.

Nono: *Ut fateatur filios Dei vocari poſt illos, qui quotidie dicunt*: DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, *quod utique non veraciter dicerent, ſi eſſent omnino abſque peccato.*

Decimo. *Ut fateatur eſſe liberum arbitrium, etiamſi divino indigeat adjutorio.*

Undecimo: *Ut fateatur, quando contra tentationes, concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, ſed ex adjutorio Dei provenire victoriam. Non enim aliter verum eſt quod Apoſtolus ait*: NON VOLENTIS, NON CURRENTIS, SED MISERENTIS EST DEI.

Duodecimo: *Ut fateatur ſecundum gratiam, & miſericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non ſecundum merita eorum: Quem admodum etiam ipſe pœnitentiam, donum Dei dixit Apoſtolus, ubi ait*: NE FORTE DET ILLIS DEUS POENITENTIAM, *hæc omnia ſimpliciter ſine ullis fateatur ambagibus.*

Audis Patres adamuſſim de gratia fidem exponere, cui ſubſcribere Pelagium ante abſolutionem voluerunt, quibus expletis, ſic pronuntiant: *Si quis contra auctoritatem catholicam, & ipſius Pelagii expreſſa Eccleſiaſticis geſtis verba conſentit, atque in illa quæ his ſunt contraria veraciter credit, anathema eſſe tenendum eſt, niſi quæ illis contraria ſunt, fido corde teneantur, & aperta confeſſione promantur.*

Tertia ratio: Judex nuſquam criminis reus dicitur, cum abſolvit innocentem qui prævio maturo examine, & adhibita omni Juris ſolemnitate ſecundum allegata & probata, nævo apparet immunis: Atqui ita viſus eſt Pelagius; quocirca illuſit Patribus, atque incauti ſua abſque culpa abſolvere reum: Ergo &c. Probatur minor teſtimoniis omni exceptione majoribus.

Teſtimonium Sancti Auguſtini.

S. DOCTOR lib. de geſtis Pelagii cap. 21. ita ſcribit: " Pelagius tamen apud „ eos quibus amplius, certiuſque notus „ eſt: non mihi videtur eſſe purgatus. „ Illi enim tanquam de ignoto judican„ tes, his præſertim abſentibus qui con„ tra eum libellum dederant, hominem „ quidem diligentius examinare minime „ poterunt: hæreſim tamen ipſam, ſi „ eorum ſequantur judicium, qui pro „ ejus perverſitate certabant, penitus pe„ remerunt. „

Rurſus ibidem cap. 35. " Deinde poſt „ aliquot annos Pelagio, qui magiſter e„ jus, *Celeſtii nimirum*, perhiberetur, cum „ iſta hæreſis fuiſſet objecta ad Epiſcopa„ le judicium, etiam ipſe pervenit: re„ citatiſque omnibus, quæ in libello con„ tra eum dato, Heros & Lazarus Epiſ„ copi Galli poſuerant; illis quidem abſentibus,

„ tibus, & de ægritudine unius eorum ex-„ cuſantibus, Pelagium ad omnia reſpon-„ dentem, quatuordecim Epiſcopi Pro-„ vinciæ Palæſtinæ, ſecundum reſponſio-„ nes ejus alienum a perverſitate hujus „ hæreſis pronuntiarunt: eam tamen hæ-„ reſim ſine ulla dubitatione damnantes, „ &c. „

Rurſus lib. 2. de peccato originali contra Pelagium et Cæleſtium cap. 8. ſic loquitur: " Fefellit enim judicium Palæ-„ ſtinum, propterea ibi videtur eſſe pur-„ gatus: Romanam vero Eccleſiam, ubi „ eum eſſe notiſſimum ſcitis fallere uſque-„ quaque non potuit. „ Obſerves velim ex D. Auguſtino Patres Pelagianam damnaſſe hæreſim: Igitur abſolvendo incaute reum, ejus non ſubſcripſerunt erroribus. Ibidem cap. 16. excuſat Patres Auguſtinus his verbis: " Tanto enim Judi-„ ces fefellit occultius, quanto exponit „ iſta verſutius. Epiſcopi quidem Catho-„ lici quando audiebant hominem anathe-„ matizantem eos, qui dicunt Adæ pec-„ catum ipſi ſoli obſuiſſe, non generi hu-„ mano, nihil aliud eum ſapere exiſtima-„ bant, quam id quod Catholica Eccleſia „ prædicare conſuevit. „

Teſtimonium Innocentii I.

SANCTUS ille Pontifex epiſt. ad quinque Africanos Antiſtites, quam S. Auguſtinus laudat lib. de peccato originali cap. 9. illos purgat his verbis: " Cum ſint, „ *inquit*, aliqua in ipſis poſita geſtis quæ „ objecta, partim ille vitando ſuppreſſit, „ partim multa in ſe verba retorquendo „ tota obſcuritate confudit, aliqua magis „ falſa quam vera ratione, ut ad tempus „ poterat videri, purgavit, negando alia, „ alia falſa interpretatione vertendo. „ Ecce vel ipſe Chriſti Vicarius qui excuſatos habet Præſules Palæſtinos.

Teſtimonium ſancti Proſperi.

SANCTUS ille Doctor carmine de ingratis cap. 2. de Palæſtina Synodo ſic canit.

. . . . non ſegnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit: captumque nefandi
Dogmatis auctorem conſtrinxit lege benigna
Commentum damnare ſuum, niſi corpore Chriſti
Abjungi, & ſancto mallet grege diſſociari.
Lene quidem hoc, nimiumque malos tolerasse videtur
Judicium: ſed ſancta fides examine in illo
Vicit oborturum dive de ſemine prolem.
Proſpectum namque eſt, divino & munere cautum,
Ut licet inſtantem declinans beſtia pœnam,
Perfidia ſeum ſenſus texuiſſet eoſdem:
Ipſa tamen proprium germen damnando necaret:
Ore malam extinguens ſobolem, quam protulit ore.

Fit ſatis objectionibus.

OBJICIES: Illi adhæſerunt erroribus Pelagii, qui ex ſcientia certa, tacito ſaltem conſenſu, ſenſum erroneum in ſcriptis Pelagii contentum non proſcripſere: Atqui Patres Palæſtini nimiam hanc habuere Indulgentiam: Et probatur. Primo quidem, certiores facti de mente ejus verſipelli, & in erroribus ſubtegendis verſutia, debebant nominatim damnare omnes Pelagii textus, ne remaneret evadendi aditus: quod tamen non fecere: Secundo objectum eſt Pelagio, ut refertur in libro de geſtis Palæſtinis S. Aug. cap. 1. iſtud, quod in libro ſuo Heterodoxus poſuerat: " Non poſſe eſſe ſine peccato, niſi qui „ legis ſcientiam habuerit. „ Cui objectioni reſpondit Pelagius hominem adjuvari per legis ſcientiam ad non peccandum, ſicut ſcriptum eſt: *Legem in adjutorium dedit illis*: Quæ quidem verba ſubindigitant legem eſſe gratiam, quod erroneum: & tamen ſubjunxit Auguſtinus: " Hoc audito, Synodus dixit, non ſunt „ aliena ab Eccleſia, quæ dicta ſunt a Pe-„ lagio. „ Tertio eadem Synodus hanc ejuſdem Pelagii admiſit propoſitionem: *Donat Deus omnes gratias ei qui fuerit dignus accipere, ſicut Paulo Apoſtolo donavit.* Sed hujuſmodi locutio hæreſeos venenum ſpirat, ſcilicet gratiam naturæ meritis concedi: quod iterum atque iterum verbis & ſcriptis docuerat Pelagius: Ergo &c.

Reſpondeo nego minorem: Ad primam pro ba-

probationem diſtinguo, & Patres habuerunt confitentem reum, & fidei catholicæ Confeſſorem, concedo: & non habuerunt, nego. Eccleſia Chriſti veſtigiis inſiſtens ad indulgentiam prona eſt; cum autem Pelagius ſubſcripſerat ſuorum errorum damnationi, & fidem fuerat confeſſus, non mirum ſi catholicas exhibendo interpretationes abſolutus ſit, quandoquidem juxta illud adagium: *Favores ſunt ampliandi, odia vero reſtringenda*. Sic Concilium Calchedonenſe tametſi Ibæ & Theodoreti doctrinam Neſtorianam prænoſceret, ut primum tamen anathema Neſtorio dixere illi Epiſcopi, eos ita benigne ſuſcepit, ut Judices adverſus Eutychen ſedere conceſſerit. Neque igitur Patres Palæſtini admiſere doctrinam Pelagii, ſed catholicas tantummodo ejus explicationes.

Solutio eſt D. Auguſtini, qui lib. 2. de peccato originali contra Pelagium & Cæleſtium cap. 16. ſic loquitur: " Epiſcopi ,, quippe Catholici quando audiebant hominem anathematizantem eos, qui dicunt Adæ peccatum ipſi ſoli obfuiſſe, ,, non generi humano, nihil aliud eum ,, ſapere exiſtimabant, quam id quod Catholica Eccleſia prædicare conſuevit. ,, Maxime, cum ſubſcripſerat damnationi hujuſce propoſitionis: *Quod peccatum ipſius ipſum læſerit, & non genus humanum*. Pergit S. Auguſtinus ibidem: " Propterea ergo quod te illi ſapere exiſtimabant, abſolvendum fuit: quod vero tu ſapiebas, damnandum fuit, non ergo tu abſolutus es, qui damnanda tenuiſti: ſed ,, illud abſolutum eſt, quod tenere debuiſti. Ut autem tu abſolutus putaveris, ,, creditus es ſentire laudanda, cum te ,, Judices non intelligerent occultare damnanda. ,,

Ad ſecundam probationem diſtinguo: Patres probavere ſcientiam legis gratia elevatam propellere peccatum, concedo: abſque gratia, ut mente verſipelli interius credebat Pelagius, nego. Non enim intellexerunt Pelagium propugnare legem eſſe gratiam, cum damnationi conſenſerat iſtius ſeptimæ propoſitionis: *Septimo & gratiam Dei atque adjutorium non ad ſingulos actus donari ſed de libero arbitrio eſſe vel in lege atque doctrina*.

S. Auguſtinus ſic vindicat Patres Palæſtinos lib. de geſtis Pelagii cap. 1. " Plane, *inquit*, aliena non ſunt quæ reſpondit, illud vero quod de libro ejus ,, prolatum eſt, aliud ſonat. Sed hoc Epiſcopi, Græci homines, & ea verba ,, per interpretem audientes, diſcutere ,, non curarunt: hoc tantum intuentes, ,, quid ille quid interrogabatur, ſenſiſſe ,, ſe diceret, non quibus verbis eadem ,, ſententia in ejus libro ſcripta diceretur.

Tum cap. 35. exhibet ſenſum catholicum in quo propoſitionem Pelagii de legis adjutorio ſumpſere Patres, & ſic loquitur: " Approbaverunt enim ſecundum ,, quæ ille ad ea quæ objecta ſunt reſpondebat, adjuvari hominem per legis ,, ſcientiam ad non peccandum, ſicut ,, ſcriptum eſt: *Legem in adjuterium dedit illis*. Non tamen ex hoc eandem legis ,, ſcientiam illam, Dei gratiam eſſe approbaverunt, de qua ſcriptum eſt: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Nec ideo dixiſſe Pelagium omnes voluntate ſua regi, ut non eos ,, regeret Deus: Reſpondit enim, hæc ſe ,, dixiſſe propter liberum arbitrium; cui ,, Deus adjutor eſt eligenti dona, hominem ,, vero peccantem ipſum eſſe in culpa. ,,

Ad tertiam probationem ſimiliter diſtinguo: Patres hanc admiſere propoſitionem: *Donat Deus omnes gratias ei qui fuerit dignus accipere, ſicut Paulo Apoſtolo donavit;* in ſenſu catholico, ita ut digni gratiam uberiorem ſuſcipiant per bona opera adjutorio gratiæ facta, concedo: hoc ipſum innuunt ſubſequentia verba: *Sicut Paulo Apoſtolo donavit;* cum ipſe Apoſtolus dicat: *Quid habes quod non accepiſti?* In ſenſu Pelagii, ita ut merita ſint naturæ fœtus, nego. Hunc utique ſenſum declarat octavæ propoſitionis a Pelagio conclamata damnatio: *Gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari*. Hunc & iſte ſeptimus *fidei* articulus, cui idem ſubſcripſit Heterodoxus, prodit: *Ut fateatur gratia Dei & adjutorium animæ etiam ad ſingulos actus dari, eamque non dari ſecundum merita noſtra*.

S. Auguſtinus ibidem cap. 17. eamdem indicat ſolutionem: " Aut breve dictum, ,, *inquit*, eorum audientiam, & intentionem facile ſubterfugit, aut aliquomodo id recte accipi poſſe exiſtimantes, cujus de hac re confeſſiones liquidas ſibi habere videbantur, pene de ,, uno verbo nihil ei controverſiam mo-

G 2 ,, vendam

„ vendam putarunt? Quod & nobis forſitan contigiſſet, ſi cum eis in illo judicio ſediſſemus: ſi enim pro eo, quod poſitum eſt, dignus, poſitum eſſet prædeſtinatus vel aliquid hujuſmodi, nihil certe ſcrupuli tangeret atque angeret animum. „ Revera quidem vox *prædeſtinatus* dicit gratiam a naturæ conatu independentem.

Inſiſtes: Atqui Patres non nihil ſaltem adhæſere Pelagio: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Concilium abjectum eſt ab Innocentio I. qui epiſt. 27. apud Baron. ann. 415. n. 19. & 20. ſic pronuntiat: *Non poſſumus illarum epiſtolarum nec culpare judicium, cum neſciamus utrum vera ſint geſta; aut ſi vera non ſint, conſtat magis ſubterfugiſſe, quam ſe tota veritate purgaſſe*; ſed non exploditur Synodus ſecluſis erroribus: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego majorem, cum vel ipſe Pontifex afferat ſe neque approbare, neque reprobare Concilium: tametſi enim affulgeret Patrum fides, quia tamen Pelagium eis illuſiſſe compertum haberet; ne inde aliquid fidei periculum emergeret, ſuo illud munire calculo æquum non duxit: falſum eſt igitur Concilium abſolute fuiſſe reprobatum: Sed neque approbatum dicimus, & hoc ipſum non ſemel in more fuit poſitum, quod ſummi Pontifices non conſenſerint Conciliorum definitinibus, ubi aliquod apparuit dubium: Quod poteſt illuſtrari exemplo S. Leonis, qui quidem Synodum Calchedon. ſolummodo quoad ſex primas actiones confirmavit: quinimmo Concilium Sardicenſe, Francofurtenſe, & alia multa ſunt tantum ex parte approbata.

Replicabis: S. Hieronymus epiſt. 79. ad Alipium, prorſus Synodum explodit, & de illa ſic loquitur: " Quidquid enim in „ illa miſerabili Synodo dixiſſe ſe denegat Pelagius, in hoc opere profitetur. „ Sed non niſi ratione erroris Synodus miſerabilis, dicenda eſt: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, ſine errore facti vel Juris, concedo: Juris abſolute, nego. Citra dubium eſt Patres Palæſtinos erraſſe in facto perſonali, & abſolviſſe Pelagium reum, quem tamen credebant pœnitentem, & propter hoc miſerabilis dicta eſt a S. Hieronymo illa Synodus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Patres Dioſpolitani abſolvendo Pelagium ejus non adhæſerunt erroribus.

PRIMO: Habentes confitentem reum, fidem catholicam expoſuerunt, tum ei ſubſcribere, jubente Concilio, compulſus eſt Pelagius.

Secundum: Tametſi abſolverint Pelagium, non niſi prævia fidei confeſſione catholica, id fecerunt; quod quidem ſufficit, cum Eccleſia non judicet de internis.

Tertio: S. Auguſt. lib. de geſtis Pelagii cap. 21. teſtatur Patres Dioſpolitanos non adhæſiſſe Pelagii erroribus, cum ipſum eos eiurare compulerint.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Non negamus Pelagium in ſuſpicionem hæreſeos apud Patres Dioſp. veniſſe, ſed quia ſe retractaverat in Synodo, iuxta morem antiquum potuit credi pœnitens reus, & abſolvi.

Secundo: Eſto quod aliquas Pelagii propoſitiones errorem in ſenſu obvio nihil ſpirantes damnare noluerint PP. hoc non niſi ex benigna interpretatione rite factum eſt: Quod quidem poteſt illuſtrari exemplo Patrum Concilii Calchedonenſis, qui a condemnatione epiſtolæ Ibæ ad Marium Perſam abſtinuerunt, eo quod reus conclamata incarnationis fide ſenſum catholicum ſuo affixerit reſcripto.

Tertio: Innocentius I. non approbat quidem Synodum, ſed neque damnat; ſi qui ſint inter Patres qui illam prorſus abjiciant, dubio-procul errore facti detinebantur.

AR-

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Zoſimus Papa Cæleſtium abſolvendo, ejus ſubſcripſerit hæreſi?

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur unico ſed efficaci argumento.

QUI nonniſi juxta juris apices purgavit Cæleſtium, qui in judicio ſolum ſententiam interlocutoriam & quaſi diſpoſitivam protulit; qui demum certior factus quod Cæleſtius ſuos ejuraverat errores, illum abſolvit, citra dubium ejus non ſubſcripſit erroribus: Atqui ſic ſe geſſit Zoſimus: Ergo &c. Probatur minor rationibus omni exceptione dignis.

Primo: Ex epiſtolis ipſius Zoſimi, in tertia quidem ad Epiſcopos Africanos directa, maturo examine prævio, aſſerit ſe comperiſſe Cæleſtium eſſe innocentem. Sic loquitur in hoc reſcripto edit. Colon. Agrip. ann. 1606. " Omnia igitur quæ „ prius fuerant acta diſcuſſimus, ſicut ge- „ ſtorum huic epiſtolæ cohærentium in- „ ſtructione diſcetis. Intromiſſo Cæleſtio, „ libellum ejus, quem dederat, fecimus „ recitari. Nec hoc contenti, utrum hæc „ quæ ſcripſiſſe, corde loqueretur, an la- „ biis, ſæpenumero exploravimus, cum „ de occultis animorum ſolius Dei noſtri „ poſſit eſſe judicium, cui non tantum co- „ gitata, ſed cogitanda jam præſto ſunt. „ Ecce Judex qui juxta allegata & pro- „ bata dirimit cauſam.

Rurſus ibidem ait accuſatores Cæleſtii non eſſe fide dignos, quippe qui non comparuerint, ſed ſolum per litteras, nec ſatis ſibi cohærentes Cæleſtium ad judicium interpellaverint: " Patuit, *inquit*, hos in „ obſervatis ordinationibus, plebi, cle- „ roque contradicenti, ignotos, alienige- „ nas, intra Gallias Sacerdotia vindicaſ- „ ſe, quibus ſeipſi propria abdicavere ſen- „ tentia; noſque licet & alia, tum eo- „ rum de ſe pœnitudinem ſecuti, ſacer- „ dotali eos loco, & omni communione „ ſubmovimus. Satis urget cauſam, a ta- „ libus proceſſiſſe per litteras in abſentes „ ejus accuſationem, qui ſe præſens tue- „ tur, qui exponit fidem, qui provocat „ accuſantem, numquam piguit in me- „ lius retorſiſſe judicium. „ Audis accuſatores non leviori infamia laborantes, adeoque non audiendos: Audis Cæleſtium præſentem coram Judice ſe purgare: Audis teſtes abſentes eſſe: quocirca Zoſimus juſſit Romam venire, ut ſi quid accuſationis pondus contra Cæleſtium haberent, juxta juris ſolemnitatem propalarent.

Sic loquitur Zoſimus ibidem: " Un- „ de in præſenti cauſa nihil præcox, im- „ maturumque cenſuimus, ſed innoteſce- „ re Sanctitati veſtræ ſuper abſoluta Cæ- „ læſtii fide noſtrum examen; cui etiam „ prior libellus ab eo intra Africam teſti- „ monio apud nos eſſe debuiſſet; ne inex- „ ploratis, famaque jactantibus tam faci- „ le crederetur. Quare intra ſecundum „ menſem, aut veniant qui præſentem re- „ darguant aliter ſentire, quam libellis „ & confeſſione contexuit; aut nihil poſt „ hæc tam aperta & manifeſta quæ pro- „ tulit, dubii ſanctitas veſtra reſediſſe co- „ gnoſcat. „ Porro fuit ſemper in more „ poſitum, ut in rebus dogmaticis nemo „ reus haberetur, ſi fidei profeſſionem ab „ omni nævo puram protulerit; niſi alias „ conſtet reum corde negare, quod pro- „ nuntiat ore: igitur Zoſimus, qui ſerva- „ tis ſervandis ſic ſe geſſit, in hæreſis ſu- „ ſpicionem nuſquam venit.

Tum in epiſtola quarta ad eoſdem, ſic loquitur, idem Zoſimus de fide nedum Cæleſtii, ſed & Pelagii, qui per litteras apud eum ſe purgaverant: " Poſtquam a „ nobis Cæleſtius presbyter auditus eſt, „ & quid de fide ſentiret evidenter ex- „ preſſit; eadem quoque quæ in libello „ contulerat, repetitis crebro profeſſio- „ nibus, roboravit: de ejus nomine ple- „ nius ad dilectionem veſtram ſcripta di- „ reximus. Ecce epiſtolam Hieroſolymi- „ tani Epiſcopi Praylii, qui in locum quon- „ dam ſancti Joannis Epiſcopus eſt ordina- „ tus, accepimus, qui cauſæ Pelagii eni- „ xius adſtipulator intervenit. Litteras „ quoque ſuas idem Pelagius purgationem „ continentes abundantiſſime miſit: qui- „ bus & profeſſionis ſuæ fidem, quid ſe- „ queretur, quidve damnaret, ſine aliquo „ fuco, ut ceſſarent totius interpretatio- „ nis inſidiæ, cumulavit. Harum reci- „ tatio publica fuit: omnia quidem pa- „ ria, & eadem ſenſu ſententiiſque forma- „ ta, quæ Cæleſtius ante protulerat, conti- „ ne-

Digitized by Google

„ nebant. Utinam vellus veſtrum, dilectiſ-
„ ſimi fratres, recitationi litterarum in-
„ tereſſe potuiſſet, &c. „ Eo loci Zoſimus movet judices ut tardiores ſint ad damnandum, promptiores vero ad excuſandum, deinde ſic concludit Epiſtolam: "
„ Hæc ideo ſcripſimus, ut de cætero ſi
„ qui abſentes, minuſque noti de quolibet
„ talia ex libidine mentientur, fixi ſint
„ pedes veſtri adverſus arietem fraudulen-
„ tiæ &c. „ Alternata vice monet Africanos, ut nonniſi maturo judicio proferant ſententiam. " Cum, *inquit*, ſicut Suſan-
„ na a ſenioribus damnata, a juvene ta-
„ men Daniele abſoluta eſt. „

Demum, in decima ad Conc. Carthag. Epiſtola commendans ſummi Pontificis auctoritatem ſimul & erga innocentes advertentiam, ait: " Quamvis Patrum tra-
„ ditio Apoſtolicæ ſedi auctoritatem tan-
„ tam tribuerit, ut de ejus judicio di-
„ ſceptare nullus auderet, idque per Ca-
„ nones ſemper regulaſque ſervaverit; &
„ currens adhuc ſuis legibus Eccleſiaſti-
„ ca diſciplina Petri nomine, a quo ipſa
„ quoque deſcendit, reverentiam quam
„ debet, exolvat.... Tamen cum tantum
„ nobis eſſet auctoritatis, ut nullus de
„ noſtra poſſit retractare ſententia; nihil
„ egimus, quod non ad veſtram notitiam
„ noſtris ultro litteris referremus, dan-
„ tes hæc fraternitati, ut in commune
„ conſulentes, non quia quid deberet fieri
„ neſciremus, aut faceremus aliquid quod
„ contra utilitatem Eccleſiæ veniens di-
„ ſpliceret, ſed pariter nobiſcum volui-
„ mus habere Tractatum de illo, qui apud
„ vos, ſicut ipſe per litteras dicit, fuerit
„ accuſatus, & ad noſtram, qui ſe aſſere-
„ ret innocentem, non refugiens judicium
„ ex appellatione priſtina, venerit ſedem
„ .... idcirco noverit veſtra fraternitas,
„ nihil nos poſt illas quas ſuperius vel lit-
„ teras veſtras accepimus, immutaſſe,
„ ſed in eodem cuncta reliquiſſe ſtatu, iu
„ quo dudum fuerant, cum hoc noſtris lit-
„ teris veſtræ indicavimus ſanctitati, ut
„ illa quæ a vobis ad nos miſſa erat obte-
„ ſtatio remaneret. „

Obſerves velim S. Pontificem non ita cauſam Cæleſtii ad metam perducere, ut irrita maneat Afrorum obteſtatio, ſed potius paratum eſſe, ſi Cæleſtium rite probarent nocentem, diſtricto cenſurarum gladio, eumdem percellere.

Secundo: Habemus eiuſdem veritatis teſtem S. Auguſtinum, qui in congreſſu cum Pelagianis res geſtas fideli retulit calamo lib. 2. adverſus duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 3. num. 5. de hoc momento ita ſcribit: " Cum primitus BB. Papæ Innocentii Litteræ Epiſcoporum litteris reſ-
„ pondentes, Afrorum pariter hunc erro-
„ rem, quem conantur iſti perſuadere,
„ damnaverint: ſucceſſor quoque ejus S.
„ Papa Zoſimus tenendum eſſe, quod iſti
„ de parvulis ſentiunt, numquam dixerit,
„ numquam ſcripſerit, inſuper etiam Cæ-
„ leſtium ſe purgare molientem, ad con-
„ ſentiendum ſupra dictis ſedis Apoſtolicæ
„ litteris crebra interlocutione conſtri-
„ xerit: profecto quidquid interea lenius
„ actum eſt cum Cæleſtio ſervata dunta-
„ xat antiquiſſimæ & robuſtiſſimæ fidei
„ firmitate, correctionis fuit clementiſſi-
„ ma ſuaſio, non approbatio exitioſiſſi-
„ ma pravitatis. „ Eamdem proſequitur materiam 4. & 5. num. 9. multa eo loci ſubnotat S. Auguſtinus videlicet S. Zoſimum obſervaſſe omnes juris regulas in negotio Cæleſtii: tum ex innata ſedis Apoſtolicæ clementia & paterna charitate lenius cum Cæleſtio egiſſe: tandem ejus non approbaſſe errores.

Tertio, Marius mercator commonit. ſuper nomine Cæleſtii, Pelagii &c. to. 2. Conc. novæ edit. pag. 1513. ſancti Zoſimi ſuffragatur innocentiæ, his verbis: " Præ-
„ dictus tamen Cæleſtius etiam hinc eje-
„ ctus ad urbem Romam ſub ſanctæ me-
„ moriæ Zoſimo Epiſcopo tota feſtina-
„ tione perrexit: ubi actis, quorum e-
„ xemplaria habemus, interrogatus, cum
„ ab illo cogitore aliquatenus terreretur
„ crebris reſponſionibus, & proſecutio-
„ nibus ſuis ſpem præſeminavit, conde-
„ mnare ſe illa capitula, de quibus fue-
„ rat apud Carthaginem accuſatus, pro-
„ mittens. Id enim & inſtantius jubeba-
„ tur, ab eoque vehementius ut id face-
„ ret expectabatur; atque ob hoc ipſum
„ nonnulla illius ſancti Sacerdotis humani-
„ tate dignus eſt habitus: & ſic epiſtolam
„ quamdam humanitatis plenam ad Afros
„ Epiſcopos meruit: qua ille abuſus eſt,
„ vel adhuc abutitur ad multorum igno-
„ rantium deceptionem. Epiſcopis vere
„ ex Africa reſcribentibus, omnemque
„ cauſam, quæ apud eos facta fuerat ex-
„ ponentibus; miſſis etiam geſtis exinde,
„ quæ

„ quæ faciant tunc cum illo, vel de illo „ confecta, vocatur ad audientiam plenioren, ut quæ promiſerat, feſtinaret „ implere; ideſt, ut damnatis prædictis „ capitulis, ſententia Afrorum Pontificum „ qua fuerat communione privatus, abſolveretur; non ſolum non adfuit, ſed „ etiam ex memorata Romana urbe profugit, atque ob hoc a beatæ memoriæ „ prædicto Zoſimo Epiſcopo ſcriptis amplisſimis perdamnatus eſt. „ Tria ibi commemorat Marius. Primo quidem, Cæleſtium a ſententia Carthaginenſi provocaſſe ad Zoſimum Papam. Secundo, ipſo præſente ea retractaſſe capitula quæ fuerant Carthagine ſuæ damnationis cauſa, & materia.

Quarto: Zoſimus utique proſcripſit Cæleſtium, ut primum ſibi illuſiſſe compertum habuit: igitur neque ex ſervatis pro negotio Cæleſtii Zoſimus in ſuſpicionem hæreſeos venit, maxime cum ex ejus ſententia adverſus reum lata, uti talem probatum, conſtet in iis quæ antea geſſerat lenius ſolum vel ipſas juris regulas obſervaſſe. Hoc ipſum probat in quarta ad Afros epiſtola tom. 2. conc. Labbæi pag. 1562. in qua exemplo judicum laicorum eis probat cum accuſatis nonniſi moderatione ſumma ad condemnandum properandum eſſe: “ Doceat, *inquit*, nos terrena moderatio, quæ ſæcularibus arbitriis & cauſis primum de ipſis judicibus eligendis, „ repudiandiſque fit. Et quanta cunctatio, „ quot interpoſitæ dilationes? Quoties adhibita comperendinatio etiam ſub ipſo „ fine certaminis ampliare judicia cum innocenti reo? Conſugitur ad mare & extramarina documenta; ut fides, quæ in „ præſenti plerumque arctioribus ſtrangulatur anguſtiis, ſaltem eminus veniat. „ Hæc omnia mentior, niſi in patrocinium tuendæ innocentiæ reperta ſint. „ Tolerabilius eſt enim innocentem quemlibet tardius inveniri, quam cito pro „ nocente damnare. „

Fit ſatis objectionibus.

OBJICIES: Ille cenſetur faviſſe erroribus Cæleſtii, qui illum Carthagine omni adhibita juris ſolemnitate damnatum, remiſit abſolutum: atqui ita factum eſt, ut ex probationibus non obſcure liquet. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, Cæleſtium ſeſe retractantem, & damnatum adhibitis teſtibus abjiciendis abſolvit, concedo: non ſervato juris ordine, nego. Provocaverat Cæleſtius a Concilio Carthaginenſi ad Zoſimum, & appellatio erat legitima juxta Concilium Sardicenſe, quod can. 4. & 7. declarat Epiſcopum ab aliquo gravatum Concilio, poſſe appellare Patrem communem, quinimmo, cauſa diſcuſſa, Heros & Lazarus in teſtando inventi ſunt minus habentes: igitur cum leges ad abſolutionem rei nihil aliud præter retractationem errorum exigant, & aliunde accuſatores non eſſent fide digni, Zoſimus in manſuetudine adverſus Cæleſtium ne minimum quidem fuit culpabilis.

Hæc ipſe profert de abjiciendis Herote, & Lazaro teſtibus ibid. epiſt. 4. pag. 1564. ad Epiſcopos Africanos: “ Ideo „ etiam hunc Pelagium, Herote & Lazaro ſcribentibus, infamari: ita ne fratres dilectiſſimi, ad aures veſtras, qui „ ſint iſti turbines Eccleſiæ vel procellæ, „ nec opinione pervenit? Ita vero vos latuit vita horum atque damnatio? Et „ quamquam ſpecialis illos Apoſtolicæ ſedis auctoritas omni communione ſubmoverit: diſcite & in hac Epiſtola, licet „ ſtrictim, hominum mores. Vetus Lazaro conſuetudo eſt innocentiam criminandi: per multa Concilia in ſanctum „ Britium Coepiſcopum noſtrum Turonicæ civitatis diabolicus accuſator inventus eſt.... De Herote vero omnia ſimilia, idem Tyrannus, Patronus cædis, „ turbæ Presbyterorum contradicentium, „ vincula & cuſtodiæ, & totius civitatis addictio, ſimilis pœnitentia de abdicatione Sacerdotii. Mirum eſt ſi niſi „ laicum virum ad bonam frugem longa „ erga Deum ſervitute nitentem falſis litteris percellere noluerunt, qui in fratres & Coepiſcopos tanta machinati „ ſunt, qui tot tempeſtates Eccleſiæ rediderunt. „

Inſtabis: Atqui Cæleſtius non ſe retractavit, & in errore perſeverans abſolutus eſt, tametſi ab Attico ab urbe Conſtantinopolitana ejecto, nedum per Herotem & Lazarum, ſed & per Paulinum Diaconum accuſatum, & a judicio comparativo rite damnatum in Africa: igitur abſque nævo etiam ex parte Zoſimi purgari non potuit. Probatur ſubſumptum

S. Auguſtinus lib. 2. de peccato originali cap. 6. ſic refert verba Cæleſtii in libello quem ad ſuam purgationem obtulit Zoſimo : " *In remiſſionem autem peccatorum baptizandos infantes , non idcirco diximus , ut peccatum ex traduce firmare videamur , quod longe a catholico ſenſu alienum eſt , quia peccatum non cum homine naſcitur , quod exercetur ab homine ; quia non naturæ delictum , ſed voluntatis eſſe demonſtratur &c.* Rurſus ibidem pergit : " Hunc ſenſum ſuum vo- ,, bis aperire Pelagius vel timuit , vel eru- ,, buit , quem diſcipulus ejus palam ſine ,, ullius obſcuritatis ambagibus , apud ſe- ,, dem Apoſtolicam profiteri nec timuit , ,, nec erubuit . ,, Et tamen libellus ille ubi error palam conclamatur , abſolvitur ; de hoc momento ſic loquitur Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. " Libellus ,, ejus catholicus dictus eſt . ,, Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo probationem : libellus catholicus dictus eſt quoad ſenſum quem dabat Cæleſtius , concedo : quoad ſe & in ſenſu obvio , nego . Sic Epiſtola Ibæ diſcuſſa in Concilio Chalchedonenſi action. 8. & 9. & tolerata fuit quoad ſenſum catholicum quem exhibebat ipſe Ibas , ſed non quoad ſe , utpote Neſtoriana : pari & conſimili ratione Zoſimus abſolvit ſenſum , ſed non errorem libelli . Solutio eſt D. Auguſtini qui poſt verba objectionis : *Libellus ejus catholicus dictus eſt* . Subdit : " Quia & hoc catho- ,, licæ mentis eſt , ſi qua forte aliter ſa- ,, pit quam veritas exigit , non ea certiſ- ,, ſime definire ; ſed detecta ac demon- ,, ſtrata reſpuere . ,, Rurſus lib. 2. de peccato originali cap. 6. ſcribit Cæleſtium ideo abſolutum : " Quia ſuperius in eodem ,, libello ſuo de hujuſmodi quæſtionibus lo- ,, cuturus ante prædixerat : *Si forte ut hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit , veſtra ſententia corrigatur* . ,, Et de facto poſtea Zoſimus certior factus de dolis , Heterodoxum proſcripſit : igitur nec ipſi favit .

Inſiſtes : Qui & ipſum Pelagium mente verſipelli patribus Dioſpolitanis loquutum fuiſſe ſciebat , & tamen eum cum Cæleſtio abſolvit , illorum dubio-procul erroribus ſubſcripſit : atqui ex dictis conſtat Zoſimum ſic egiſſe . Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem . Pelagium abſolvit eo quod fidei confeſſionem catholicam ei obtulerat , concedo : abſolvit quem in errore pertinacem crederet ; nego . Solutio ex duobus potiſſimum liquet : Primo quidem , Pelagius in ſua fidei confeſſione ſubſcribit damnationi omnium præcedentium hæreſum ; deinde vero neceſſitatem gratiæ agnoſcit & per omnia ſeſe judicio SS. Pontificis committit , & ſic loquitur : *Credimus in Deum Patrem omnipotentem .... Liberum ſic eſſe confitemur arbitrium , ut dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio* . Secundo , ut primum Zoſimus compertam habuit fraudem , utrumque anathemate percuſſit : Igitur errori nuſquam adhæſerat .

Perſiſtes : Eſt contra Canones cauſam judicatam iterum diſcutere , maxime ſi acceſſerit ſancti Pontificis ſententia : atqui errores Cæleſtii & a Concilio Carthaginenſi , & ab Innocentio primo jamjam proſcripti fuerat : igitur non ſine intempeſtiva indulgentia pro erroribus Zoſimus prima vice abſolvit Cæleſtium .

Reſpondeo diſtinguendo majorem : cauſam dogmatis diſcutere , concedo : cauſam facti perſonalis , ſubdiſtinguo , ſi cauſa ſit perfecte eliquata , concedo : ſin minus , nego . Zoſimus non iterum inſtauravit judicium pro dogmate , niſi ad illud confirmandum ; ſed pro perſonis quæ ad ipſum provocarant paratis ſe ſe purgare , & omnem deponere errorem : quocirca id vitio verti non debet Zoſimo qui illos benigne audivit , maxime cum ſuam ſententiam ita temperaverat deceſſor ejus Innocentius , ut juberet , Pelagio & Cæleſtio : " Si un- ,, quam ſani , depoſito pravi dogmatis er- ,, rore , reſipuiſſent , damnaſſentque ea , ,, quorum ſeipſi prævaricatione damna- ,, rant , eis medicina ſolita , id eſt , re- ,, ceptaculum ſuum ab Eccleſia non nega- ,, retur . ,,

Replicabis : Facundus Hermianenſis lib. 7. cap. 3. ſic loquitur de Papa Zoſimo in cauſa Pelagii & Cæleſtii : " Invenient ,, poſtremo beatum quoque Zoſimum , ,, Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem , contra ,, ſancti Innocentii deceſſoris ſui ſenten- ,, tiam , qui primus Pelagianam hæreſim ,, condemnavit , fidem ipſius Pelagii , e- ,, juſque complicis Cæleſtii , quem in Ec- ,, cleſia Charthaginenſi convictum , atque ,, appellantem Apoſtolicam ſedem , & ,, ipſe geſtis diſcuſſerat , tanquam verum ,, & Catholicam laudantem . ,, Igitur ex

Facundo

Facundo Zoſimus laudavit hæreſim in Concilio Carthaginenſi proſcriptam.

Reſpondeo diſtinguendo: & hoc unum probat Facundus, videlicet Zoſimum erraſſe in facto, ſeu potius deceptum fuiſſe a Cæleſtio, & Pelagio, concedo: erraſſe in dogmate, nego. Unde ibidem, ait Facundus: " Neque Palæſtinos Epiſcopos, " neque Zoſimum hæreticos ab Eccleſia " credi, quia de hæreticis bene ſenſe- " runt, ſed potius pro merito ſuæ fidei " Catholicos judicari, & honorari, quo- " niam non debet crimini deputari ſim- " plicium, non intellecta verſutia mali- " gnorum. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Zoſimus Papa in congreſſu cum Cæleſtio ejus non piebavit nævos.

Primo: Quia ſervatis de jure ſervandis, teſtatur in ſua tertia ad Epiſcopos Africanos Epiſtola Cæleſtium innocentem ſe comperiſſe.

Secundo: Epiſt. 4. ad eoſdem probat Cæleſtii accuſatores non eſſe fide dignos.

Tertio: Epiſt. 3. & 10. ait accuſatum benigne pro ſua cauſa perorantem audiendum eſſe, favóres eſſe ampliandos, odia vero reſtringeuda; hinc Marius mercator commonit tom. 2. Conc. Labbæi pag. 1513. Zoſimum ab omni erroris nævo vindicat.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

Primo: Ultro fatemur Zoſimum abſolviſſe Cæleſtium in Concilio Carthaginenſi jam damnatum, ſed reus ſuos abdicaverat errores, pœnitenti autem parcere mos inoleverat a primis temporibus in Eccleſia.

Secundo: Verum etiam eſt libellum quem ad ſe ab erroribus purgandum exhibuit Cæleſtius, ſiniſtros quoſdam ſubire ſenſus: ergo ne Zoſimus eos approbavit? minime. Quandoquidem nonniſi juxta Catholicam interpretationem eum excuſatum habuit.

Tertio: Ex parte quidem Pelagius & Cæleſtius ab Innocentio I. abjecti manebant, quippequi ab eis abſtinuiſſet, ſed eſto Zoſimus ab illis deluſus erraverit in facto, non tamen in fide, cum ejus vel in ipſo judicio Heterodoxorum egerit partes.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA
DE
NATURA CUJUSLIBET GRATIÆ IN SPECIALI.

NON pauci erraverunt circa gratiæ eſſentiam. Pelagiani actualem partim in libero hominis arbitrio, partim etiam in lege reponebant, Semipelagiani ejuſdem ſemina naturæ tribuebant: Calvinus ſic & Janſenius eam neceſſitatem eſſe autumant, ſed contra quod de ea habetur Sap. 8. *Attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.*

Dogma de natura & ſuavitate gratiæ in individuo ſpectata, quatuor probatur & explicatur argumentis.

PRIMO: Gratia ſufficiens dat proxime poſſe operari ſalutem.

Secundo: Gratia efficax dat operari ſalutem.

Tertio: Gratia habitualis dat jus ad gloriam & ſalutem.

Quarto: Gratia perſeverantiæ dat actu & finaliter ſalutem.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura gratiæ ſufficientis.

OBSERVANDUM venit duo ad operandum bonum prærequiri, videlicet cognitionem & motionem: cognitio ſpectat intellectum, motio vero voluntatem: Porro ſicut cognitio, ita & motio duplex diſtinguitur, una nimirum externa ſeu extrinſeca, intrinſeca altera: illa promanat a lege, iſta a gratia profluit. Pelagiani admittebant tantum illuminationem & excitationem atque motionem a lege prodeuntes, quam gratiæ poſſibilitatis nomine celebrabant; Catholici vero præter iſtam exigunt interiorem, quæ mentem & cor hominis moveat & immutet ad bene & ſupernaturaliter agendum.

Ad omnium elucidationem quinque potiſſimum explicanda ſunt. Primo quidem de variis gratiæ ſufficientis opinionibus tractandum eſt. Secundo loco oſtendemus gratiam illam ſitam eſſe & repoſitam in illuſtrationibus & piis motionibus quæ dant poſſe proxime bonum. Tertio, dare poſſe bonum relative ad æqualem vel etiam majorem delectationem terrenam. Quarto, quandoque producere effectum mediate. Quinto, quandoque etiam & immediate in facilioribus juxta multorum omni exceptione majorum opinionem.

SECTIO PRIMA.

De variis gratiæ ſufficientis ſyſtematibus.

CALVINUS l. 2. Inſt. c. 3. non aliam agnoſcit gratiam quam efficacem, eamque neceſſitantem. Janſenius omnem utique explodit gratiam ſufficientem quam a mente D. Auguſt. prorſus exulem prædicat: ſic enim loquitur l. 4. de gratia Chriſti cap. 1. pag. 184. col. 2. edit. Rothom. *Claret cur Auguſtinus omnem omnino gratiam pure ſufficientem ſive ante fidem, ſive etiam poſt fidem auferat; ratio perſpicua eſt, quia cum ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur; ſin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio bene voluntas operabitur, quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.*

Quia-

Quibus verbis docet in concurſu duarum delectationum, ſuperiorem neceſſario determinare voluntatem ad actum. Hinc & duplicem diſtinguit motionem, unam generalem qua quiſque ſtudet bonis operibus incumbere, alteram ſpecialem quæque eſt pro rebus ſupernaturalibus, & ea adhuc duplex ab eodem aſſignatur: altera parva: altera magna eaque relativa & victrix. Parva ea vocatur apud illum qua quiſque poteſt potentia abſoluta reſiſtere tentationi: ſiquidem habet potentiam ad actum ſibi proportionatum, verum quia delectatio terrena major eſt, hæret in deſideriis efficacibus animus. Magna eaque victrix, illa cenſetur quæ ſuperat in gradu delectationem terrenam, quamobrem, illa poſita, neceſſe eſt voluntatem actum bonum elicere.

Janſenius eſt ſui ipſius interpres l. 8. de gratia Chr. cap. 2. pag. 344. col. 2. *Delectatio victrix, quæ ex Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt, tunc enim eſt victrix quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis ineſficacibus deſideriis hærebit animus, nec ineſficaciter unquam volet quod volendum eſt.* Quandoque iſtam gratiam vocat ſufficientiſſimam, ſed voce-tenus, & in abſtracto, minime vero in concreto, & relative ad concupiſcentiam excedentem devincendam, ſed contrarium docet Eccleſia, fides poſtulat & exigit, namque ut peccator ſit reus, debet habere poſſe bonum: Ille quippe ſolus pœna dignus eſt, qui potens non tranſgredi, tranſgreditur, non facere mala, victus tamen concupiſcentia facit. Quod autem talis ſit Janſenii ſenſus qualem protulimus, patet ex lib. 3. de gratia Chriſti cap. 13. ubi ex profeſſo docet & dicit quædam præcepta quibuſdam juſtis, etiam conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires eſſe impoſſibilia. Idipſum prædicat ibidem l. 2. cap. 27. dicens gratiam de ſe quantumvis efficacem nullo modo ſufficere in concurſu majoris delectationis terrenæ, tum ad mandata adimplenda, tum ad perfectum amoris Dei actum eliciendum: rurſus l. 4. c. 4. 5. 6. 7. & 8.

Error igitur Janſenii circa gratiam ſufficientem inquit D. Tournely tom. 1. de gr. pag. 478. & ſeq. tom. 2. de gr. pag. 429. in eo potiſſimum ſitus eſt, quod gratia, quam parvam vocat, non valeat concupiſcentiam ardentiorem vincere. Ratio quam affert lib. 3. de gratia Chr. cap. 13. ea eſt, quod illa gratia ſit viribus impar: quare vero impar? quia virtus delectationis cæleſtis relative ad majorem delectationem terrenam deficit, & infirma eſt.

Antiqui Patres e contra eam ſemper agnovere gratiam quæ dat proxime poſſe bonum. Eam ipſam vocavit S. Aug. modo auxilium ſine quo, modo gratiam qua præparatur voluntas a Domino. D. Thomas auxilium ſufficiens novi Teſtamenti nuncupat & ab anno 1125. ad hodiernum uſque diem, quotquot de rebus Theologicis circa gratiam ſcripſere, eam gratiam prædicaverunt, quippe qui gratiam gratum facientem diviſerint in gratiam ſufficientem & efficacem. Ita Hugo Victorinus in ſumma ſent. tract. 1. 2. cap. 3. Robertus Pullus Cardinalis in lib. ſent. parte 6. cap. 50. florebat anno 1130. Magiſter Sent. in 2. diſtinc. 4. Guillelmus Alvernus Epiſcopus Pariſienſis in lib. de meritis gratiæ gratum facientis. Joannes Driedo a Tournhaat. tract. 4. parte 5. c. 2. Albertus Pighius l. 2. & 5. de libero arbit. &c.

Alvarez l. 8. de auxiliis diſp. 71. num. 13. & diſput. 80. num. 2. l. 9. diſp. 81. docet dari gratiam ſufficientem, eamque dare poſſe bonum & quidem proxime, aſſerit Molina in ſua concordia q. 14. art. 13. diſp. 40. eam gratiam dicit ſolum ſufficientem quæ ſuum ad quem datur, non habet effectum.

Jam paucis omnia complector. Pelagiani non aliam agnovere poſſibilitatis gratiam quam legem. Semipelagiani in hoc utique cæcutiebant quod voluntatem ſatis robuſtam crederent ad initium fidei. Janſenius voce-tenus gratiam ſufficientem admiſit, quippe qui eam quæ in concurſu majoris concupiſcentiæ daret poſſe proximum, ſemper & conſtanter negaverit, Theologi Orthodoxi illam prædicant quæ dat potentiam ex parte actus primi expeditam ad agendum. Sed ut omnia abſque erroris, vel etiam ambiguitatis fuligine pateant, quædam annotanda & obſervanda ſunt antequam aliquid de natura talis auxilii determinetur.

Gratia ſufficiens dat poſſe proximum & completum ad actum bonum ad quem ordinatur, & quem reſpicit ut finem v.

gr.

gr. gratia ſufficiens orationis movet proxime & immediate ad orandum: gratia ſufficiens pœnitentiæ, excitat impium ad conterendum de peccatis. Hanc gratiæ ſufficientis notionem tradunt communiter Theologi, ut patebit infra. Obſerves, velim, tot eſſe gratias ſufficientes, quot actus ſupernaturales eliciendi ſunt, cum enim ſit auxilium tranſiens, tranſacto actu, tranſit utique gratia, hinc accedente novo de actu ulteriori præcepto, nova etiam requiritur gratia quæ moveat voluntatem ad id quod occurrit de novo faciendum.

Cæterum, licet quælibet gratia ſufficiens det poſſe proximum ad producendum actum quem reſpicit, quandoque tamen dicitur gratia remota: Primo quidem reſpectu gratiæ efficacis quæ dat poſſe conjunctum cum actu & conſummatum, ac plene terminatum; deinde vero reſpectu alterius gratiæ ſufficientis eminentioris: quod quidem poteſt iſto explicari exemplo. Gratia ſufficiens excitans & movens ad orandum v. g. dat poſſe proximum & perfectum ad orationem coram Deo fundendam; attamen reſpectu actus contritionis, quem impius elicere debet, dicitur gratia remota, requiritur enim gratia ſufficiens uberior quæ compellat peccatorem obduratum ad conterendum.

Quando dicimus gratiam ſufficientem dare poſſe proximum ad aliquem religionis actum, quæſtio poteſt intelligi dupliciter. Primo quidem reſpective ad ſalutem, an ſcilicet Deus det poſſe ſalvari: Secundo reſpective ad ſingulos actus ſupernaturales, ita ut quilibet homo hanc habeat quando aliquod Chriſti præceptum urget. His prælibatis ſtatuendum eſt in quo præciſe conſiſtat gratia ſufficiens.

Synopſis eorum quæ capit ſectio.

PRIMO, Heterodoxi, ut Calvinus & Janſenius pro præſenti ſtatu exſufflant gratiam ſufficientem.

Secundo, noſtri Thomiſtæ illam definiunt auxilium quo homo habet poſſe proxime & expedite bonum ſalutis. Sic propugnat Alvarez lib. 8. de aux. diſp. 71. num. 13.

Tertio: Gratia ſufficiens juxta diverſorum actuum exigentiam multiplicatur: Neque vero implicat illam ſuſcipere gradum, tametſi enim det poſſe proximum & expeditum ad actum quem immediate reſpicit, nouniſi tamen reſpectu actus eminentioris remota dicitur. Quod poteſt illuſtrari exemplo gratiæ ſufficientis obdurato conceſſæ, dat quidem illi proxime poſſe orare, ut orationis vi & efficacia gratiam uberiorem qua ad converſionem ſtimuletur, aſſequatur, & iſta obtenta, efficacem qua actu convertatur, habeat; hinc gratia ipſi collata ut oret, relative ad converſionem ardentius deſiderandam remota eſt & nuncupatur.

SECTIO SECUNDA.

Utrum gratia ſufficiens conſiſtat in illuſtrationibus & piis motionibus, quæ dent proxime poſſe bonum ſalutis?

GRATIAM ſufficientem eſſe prævenientem aſſerunt Theologi, eam autem in illuminationibus & motionibus ſitam eſſe dicit Scriptura, docent Patres. Scriptura quidem Pſalm. 33. *Accedite ad illum & illuminamini*. Et Jerem. 4. 18. *Quia tetigit cor tuum*. Rurſus Apoc. 3. 30. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo*. Fulgentius l. 1. ad Monimum cap. 20. "Prævenit cœlum ut lumen.,, Auguſt. in Pſal. 62. "Apoſtolus excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, ut illuminaretur a Chriſto: Ergo ſecundum ipſas vigilias dicit iſte: Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Non enim vigilares in te, niſi oriretur lux tua quæ te de ſummo excitaret; illuminat enim animas Chriſtus, & facit eas vigilare.,, Sed difficultas in eo maxime verſatur, de virtute gratiæ ſufficientis, & utrum compleat potentiam ad agendum? Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Gratia ſufficiens dat poſſe proximum & expeditum ad agendum.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura ſacra.

UTRUMQUE Teſtamentum huic patrocinatur veritati. Vetus quidem Iſai. 5. ubi

ubi Deus ſuam vineam, domum ſcilicet Iſrael, ut ibidem dicit Propheta: *Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Profectò ſi agricola fecit omnia quæ debuit, haud dubium eſt vineam ita excoluiſse ut ab eo acceperit poſse bonum fructum facere. Hunc autem Iſaiæ locum de potentia expedita ad faciendum bonum interpretantur Hieronymus, Baſilius, Auguſtinus in Pſalm. 38. eundem de gratia ſufficiente intelligunt Ledeſma nu. 12. de aux. pag. 533. Alvarez l. 8. de aux. diſp. 71. num. 3. Cunerus de gratia Chriſti c. 13. Bellarminus l. de gratia & lib. arb. cap. 11.

Huic auctoritati accedit altera ex novo Teſtamento deprompta: Chriſtus Matth. 11. ait: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone facta fuiſſent virtutes quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*. Igitur gratia ſufficiens collata Corozain & Bethſaida, dabat poſse bonum & quidem proximum, cum Tyrii & Sidonii, ſi eamdem habuiſsent, pœnitentiam ab aliis omiſsam & abjectam egiſsent.

Secundo, ex Conciliis.

CONCILIUM Aurelianenſe II. cap. 25. eamdem docet veritatem: Item & Lateranenſe ſub Innocente III. celebratum dicit expreſse hominem iterum atque iterum poſt ſuſceptum Baptiſma poſse ſemper & agere pœnitentiam, & agendo ad meliorem reſurgere vitam. Sed in primis ſuffragatur his verbis Trid. ſeſs. 6. cap. 11. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. Certe de potentia agendi & operandi proxima, loquitur: *Hanc autem adjuvando elargitur Deus: quomodo vero adjuvet?* Dicit ibidem cap. 8. *Tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem*: Igitur ex Trident. gratia ſufficiens dat poſſe proximum ad bonum ſupernaturale faciendum: Igitur illa gratia conſiſtit formaliter in illuſtrationibus quæ intellectum illuminant, tum in piis motionibus quæ tangunt & emolliunt cor peccatoris ut ſe convertat.

Tertio, ex SS. Patribus & Doctoribus.

PRIMUS occurrit nobis Juſtinus Martyr, qui in reſponſione ad quaſdam quæſtiones Orthodoxorum ait: *Accepimus a Deo facultatem faciendi quæ juſta ſunt, & non faciendi injuſta*. Quibus verbis ita explicat gratiæ ſufficientis naturam, ut nullus ſuperſit circa hoc momentum ambigendi locus. Et vero quæ gratia dat facultatem faciendi bonum & fugiendi malum, niſi ſufficiens? Igitur illa gratia conſiſtit formaliter in eo quod dat poſse bonum, quod hoc tribuat tum illuminando animam, tum cor tangendo.

S. Auguſtinus idipſum confirmat lib. de corr. & grat. cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. in quibus vocat gratiam ſufficientem auxilium ſine quo non poſſumus operari bonum; auxilium quo poſſumus amare Deum, ſervare mandata, immo & in bono perſeverare; quod quidem illuſtrat exemplo lucis & alimentorum, dicens; quod ſicut oculus luce confortans poteſt ſuum attingere objectum, & ad hoc expeditus eſt, ſicut homo per alimenta habet poſſe vivere, ita & homo per auxilium ſine quo, ſeu per gratiam ſufficientem habet poſſe bonum & quidem proxime. Enimvero loquitur de homine ſecundum ſe ſumpto, & de eodem adjuto gratiæ auxilio: Homo ſecundum ſe poteſt credere, ſperare in Deum, ſed inquantum ejuſmodi actus vitales procedunt a potentia vitali; at niſi adjuvetur auxilio ſine quo, videlicet gratia ſufficienti, non habebit potentiam proximam & ad agendum expeditam: hanc ideo exigit D. Auguſt. in homine ſano; hanc a fortiori expoſtulat pro præſenti ſtatu. Namque ſi homo ſine gratia haberet poſſe proximum & completum per ſolas liberi arbitrii vires, fruſtra hujus gratiæ neceſſitatem & pro homine ſano, & pro homine lapſo prædicaſſet S. Auguſtinus: Igitur ex ſancto Doctore gratia ſufficiens eſt auxilium ſine quo opus non fit, gratia qua datur homini poſſe bene agere; illuſtratio & excitatio qua ſuadetur pietas, qua voluntas bene agere invitatur ad bonum, qua præparatur ad hoc a Domino.

Sed ne quis putet S. Aug. loqui ſolum de gratia Adami, ponderanda ſunt ea quæ paſſim in ſuis operibus dicit de gratia

tia Chriſti: Iſtam excitare ſopitam vitiorum craſſitudine voluntatem, pulſare ad cor, movere ad bonum, vocare peccatorem, & operari ſimilia, non ſemel dicit. Quod vero ſermonem faciat de gratia ſufficienti patet ex lib. de ſpiritu & litt. cap. 33. ubi aſſerit hominem poſſe reſiſtere Deo vocanti. Clarius adhuc in lib. de gr. Ch. cap. 6. in quo redarguit Pelagium, quod gratiam poſſibilitatis reponeret in illuſtrationibus ſolum extrinſecis & objectivis; exigit ab ipſo gratiam ſupernaturalem poſſibilitatis, & quidem interiorem, quæ recipiatur in voluntate, quæ illam immutet; gratiam qua præparetur voluntas a Domino. Hanc abſolvit quæſtionem lib. 12. de civ. cap. 6. exemplo duorum, qui licet eadem gratia præventi, unus tamen ſolum tentationi reſiſtit, alter minime. Uterque igitur habebant potentiam proximam reſiſtendi tentationi carnis, ſin minus, ambo in peccatum prolapſi fuiſſent: ſin minus, *qui credit tentationi non peccaret, quia non potuiſſet reſiſtere*: " Si duo, *inquit*, æqualiter affecti in „ animo & corpore videant unius mulie„ ris pulchritudinem, qua viſa, unus eo„ rum ad illicite fruendum moveatur, „ alter in voluntate pudica ſtabilis perſe„ veret; quid putamus eſſe cauſæ, ut in „ illo fiat, in illo non fiat voluntas ma„ la? Tum ſic reſpondet. Quid aliud ap„ paret, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſ„ ſe? „ Igitur ex S. Auguſt. uterque habebat a gratia ſufficiente poſſe non deficere.

Quarto, ex D. Thoma & ejus aſſeclis.

Divus Thomas eidem ſubſcribit veritati multis in locis, ſed præcipue 1.2. q. 106. art. 2. ad 2. ubi ait: *Lex nova ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*. Igitur gratia ſufficiens, dat poſſe proximum ad bene agendum pro negotio ſalutis. Enimvero S. Doctor ibidem infert peccantem ideo eſſe reum, quia cum haberet poſſe operari bonum, noluit intelligere ut bene ageret.

Alvarez ſequitur D. Thomam diſp. 76. ubi ait: " Gratia excitans eſt gratia ſuf„ ficiens, qua revera poteſt homo crede„ re ſi velit. „ Tum lib. 3. reſp. num. „ 27. " Per auxilium gratiæ ſufficientis ha„ bet eadem voluntas potentiam proxi„ mam & facultatem expeditam qua poſ„ ſit converti ſi velit. „ Diſput. 71. de aux. num. 6. dicit ſecundum Tridentinum dari gratiam ſufficientem qua homo poteſt ſervare mandata.

Ledeſma nu. 12. de aux. pag. 333. idem propugnat, alias inquit, homo prævaricando non peccaret: ejuſdem labii eſt Joannes a S. Thoma in nu. 1. p. q. 23. diſp. 10. art. 3. nu. 36. ſic enim loquitur: *Secunda aſſertio eſt, quod adulti habeant gratiam ſufficientem ad mandata obſervanda, alias non peccarent*.

Gonzales idem docet in 1. p. diſp. 57. art. 3. nu. 46. " Per auxilium, *inquit*, „ ſufficiens & per concurſum paratum a „ Deo ex vi voluntatis antecedentis, qua „ vult, quantum in ſe eſt, ut ille actus fiat „ in nobis, niſi per nos ſteterit, habet „ voluntas noſtra in ſua voluntate libera & „ expedita quidquid requiritur, ut faciat „ actum bonum. „ Et diſp. 58. art. 2. in 1. „ p. Indubie tenendum eſſe cenſeo volun„ tatem creatam, ſolum ſufficienter adju„ tam a Deo habere ultimum complemen„ tum potentiæ activæ. „

Nazarius etiam venit in teſtimonium ad q. 23. 1. p. art. 3. contra 2. ibi enim ſic loquitur de gratia ſufficiente: " Dicitur „ autem gratia ſic excitans, auxilium ſuf„ ficiens, non reſpectu cujuſcumque ope„ rationis, ſed ejus tantum ad quam effi„ ciendam excitat hominis voluntatem, „ ita ut ſi excitet ad credendum, ſit ſuffi„ ciens ad actum fidei; ſi ad pœnitendum, „ ad actum pœnitentiæ: ſi ad diligendum „ ſuper omnia, ſit ſufficiens ad actum di„ lectionis: Ergo &c.

Quinto, ex variis rationibus.

PRIMA: In agentibus requiritur potentia proxima ad operandum; Sed gratia ſufficiens dat hujuſmodi potentiam; in hoc enim ab efficaci diſtinguitur, quod ſit principium actus, efficax vero applicet ad actum: Unde de illa dicitur juxta lib. xx. Proverb. 6. 9. " Præparatur voluntas a „ Domino. „ Et quomodo? Niſi inclinando & elevando ſimul potentiam ad bonum ſupernaturale faciendum: Ergo &c.

Secunda: Datur gratia præveniens & excitans ab efficaci diſtincta, quæque eſt in nobis ſine nobis, juxta illud can. 9. Concilii 2. Arauſicani: *Quoties bona agimus*, *Deus*

Deus in nobis, atque nobiſcum ut operemur, operatur. Agit in nobis; ecce gratia ſufficiens quæ parat & dat poſſe proximum, tum excitando, tum inclinando ad bonum, tum etiam compeſcendo paſſiones, tum denique cor emolliendo: Agit *nobiſcum*, ecce gratia efficax quæ dat actum: Igitur datur gratia ſufficiens quæ dat poſſe bene agere.

Tertia ſic exponitur. Dantur in nobis illuminationes ſubitaneæ, dantur inſpirationes quibus Deus pulſat ad oſtium cordis, quibus movet nos intrinſece ad bonum: Sed hæc omnia ſunt ipſa gratia ſufficiens quæ dat poſſe præparando voluntatem: Ergo &c.

Novatores irrident gratiam ſufficientem, dicendo eam eſſe gratiam quæ numquam ſuum habet effectum, ſed in hoc maxime allucinantur, quia hæc gratia non datur ad effectum immediate ut actus eſt & operatio, ſed ad effectum ut eſt finis; habet enim operationem pro fine omneſque virtutum actus: quinimmo quandoque etiam operatur effectum, mediante gratia efficaci, ut dicetur infra. Neque vero imprudentes homines irridendo ſapiunt, cum gratia ſufficiens ex vi & officio det ſolum poſſe bonum excitando ad virtutem, efficax vero actu bonum operari.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES 1. Gratia ſufficiens qualis delineatur a Thomiſtis, non dat poſſe proximum ad operandum bonum ſalutis. Ergo &c. Probatur Antec. Si hoc fungeretur munere illa gratia, maxime quia & ſanat, & elevat: Sed hæc ratio nulla eſt; namque fides elevat & ſanat peccatorem ſicut & charitas juſtum, neuter tamen cenſetur habere poſſe proximum ſaltem ultimatum ad bonum hic & nunc operandum. Ergo &c.

Reſpondeo negando Antecedens. Ad probationem, nego minorem: Ad ulteriorem probationem, diſtinguo: fides & charitas elevant & ſanant per modum habitus, concedo: actuando, & excitando voluntatem, nego. Voluntas humana ſanatur quidem per virtutum habitus, ſed ſolummodo in eſſe, & non in operari: ultro etiam fatemur habitus eſſe operandi principium, inclinant enim ad bonum, ſed ſunt ipſi in potentia ad agendum, quocirca requiritur gratia actualis quæ excitet & actu compellat voluntatem ad agendum. Gratia ſufficiens movet excitando & invitando; & ideo dat poſſe proximum ad agendum, quatenus reddit potentiam expeditam ad hoc; gratia vero efficax movet & excitat applicando, quocirca ſe tenet ex parte actus ſecundi: utraque igitur gratia præparatur voluntas a Domino: ex parte quidem actus primi per gratiam ſufficientem: ex parte vero actus ſecundi per gratiam efficacem.

Inſtabis: Obduratus non habet gratiam niſi remotam; & tamen habet gratiam ſufficientem. Igitur gratia ſufficiens non dat proximum poſſe bonum.

Reſpondeo diſtinguendo, obduratus habet ſolummodo gratiam remotam converſionis, concedo: orationis, nego. Habet gratiam proximam orationis, qua mediante, poteſt uberiorem & efficacem obtinere, cujus ope convertetur.

Urgebis: Ut obduratus in peccando ſit inexcuſabilis debet habere poſſe proximum reſiſtere tentationi gravi titillanti: Sed non habet, eo ipſo quo gratiam ſolum remotam poſſidet. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem; tametſi enim obduratus habeat gratiam converſionis & actus perfecti tantum remotam, habet tamen poſſe proximum reſiſtere, quatenus habet quoddam amoris initium, quandoquidem omnis motus in Deum & ad converſionem compulſus & excitatio, eſt quoddam amoris deſiderium, minima autem charitas, ait S. Thomas, plus diligit Deum quam cupiditas millia auri & argenti 3. p. q. 70. art. 4. in corp.

Perſiſtes: Atqui non habet obduratus poſſe proximum reſiſtere: Ergo &c. Probatur Antecedens multipliciter. 1. Quidem ad reſiſtendum neceſſe eſt ut tantum habeat virium, ad propellendam tentationem, quantum habet concupiſcentia ad tentandum, ita ut ſi delectatio terrena ſit ut ſex, cæleſtis debet eſſe ut ſeptem, hoc eſt, debet habere gratiam ut ſeptem, qua tamen certe privatur obduratus. 2. Requiritur gratia efficaciſſima ad vincendam tentationem gravem: obduratus vero ne minimam quidem habet caritatem. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: obduratus non habet gra-

gratiam in gradu ſufficientem ad propellendam negative tentationem, nego: ad propellendam poſitive, ſubdiſtinguo, & poteſt habere, per orationem, concedo: & non poteſt habere, nego. Minima gratia ſufficit ut homo non cedat tentationi, quatenus Deum in quo omne bonum continetur, habet pro objecto: tentatio vero quantumvis vehemens tendit in bonum privatum: Poteſt igitur per gratiam ſufficientem, accedente protectione Dei, non conſentire tentationi & negative ſe habere, deinde vero orare, & per orationem gratiam habebit uberiorem qua de facto creaturam vitioſam abnegabit, & ſe convertet.

Ad ulteriorem probationem diſtinguo, requiritur gratia efficax ad reſiſtendum poſitive & ad converſionem, concedo: ad reſiſtendum negative, nego.

Objicies 2. Potentia eſt habitus: Sed gratia ſufficiens eſt auxilium tranſiens: Igitur gratia ſufficiens non dat poſſe agere in ordine ſupernaturali &c.

Reſpondeo diſtinguendo, potentia naturalis eſt habitus, concedo: ſupernaturalis, ſubdiſtinguo; eminenter, concedo: ideſt, facit proportionali modo, quod facit potentia: formaliter & rigoroſe, nego. Auxilium actuale dicitur potentia per analogiam ad potentiam naturalem, tum quia ſe tenet ex parte potentiæ; illam enim & elevat, & inclinat atque excitat ad actum: & vero voluntas nude ſumpta non poteſt elicere actum ſupernaturalem, immo ne quidem illum velle.

Inſtabis: habitus fidei & ſpei dant poſſe ſupernaturale, ſicut & virtutes morales infuſæ, quæ omnes ſunt habitus: Igitur illæ virtutes dant poſſe ſupernaturale, & non gratia ſufficiens.

Reſpondeo diſtinguendo Antec. habitus virtutum dant poſſe radicale, concedo: poſſe immediatum, nego. Ipſi habitus ſupernaturales ſunt in potentia ad actum, unde indigent excitari ad illum per gratiam prævenientem. Poſſe multiplex eſt 1. Remotiſſimum & eſt ipſa potentia naturalis, ſiquidem eſt primum principium actus qui ab ipſa vitaliter procedit. 2. Remotum & eſt habitus ſupernaturalis, nempe virtus. 3. Proximum, & eſt gratia, tum ſufficiens, tum efficax: ſufficiens quidem excitando & inclinando actu voluntatem ad exercitium: efficax vero applicando ad ipſum actum. Verius dicam, efficax non dat poſse agere, ſed potius ipſum agere.

Urgebis: Ex hoc ſequitur dari potentiam potentiæ: abſurdum conſequens ergo & Antecedens.

Reſpondeo diſtinguendo ſequelam, in diverſo genere & in diverſa linea, concedo: in eadem linea, nego. Ipſa voluntas eſt potentia phyſica, habitus virtutis ſupernaturalis potentia metaphyſica & moralis, in quantum elevat potentiam ad agendum per modum principii activi: gratia ſufficiens etiam potentiam moralis vocatur, quia præparat potentiam ad actum, quia dat poſse proximum, quia ſe tenet ex parte potentiæ quam adjuvat & movet.

Replicabis. Poſita ſola gratia ſufficiente, nihil fiet: Igitur non dat poſse, ſed ſola gratia efficax.

Reſpondeo 1. negando conſequentiam, quia gratia ſufficiens non datur immediate ad actum, ſed ad præparationem actus.

Reſpondeo 2. diſtinguendo, nihil fiet immediate, concedo: mediate, nego. Ad aliud diſtinguo. Gratia efficax ſufficit ad hoc ut ſe ſola poſſit inferre actum, ſi Deus ageret deſpotice, concedo: ſi politice & conformiter naturæ liberæ, nego. Natura exigit ut proponatur finis & bonum antequam agat, ut poſſit eligere, vel rejicere; hinc debet præparari & excitari ad actum antequam illum de facto eliciat.

Inſiſtes: Ipſa electio mediorum quæ proponuntur voluntati, eſt a gratia efficaci: Igitur ſola dat poſſe.

Reſpondeo diſtinguendo, ipſa electio mediorum eſt a gratia efficaci elicitive, concedo: excitative, nego. Debent prius proponi media & intellectui objici, quod fit per gratiam ſufficientem quæ illuminat & inſpirat bonum; unde actus eſt ſimul & a libero arbitrio, & a gratia ſufficiente, & a gratia efficaci ut a cauſa adæquata. Liberum arbitrium, ut principium vitale elicit actum: voluntas præparatur a Domino per gratiam ſufficientem: determinatur & applicatur ad bonum per efficacem, quæ proprie non dat poſse, ſed ipſum actum: quando igitur tribuitur illi poſse, eſt poſse conjunctum cum actu.

Oppo-

Oppones 3. Gratia qua præparatur voluntas a Domino, eſt gratia efficax, gratia operis & quæ facit facere: ita S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 6. n. 11. " Multi, *inquit*, audiunt verbum veritatis: ,, Sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo iſti credere, nolunt autem ,, illi. Quis hoc ignorat? Quis hoc negat? Sed cum aliis præparetur; aliis ,, non præparetur voluntas a Domino; ,, diſcernendum eſt utique quid veniat de ,, miſericordia ejus, quid de judicio. ,, Igitur male definitur gratia ſufficiens, ea qua præparatur voluntas a Domino. Quinimmo gratia ſufficiens exſuſtentari videtur per hanc Auguſtini ſententiam, cum, ipſo teſte, gratia qua præparatur voluntas a Domino, non alia ſit, quam efficax; quandoquidem ille qui credit, ideo credit, quia præparatur voluntas ejus; alter vero ideo non credit, quia non præparata fuit ejus voluntas; certe ſi haberet gratiam ſufficientem, ejus quoque præparata diceretur voluntas, quod ſane non concordat cum verbis S. Doctoris.

Reſpondeo 1. D. Auguſtinum, admittere gratiam prævenientem, & quidem ab efficaci penitus diſtinctam. Illam dicit qua voluntas movetur & excitatur ad bonum, cui nonnumquam reſiſtitur, & cui ipſe, ut teſtatur in libris Confeſſionum, non ſemel reſtitit, dicendo, cras, cras; diutius quippe ſuam, tametſi Deus ad pœnitentiam cum vocaret, procraſtinavit converſionem: iſtam vero cui reſiſti poteſt, ſed numquam reſiſtitur. Igitur S. Auguſtinus non abnegat gratiam ſufficientem, dum laudat & celebrat efficacem.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: gratia qua præparatur voluntas ex parte actus ſecundi, eſt efficax, concedo: qua præparatur ex parte actus primi, nego. Duplex eſt præparatio; una ex parte actus primi, quatenus movet, & excitat ad bonum ſalutis, & ſic dat poſſe proximum & expeditum: proximum quidem quatenus illuminat intellectum & aperit ſalutis viam, & hoc intrinſece, quatenus movet & roborat voluntatem, ut illud proſequatur, unde voluntatis tantum conſenſus expectatur, ut faciat: tunc enim offertur gratia efficax, quæ infert actum, ſi voluntas non reſiſtat. Gratiam ſufficientem dare poſſe expeditum agendi, nemo non videt, cum, hac ſecluſa, liberum arbitrium nonniſi remotiſſime poſſit elicere actum ſupernaturalem. Altera præparatio ſe tenet ex parte actus ſecundi & in eo potiſſimum conſiſtit, quod per virtutem gratiæ uberioris advenientem potentia cum actu conjungatur: iſta quippe gratia præparat non inchoative immutando voluntatem, ut facit gratia ſufficiens, ſed complete, ſed perfectiſſime, ſed applicando voluntatem ad actum. Prima præparatio tribuitur gratiæ ſufficienti, altera efficaci, ſed nuſquam per excluſionem a prima, quam quoque admittit Auguſtinus, ut ex probationibus liquet. Quinimmo præparatio voluntatis proprie loquendo, magis dicitur de actu primo, cum ſit diſpoſitio ad actum perfectum & conſummatum; nam gratia efficax non præcile præparat ad actum, ſed illum operatur & confert.

Solvuntur objectiones depromptæ, ex impoſſibilitate morali agendi conjuncta cum ſola gratia ſufficiente.

REPONUNT novatores: poſita gratia ſufficiente, eſt impoſſibilitas moralis agendi, ſi non adſit ſimul gratia efficax: Igitur gratia ſufficiens non dat poſſe agere. Probatur antecedens: poſita ſola gratia ſufficiente deeſt aliquid abſolute neceſſarium ad agendum, ſcilicet gratia efficax, ipſa vero abſente, tanta eſt agendi impoſſibilitas, quanta eſt in oculo ad videndum coloratum, deficiente lumine, licet homo habeat oculos ad videndum expeditos. Ergo &c.

Reſpondeo 1. Opinionem admittentem impoſſibilitatem moralem etiam, præſente gratia ſufficiente, collimare cum opinione Lutheri & Calvini, cum opinione Synodi Dordracenæ, quia inducit neceſſitatem moralem abſolutam aut peccandi, vigente concupiſcentia, & deficiente gratia efficaci, aut bene agendi, quando adeſt iſta gratia operis. Similem propugnat neceſſitatem Lutherus lib. de lib. arb. pag. 468. Kemnicius in examine Concilii Tridentini pag. 105. Calvinus lib. 1. de lib. arb. pag. 142. hanc in Synodo Dordracenſi defenderunt in ſuis theſibus magnæ Britanniæ Theologi Proteſtantes.

Reſpondeo 2. Iſtam opinionem favere Janſenii ſententiæ, immo propoſitionem

primam & ſecundam damnatam renovare ; ſiquidem Janſenius non aliam edmittit neceſſitatem aut obediendi concupiſcentiæ, aut ſequendi gratiam quam moralem abſolutam relativam : dico abſolutam, quia eſt impoſſibilitas faciendi contrarium : dico relativam quia ſi delectatio una ſuperior eſt, neceſſe eſt alteram iſti cedere.

Reſpondeo 3. Falſum eſſe homini ineſſe impoſſibilitatem agendi moralem cum ſola gratia ſufficiente, ſiquidem oſtendimus gratiam ſufficientem ſecundum multos Theologos eſſe entitative eandem cum gratia efficaci, & fieri efficacem ſecundum Congruiſtas per voluntatis conſenſum, ſecundum vero noſtros Thomiſtas per majorem radicationem in ſubjecto, per additionem non entitatis ad entitatem, ſed gradus ad gradum : diximus dare poſſe & præparare animam ad agendum, probabimus infra gratiam ſufficientem ſuum etiam quandoque aſſequi finem, qui eſt operatio: quę quidem doctrina fundatur in Scripturis, nam præter loca jam in probationibus laudata Act. 2. 12. & 13. habetur : *Stupebant autem omnes & mirabantur ad invicem dicentes : quidnam vult hoc eſſe ? alii autem irridentes dicebant quia muſto pleni ſunt iſti.* Ibidem 16. 13. & 14. *Die autem Sabbatorum egreſſi ſumus foras portam juxta flumen ubi videbatur oratio eſſe, & ſedentes loquebamur mulieribus quæ convenerant, & quædam mulier nomine Lydia . . . Audivit cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo*. Ibidem cap. 19. *Paulus introivit ad eos, & per Sabbata tria diſſerebat eis de Scripturis, adaperiens & inſinuans quia Chriſtum oportuit pati . . . . Quidam ex eis crediderunt*. Ibidem cap. 28. *Quidam credebant his quæ dicebantur, quidam vero non credebant*. Igitur nullis erat impoſſibilitas moralis credendi, quandoquidem omnes erant in gratia ſufficiente pares, omnes audiebant Paulum prædicantem & Spiritum Sanctum intus loquentem ſentiebant; quare igitur quidam crediderunt, quidam vero non crediderunt. Reſpondet ad difficultatem S. Auguſt. Judæi non crediderunt, quia noluerunt, reſpondet fuſius lib. 12. de civ. cap. 8. " Si ,, aliqui duo æqualiter affecti animo & ,, corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua viſa, unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in ,, voluntate pudica ſtabilis perſeveret, ,, quid aliud apparet niſi unum voluiſſe, ,, alterum noluiſſe a caſtitate deficere ? ,, Ecce Auguſt. interpres & definiens quod duo æqualiter affecti circa idem objectum, nullus horum habeat impoſſibilitatem moralem, cum unus cedat tentationi, alter minime : præterea, exardeſcente concupiſcentia, poteſt tentatus alio divertere animum, & tunc evaneſcit ſaltem ut plurimum angelus Satanæ colaphizans : hinc & Spiritus Sanctus Eccl: 7. 40. nos adhortatur, ut meditatione tum mortis, tum æternitatis ſæpius utamur ad fugandos dæmones & peccatum vitandum : *Memorare*, inquit, *noviſſima tua & in æternum non peccabis*.

Reſpondeo 4. In forma negando antecedens. Ad propationem, diſtinguo : poſita gratia ſufficiente, deeſt aliquid ad agendum ex parte actus primi ſive ex parte potentiæ, nego. Siquidem ipſa eſt elevata & præparata ad agendum, per gratiam ſufficientem: igitur habet vere poſſe agere: deeſt aliquid ex parte actus ſecundi, ſubdiſtinguo, & illud nempe gratia efficax affert, concedo : ſecus, nego. Immo iſta gratia eſt aliqualiter in noſtra poteſtate, quia ſanguis Chriſti a quo fonte promanat, pro omnibus effuſus eſt: deinde quod per amicos poſſumus per nos ipſos quodammodo poſſumus, inquit S. Thomas; homo igitur habet poſſe actu agere per gratiam efficacem quæ illi offertur, quæque dabitur, ſi non reſiſtat vocanti; igitur nulla eſt, nequidem moralis agendi impoſſibilitas.

Reſpondeo, ad exemplum negando paritatem, quia homo in nocte non habet in poteſtate ſua lucem, quippe qui non ſit lucis & diei Dominus; non eſt ſic in cauſa ſalutis; quotieſcumque enim datur gratia ſufficiens ad aliquid agendum, ſimul affertur efficax. Neque vero fruſtra ſemper provocat Deus peccatorem ad pœnitentiam, fruſtra movet & excitat, pulſando ad cor ; fruſtra offert peccatori auxilium ut actu doleat de peccatis, ita Concilium Senonenſe decreto 15. his verbis ; *Gratia ſemper in promptu eſt, nec momentum quidem præterit in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet, cui ſi quis aperuerit januam intrabit ad illum, & cœnabit cum illo, nec tamen tale eſt ejuſmodi Dei trahentis auxilium cui reſiſti non poſſit.*

Inſtant :

Inſtant: S. Auguſtinus majorem exigit gratiam ad agendum quam ſufficientem, ſic enim loquitur lib. de gr. & lib. arb. c. 4. n. 7. de auxilio Dei; " Quibus e-„ nim non eſt datum, aut nolunt, aut „ non implent quod volunt; quibus au-„ tem datum eſt, ſic volunt ut impleant „ quod volunt. „ Audis homines per gratiam ſufficientem ſolum velle bonum, ſed illud non adimplere donec detur efficax; igitur ſufficiens non dat poſſe bonum complete.

Reſpondeo diſtinguo majorem, Auguſtinus ex parte actus ſecundi majorem exigit gratiam, concedo; ultro enim concedimus præter gratiam ſufficientem requiri & efficacem ad actum ponendum; exigit majorem ex parte actus primi, nego. Ceterum diverſus in gratia ſufficiente gradus reperitur; v. g. qui habet gratiam ſufficientem ad orandum, nondum habet ad conterendum; unde ſemper orare debemus, ut Deus ſuas multiplicet benedictiones & favores; ſed contendimus quamlibet gratiam ſufficientem dare poſſe proximum ad actum quem reſpicit ut finem; exempli cauſa, gratia ſufficiens orationis dat poſſe orare, & præparat vere animam ad illum actum; poſtea peccator poterit habere uberiorem quæ illum præparat proxime ad pœnitentiam; quod autem per gratiam ſufficientem habeat homo poſſe bonum proxime, dicit ibidem S. Auguſt. cap. 16. num. 32. " Ex iſta oratione „ mea, qua hæc a Deo peto, intelligite „ quomodo dixerim, *ſi volueris, ſervabis* „ *mandata*. Certum eſt enim nos manda-„ ta ſervare, ſi volumus; ſed quia præ-„ paratur voluntas a Domino, ab illo pe-„ tendum eſt ut tantum velimus, quan-„ tum ſufficit ut volendo faciamus. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur gratia ſufficiens.

PRIMO. Hanc veritatem ſacræ declarant Scripturæ; Iſ. 5. legitur; *Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Igitur Judæi quos ſub vineæ metaphora redarguendo alloquitur Chriſtus, habebant gratiam ſufficientem qua poſſent velle & operari bonum, hinc de boni omiſſione recte increpantur. Eadem veritas habetur Matth. 11. ubi iterum Judæos inſectatur Dominus, quod pœnitentiam non egerint, quam tamen feciſſent Tyrii & Sidonii ſi eaſdem cum ipſis habuiſſent gratias.

Secundo: Concilia eidem ſuffragantur veritati: in primis Aurelianenſe II. cap. 25. tum Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. his verbis: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Suam huic ſanæ doctrinæ addunt calculum SS. Patres & Doctores. Aug. lib. de cor. & grat. cap. 6. 7. 8. maxime lib. de ſp. & litt. cap. 33. S. Thomas 1. 2. quæſt. 106. art. 2. ad 2. " Lex nova, *inquit*, ſufficiens „ auxilium dat ad non peccandum. „ Ex quo ibidem concludit peccatorem reatum pœnæ æternæ incurrere, quia bonum, quod operari poteſt, ex negligentia, & quod pejus eſt, ſæpius ex protervia, omittat.

Tertio: Deus non deficit in neceſſariis: ſed ad agendum requiritur potentia expedita, & eſt gratia ſufficiens, quam quidem omnibus confert Deus, ut docent communiter Theologi, ea potiſſimum ratione, quod ipſe velit omnes & ſingulos ſalvos fieri. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametſi ulterior gratia præter ſufficientem ad actu agendum neceſſaria ſit, non inde ſequitur gratiam ſufficientem eſſe explodendam, cum voluntas, priuſquam actu operetur per gratiam efficacem, a Domino per ſufficientem præparetur.

Secundo: Habitus virtutum præparant quidem potentiam ad agendum, ſed ſolum radicaliter & non proxime, hinc ad hoc requiritur gratia ſufficiens.

Tertio: Gratia ſufficiens obduratis conceſſa, non dat, eſto, proxime poſſe converti, bene tamen orare, ut per orationem gratiam uberiorem ſufficientem, qua velint ardentius converti, obtineant: Igitur gratia ſufficiens dat ſemper poſſe proxime actum ad quem præparat, & quem immediate reſpicit.

SECTIO TERTIA.

Utrum gratia ſufficiens in concurſu æqualis, vel majoris delectationis terrenæ, det poſſe proximum agendi relative, ad illam delectationem?

HANC movemus quæſtionem contra Janſenium qui nullam Chriſti gratiam conferre poſſe bonum proxime in concurſu majoris delectationis terrenæ docet: iſtam quippe non poſſe aut ſuperari, aut vinci niſi a delectatione cæleſti in gradu majori contendit, quam quidem delectationem ideo vocat gratiam efficacem & victricem, ſic loquitur lib. 4. de gr. cap. 9. pag. 183. *Conflictus ille delectationum ſopiri non poteſt, niſi altera alteram delectando ſuperaverit, & eo totum animæ pondus vergat. Quod enim amplius delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Contra quem propugnamus gratiam ſufficientem præbere vires quibus anima poteſt quodcumque bonum operari. Sufficiens v. g. orationis dat vires proxime & relative ad orandum potentes, omnemque ex parte vel concupiſcentiæ, vel alterius paſſionis occurrentis oppoſitionem vincere, frangere & compeſcere valet. Gratia ſufficiens contritionis dat peccatori poſſe proximum conteri, etiam renitente carne, etiam fervente & exaſperante lucta. Sit igitur

CONCLUSIO.

Gratia ſufficiens dat poſſe proximum relative, ad actum quem reſpicit & propter quem datur.

Probatur auctoritate, & ratione.

QUINQUE potiſſimum momentis hanc probamus catholicam veritatem. Primo, auctoritate utriuſque Teſtamenti: Secundo, ex Conciliis: Tertio, ex Patribus: Quarto, e fide Eccleſiæ: Quinto, ratione Theologica..

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex ſcriptura veteris Teſtamenti.

Primo, ex libris legalibus.

PRIMO, legitur Gen. 4. Deum ſic alloqui Cainum: *Si bene egeris, recipies, ſi male ſtatim in foribus peccatum aderit: ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Alloquitur Deus magnum peccatorem, illum tamen erigit & conſolatur dicendo poſſe ſalvari, quia poteſt ſicut malum ita & bonum patrare: hortatur ut paſſionibus reſiſtat & dominetur: ergo Cainus habebat gratiam & in futurum habiturus erat, ad juſtitiam omnem adimplendam, etiam renitente carnis appetitu; immo Deus vult, ut illi dominetur: Igitur gratiam habebat vere ſufficientem ad actum etiam in concurſu paſſionis exæſtuantis: quid plura? minatur pœnas Deus Caino niſi malis paſſionum affectibus reſiſtat; poterat igitur reſiſtere, alias peccatum in foribus non adſuiſſet. Nemo quippe peccat in eo quod vitare non poteſt. Et ſic incaſſum Janſenius contra avitam Eccleſiæ doctrinam gratiam, qua præcepta Dei poſſibilia fiunt, nedum peccatoribus, ſed vel ipſis juſtis etiam conantibus deeſſe autumat.

Secundo, Deut. cap. 30. hæc verba leguntur in perſona Dei: *Teſtes invoco... quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam.* Iſta ſententia proponitur peccatori qui eſt attractus & illectus concupiſcentia vel vitę, vel carnis, vel etiam qui ſuperbia ſtimulatur, quas quidem tentationes ſine gratia non poſſe vincere certum eſt. Attamen Deus, inquam, huic peccatori licitum facit eligere quodcumque voluerit; quinimmo hortatur eligere vitam: Igitur poteſt viribus gratiæ ſufficientis, etiam exęſtuante concupiſcentia ardentiſſima, facere bonum, alias fruſtra fieret exhortatio, unde ſequitur illud contra Novatorem argumentum: illa ſententia eſt erronea quę propugnat eſſe impoſſibile homini eligere bonum; hoc quippe ex adverſo contra Scripturam ſtat: atqui ex Janſenio, poſita delectatione terrena ardentiori, impoſſibile eſt eligere oppoſitum, unde peccator peccat neceſſitate compulſus, & damnatur

propter peccatum quod vitare non poterat: quæ pernicioſa doctrina? quis illam ſuſtinere valebit? Igitur opinio Janſenii falſiſſima eſt & erronea, oppoſita vero catholica: Igitur ex concedendis gratia ſufficiens dat poſſe proximum & relativum.

Secundo, ex libris Sapientialibus.

PRIMO: Proverb. 1. habetur: *Vocavi & renuiſtis, extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo vos, cum vobis id quod timebatis, advenerit . . . v. 33. Qui autem me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato.* Ibi peccatoribus minatur pœnas Deus eo quod noluerint venire cum eos ad vitam provocaret: ibi eos judicio comparativo dijudicat: omnes ad idololatriam aliave crimina aut propenſi, aut moti & allecti ſunt: plures ſunt eodem peccato rei, earumdem paſſionum ancillati; omnes eodem modo tentati; attamen renuentes ipſum audire ſubſannabit, alios vero gratiæ fideles compenſare diſcernit: ſed judicium illud comparativum a juſtitiæ legibus prorſus deficeret, ſi gratia ſufficiens non daret poſſe proximum, & relativum; ſi, urgente gravi tentatione, impoſſibile eſſet non cedere tentationi, ut vult Janſenius: Igirur gratia ſufficiens dat poſſe & quidem relativum in concurſu cujuſlibet tentationis ad bonum faciendum.

Secundo: Pſalmiſta paſſim eamdem prædicat veritatem Pſalm. 53. ait: *Declina a malo & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam.* Idem: *quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Deus loquitur omnibus peccatoribus eoſque in quacumque tentationis circumſtantia poſitos hortatur ad legem adimplendam: ſupponit igitur omnes poſſe bonum proxime & relative: hinc non excuſat peccatorem qui tentationi cedit, ſed eum increpat & ait, Pſal. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Rurſus Pſalm. 35. *Noluit intelligere ut bene ageret*: Unde & contra impios hanc profert ſententiam. Pſalm. *Ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum,* Verum hæc & ſimilia incaſſum dicuntur, ſi ut vult Janſenius, impoſſibile ſit peccatori ſuperare tentationem, ſi non detur gratia ſufficiens interna quæ poſſe bonum proxime & relative conferat.

Tertio, ex libris Propbetalibus.

PROPHETÆ omnes invitant peccatores ad pœnitentiam, ſollicitant ne, data quacumque tentatione, operentur malum, prædicant, immo & præcipiunt ſemper in concurſu tentationis, non audire carnem, non ſatanam, non mundum, ſed potius Deum eos vocantem ad vitam. Qua ratione, ne dicam quo jure hæc omnia; ſi non adſit gratia quæ det poſſe bonum relative, ſi ferveſcente concupiſcentia impoſſibile ſit cum gratia ordinaria vincere & fugare inimicum, & quod pejus eſt, ſi illa gratia qua præcepta poſſibilia fiunt non ſolum peccatoribus, verum etiam & juſtis: quid dico, juſtis etiam conantibus deſit, ut propugnat Janſenius?

Unam inter omnes Prophetarum ſententias ſeligimus, & legitur Iſa. 5. 3. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci ei?* Inquit Deus: *An quod expectavi uvas, & fecit labruſcas? Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam ſepem ejus, & erit in direptionem. . . . Vinea enim Domini exercituum domus Iſrael eſt.* Tria in iſtis obſervanda ſunt. Primo quidem, Deum Judæos quos ſub nomine vineæ alloquitur nuncupare: *Vinea enim Domini exercituum domus Iſrael eſt.* Secundo, aſſerit eis ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos, ſufficientes præbuiſſe vires: *Quid debui ultra facere vineæ meæ & non feci?* Tertio, Judæos peccaſſe, cum e contra potuiſſent operari bonum. Quarto, ideo eos puniri & dari in deprædationem, quippequi ſua culpa excidiſſent a juſtitia: *auferam ſepem &c.* Igitur Judæi quantumvis gravioribus peccatis jamjam irretiti, habebant proxime & relative poſſe bonum. Sin minus, quod abſit dicere, fuiſſent de obduratione excuſabiles.

Beatus Cyrillus Alex. comment. ad c. 5. Iſaiæ ſic interpretatur Prophetam: "Demonſtrare conatur Iſaias, inexcuſabilem omnino Judæorum ignaviam &

„ & adverſus legem impudentiam .... „ Prodeant igitur , *inquit* , qui inter „ vos ſunt ſapientes : judicent interme vi- „ neæ Dominum , & ipſas vites . Quid „ igitur boni illis defuit, ut inutiles fie- „ rent ? Si enim rerum ad uſum neceſſa- „ riarum quippiam a me qui plantaveram , „ forte prætermiſſum fuerit , cauſæ niſi „ dicant , nec pœnas exigam , quid enim „ facerem , *inquit* , quod non ei fecerim ? „ ... Spinas tamen peperit, licet expe- „ ctarem ut eam pulchris fructibus orna- „ tam viderem: quæ tandem a judice fe- „ retur ſententia ? Num igitur inertem , „ num deſidioſum agricolam dicet ? An „ potius illos accuſabit qui tanta ſollici- „ tudine curati a me , adeo fertilitatem „ ſuam neglexerunt , ut inanem ſylvam „ ac turbam ſpinarum pro racemis pepe- „ rerint . „

Ex his ſequitur iſtud contra opinionem Janſenii ratiocinium. Illa doctrina eſt falſa & procul facienda quæ opponitur Scripturæ : atqui talis eſt doctrina Janſenii ; & probatur : Scriptura dicit ; *Subter te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius* . Janſenius vero non tu dominaberis, ſed actui dominabitur delectatio terrena, quia ſi concupiſcentia ſuperior eſt gratia in gradu , neceſſario te trahit ad peccatum ; Spiritus Sanctus hortatur omnes peccatores , ut etiam , aggravante paſſionum exæſtuantium lucta , non cedant tentationi , ut eligant vitam & benedictionem. Janſenius vero dicit inutilem eſſe illam exhortationem , quia , ferveſcente concupiſcentia, ex ipſo non detur electionis locus peccatori, impoſſibile ſit eligere vitam, ipſe neceſſario neceſſitate antecedente peccabit . Deus increpat impium eo quod nolit intelligere ut bene agat ; hunc inexcuſabilem dicit , eo quod pro ipſo cuncta ad ſalutem neceſſaria dediſſet, ita ut expectaret uvas , dignos ſcilicet pœnitentiæ fructus; Janſenius e contra excuſat peccatorem graviſſimæ tentationi cedentem , quia non poteſt aliter facere quam concupiſcentiæ obedire, dicit fructum pœnitentiæ a peccatore in congreſſu delectationis terrenæ exæſtuantis non eſſe expectandum ; quales conſequentiæ ? Attamen neceſſario ſequuntur ad Janſenii principia; igitur merito ſummus Pontifex primam propoſitionem, qua Janſenius quædam præcepta dicit impoſſibilia quibuſdam juſtis, etiam conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, proſcripſit , ut impiam & blaſphemam .

Ex Novo Teſtamento .

Primo , ex Evangeliſtis .

HOMINEM poſſe bonum & quidem proxime relative in quocunque tentationis congreſſu , poſitum , ita manifeſtum eſt , ut , hac veritate ſublata , etiam Scripturæ novi Teſtamenti veritas de medio tollatur . Hinc in forma ſic argumentamur .

1. Illa gratia dat poſſe bonum proxime et relative , cum qua homo licet vitiis laceſſitus, poteſt tamen ad Deum ſe convertere, quæ reddit illum quantumvis obdu atum inexcuſabilem ſi perſeveret in peccatis , quæ non ſolum inexcuſabilem ſed pœna & maledictione dignum & ſubjectum efficit , quæ ita ſufficiens eſt , ut ſi data aliis iiſdem & adhuc majoribus exancillatis peccatis, eorum operata fuiſſet ſalutem, quæque tantas animæ vires præbet, ut eam ab omni ſalutis periculo liberet, protegat & ſalvet, ſi velit audire Dominum; atqui talis eſt gratia ſufficiens data non ſolum juſtis, ſed & magnis peccatoribus ; Igitur gratia ſufficiens dat ſemper poſſe bonum proxime & relative. Probatur minor duplici et percelebri ſententia. Prima habetur Matth. 5. his verbis ; *Væ tibi Corozain , væ tibi Bethſaida , quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis , olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent* . Gratia de qua eo loci agitur non eſt mere extrinſeca quæ ſolum in miraculis ſita eſſet , ſed de gratia interiori quæ de facto Judæos quantumvis obduratos ad fidem convertiſſet, hinc ſtupens Chriſtus demiratur gratiam proxime & relative ita ſufficientem ut vel ipſos paganos , Tyrios ſcilicet & Sidonios , ſi eis fuiſſet collata , ad pœnitentiam adduxiſſet , hanc enim Dominus inter utrumque populum inſtituit comparationem , ut oſtendat gratiæ ſuæ virtutem ad vincendam non ſolum quamlibet concupiſcentiam, verum etiam & in malo pertinaciam ; namque agitur ſolum hic de gratia ſufficiente , ſiquidem ſuo in Judæis obſtinatis caruit effectu , de gratia parva , id eſt , non efficaci , quæ tamen ita dabat poſſe bonum proxime & relati-

ve, ut renitentes Judæos ingratos anathemate percellat Dominus; *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida*. Quare vero tanta maledictio? Quia gratia collata ſic ſufficiens erat relative, ut ipſi Idololatræ & Pagani ſi eam habuiſſent, egiſſent in cilicio & cinere pœnitentiam.

Altera ſententia habetur ibidem 23. 37. his verbis; *Jeruſalem, Jeruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Oſtendit Chriſtus paternum erga Judæos affectum; in quo vero oſtendat, ipſe dicit, quia gratiis ſuis voluit ſincere eos ſibi conjungere; voluit ea ſollicitudine qua gallina congregat pullos ſub alas; Igitur gratia licet Judæorum obduratione irrita, ſufficiens tamen admodum proxime et relative erat; maxime vero eo quod eſſet ſummi erga Judæorum ſalutem Chriſti amoris argumentum. Ita hunc locum S. Hilarius in Matth. verba Chriſti interpretatur; " Tanquam gallina, *inquit*, congregans pullos ſuos continere eos Judæos, ſub alis ſuis voluit, terrena videlicet nunc & domeſtica avis factus quodam corporis ſui tanquam alarum operimento, calorem, ut pullis ſuis vitæ immortalitatis indulgens, & in volatum nova regeneratione producens. "

2. Eidem veritati ſuffragantur cæteri Evangeliſtæ; quandoquidem SS. Marcus & Lucas ſcribunt impios in fine mundi eſſe judicandos, & pœnis deputandos æternis, quia cum legem Chriſti obſervare poſſent, attamen concupiſcentiis voluntarie cedentes, prævaricati ſunt; Igitur habebant poſſe bonum relative, ad quamlibet delectationem terrenam exardeſcentem. His accedit iſta altera Chriſti ſententia, qua ſicut juſtus ſic & peccatores omnes ad crucem ferendam invitat; ſic enim loquitur Matth. 16. *Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Igitur omnibus ad hoc confert auxilium proxime ſufficiens, neque enim graviſſime tentatos, immo impios & obcæcatos excipit, & recte quidem indiſcriminatim omnes vocat ad crucis amorem & amplexum, quippe quæ obduratis præ cæteris plurimum ſit ad ſalutem neceſſaria.

Ex Actibus & Epiſtolis.

Primo, S. Stephanus Act. 7. eamdem docet veritatem. Sic alloquitur peccatores flagranti obcæcationis ſcelere detentos: *Dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus, vos Spiritui Sancto ſemper reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita & vos*. Eos redarguit quod ex determinata malitia gratiæ ſufficienti illos ad fidem in Chriſtum invitanti reſiſterent. Igitur per eam habebant poſſe credere, etiam relative ad obſtinatam obcæcationem; ſin minus fuiſſent de ſua infidelitate excuſabiles, quod aperte adverſatur Scripturæ.

S. Cyrill. Alex. lib. 1. comment. in Iſ. orat. 1. explicans illa Prophetæ verba *Quomodo facta eſt meretrix Sion*. Eoſdem de peccato arguit, quod potentes credere, vitiorum pondere concuſſi, noluerunt: " Perinde eſt, *ait*, ac ſi diceret, quæ tot ad intelligendum occaſiones accepit; immo vero quæ ſpiritualibus adjumentis abundavit, in defectionem & apoſtaſiam defluxit. "

2. *Celebris* eſt Apoſtoli pro hoc momento iſta ſententia 1. Cor. 10. 13. *Tentatio vos non apprehendat niſi humana, fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Sed ſi gratia ſufficiens non daret poſſe bonum proxime in concurſu delectationis terrenæ ſupra modum ebullientis, jam homo tentaretur ſupra id quod poſſet. Igitur cum hoc aperte adverſetur Scripturæ, fatendum eſt gratiam omnem ſufficientem dare proxime poſſe actum bonum. Rurſus 1. ad Theſſ. 19. ait: *Nolite ſpiritum extinguere*. Sed ſpiritum extinguere eſt reſiſtere gratiæ quæ dat poſſe bonum proxime, quandoquidem, ſi non reſiſtit voluntas, ſuum gratia ſortitur effectum, & ideo hortatur Apoſtolus ut tentatus ſanctum non extinguat reſiſtendo Spiritum: Ergo &c.

Hunc locum ſic interpretatur ſanctus Thomas comment. In 1. ad Theſſ. cap. 5. lect. 2. " Spiritus ſanctus eſt perſona divina incorruptibilis & æterna; unde in ſua ſubſtantia extingui non poteſt, ſed tamen dicitur quis extinguere ſpiritum uno modo fervorem ejus extinguendo, vel in ſe, vel in alio; cum enim aliquis aliquid boni ex fervore

„ Spiritus ſancti & ipſe impedit , extin-
„ guit Spiritum ſanctum . „

Juvat tertiam ejuſdem Apoſtoli afferre ſententiam 2. Cor. 6. 1. ſic loquitur : *Adjuvantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Sed ſi gratia ſufficiens non dat proxime poſſe bonum in concurſu delectationis terrenæ ferveſcentis, ita ut impoſſibile ſit tunc temporis , ut propugnat Janſenius actum juſtitiæ & cujuſcumque virtutis elicere , inutile & ſupervacaneum eſt hortari peccatores ne in vacuum gratiam recipiant , quia velint , nolint , hanc gratiam ſufficientem licet ad emolliendum cor datam, ſemper in vanum recipient. At non ſic cenſet D. Thomas qui comment. in Epiſt. 2. ad Corint. lect. 6. ſic ſcribit : “ Hortatur Apoſto-
„ lus ne receptio gratiæ ſit inutilis &
„ vacua , quod contingit quando ex per-
„ ceptione gratiæ quis non ſentit fructum
„ qui duplex eſt, ſcilicet remiſſio pecca-
„ torum, & ut homo juſte vivendo per-
„ veniat ad gloriam cæleſtem . „ Poteſt igitur peccator quantumvis exæſtuantibus concupiſcentiæ fluctibus laceſſitus, juſte vivere: Unde iſta potentia relativa ? niſi a gratia ſufficiente , quæ quidem adeſt ad defendendum a periculo peccati & damnationis animam.

Ex Apocalypſi.

B. JOANNES Apocal. 3. 2. in perſona Dei ſic loquitur animæ: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo & ipſe mecum*. Haud dubium eſt ibi ſermonem eſſe de gratia præveniente , de gratia ſufficiente qua movetur peccator ad bonum: Stat igitur Dominus per hanc gratiam ad oſtium cordis , pulſat ut aperiatur janua: agitur hic de magno peccatore , de eo ſcilicet cujus cor vitiorum & peccatorum impetu Deo clauſum eſt: Attamen petit Deus ut aperiatur : Igitur poteſt aperire peccator per contritionem : Igitur gratia ſufficiens dat poſſe proximum etiam relative : non enim peccatorem tantummodo inertem & ſupina craſſitudine vitiis inhærentem compellit Spiritus ſanctus ut aperiat, ſed omnem etiam paſſionibus exardeſcentem , ſed Judæum obſtinatum, ſed impium cujus mortem & damnationem æternam non vult . Pulſat ad cor, ſtat , igitur proximus eſt : igitur gratia ſufficiens dat poſſe proximum etiam relative, ſiquidem dat peccatoribus qui variis & magnis aguntur carnis & ſuperbiæ deſideriis atque motibus.

Talis tamque ſuavis & Deo digniſſima interpretatio habetur in Concilio Colonienſi contra Lutherum adunato ſeu in Enchiridio ad calcem edito anno 1536. opere Joannis Gropperi qui juſſu Archiepiſcopi Colonienſis , illud Enchiridion Chriſtianæ Inſtitutionis concinnavit : “ Septimo , *inquit* , retinendum eſt , ſitum
„ eſſe in hominis voluntate , ut gra-
„ tiam Dei oblatam vel accipiat vel re-
„ cipiat. „ Ibidem : “ Jam conſtat Deum
„ nulli hominum gratia illa generalius
„ accepta deeſſe , adeo ut nullus pecca-
„ tor tam ſceleſtus , cui Deus quoad in
„ hac vita ſuperſtes fuerit ſuam gratiam
„ penitus ſubtrahat. Nam per hanc ſtans
„ ad oſtium ſedulo pulſat , initium no-
„ ſtræ ſalutis , quæ eſt peccati cognitio,
„ in nobis operari deſiderans . Quis tan-
„ dem eſt hominum , qui non ſentiat ſe
„ hac gratia præveniri , quod & gentes
„ oſtendant opus legis ſcriptum in cordi-
„ bus ſuis, teſtimonium eis reddente con-
„ ſcientia eorum? „

Ex his ſequitur iſtud contra opinionem Janſenii argumentum. Illa opinio eſt rejicienda, quæ reddit & facit Scripturam ſacram mendacem : Atqui hoc ipſum operatur opinio Janſenii & probatur . Chriſtus inexcuſabiles reddit Judæos quod , rejecta gratia ſufficienti, quæ ipſos Paganos adduxiſſet ad fidem, eum audire noluerint : Janſenius vero excuſationes in peccatis eorum adinvenit, quia talis gratia non erat ſufficiens propter malitiæ & incredulitatis concurſum . Non converſi ſunt, eo quod noluerint, ait S. Auguſtinus , e contra vero Janſenius , quia non potuerunt , ſaltem hoc ex ejus ſequitur principio . Chriſtus vocat omnes qui laborant & onerati ſunt, dicit jugum ſuum ſuave : omnes peccatores invitat ad vitam . Janſenius non ſic , jugum importabile prædicat : impoſſibile eſt peccatori ingraveſcente tentatione carnis non cedere, incaſſum vocatur impius & tentatus ad vitam, namque licet invitatus, non poteſt quin cedat Satanæ , quin peccet & moriatur, quia concupiſcentia ſecundum ip-
ſum

ſum fortior eſt gratia : hinc quoties gravis eſt & exuberans, toties peccare neceſſe eſt. Chriſtus ſtat ad cor & pulſat ad oſtium, ſed ſemper in vanum, *inquit Janſenius*, ſi exardeſcit concupiſcentia aut carnis, aut vitæ; ideſt, ſi ſit in gradu gratia ſuperior, quaſi vero omnis etiam minima gratia non poſſit vincere quamlibet concupiſcentiam : Igitur merito Innocentius X. illam doctrinam dicit impiam & temerariam, &c.

Secundum argumentum Conciliis ſuffultum.

NON ſemel in hac gratiæ ſufficientis materia appellavimus Concilia, nempe Lateranenſe, Senonenſe, & alia. Duo impræſentiarum adducere ſufficit in teſtimonium, nempe Colonienſe & Tridentinum.

Primum in Enchiridio jam laudato ſic loquitur : " Gratia diſtinguitur in operantem & cooperantem, ſeu prævenientem & ſubſequentem : Gratia præveniens plurimos habet gradus; & ut ſummatim dicamus, duplex eſt; una qua Deus prævenit peccatorem, ut reſurgat; altera, qua peccator prævenienti Deo aſſentiens jam reſurgit : utraque voluntatem noſtram prævenit Deus, ſed priorem ſubminiſtrando ſolus operatur; in altera, voluntas noſtra Deum prævenientem ſubſequens, ei per velle ſeu aſſenſum, remiſſionem peccatorum accipiendo cooperatur. "

Ibidem duplicem gratiam prævenientem rurſus diſtinguit : " Prior, *inquit*, gratia qua Deus hominem prævenit & invitat ut reſurgat; iterum duplex eſt : una generalior quæ eſt bonus motus, bonaque cogitatio, veluti cum peccator Deo inſpirante agnoſcit peccatum ſuum, cum terrore gehennæ concutitur, cum de amittenda æterna beatitudine dolet : altera ſpecialior eſt, tot habens ſpecies, quot ſunt ſpecies boni motus ad reſipiſcendum : jam conſtat Deum gratia illa generalius accepta, nulli hominum deeſſe. " Urgente ſaltem præcepto.

Ibi ſermo habetur de gratia præveniente ad timorem, ad amorem beatitudinis, ad reſurrectionem : de gratia quæ conceditur peccatoribus in limo profundo vitiorum infixis, de peccatoribus in quibus plurimum exardeſcit concupiſcentia vitæ, & tamen ex Concilio illa gratia illos ita invitat ad vitam, ita promovet ad bonum, ut tandem aliquando valeant ad vitam reſurgere, immo & de facto, adjuvante gratia, reſurgunt : Igitur omnis gratia ſufficiens nedum conceſſa juſtis, ſed & magnis peccatoribus pares dat & ſufficientes vires, & quidem relative, ut homo quicumque poſſit bonum. Jam ipſum audiamus Concilium loquens : " Quanquam nemo convertatur ad Dominum niſi tractus per Patrem, attamen nemo ſic excuſationem prætexat quod non trahatur cum ille ſemper ſtet ad oſtium pulſans nimirum per internum & externum verbum commovens ut convertamur a via peſſima. "

Secundum eſt Tridentinum jamjam laudatum quod quidem ſeſſ. 6. cap. 11. ſic loquitur : " Nemo autem, quantumvis juſtificatus liberum ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debet; nemo temeraria illa, & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. " Quot verba, tot fere ſententiæ obſervandæ. 1. Nemo etiam juſtus, a fortiori alii, liberos ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debent : Igitur poſſunt nedum abſolute ſolum, ſed & relative illa obſervare, & quidem ingraveſcente concupiſcentia Quaſi vero gravitas tentationis excuſaret a bono operando, cum potius præceptum, fidei, ſpei & charitatis magis urgeat in ejuſmodi circumſtantiis : Jam vero ſi ligat, debet homo quicumque ſit, in concurſu cujuslibet tentationis terrenæ allicientis poſſe & reſiſtere, & legem adimplere; quod tamen Janſenius negat ſed temerarie. 2. *Deus impoſſibilia non jubet*, ex his Trident. verbis. Iterum ſequitur hominem quantumvis paſſionibus exaſperatum habere potentiam & abſolutam, & antecedentem & relativam faciendi bonum. 3. Ex Concilio monet Deus hominem ut faciat quod poſſit : igitur habet poſſe : fruſtra enim, *inquit Aug. l. de corr. & grat.* præciperetur aliquid, ſi peccator vel juſtus omnem adimplere juſtitiam

non

non poſset . 4. Monet utique Deus pete-
re quod non poſſis , & merito ; quando-
que enim peccator nondum habet gratiam
ſufficientem immediatam ad converſio-
nem , ſed ſolum ad orandum , unde ora-
re debet , ut gratiam uberiorem qua pro-
xime converſionem velit , obtineat . 5. *Et
adjuvat ut poſſis* , namque ſi homo non po-
nat obicem , gratiam habebit efficacem
qua de facto revertatur ad Dominum , a
primo igitur ad ultimum patet gratiam
ſufficientem dare proxime poſse bonum
quod reſpicit , quia mandata divina nulli
ſunt, in quacumque circumſtantia , impoſ-
ſibilia .

Jam retorquendo argumentum contra
Janſenium : *Deus impoſſibilia non jubet* : ſed
poſita Janſenii ſententia , impoſſibilia ju-
beret : Et probatur . Deus jubet reſiſtere
diabolo & omni tentationi quamvis gravi
& urgenti : ſed ex Janſenio quando con-
cupiſcentia exardeſcens ſuperat vel uno gra-
du delectationem interiorem & cæleſtem ,
impoſſibile eſt tunc reſiſtere ; immo homi-
nem peccare neceſse eſt : Ergo &c.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex ſanctis Patribus depromitur .

AMBROSIUS agmen ducet , ſer. 19.
in Pſal. 118. explicans illa verba v. 151.
Prope es tu Domine , ait : " Numquid , ſi
,, quis oſtia domus ſuæ claudet , ſolis eſt
,, culpa , quod non illuminet domum
,, ejus ? Ergo ſi quis peccatorum ſuorum
,, repagulis obſervandam mentem pro-
,, priam judicaverit , & verbi a ſe ſplen-
,, dorem ſtultus avertat , ac ſibi inferat
,, inſipientiæ cæcitatem , cauſari poterit
,, quod ſol juſtitiæ noluerit intrare , aut
,, infirmitatem luminis cæleſtis arguere ? ,,
Sanctus Doctor probat lapſum peccatoris
non eſse refundendum in defectum gra-
tiæ , ſed in propriam obnitentis volunta-
tis culpam , quia gratiæ ſol ſemper & re-
fulget , & ſufficienter adeſt : Igitur non
dicendum eſt gratiam quæ datur peccatori
ad vincendam tentationem eſse viribus im-
parem concupiſcentiæ , non aſſerendum im-
poſſibile eſse , non dicam juſto , ſed nequi-
dem peccatori maligno qui in cæcitatis
exceſsum prolabitur , mandata ſervare ,
alias non in peccatorem , ſed in gratiæ in-
ſufficientiam refundenda foret culpa , quod
abſolute adverſatur Ambroſio , immo &
pietati & fidei.

Hieronymus egregie concinit in Pſal. 140.
" O infeliciſſimum , *inquit* , humanum ge-
,, nus qui peccata excuſamus dicentes , vi-
,, ctus ſum a natura , cum in poteſtate no-
,, ſtra ſit & peccare , & Domino adjuvan-
,, te non peccare . ,,

Cyrillus jam citatus alter teſtis eſt , al-
ter Baſilius qui in cap. 5. Iſaiæ hanc in-
terpretantur ſententiam : *Quid debui fa-
cere vineæ meæ* , &c. de gratia plene &
proxime ſufficiente . His addo Gregorii
Magni ſuffragium . Enimvero lib. 9.
moral. cap. 25. hæc profert : " Pius con-
,, ditor cum moribus flagella modera-
,, tur , ne virtutem pœna tranſeat , &
,, per aſtutiam fortium humana infirmitas
,, excedat , unde & bene per Paulum di-
,, citur , fidelis autem Deus , qui non pa-
,, tietur vos tentari ſupra id quod poteſtis ,
,, ſed faciet cum tentatione proventum ,
,, ut poſſitis ſuſtinere . ,, Falſum eſt igitur
quod propugnat Janſenius , quandoque dele-
ctationem terrenam ita ſuperare delectatio-
nem cæleſtem ſeu gratiam ſufficientem , ut
non remaneat reſiſtendi potentia .

QUARTUM ARGUMENTUM .

*Ex S. Auguſtino & ejus diſcipulis SS. Fulgen-
tio , Proſpero , & D. Thoma eruitur* .

QUONIAM impræſentiarum controver-
ſia potiſſimum eſt de mente D. Auguſt.
quem totum ſuum facit Janſenius ſed per-
peram : auctoritas tanti Doctoris ponderan-
da eſt .

Illa gratia dat vires proxime ſufficientes
ad debellandam quamlibet concupiſcen-
tiam , quæ ſufficienter tempore cujuſcum-
que tentationis vocat & compellit ad bo-
num , ita ut reſiſtentes ſint inexcuſabiles :
quæ facit in Deo ſufficienter complacere ,
ut anima reſiſtat Diabolo : qua peccator ſi
non habet auxilium immediate ſufficiens ad
vincendum , poteſt orare , & obtinere pre-
cibus ; qua denique tentatus poteſt reſiſte-
re carni & diabolo : Atqui ex Aug. talis
eſt gratiæ ſufficientis natura quæ datur &
juſtis , & peccatoribus . Probatur minor
quoad ſingulas partes .

1. *S. Auguſtinus* lib. 83. qq. quæſt. 68.
dicit omnes vocari ad cœnam agni per
gratiam ; non defectu auxilii , ſed coope-

ratio-

rationis multos non accedere, & poſtea perire: " Ad illam enim cœnam, *inquit*, „ quam Dominus dicit in Evangelio præ- „ paratam, nec omnes qui vocati ſunt ve- „ nire voluerunt, neque illi qui venerunt, „ venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque „ nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt; „ quia vocati venerunt: nec illi, qui no- „ luerunt venire, debent alteri tribuere, „ ſed tantum ſibi; quoniam ut venirent, „ vocati erant in libera voluntate. „ Certe ſi gratia ita parva relative eſt in concurſu majoris delectationis terrenæ, ut impoſſibile ſit ex Janſenio vincere, non ſibi, ſed Deo qui non ſufficienter vocaſſet, quod abſit dicere, tribuendum foret quod non venirent. Fruſtra reſpondent Novatores Auguſt. hunc librum ſcripſiſſe cum adhuc verſaretur in hæreſi Semipelagiana: iſtam quippe propoſitionem lib. 1. retract. cap. 26. non abjudicat, ſed hanc tantum: *Deus non miſeretur qui ad pacem vocat, niſi voluntas præceſſerit ad pacem*: " „ Hoc dictum eſt, *ait*, poſt pœnitentiam. „ Nam eſt miſericordia Dei etiam ipſam „ præveniens voluntatem, quæ ſi non eſ- „ ſet, non præpararetur voluntas a Do- „ mino. „

2. *S. Auguſtinus* dicit gratiam præbere complacentiam in bono proxime & relative ſufficientem ad ſuperandam delectationem terrenam ſi vult audire peccator & eſſe fidelis, nam lib. 8. confeſſ. cap. 8. de ſeipſo variis maliſque irretitus vitiis & pravis habitibus, ait: " Non faciebam „ quod incomparabili affectu mihi magis „ parebat. „ Igitur ſi peccator omnem non adimplet juſtitiam, non eſt defectu gratiæ, ſed defectu ſui & quia obedire renuit, & ut loquitur Propheta Regius: *Noluit intelligere ut bene ageret*.

3. *S. Auguſtinus* lib. de ſpiritu & littera cap. 33. ait conſentire, vel diſſentire proprium eſſe voluntatis humanæ. Falſum eſt igitur impoſſibile eſſe homini reſiſtere tentationi, quando delectatio terrena ſuperior eſt in gradu delectatione cæleſti. Cæterum ſi propter vel cæcitatem, vel malitiam deeſt in pœnam peccati gratia qua immediate fiat peccator potens ad converſionem, adeſt tamen ſemper gratia orationis, gratia qua habet proxime poſſe orare, & per orationem poterit obtinere gratiam uberiorem qua poſſit prompte ſe convertere. Sic cenſet, ſic prædicat, ſic docet Doctorum aquila Aug. lib. 1. ad ſimpl. q. 1. aitque: " Hoc reſtat in iſta mor- „ tali vita libero arbitrio, ut non impleat „ homo juſtitiam cum voluerit, ſed ut ſe „ ſupplici pietate convertat ad Deum cu- „ jus dono eam poſſit implere. „ Igitur ex Aug. omnis gratia ſufficiens dat potentiam proximam ad actum quem reſpicit, ad orandum ſi ſit gratia orationis: ad conterendum ſi ſit gratia movens & excitans ad pœnitentiam. Quod autem hic ſit genuinus ſancti Doctoris ſenſus patet ex ejus diſcipulis omni exceptione majoribus, ejuſque interpretibus, Fulgentio ſcilicet, Proſpero, & D. Thoma.

S. Fulgentius lib. de Incarnat. cap. 17. ait: " Adjutorio igitur atque munere gra- „ tiæ ſibi fidem dari unuſquiſque non du- „ bitet; nedum initium ſibi fidei nititur „ adſignare, pœnitentiam quoque, quam „ Deus ad vitam dat, ſibi homo non ſa- „ nitate validus, ſed infirmitate præju- „ dicatus adſignet, tantique medicaminis „ beneficio careat, cujus gratiam contu- „ max atque ingratus oppugnat. „ Igitur ſi peccator non agit pœnitentiam, non eſt quia caret gratia quæ dat illi poſſe proximum, ſed ex eo quod gratiam ipſam pro innata libertate & malitia oppugnet.

S. Proſper non abſimilia loquitur lib. 2. de vocatione Gent. cap. 26. poſtquam enim dixit hominem habere in ſua mutabilitate ſi deficiat, ex gratiæ vero opitulatione ſi proficiat, ſubdit: " Quæ opi- „ tulatio per innumeros modos, ſive oc- „ cultos, ſive manifeſtos omnibus adhibe- „ tur, & quod a multis refutatur, ipſo- „ rum eſt nequitiæ: Quod autem a mul- „ tis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ, & „ voluntatis humanæ. „

D. Thomas eiſdem inſiſtens veſtigiis docet gratiam novi Teſtamenti dare auxilium ſufficiens, & ideo imputari homini ad culpam quando peccat 1. 2. qu. 106. art. 2. ad 2. " Si quis, *ait*, poſt acce- „ ptam gratiam novi Teſtamenti peccave- „ rit, majori pœna dignus eſt, tanquam „ majoribus beneficiis ingratus, & auxi- „ lio ſibi dato non utens, nec tamen pro- „ pter hoc dicitur quod lex nova iram ope- „ ratur, quia quantum eſt de ſe ſufficiens „ auxilium dat ad non peccandum. „ Sed ſi gratia in conflictu magnæ ac ſupremæ tentationis non daret poſſe bonum relati-

ve,

ve, peccator cedens paſſioni ingratus dici non deberet, quia ex Janſenio non poſſet reſiſtere tentationi terrenæ, nec illi non imputaretur ad culpam, nemo quippe pœna dignus eſt, faciendo quod vitare nequit: Sed lex nova iram ſane operaretur; damnaret enim hominem, pro peccato quod vitare impoſſibile illi erat, quæ quidem omnia D. Thomæ doctrinæ adverſantur. Ergo &c.

QUINTUM ARGUMENTUM

Ex doctrina Eccleſiæ deſumptum.

ILLUD auxilium dat poſſe proximum, ut homo declinet a malo, alliciente concupiſcentia magna, & faciat bonum, quod ita tale ſemper prædicavit Eccleſia ut impugnantes ſemper ſuis proſcripſerit anathematibus: Atqui res ſic ſe habet: Igitur gratia ſufficiens dat poſſe bonum proxime & relative. Probatur minor. Eccleſia ſemper adhortata eſt peccatores ad pœnitentiam, ſemper prohibuit tentatis cedere in quacumque circumſtantia paſſioni, ſemper credidit eos poſſe reſiſtere ſatanæ: eadem vult, & quotidie præcipit reſiſtere leoni tartareo quantumvis rugienti; hinc hæc beati Petri verba ad omnes dirigit 1. Epiſt. 5. *Fratres, ſobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Supponit igitur quemlibet quantumvis tentatum & oppugnatum poſſe reſiſtere, alias fruſtra ad præliandum bella Domini filios adhortaretur. Quid plura adjiciam? Eccleſia hanc impugnantes doctrinam ſemper damnavit. Primo quidem Manichæos qui fatum in actiones humanas inducebant, quaſi non foret liberum peccatori reſiſtere tentationibus & ſe convertere: deinde Prædeſtinatianos. Lucillum quippe Presbyterum perſtrixit in Concilio Arelatenſi; Gotheſcalcum, in Cariſiaco; utrumque quia aſſerebant hominem quandoque non habere, ut ſolvatur; Calvino vero & Luthero propter eandem rationem hæreſeos notam inuſſit in Tridentino, quinimmo, nequidem aut nominare, aut dicere ſinit præcepta Dei eſſe impoſſibilia: Igitur peccator magnis licet impetitus tentationibus poteſt & reſiſtere, & ſalvari. Sed unde illud habet poſſe, niſi a gratia ſufficienti? Igitur hic & nunc, vel exæſtuante paſſione dat poſſe bonum: quod docet ſacra Facultas Pariſienſis; anno ſiquidem 1326. in Conciliis apud Mathurienſes habitis, declaravit & propugnavit contra Lutherum auxilium Dei cuilibet præſto eſſe, ut bene agat, & ſuam operetur ſalutem.

SEXTUM ARGUMENTUM

Ex diverſis rationibus conflatur.

PRIMA eaque a priori & demonſtrativa, hæc eſt: Illa gratia dat proxime & relative poſſe bonum in concurſu æqualis, vel majoris delectationis terrenæ; quæ quantumvis minima poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ: Atqui gratia quantumvis minima ſufficientes præbet vires ut homo poſſit proxime & relative vincere quamlibet tentationem: Igitur gratia ſufficiens dat poſſe bonum proxime & relative in quocumque tentationis congreſſu. Probatur minor, nempe gratiam quantumvis parvam poſſe ſuperare quamlibet delectationem terrenam. Actus bonus, vel malus numquam elicitur niſi prævio judicio practico, quo intellectus judicat aliquid bonum apparens, vel verum eſſe amandum: Sed quælibet gratia quantumvis parva ſufficientes dat vires ſufficienſque lumen, ut intellectus judicet practice, etiam exardeſcente concupiſcentia, bonum incommutabile eſſe magis & appretiative amabile quam terrenum: Et probatur. Delectatio terrena alliciens ad peccatum eſt bonum tantum particulare & tranſiens, bonum totam non replens hominis capacitatem, nec omnem ſatians appetitum, unde qui carni indulget, non ideo divitias, non epulas, non honores abnegat: at vero gratia quantumvis parva proponit bonum incommutabile & permanens, bonum omnia continens bona: Gratia ita compellit voluntatem ad amandum, ut invitet ad amandum ſolum Deum ſuper omnia, cætera aut nullo modo, aut tantum per ordinem ad illum: Gratia etiam minime proponit Deum ut finem ultimum in quo perfecte aut quieſcit, aut poteſt quieſcere appetitus: Gratia hic & nunc Dei delicias tum pace interiori, tum ſuavitate ſpirituali præguſta-

guſtare facit; quæ quidem deliciæ in immenſum ſuperant terrenas vel auri, vel argenti, nam teſte Propheta Pſal. 36. 16. *Melius eſt modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas*. Scilicet Deum poſſidere: Igitur minima gratia ſi velit & non reſiſtat homo, poteſt vincere quamlibet tentationem, immo quantumvis parva dat auxilium proxime & relative ſufficiens ad bonum faciendum.

Confirmatur: Quælibet gratia etiam minima poteſt in concurſu cujuslibet tentationis impedire peccatum: Igitur dat poſſe bonum relative. Probatur Antecedens. Peccatum ex D. Thoma fit tripliciter, primo per diſtractionem; homo non attendit ad Deum, ſed ad delicti finem qui eſt animæ interitus, juxta illud Jerem. 12. 11. *Nullus eſt qui recogitet corde*; & iſtud Pſalm. 35. 4. de peccatore: *Noluit intelligere, ut bene ageret*. 2. Per oppoſitionem: mundus & caro bona placentia afferunt, virtutem vero ut malum oſtendit paſſio. 3. Per immutationem, delectatio terrena emollit cor, allicit & ſæpius titillando ſeducit: Sed gratia etiam minima poteſt hæc omnia propellere tela: Ergo &c. Probatur minor. 1. Gratia quælibet ſufficiens illuminat, & ad deterrendum a peccato hominem, repræſentat modo Deum, ut ſcelerum vindicem, modo ignem & ſpiritum procellarum tanquam peccatorum calicis partem, modo cruciatus Diabolo & ſuis ab æterno & pro æternitate paratos: Igitur ſi metu vel hominum, vel legis humanæ comminantis pœnas & ſupplicia, ſi propter imminentem, aut bonorum, aut famæ jacturam, magnis, immo & maximis colaphizantibus carnis ſtimulis, aliquis a peccato abſtinet, a fortiori ſi velit, terrente Deo judice per fidem & illuminationis gratiam oculis mentis ſe objiciente, poterit peccato reſiſtere, 2. Caro blandiens præſentia quidem bona exhibet, ſed gratia multo meliora, eaque veriſſima opponit. 3. Delectatio terrena immutat, eſto, & movet humores, ſed gratiæ unctio magis allicit, quippe quæ felici guſtu & experientia oſtendit quoniam ſuper mel & favum ſuavis ſit Dominus: quæ ſi attendat tentatus, quantumvis exardeſcat concupiſcentia, perſeverabit in bono juxta illud S. Aug. lib. de corr. & gr. cap. 7. " In eo quod audierat, & tenue-
„ rat, perſeveraret ſi vellet. „ Rurſus lib. 3. de libero arbit. cap. 16. " Ex eo
„ quod non accepit, nullus reus eſt, de-
„ bet autem, ſi accepit & voluntatem li-
„ beram & ſufficientiſſimam facultatem. „
Ibi loquitur de homine qui ceſſit tentationi, eum dicit reum quia habebat ſufficientiſſimam facultatem, quomodo ſufficientiſſimam? Niſi per gratiam; ſola quippe natura ſibi ſoli relicta operari bonum ſupernaturale proxime non poteſt. Agitur autem hic de gratia quæ ſuum non ſortita eſt propter reſiſtentiam effectum, & tamen hanc ſufficientiſſimam eſſe vult S. Aug. & tamen quia ſufficientiſſima, ideo reum eſſe peccatorem aſſerit. Falſum eſt igitur quod Janſenius dicit, ideo peccatorem tentatum cedere tentationi, quia caret gratia proxime ſufficienti.

Hæc mirabilis ratio in probatione & confirmatione deducta qua funditus convellitur perverſum Janſenii de gratia Chriſti ſyſtema, eſt D. Thomæ qui 3. p. qu. 62. art. 6. ad 3. ait: " Minima gratia poteſt
„ reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & me-
„ reri vitam æternam. „ Ibidem q. 70. art. 4. " Minima gratia poteſt reſiſtere
„ cuilibet concupiſcentiæ, & vitare nunc
„ peccatum mortale quod committitur in
„ tranſgreſſione mandatorum legis: Mi-
„ nima enim charitas plus diligit Deum
„ quam cupiditas auri & argenti. „ Sanctus Doctor loquitur quidem ibi de gratia ſanctificante, ſed ut actualem conjunctam habet. Gratia enim ſanctificans dat jus ad auxilia neceſſaria, tum ad vitandum malum, tum ad operandum bonum: D. Th. eſt enim ſui ipſius interpres 1. 2. q. 109. art. 2. & 9. ibi enim probat præter gratiam habitualem, requiri & neceſſariam eſſe actualem ad operandum bonum, alias manifeſte ſibi contradiceret, ſi charitatem, ſecluſa gratia actuali ad faciendum bonum, ſufficere definiret: ſic enim loquitur 3. p. qu. 69. num 5. " Neceſſe eſt,
„ *inquit*, quod per Baptiſmum quis incor-
„ poratur Chriſto quaſi membrum ipſius:
„ ſicut autem a capite naturali derivan-
„ tur ad membra ſenſus & motus; ita a
„ capite ſpirituali, quod eſt Chriſtus, de-
„ rivatur ad membra ejus ſenſus ſpiritua-
„ lis, qui conſiſtit in cognitione verita-
„ tis, & motus ſpiritualis, qui eſt per gra-
„ tiæ influxum. „ Rurſus comment. in
„ cap. 8. epiſt. ad Rom. " Lex ſpiritus
„ po-

,, poteſt dici Spiritus ſanctus . . . . . Quod
,, nempe Spiritus ſanctus mentem inhabi-
,, tans , non ſolum docet quod oporteat
,, fieri per intellectum illuminando de a-
,, gendis , ſed etiam affectum inclinat ad
,, recte agendum .

Secunda : Mandata Dei ſunt juſta, quinimmo, jugum Domini ſuave eſt : Sed ſi homo aliqua gravi impetitus tentatione non haberet per gratiam interiorem auxilium proxime ſufficiens ad vitandum peccatum, quod lex prohibet , præceptum foret importabile , & jugum duriſſimum , hoc autem ex Janſenio ſequitur, quia ſecundum eum abſque gratia efficaci quæ deeſt multis , impoſſibile eſt vincere tentationem . Igitur cum jugum Dei ſit leve, & admodum ſuave, dicendum eſt gratiam ſufficientem dare proxime & relative poſſe bonum : hinc peccator non habet excuſationem, quia cum poſſit operari bonum, iniquitatem e contra operatur : hæc ratio eſt D. Auguſtini qui in Pſalm. 91. ſic loquitur : " Perverſi enim homi-
,, nes & perturbati . . . . mala ſua Deo
,, tribuunt, bona ſua ſibi . . . . Si non eſt
,, valde impius ad malum , habet Sata-
,, nam quem accuſet : Satanas fecit, di-
,, cit, ipſe mihi perſuaſit : quaſi Satanas
,, habeat poteſtatem cogendi . Aſtutiam
,, ſuadendi hubet ; ſed ſi Satanas loquere-
,, tur & taceret Deus , haberes unde te
,, excuſares : modo aures tuæ poſitæ ſunt
,, inter monentem Deum & ſuggerentem
,, ſerpentem . Quare huc flectuntur, hinc
,, avertuntur ? Non ceſſat Satanas ſuadere
,, malum , ſed nec Deus ceſſat admonere
,, bonum . Satanas autem non cogit invi-
,, tum : in tua poteſtate eſt conſentire &
,, non conſentire . ,, Jam ſi vero eſt in poteſtate non conſentire : Igitur peccator, exardeſcente ſupra modum concupiſcentia, aut carnis, aut oculorum, poteſt & quidem proxime atque relative ſuperare tentationem , quia poteſt non conſentire ſuadenti diabolo, poteſt reſiſtere carni blandienti. Namque S. Auguſt. loquitur de peccatore poſito ubi fortiſſimum eſt prælium , & tamen dicit tentatum poſſe reſiſtere, & tamen aſſerit eſſe rerum & pœna dignum ſi cedat tentationi hinc lib. 5. hom. alim. 12. nunc ſerm. 253. in appendice rejecto , ait : " Non enim diabolus cogendo ſed
,, ſuadendo nocet , nec extorquet a no-
,, bis conſenſum , ſed petit . Nos diabo-
,, lum non adjuvamus vel vincimus : dat
,, quidem ille conſilium , ſed Deo adju-
,, vante noſtrum eſt vel eligere , vel re-
,, pudiare quod ſuggerit . ,, Audis Novator Auguſt. a doctrina tua toto cœlo alienum? Tu dicis non dari electionis locum , exuberante alterutra delectatione , vel terrena, vel cæleſti , ſed neceſſario hominem ad bonum vel malum compelli , e contra Aug. intonat , *noſtrum eſt eligere* : Tu dicis gratiam in concurſu magnæ & graviſſimæ tentationis non dare poſſe relative bonum : e contra Aug. dicit auxiliante Deo per gratiam ſufficientem , nos poſſe bonum verum etiam eſſe in noſtra poteſtate eligere : *Noſtrum eſt* , inquit , *vel eligere* , *vel repudiare* .

Tertia : Si gratia ſufficiens in concurſu majoris delectationis terrenæ non præberet auxilium proxime & relative ſufficiens ad vincendam tentationem , homo nec peccaret cedendo tentationi , nec reus foret pœnæ atque ſupplicii : abſurdum conſequens, ergo & antecedens : Probatur ſequela majoris auctoritate B. Aug. qui lib. de duobus animabus cap. 12. ait " Dicere. . . peccati
,, reum teneri quamquam , quia non fe-
,, cit , quod facere non potuit , ſummæ
,, iniquitatis eſt & inſaniæ . ,,

Quarta : Si gratia ſufficiens non daret proxime & relative poſſe bonum , inutilis foret correctio , nec eſſet facienda . Atqui tamen correctio eſt facienda etiam reprobis ut poſſint , ſi velint , ſalvari . Ergo &c. Major patet , ſi enim impoſſibile eſt homini , ut contendit Janſenins vitare peccatum quando ferveſcit concupiſcentia , ad quid correctio ? Unde Aug. lib. de gr. & lib. arb. cap. 15. ait : " Hæc præce-
,, pta charitatis inaniter darentur homi-
,, nibus non habentibus liberum arbitrium ,
,, ſed quia per legem dantur . . Lex au-
,, tem ſine gratia , ut littera occidens . ,, Audis Auguſt. dicentem præcepta inaniter dari ſi homines non haberent liberum arbitrium , ſi ſolum legem ſine gratia poſſiderent , quia lex ſine gratia occidit . Probatur jam minor auctoritate ejuſdem Auguſtini nempe correctionem faciendam eſſe omnibus etiam reprobis, hoc quidem non ſemel prædicat lib. de prædeſt. SS. & de dono perſ. ſed maxime in lib. de corr. & gr. cap. 7. num. 11. loquens enim de reprobis ait : " Quæ cum ita ſint , corripi-
,, mus tamen eos , juſteque corripimus ,

,, qui

„ qui cum bene viverent, non in eo perſeverarunt. Ex bona quippe in malam „ vitam ſua voluntate mutati ſunt.... „ Nec ſe excuſabunt dicentes ſicut modo dicunt, quare corripimur? Ita tunc „ quare damnamur, quandoquidem ut ex „ bono reverteremur ad malum, perſeverantiam non accepimus qua permaneremus in bono? Nullo modo hac excuſatione a juſta damnatione ſe liberabunt.... Homo, in eo quod audieras, & tenueras, in eo perſeverares „ ſi velles. „ Igitur habent ipſi reprobi gratiam ut velint perſeverare, ſi velint audire gratiam.

Sanctus Doctor idem repetit ibidem cap. 14. num. 43. " Patiantur ergo homines „ ſeſe corripi quando peccant, nec de ipſa correptione contra gratiam argumententur nec de gratia contra correptionem: quia & peccatis juſta pœna „ debetur; & ad ipſam pertinet juſta correptio, quæ medicinaliter adhibetur, „ etiamſi ſalus ægrotantis incerta eſt. „ Rurſus cap. 15. num. 46. " Corripiantur „ itaque a præpoſitis ſuis ſubditi fratres „ correptionibus de charitate venientibus, „ pro culparum diverſitate diverſis... Quia „ & ipſa quæ damnatio nominatur, quam „ facit Epiſcopale judicium, qua pœna in „ Eccleſia nulla major eſt, poteſt, ſi Deus „ voluerit, in correptionem ſaluberrimam „ cedere atque proficere. „

Quarta: Deus vult voluntate antecedenti omnes & ſingulos homines ſalvos fieri: Sed hujuſmodi voluntatis effectus ſunt media ad ſalutem conducentia, inter quæ primum tenerent locum gratiæ quæ dant poſſe bonum proxime & relative, gratiæ quibus præparatur a Domino voluntas, ut ſit expedita ad bene vivendum, quarum auxilio mandata fiant proxime & relative poſſibilia. Ergo &c. Hæc ratio colligitur utique ex ſancto Auguſt. qui lib. 1. ad Simpl. quæſt. 2. ait: " Deus „ vult omnes homines ſalvos fieri, & in „ agnitionem veritatis venire, non ſic „ tamen ut eis adimat liberum arbitrium „ quo vel bene, vel male utentes juſtiſſime judicentur, quod cum ſit, infideles „ quidem contra Dei voluntatem faciunt, „ cum ejus Evangelio non credunt, nec „ ideo tamen eam vincunt: verum ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, „ maliſque pœnalibus implicant experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus „ in donis miſericordiam contempſerunt. „ Non refundit S. Præſul culpam reproborum in defectum gratiæ, ſed in malitiam prævaricatorum, qui ad ſpiritus erroris attendentes, in donis miſericordiam Dei contempſerunt. Igitur habuerunt poſſe bonum proxime & relative. Enimvero ſi ingraveſcente tentationis tempeſtate, impoſſibile ſit vitare peccatum, manifeſte ſequitur reprobos nonniſi neceſſitate compulſos, ſemper peccaſſe, adeoque æternis mancipari ſuppliciis propter culpas, quas prætermittere non poterant: Quod quidem nedum Conciliorum definitionibus, ſed & ſinceræ voluntati antecedenti Dei de omnium hominum ſalute adverſatur.

Solvuntur objectiones Janſenii & ſuorum.

OBJICIUNT: ſola gratia efficax dat poſſe bonum proxime & relative in individuo: Igitur abſurdum eſt dicere dari gratiam ſufficientem quæ det poſſe proximum & relativum in concreto nempe quando actus bonus eliciendus eſt: probant antecedens auctoritate D. Aug. qui lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. nu. 33. ſic loquitur: " Qui ergo vult facere Dei „ mandatum & non poteſt, jam quidem „ habet voluntatem bonam, ſed adhuc „ parvam & invalidam: poterit autem, „ cum magnam habuerit & robuſtam. „ In iſto loco Aug. multa dicit 1. Hominem non poſſe quandoque ſervare mandata, quod quidem probat exemplo Petri qui illud poſſe non habebat quando Chriſtum negavit. Loquens enim de illo ait: " „ Putabat enim in ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat. „ 2. Gratiam parvam, eam ſcilicet in gradu concupiſcentiæ interiorem non dare iſtud poſſe in individuo, dicit enim, putabat Petrus habere gratiam ſufficientiſſimam, quando dicebat Chriſto, Joan. 13. 37. *Animam meam pro te ponam*. Sed non habebat: ſola igitur gratia efficax & robuſta dat poſſe proximum & relativum.

Reſpondeo diſtinguendo, ſola gratia efficax poſſe conjunctum cum actu, ſau in actu ſecundo, concedo: poſſe ut ſic ex parte actus primi, nego. Duplex poſſe diſtinguendum eſt, alterum ſe tenens ex parte actus primi, & quod ſimpliciter deno-

denominatur poſſe: alterum ſe tenens ex parte actus ſecundi, quod dicitur magis actus ſecundus quam poſſe. Primum eſt a gratia ſufficiente, qua teſte Auguſtino præparatur voluntas a Domino Proverb. 8. lib. 20. Secundum a gratia efficaci, quod ultro concedimus. Auguſt. loquitur ſolum de ſecundo poſſe, unde cum dicit: " Qui ergo vult facere mandatum, „ & non poteſt. „ Senſus eſt, non poteſt potentia conjuncta cum actu, ſecus potentia ut ſic: quod autem ſolum loquatur per excluſionem potentiæ quæ eſt conjuncta cum actu, patet ex duobus. 1. Quia agnoſcit voluntatem parvam ſeu gratiam fuiſſe in Petro, quando dixit: *Animam meam pro te ponam*: Immo habebat charitatem: " Perfecta charitas, *inquit ibidem Auguſt.* foras mittit timo„ rem. Et tamen quamvis parva & im„ perfecta, non dixerat, quando dice„ bat Domino, animam meam pro te po„ nam, putabat enim ſe poſſe quod ſe vel„ le ſentiebat. „ Audis Aug. dicentem quod Petrus ſe velle ſentiret, habebat igitur poſſe ex parte actus primi per gratiam ſufficientem. 2. Auguſt. intelligit in hoc poſſe conjunctum cum actu, quia ad illud poſſe requirit aliquid plusquam velle bonum, quippe qui expoſtulet ipſam juſtitiæ operationem, bonum autem illud actuale eſt a gratia robuſta, ſcilicet efficaci, & ad hoc probandum affert exemplum Martyrum, qui magna tormenta pro Chriſto non ſolum potuerunt pati, ſed de facto paſſi ſunt. Sic enim ibidem loquitur: " „ Poterit autem, ſcilicet actu ſervare man„ data, ſeu tunc ſervabit, cum magnam „ habuerit & robuſtam. Quando enim „ Martyres magna illa mandata fece„ runt, magna utique voluntate, hoc eſt, „ magna charitate fecerunt. „ Vides S. Aug. de actu mandatorum, adeoque non de poſſe ut ſic, ſed de poſſe conjuncto cum actu ſermonem inſtituere.

Sanctus Doctor ibidem clare diſtinguit utramque gratiam, ſufficientem ſcilicet quæ dat poſſe proximum atque relativum & efficacem quæ infert actum: Primam vocat parvam, quia ſolum excitat & invitat ad bonum, & ſæpius propter reſiſtentiam caret effectu: alteram robuſtam nominat quia ſuum ſemper ſortitur effectum: Prima igitur cum ſe teneat ex parte actus primi dicitur parva reſpectu alterius. Alio modo utramque gratiam ibidem diſtinguit dicendo primam eſſe in nobis ſine nobis & dare ut velimus: alteram vero eſſe quidem a Deo ſed noſtram exigere ad agendum cooperationem, unde & adjuvans merito nuncupatur: " Ut ergo velimus, *inquit ibidem* „ *Aug.* ſine nobis operatur, cum autem vo„ lumus & ſic volumus, ut faciamus, no„ biſcum cooperatur: tamen ſine illo, „ vel operante ut velimus, vel cooperan„ te cum volumus, ad bona pietatis opera „ nihil valemus. „ Gratia ſufficiens dat ut velimus, efficax facit ut actu velimus: Prima dat bonum deſiderium: Secunda dat actu operari bonum.

Ad ſecundum diſtinguo, gratia parva non dat poſſe bonum proxime & relative in concurſu majoris concupiſcentiæ, ſi ſit parva defectu virtutis, concedo: ſi ſolum talis ſit comparative ad gratiam efficacem, nego. Gratia ſufficiens non dicitur parva defectu virtutis pro poſſe bonum, dat enim proximum & relative ad delectationem terrenam colaphizantem, cum actum virtutis habeat pro fine, ſed comparative ad gratiam efficacem, quæ quidem robuſta vocatur, eo quod actum ſemper inferat. Prima igitur parva eatenus nuncupatur, quatenus ſolum ſtimulat voluntatem ad bonum, ſed purum illud eſt, ſi anima hæreat in bonis deſideriis, quod tamen contingit, donec robuſta & efficax accedat. Igitur S. Aug. duntaxat intendit utramque gratiam per effectus diverſos diſtinguere, quorum alii ſunt debiles & adhuc parvi, ut bona voluntas, bona deſideria; alii vero robuſtiores, quales ſunt actus converſionis, actus amoris & ſimiles: at nullo modo cogitavit ſanctus Doctor gratiam ſufficientem non dare poſſe proximum relativum; cujus rei duplex habemus argumentum certiſſimum. Primum eſt quia ejuſmodi de gratia quæſtiones procedunt ſolum de gratia efficaci de qua erat principalis controverſia inter Aug. & Pelagianos, quos in libris de gratia & lib. arbit. de gratia Chriſti, de correptione & gratia, de præd. SS. & de dono perſeverantiæ debellat; unde cum omnes in contrarium auctoritates in his operibus Janſenius ſumpſerit, unica falce metimus argumenta ſarcientem dicendo, Auguſt. loqui tantum de gratia efficaci; hinc quando dicit aut juſtum, ut Pe-

trum,

trum, aut peccatorem non poſſe mandata amoris & juſtitiæ adimplere, excludit duntaxat poſſe conjunctum cum actu, quod tamen, ipſo teſte, oratione poteſt haberi, ſed nuſquam poſſibile ex parte actus primi abnegat, & hoc patet ex illo ſecundo momento, ſcilicet ſanctum Doctorem propugnare mandata nuſquam eſſe impoſſibilia; iſta enim verba, quæ Concilium Tridentinum ſibi propria fecit, profert l. de natura & gr. cap. 43. " Deus impoſſibi-,, lia non jubet, ſed jubendo admonet, & ,, facere quod poſſis, & petere quod non ,, poſſis.,,

Inſtans: Qui dicit voluntatem gratia excitante præventam nondum eſſe idoneam ad ſuperandam veteris hominis malitiam, dari poſſe proximum per gratiam ſufficientem abnegat: Atqui ita docet Aug. juxta illud l. 8. Confeſ. cap. 8. " Voluntas nova ,, quæ mihi eſſe cœperat ut te gratis co-,, lerem fruique te vellem Deus, ſola cer-,, ta jucunditas, nondum erat idonea ad ,, ſuperandum priorem vetuſtate robora-,, tam, ita duæ voluntates meæ, una vetus, ,, alia nova, illa carnalis, illa ſpiritalis ,, confligebant inter ſe atque diſcordando ,, diſſipabant animam meam .... cogita-,, tiones quibus meditabar in te ſimiles e-,, rant conatibus expergiſci volentium, ,, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine re-,, merguntur.,, Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, qui dicit voluntatem gratia excitante præventam non eſſe idoneam ad ſuperandum malum habitum vetuſtate roboratum, ex parte actus primi, negat gratiam ſufficientem dare poſſe bonum proxime, concedo: qui ſolum negat non eſſe idoneam ex parte actus ſecundi, nego. Similiter diſtinguo minorem. D. Auguſt. negat voluntatem abſque gratia efficaci eſſe idoneam ad ſuperandum pravum habitum in actu ſecundo, concedo: in actu primo, nego. Semper & ubique adeſt verſutia & parata fraus in argumentis & Janſenii, & ſuorum, quippe qui tranſeant ab actu primo ad ſecundum quos per fas & nefas abſque ullo diſcrimine confundunt. Et vero in loco pro objectione adducto non eſt ſermo de actu primo; hunc quippe ſupponit Aug. dicendo quod ad converſionem plurimum eum ſtimulabat gratia, ſed de actu ſecundo, ſed de actuali ſua converſione quam ipſe procraſtinabat, dicendo, *cras*, *cras*: in hoc ſenſu adhuc miſerum animæ ſtatum ad inſtructionem noſtram lamentatur, dicens: " Voluntas ,, nova quæ mihi eſſe cœperat.,, Ecce gratia proxime ſufficiens. Proſequitur: " ,, Ut te gratis colerem, fruique te vel-,, lem, ſola certa jucunditas, nondum erat ,, idonea ad ſuperandam priorem vetuſta-,, te roboratam.,, Ideſt, nondum habebam gratiæ efficacis jucunditatem qua veterem hominem ſuperando, triumpharem: quod autem nuſquam B. Auguſt. negaverit gratiam quæ dat proxime & relative mandata adimplere, non ex una, ſed ex pluribus ſupra laudatis auctoritatibus liquet; illis iſtam adjungimus ex lib. 1. de pecc. & remiſ. cap. 39. depromptam, ubi poſtquam dixit de puero, ſi poſt Baptiſmum adultam attigit ætatem, ait habere gratiam quæ concupiſcentiam compeſcere poteſt, modo in vacuum gratiam non recipiat, & reprobus fieri nolit. Rurſus in expoſitione capitis 5. epiſtolæ ad Gal. dicit: " Etiamſi exiſtant deſideria carnis de ,, mortalitate corporis, tamen mentem ad ,, conſenſionem non ſubjugant.,, Jam intelligis, doctiſſime Lector, D. Aug. omnem eliminare ſuperandi concupiſcentiam, impoſſibilitatem: Igitur agnoſcit potentiam proxime & relative expeditam ad mandata ſervanda.

Juvat iſtud momentum una aut altera ejuſdem ſancti Doctoris auctoritate confirmare. In expoſitione quarumdam propoſitionum in epiſt. ad Rom. ſic loquitur de juſto: " Nec concupiſcentiam ſequi-,, tur, nec ab ea trahitur.,, Et lib. 1. qq. ad Simp. qu. 1. ait: " Reſtat in hac ,, mortali vita libero arbitrio, non ut im-,, pleat homo juſtitiam cum voluerit, ſed ,, ut ſe ſupplici pietate convertat ad eum, ,, cujus dono eam poſſit implere.,, Quibus verbis atque ſententiis docet præcepta non eſſe impoſſibilia, hominem poſſe ea adimplere, & ut actu adimpleat ad orationem confugiendum eſſe, ut faciat quod antea volebat & deſiderabat: loquitur ibi ſpecialiter de juſtis Aug. & ſic primam Janſenii propoſitionem de medio tollit atque proſcribit.

Urgens: Qui dicit præcepta eſſe impoſſibilia ſine gratia efficaci, certe nullum poſſe proximum pro hoc momento tribuit gratiæ ſufficienti: atqui ſic docet Aug. l. de ſpiritu & litt. cap. 25. his verbis: " Ecce

" Ecce quemadmodum ſine exemplo eſt
,, in hominibus perfecta juſtitia & tamen
,, impoſſibilis non eſt, fieret enim ſi tan-
,, ta voluntas adhiberetur quanta ſufficit
,, tantæ rei; eſſet autem tanta, ſi & ni-
,, hil eorum quæ pertinent ad juſtitiam nos
,, lateret, & ea ſic delectarent animum
,, ut quidquid aliud voluptatis doloriſ-ve
,, impedit, delectatio illa ſuperaret, quod
,, ut ſit, non ad impoſſibilitatem, ſed ad
,, judicium Dei pertinet: quis enim ne-
,, ſciat non eſſe in hominis poteſtate,
,, quid ſciat, nec eſſe conſequens ut quod
,, appetendum cognitum fuerit, appeta-
,, tur, niſi tantum delectet quantum di-
,, ligendum eſt? ,, Multa obſervanda ſunt in iſta auctoritate. Aug. 1. dicit eſſe ſine exemplo perfectam reperire in hominibus juſtitiam 2. Hoc tamen non eſſe impoſſibile, modo bona Dei tantum delectarent quantum diligenda ſunt. 3. Sed hoc non fieri, quia non eſt in hominis poteſtate cuncta ſcire, tum ut præcaveat, impedimenta avertendo, tum ut adimpleat omnia quæ ad perfectam conducunt juſtitiam: Igitur eſt impoſſibilitas moralis & relativa ad hoc ut homo evadat perfectus: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, & D. Auguſt. ibi loquitur de peccatis venialibus collective fugiendis, concedo: ſecus, nego. Solutio patet ex terminis. Loquitur ſanctus Doctor de perfecta juſtitia, nam loquitur de juſtitia ſine exemplo a veniali immuni, quæ quidem non impoſſibilis eſt, attamen rariſſima, quia non eſt in hominis poteſtate cuncta ſcire & præcavere ad vitanda omnia venialia, dum enim ad unum attendimus, cor dereliquit nos, inquit D. Th. & ad aliud per diſtractionem convertitur: poſſumus quidem per gratiam ſufficientem vitare ſingula venialia, ſed non actu & collective ſine privilegio ſoli Deiparæ inquit Concilium Trident. conceſſo fugiemus, & hoc ſolum intendit D. Aug. attamen non dicit rem impoſſibilem, ſed quod raro contingat, vult ad judicium Dei referendum. Cæterum non loquitur de potentia vitandi venialia ut ſic, ſed de potentia conjuncta cum actu, de juſtitia ita perfecta, ut ſit ab omni labe peccati etiam venialis pura, qui quidem effectus maximæ & extraordinariæ tribuitur gratiæ.

Inſiſtunt: Ut gratia det poſſe proximum etiam relative, debet eſſe in fortitudine & vitiis & delectationibus ſuperior: Atqui ſola gratia efficax ſic eſt: Igitur ex S. Aug. gratia ſufficiens non dat poſſe proximum & relative in concurſu majoris delectationis. Probatur major. Pondus centum librarum ſurſum non elevatur niſi ulteriori pondere excedente: Igitur niſi præponderet delectatio cæleſtis, non fugaret terrenam. Ita Aug. l. de ſpiritu & litt. cap. 29. loquens enim de peccatore qui vult ſeſe ad Dominum convertere, ait: " Per fidem confugiat ad miſericordiam
,, Dei, ut det quod jubet, atque inſpira-
,, ta gratiæ ſuavitate per Spiritum San-
,, ctum faciat plus delectare quod præci-
,, pit, quam delectat quod impedit. ,,
Jam vero probatur minor, nempe illud poſse proximum ſoli gratiæ victrici & efficaci convenire; quomodo enim hoc operetur Deus, dicit idem Auguſtinus ſerm. 29.
" Inſpirando, *inquit*, virtutem, dando
,, menti cæleſtem delectationem qua o-
,, mnis terrena delectatio ſuperatur. ,,
Ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo ſicut ſupra: ſanctus Auguſtinus poſſe completive proximum conjunctum cum actu ſoli tribuit gratiæ efficaci, concedo: poſſe proximum ut ſic & expeditum ſe tenens ex parte actus primi, nego. Loquitur ſolum de primo D. Auguſt. quia controverſia inter ipſum & Pelagianos erat maxime de gratia operis: Jam vero duo ſemper diſtinguenda & nunquam confundenda ſunt, nempe potentia & actus: qui oculos habet, poteſt videre; ſed ſine lumine actu non videbit. ergo-ne potentia inutilis? Quinimmo, ſi adſit lumen & deficiat potentia, ut in cæco, nunquam erit actus: ſimili modo gratia ſufficiens dat poſſe, ea eſt enim gratia qua præparatur voluntas a Domino: ſed actus juſtitiæ abſque gratiæ efficacis & adjuvantis ope non elicietur: ergo-ne gratia ſufficiens non dat poſſe? Abſit dicere; dat totum, & expeditum, efficax vero cum potentia per gratiam prævenientem præparata elicit actum: ſic intelligi t ubique S. Aug. v. g. lib. de grat. & lib. arb. cap. 13. hæc habet:
" Gratia Dei ſemper eſt bona & per
,, hanc fit ut homo ſit bonæ voluntatis
,, qui prius fuit voluntatis malæ; per
,, hanc autem fit ut ipſa bona voluntas
,, quę jam eſſe cœpit, augeatur, & tam

magna

„ magna fiat, ut poſſit implere divina „ mandata quæ voluerit, cum valde per„ fecteque voluerit. „ Profecto cuncta diſtinguit ſanctus Doctor, nempe poſſe ut ſic, quod vocat bonam voluntatem inchoatam; voluntatem quę cœpit eſſe bona: deinde poſſe conjunctum cum actu deſignat, dicendo virtute gratiæ efficacis & adjuvantis bonam voluntatem augeri, ut homo poſſit perfecte ſervare mandata. Cęterum licet gratia præveniens ſe ſola non ſufficiat ad agendum, non ideo actus eliciendus impoſſibilis eſt, quia Deus dando gratiam ſufficientem, offert efficacem, quam dubio procul peccator habebit, ſi gratiæ prævenienti & inſpiranti bonum non ponat obicem.

Jam reſumo argumentum & reſpondeo ad majorem. Gratia quæ dat poſſe proximum debet eſſe in delectatione majori appretiative & per judicium practicum ac comparativum, concedo: in delectatione ſumpta pro ſuavitate quadam ſenſibili ſubdiſtinguo, debet eſſe major in virtute & efficacia, concedo: major ſenſibiliter, nego. Triplex delectatio diſtinguenda eſt. Una mentis, & eſt gaudium de veritate cognita: altera voluntatis, & eſt quædam in veritate quies orta ex ipſa voluntatis electione: tertia ſenſibilis & ſenſualis, id eſt, afficiens ſenſus. Certum eſt ineſſe aliquam ex iis delectationibus, quando voluntas eligit bonum: cum enim bonum & malum ſimul proponantur, illud eligit voluntas quod magis placet, illud ſcilicet quod intellectus judicat majus bonum, non enim voluntas humana poteſt appetere malum qua malum. Bene igitur dicit Auguſtinus: id quod eligitur magis placere debet: in iſto ſenſu judicium, comparatione facta, unum quod plurimum arridet, alio relicto, approbat & tunc in eo quieſcit voluntas.

Reſpondeo 2. argumentum procedere de actu, nuſquam vero de potentia, ſi quidem ut exuberantem homo ſuperet tentationem, a judicio comparativo unum approbat, alterum relinquit, ſicque ſecundum quod magis delectat ſeu arridet, non certe neceſſario, ſed juxta præviam finis electionem operatur: Solutio eſt S. Aug. qui lib. de corr. & grat. cap. 2. ait: " Aguntur enim & agunt; non ut ipſi „ nihil agant, & ad hoc eis oſtenditur, „ quid agere debeant. „ Iſta verba ſunt ponderanda. Primo nulla nequidem moralis, adeſt agendi neceſſitas, quandoquidem aguntur homines ut viciſſim agant. 2. Agunt prævia electione, oſtenditur intellectui objectum ut de illo judicet; ſi placet, judicat bonum, & hoc eſt magis delectari, unde ſubdit: " Ut quando id agunt „ ſicut agendum eſt, id eſt, cum dile„ ctione & delectatione juſtitiæ. „ Eſt delectatio, quia eſt amor juſtitiæ, & illa delectatio eſt ipſa veritatis agnitio quę parit gaudium: ipſa boni fruitio quæ ſatiat appetitum, & totum pacat hominem, juxta illud Proph. 75. 3. *Factus eſt in pace locus ejus*. Et rurſus Pſalm. 36. 4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*.

Sanctus Doctor clarius adhuc circa illud momentum ſuam prodit mentem ſer. 17. de verbis Apoſt. cap. 4. his verbis: "Interroget, *inquit*, & reſpondeat: quid „ dicturus ſum, utrum ſic delectetur ju„ ſtitia, ut eam cæteris ad hoc ſenſus „ corporis pertinentibus delectationibus „ anteponat. Ecce delectat te aurum tuum, „ oculos tuos delectat, metallum eſt pul„ chrum, fulgentiſſimum delectat. . . . . „ decertant in te duæ delectationes, mo„ do interrogo te quid præponas. Ecce totum remittit ſalutis & operationis negotium ad judicium practicum. Duæ proponuntur delectationes, id eſt, duo objecta placentia, bonum verum, bonum apparens, elige quod malueris, elige quod videtur tibi magis bonum: Igitur ruit totum ſyſtema Janſenii qui negotium operis & ſalutis tribuit delectationi majori objective non practice & appretiative, non judicio intellectus comparativo, in quo certe plurimum allucinatur; unde ſequitur ex his omnibus gratiam dare proxime & relative poſſe bonum, gratiam prævenientem habere ſufficientem virtutem, ad debellandam quamlibet concupiſcentiam, quia poteſt ſufficienter immutare & intellectum illuminationibus ſuis ut bonum verum appareat quale in ſe eſt, & voluntatem ſuis viciſſim motionibus ut illam inclinet ad virtutem & avertat a malo, nam utrumque facit, illuminat & inſpirat atque inclinat, ſeu movet ad bonum: hominis eſt igitur eligere quod maluerit & quod illi magis placuerit: hoc ipſum Scripturæ ſacræ prædicant, hoc exponunt Concilia, hoc edocent SS. Patres.

Reponunt : S. Aug. paſſim dicit recurrendum eſſe ad orationem ut poſſimus adimplere mandata : Igitur non exiſtimat gratiam ſufficientem dare poſſe proximum relativum , alias inutilis foret oratio . Aug. l. de natura & grat. cap. 18. ſic loquitur : " Quid ſtultius quam orare ut „ facias quod habes in poteſtate . „ Confirmatur . Gratia illa quę dat poſſe proxime bonum repugnat Eccleſiæ precibus , his enim expoſtulamus quod non habemus, juxta illud S. Doctoris l. de præd. SS. c. 8. " Quid oramus pro nolentibus credere „ niſi ut Deus in illis operetur & vel- „ le? „ Et iterum : " Oro & pro non „ credentibus, quid? niſi ut credant . „

Reſpondeo diſtinguendo , petimus gratiam efficacem qua mandata actu adimpleamus, concedo : gratiam ſufficientem, ſubdiſtinguo: uberiorem, concedo: infimam , adhuc ſubdiſtinguo: ut ſemper detur nobis, concedo : omnem omnino , nego . Hæc eſt ſalutis ęconomia . Chriſtus promeruit omnibus gratiam & ſufficientem & efficacem . Prima datur gratis , & vocatur præveniens, unde illam Eccleſia petit pro filiis, nos vero eamdem non ſemper petimus , quia nos prævenire debet ut petamus: ſed petimus uberiorem , ſed ejuſdem continuationem expoſtulamus maxime vero efficacem, cum non detur niſi debite diſpoſitis. Certe totis viribus illam debemus petere ; de iſta potiſſimum habet ſermonem divus Auguſtinus quando commendat preces pro gratia habenda , quia agit contra Pelagianos , quippe qui adverſus eos defendat gratiæ neceſſitatem ad opus, ad actionem , quam quidem gratiam ad hoc inutilem eſſe auſu temerario prędicabant . Quod autem Aug. loquatur de gratia efficaci & de potentia conjuncta cum actu, quando dicit orandum eſſe ut poſſimus adimplere mandata, patet ex multis.

Sic loquitur epiſt. 89. " Ad hoc cre- „ dunt, qui recte credunt ut invocent in „ quem crediderunt , & valeant facere , „ quid in præceptis legitimis accepe- „ runt . „ Rurſus ſerm. 3. de verbis Apoſt. cap. 8. " Volo ut velis , ſed non „ ſufficit ut velis, adjuvandus es ut ple- „ ne velis & impleas quod velis . „ Quibus verbis manifeſte docet poſſe proximum relativum ex parte actus primi, his ſcilicet verbis : " Volo ut velis . „ Gratia ſufficiens dat primum velle , nempe bona deſideria, velle imperfectum ſeu inchoatum, deinde *poſſe* conjunctum cum actu verbis ſequentibus exprimit Auguſt. " Non ſufficit ut velis, non ſiſtendum in ſolis deſideriis : " Adjuvandus es ut ple- „ ne velis & impleas quod velis . „ Ecce actus deliberatus, ecce perfectus, ecce actus cum potentia conjunctus & eſt a gratia efficaci quam totis viribus & omni qua par eſt pietate , petere debemus . Rurſus l. de ſancta Virginitate cap. 52. ait : " De viribus noſtris expertis cavete, „ ne quia ferre aliquid potuiſtis , infle- „ mini : de inexpertis autem orate , ne „ ſupra quam poteſtis ferre tentemini . „ Rurſus tractatu de urbis excidio cap. ultimo : " Plane oremus & gemiſcamus ad „ Dominum ut ſervetur erga nos quod A- „ poſtolus dicit : Fidelis Deus qui non „ vos ſinet tentari ſupra id quod poteſ- „ tis . „ Denique l. de grat. & lib. arbit. cap. 16. " Oret ut habeat tantam „ voluntatem, quanta ſufficit ad implen- „ da mandata; ſic quippe adjuvatur ut fa- „ ciat quod jubetur . „ Audis, benevole Lector, Auguſt. ſupponere poſſe proximum relativum & ſufficiens ex parte actus primi , nam ibidem ſupra dixerat : " Ad „ hoc enim valet , quod ſcriptum eſt , „ ſi volueris , conſervabis mandata . „ Audis loqui de gratia efficaci requiſita non ad poſſe bonum quod ſupponit , ſed ad operandum actu bonum quod poterat homo facere : " Sic quippe adjuvatur ut faciat quod jubetur . „ Ubicumque igitur Aug. dicit hominem etiam juſtum quandoque non poſſe adimplere mandata donec accedat gratia magna & parva major, loquitur de actu, non de potentia & ſenſus eſt : homo ſine gratia efficaci non adimplet actu mandata: hanc autem gratiam precibus advocare debemus.

Ad ſecundum diſtinguo , inutile immo & ſtultum eſt petere quod habemus , ſi habeamus a natura, concedo : ſi a Deo, nego. Gratia eſt indebita , unde gratiam etiam ſufficientem precibus expoſtulare debemus , nimirum ut vel ſemper & in tempore opportuno detur , vel ut augeatur, vel etiam ut ſuum ultimatum habeat effectum ad quem tendit , nempe actum perfectum , quem mediante gratia efficaci producit , & in quo tanquam in fine quieſcit. Quis enim ſanæ mentis negaverit Deum eo tantum ſcopo gratias ſufficien-

tes conferre ut bonum operemur: quinimmo dat ut velimus, quandoque etiam ut quoſdam imperfectos virtutum actus, quibus præparatur voluntas ad converſionem, eliciamus. Igitur gratia orationis quandoque eſt precum materia & objectum. Porro S. Auguſt. loquitur retorquendo argumentum contra Pelagianos qui preces Eccleſiæ admittebant, & tamen gratiæ neceſſitatem abnegabant. Unde ſic argumentabantur: Si preces ſunt utiles, maxime ad gratiam obtinendam, quandoquidem Eccleſia in ſuis orationibus hanc ſemper & ubicumque tum ad faciendum bonum, tum ad declinandum a malo expoſtulat, ſi autem ut vos dicitis, gratia inutilis eſt, utique & inutilis Eccleſiæ oratio, fruſtra quippe petimus quod in noſtra poteſtate habemus: " Non utique id orat juſtus, *inquit D. Auguſt. epiſt. 95. ad Inn. refellendo Pelagianos, naturam peccati remiſſionem, & legis ſcientiam tanquam Dei gratiam præferentes*: non utique id orat ,, ut homo ſit, quod eſt natura, neque id ,, orat ut habeat liberum arbitrium, quod ,, jam accepit, cum crearetur ipſa creatura, neque orat remiſſionem peccatorum aut habitualem gratiam, quia hoc ,, ſuperius dicitur, dimitte nobis debita ,, noſtra: neque orat ut accipiat mandatum, ſi enim in tentatione defecerit, ,, facit quod eſt contra mandatum. Orat ,, ergo ut non peccet, hoc eſt, ne quid ,, faciat mali quod vetatur, vel bonum fiat ,, quod jubetur. ,,

Opponunt 2. Gratia ſufficiens deeſt obduratis & infidelibus, & hoc affirmant multi etiam ex noſtris Thomiſtis Theologi. Igitur gratia ſufficiens non dat poſſe proximum relativum. Probatur antecedens, ex D. Auguſt. de obduratis, ait in Pſal. 147. " Ecce deſerit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit ſenſum, ,, ecce non infundit gratiam. ,, Tum lib. de perfectione juſt. cap. 19. " Quaſi non ,, debeat Deo agere gratias, qui præcepta voluit, qui deſertus omni lumine ,, veritatis hæc velle non poteſt. ,, Et lib. de natura & gratia cap. 51. " Quoniam cæcus puto quod velit videre, ſed ,, non poteſt; ſi autem vult & non poteſt, ,, ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt impoſſibilitas. ,, Pro infidelibus vero patet 1. lib. 4. contra Julianum cap. 3. " Sine hoc ,, amore Creatoris nullus quiſquam bene ,, utitur creaturis. ,, Amor autem ſine fide nullus eſt juxta illud in Pſal. 67. Ea ,, ſola bona opera dicenda ſunt, quæ fiunt ,, per dilectionem Dei. Hæc autem neceſſe eſt ut antecadat fides. ,, Sed infideles fide carent: igitur non habent poſſe bonum proxime.

Reſpondeo 1. Quæſtionem ibi non moveri de extonſione, ſed de natura gratiæ ſufficientis. Non hic quærimus an gratia ſufficiens detur omnibus, hoc quippe momentum infra tractabimus, ſed quid ſit gratia ſufficiens, & an det poſſe proxime & relative bonum?

Reſpondeo 2. Gratiam ſufficientem dari omnibus hominibus, dari etiam obduratis, etiam infidelibus, quia Deus impoſſibilia non jubet, cum autem omnibus & ſingulis mortalibus præcipiat bonum, utique ſingulis confert per gratiam ſufficientem poſſe bonum.

Ad primum diſtinguo, obduratus penitus a Deo deſeritur quantum ad gratiam habitualem & efficacem, concedo: his enim in vindictam caret: quantum ad gratiam ſufficientem, ſubdiſtinguo: proximam quæ eſt ad actum converſionis perfectum, concedo: proximam quæ eſt ad orationem, nego. Caret gratia habituali & efficaci, caret etiam uberiori ſufficiente quæ immediate reſpicit converſionem, ſed non proxima quæ eſt ad orandum. Poteſt igitur orare & per orationem obtinere gratiam uberiorem quæ illum immediate ſtimulet & compellat ad pœnitentiam. Unde ad id quod dicitur: *Ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas*, diſtinguo, amiſſa eſt poſſibilitas conjuncta cum actu, concedo: & de illa loquitur Auguſt. cum ait lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. " Illa eſt enim pœna juſtiſſima, ut ,, qui ſciens recte non facit, amittat, ,, ſcire quid rectum ſit; & recte facere ,, cum poſſet noluit, amittat poſſe cum ,, velit. ,, Ibi excludit tantum gratiam efficacem boni operativam, minime vero gratiam ſufficientem, nam ex Auguſt. habet, ſiquidem vult operari bonum: " Amittat poſſe cum velit. ,, Quare amittit & non habet? quia frigide vult; amiſſa eſt poſſibilitas ut ſic, ſubdiſtinguo, poſſibilitas immediata & uberior, concedo: mediata, nego. Enimvero habet poſſe proximum ad orandum: oret igitur, & gratiam habebit uberiorem qua immediate

poterit ſe convertere; habebit & efficacem qua de facto convertatur ad Dominum.

Solutio eſt S. Aug. quoad omnes partes 1. in Pſ. 6. dicit nullum quantumvis obduratum omni privari gratia illuminante quandiu vivit: " Dedit eos in reprobum „ ſenſum, nam ea eſt cæcitas mentis, in „ eam quiſque datus fuerit, ab interiore „ Dei luce ſecluditur, ſed nondum pe„ nitus cum in hacce vita eſt. „ Dicit peccatorem orare debere ut gratiam uberiorem habeat: " Deus impoſſibilia non „ jubet, ſed jubendo monet, & facere „ quod poſſis & petere quod non poſſis „ & adjuvat ut poſſis. „ Poteſt orare, igitur faciat quod poteſt, oret & petat quod non poteſt potentia proxima, potentia conjuncta cum actu; tum lib. de gratia & lib. arb. cap. 10. ait: " Deum „ ideo jubere alia quæ non poſſumus, ut „ noverimus quid ab illo petere debeamus, „ ipſa enim eſt fides quæ orando impetrat „ quod lex imperat. „ Rurſus ib. c. 16. " Ad hoc valet quod ſcriptum eſt, ſi volue„ ris conſervabis mandata, ſed ut homo „ qui voluerit & non potuerit, nondum „ ſe plene cognoſcat, & oret ut habeat „ tantam voluntatem, quanta ſufficit ad „ implenda mandata. „ Oret ut habeat potentiam immediatam adimplendi legem, oret ut habeat gratiam efficacem qua actu bonum operetur.

Ad auctoritates in objectione allatas quibus Janſenius conatur explodere gratiam ſufficientem pro infidelibus, diſtinguo primam, ſine amore Dei nullus bene utitur creaturis ad promerendam ſalutem, concedo: ad hoc enim requiritur fides & gratia ſanctificans: ſecus, nego. Dicemus infra non omnia infidelium opera eſſe peccata, quia infideles poſſunt habere bonum in agendo motivum.

Perſiſtunt: Ergo obdurati & obcæcati habent impotentiam relativam ſervandi mandata, quia habent gratiam ſufficientem ad hoc tantummodo remotam, ſeu mediatam: ſed cum illa ſola gratia impoſſibile eſt adimplere mandata: Igitur gratia ſufficiens non dat poſſe proximum relative.

Reſpondeo 1. Obduratos & obcæcatos habere potentiam immediatam & proximam ad orandum, hoc autem negat Janſenius, unde totus eſt in errore, namque precibus poteſt peccator ſecundum nos pervenire ad gratiam uberiorem, tum ex parte actus primi, tum ex parte actus ſecundi, unde nulla eſt impoſſibilitas, immo nequidem nominatur apud Aug. Novator e contra dicit præcepta impoſſibilia. Quod autem Janſenius impoſſibilitatem bene agendi in obduratis eſſe doceat, patet ex eo quod propugnet deeſſe quoque illis orationis gratiam ut mandata poſſibilia fiant, ſic enim loquitur lib. 3. de gratia Chriſti cap. 5. cujus titulus eſt: " Judæis lex „ data eſt, & Chriſtianis plurimis præ„ cepta dantur ſine ulla gratia ſufficien„ te aut adjuvante. „ " Nec aliquis, „ *inquit*, opponat ipſi veritati orari ſal„ tem poſſe ut iſta delectatio quæ ſuffi„ ciat implendo legi tribuatur, nam et„ iam ad orandum quam maxime dele„ ctatio neceſſaria eſt, quæ non magis „ quam cæteræ noſtræ poteſtatis eſt, ſed „ a Deo per gratiam donari debet. „

Replicant. S. Aug. agnovit ſolum poſſe remotum illudque ſupponebat, ſiquidem non erat controverſia inter ipſum & Pelagianos de gratia poſſibilitatis, dicit enim lib. de gratia Chriſti cap. 7. nihil inter ſe & Pelagium controverſiæ ſupereſſe, ſi conceſſerit etiam ipſam voluntatem divinitus adjuvari, ut ſine adjutorio gratiæ nihil bene velimus & agamus. Igitur poſſe proximum tribuit tantummodo gratiæ efficaci: Igitur ex Auguſt. gratia ſufficiens non dat poſſe proximum.

Reſpondeo 1. Gratiam efficacem reſpicere actum & non potentiam; agere, & non poſſe agere, quod gratiæ ſufficienti tribuitur. 2. Controverſiam quidem ſpecialem & principalem inter Auguſtinum & Pelagianos fuiſſe de gratia efficaci: verum diſputatio fuit utique de gratia ſufficiente. Unde S. Doctor lib. de gratia Chriſti cap. 47. ait de Pelagio: " Si ergo con„ ſenſerit nobis, non ſolum poſſibilitatem „ in homine, etiam ſi nec velit, nec a„ gat bene, ſed ipſam quoque voluntatem „ & actionem divinitus adjuvari, nihil „ de adjutorio Dei quantum arbitror, in„ ter nos controverſiæ relinquitur. „ Igitur poſſibilitatem proximam ſervandi mandata 1. exigit Aug. 2. Illam poſſibilitatem a gratia ſufficiente promanare contendit. 3. Hanc gratiam quandoque carere effectu dicit: " Etiam ſi homo nec „ velit, nec agat. „ *Inquit*, deinde vero alte-

alterum poſtulat S. Doctor ut præter poſſibilitatem quam ſecum admitti vult, etiam voluntatem & actionem adjuvari per gratiam efficacem confiteatur Pelagius: " Sed ipſam quoque voluntatem & actio- ,, nem divinitus adjuvari. ,, Ecce gratia ſufficiens, quæ dat poſſe proximum relativum clare ab Aug. explicata, ecce gratia efficax ab eodem notata & deſignata pro actione &c.

Solvitur argumentum ex æquilibrio vitioſo petitum.

REPONUNT Novatores: admiſſa gratia ſufficiente, quæ det proxime & relative ſufficientes vires tum ad debellandam concupiſcentiam, tum ad bonum terrente diabolo, ſæviente mundo, & blandiente carne agendum, datur æquilibrium perpetuum, cum homo tantum roboris ſemper habeat ad compeſcendas paſſiones obſtrepentes, quantum virium ineſt carni pro voluntate ad malum inclinanda: ſed hoc ſenſus & experientia probant eſſe falſiſſimum, hinc Janſenii aſſeclæ illud æquilibrium hæreſim appellare non dubitant. Ergo &c.

Reſpondeo 1. Retorto telo, ſagittam recidere in ſagittarios: non enim æquilibrium a catholicis admiſſum, hæreticum eſt, ſed potius illud quod vel ab ipſo Janſenio adinventum & ab ejus aſſeclis pro aris & focis defenditur, cum doceant hominem in quodam delectationis terrenæ & cæleſtis conflictu ſæpius ſic collocari, aut libratis hinc & inde ad æqualitatem, tum gratiæ, tum concupiſcentiæ viribus, nulloque graviori pondere in alterutram bilancis partem inclinatus, liber remaneat & ſui juris. Hinc tunc nec propellere tentationes occurrentes, nec præceptum, ſi urgeat, adimplere poſſit, cum ex Janſenio tentatus tandiu inter bonum & malum fluctuabit, donec alterutra delectatio alteram vincat & ſuperet. In quo quidem principio duo nefandi ſcatent errores. Primus, tunc temporis præceptum urgens impoſſibile eſt, nuſquam enim homo adimplere, immo nequidem agere poterit, niſi ceſſante delectationum congreſſu cæleſtis ſuperet terrenam.

Alter iſti non abſimilis error eſt, quod quandiu perſeverat conflictus delectationum æqualitas, tentatus libertate ſpoliatus, nec quidquam aut boni, aut mali poſſit agere.

Nequis putet tot momentoſa ex invidia in Eccleſiæ æmulos proferri, audiendus eſt ipſe Janſenius iſtarum novitatum perniacioſarum Architectus. Sic loquitur lib. 4. de gratia Chriſti cap. 6. pag. 175. col. 1. *Perſpicua intelligitur, tantopere neceſſariam eſſe iſtam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut niſi major fuerit quam terrena, qua noſter affectus detinetur, fieri non poſſit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio numquam ſane delectatione minore ſuperabitur.*

Rurſus, ibidem cap. 9. pag. 183. col. 2. 4. *Conflictus ille delectationum ſopiri non poteſt, niſi altera alteram delectando ſuperaverit, & eo totum pondus vergat. Quod enim amplius delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt. Sed utrum libet fiat, non erit ſufficiens gratia, ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem poſſit ſequi, niſi ejus efficacia per aliam ſuppleatur, in medio remanebitur, id eſt, in æquilibrio.*

Reſpondeo 2. diſtinguendo majorem, ſemel admiſſa gratia ſufficiente, perpetuum dabitur potentiæ æquilibrium, concedo: perpetuum gratiæ & actionis, nego. Non unum æquilibrium, ſed multiplex eſt. 1. Naturale, 2. inclinationis, 3. potentiæ, 4. gratiæ, 5. exercitii, 6. reſiſtentiæ, 7. victoriæ, 8. immediatum, 9. mediatum. Primum, ſitum eſt in libero arbitrio, quod ad bonum & malum ad voluntatis nutum flectitur, & ineſt omnibus, juxta illud Conc. Trident. ſeſſ. 6. Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique a ſatana invectum, anathema ſit.* Alterum conſiſtit in æquali ad bonum & malum propenſione, ita ut voluntas humana, in unam magis quam in alteram partem non præponderet. Tertium, eſt indifferentia activa, per quam homo ſub dominio & gratiæ, & concupiſcentiæ, ex innata libertate poteſt ſicut ad malum, ſic & ad bonum operandum ſe determinare. Quartum, importat eoſdem in gratia ad bonum faciendum gradus, quales ad malum amandum in concupiſcentia forent. Quintum, dicit potentiam eodem modo actu expeditam, ad utrumque extremum. Sextum, adhibet ad vincendam tentationem ſuffi-

cientem . Septimum , concipitur in homine qui pares haberet ad bonum & malum vires , paremque facilitatem . Immediatum eſt , vel ipſum ad actus ſupernaturales eliciendos ita efficax auxilium præſens , quo homo tantum pro iſto momento virium habet quantum ineſt concupiſcentiæ ut & compellat ad peccatum : mediatum denique habet ſi gratia præſens ſe ſola non poſſit inferre actum , ſed ad uberiorem qua de facto eliciatur , præpararet .

1. *Æquilibrium* naturale , quod eſt ipſum hominis liberum arbitrium , ad bonum & malum flexibile , ineſt omnibus , quippe quod ex Concilio Tridentino tametſi peccato extenuatum , non tamen extinctum eſt , quod clare admodum annuntiat Scriptura Eccl. 31. 10. ubi Deus , vel de ipſo homine lapſo , ſic loquitur . *Qui potuit transgredi , & non eſt transgreſſus ; facere mala , & non fecit* .

2. *Nullus* catholicus dixerit in homine , per peccatum originale ſauciato æquilibrium inclinationis ad bonum & malum inveniri , cum teſte Scriptura Gen. 8. 21. proni ſint ſenſus hominis ab adoleſcentia ad malum . Hoc ipſum definiere Concilia adverſus Pelagianos congregata , hinc Trident. ſeſſ. 6. Can. 3. ulteriori anathemate naturæ inflatores percellit , his verbis : *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione , atque ejus adjutorio hominem credere , ſperare , diligere , aut pœnitere poſſe , ſicut oportet , ut ei juſtificationis gratia conferatur , anathema ſit* .

3. *Æquilibrium* potentiæ nihil aliud eſt præter vim electivam , quod ſi quis negaret , vel ipſi adverſaretur Concilio Tridentino , quod quidem de fide definivit remanere ſub dominio gratiæ etiam efficaciſſimæ , & hoc ſub anathematis interminatione , his verbis præcipit credere , ſeſſ. 6. Can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum , nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti , quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet , neque poſſe diſſentire , ſi velit . . . . . anathema ſit* . Eamdem actus indifferentiam perſeverare in homine , etiam exardeſcente concupiſcentia , declaravit Innocentius X. damnando primam e quinque propoſitionibus Janſenii dicentis quædam præcepta eſſe impoſſibilia juſtis , etiam conantibus , & illis deeſſe gratiam qua poſſibilia fiant .

4. *Neque* vero opus eſt admittere ſemper gratiæ æquilibrium in gradu , ita ut gratia ejuſdem ſit in robore æqualitatis , quantus eſt concupiſcentiæ ardor , cum alternata vice contingat modo gratiam gradibus eſſe concupiſcentiæ imparem , modo e contra ipſam concupiſcentiam eſſe intenſione gratiæ multo minorem : ſufficit ad libertatis conſervationem quod gratia ſufficientes ad bonum operandum ſuppeditet vires . De hoc momento ſic loquitur D. Tournely eximius Sorbonæ Doctor tom. 2. de gratia Chriſti quæſt. 7. art. 1. pag. 338. “ Cum igitur aſſerimus „ per gratiam ſufficientem pares & „ æquales relative vires homini juſto „ conferri ad oppoſitam concupiſcentiam „ ſuperandam , & obſervandum præceptum , vires cum viribus , ut jam dictum eſt , non comparamus , nec æquales ex utraque parte quoad gradus eſſe debere contendimus , non ita eſt : „ ſed hoc unum contendimus contra Janſenium , vires gratiæ ſufficientis , tametſi inæquales & gradibus inferiores „ viribus oppoſitæ concupiſcentiæ , pares „ tamen eſſe ac ſufficientes iſti debellandæ ac ſuperandæ , & implendo præcepto , ſi homo juſtus , ea qua par eſt ſedulitate ac diligentia , tali auxilio gratiæ uti voluerit . „

5. *Si* æquilibrii actio penes eamdem ſicut mali , ſic & boni patrandi facilitatem attendatur , ingenue fatemur in hoc præſenti naturæ lapſæ ſtatu non admitti , e contra vero ſi attendatur juxta naturam libertatis quæ ſic remanſit poſt lapſum protoparentis in homine , ut poſſit , quantumvis exardeſcat concupiſcentia , bonum operari , & ſufficientes habeat vires ad propellendum malum . Sic docet idem Doctor ibidem pag. 337. his verbis : “ Certum eſt ad libertatem actionis neceſſe non eſſe . 1. Ut nulla major inſit voluntati ad unum , quam ad aliud „ facilitas vel difficultas ; hæc enim , perinde ac major vel minor inclinatio „ voluntatis , libertatem actionis non tollit ; ac conſequenter æquilibrium hujuſmodi neceſſarium non eſt . 2. Nec „ minus certum , neceſſe non eſſe ut pares ſint & æquales ex utraque parte , gra-

tiæ

,, tiæ nimirum & concupiſcentiæ vircs. ,, Neque enim hic vires unius, cum vi- ,, ribus alterius comparantur; ſed hoc u- ,, num exigit Eccleſia contra ſententiam ,, Janſenii, ut vires gratiæ, tametſi gra- ,, dibus inferiores viribus concupiſcentiæ, ,, iſtas nihilominus ſuperare poſſint, ſeu ,, pares ſint in illis vincendis ac ſuperan- ,, dis, quod e diametro pugnat cum ſyſte- ,, mate Janſeniano. ,,

6. *Ex* his ſequitur dari reſiſtentiæ æquilibrium, in eo potiſſimum ſenſu quod gratia præveniens quantumvis parva concupiſcentiam etiam ardentiſſimam vincere queat. 1. Quia hoc eſt poſſibile; jam vero poſſibili poſito in actu, non ſequitur abſurdum, & hoc ipſum declarat ſacra Synodus Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. his verbis iterum atque iterum decantatis: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* 2. Et quia ex S. Thoma 3. p. quæſt. 62. art. 6. ad 3. " Minima gratia poteſt reſiſtere ,, cuilibet concupiſcentiæ. ,, 3. Ut dictum eſt, gratia tametſi omnium minima habet pro objecto Deum, adeoque bonum omnibus abſolutum numeris, & infinitum, quod miris ſed tamen veris modis ad ſui amorem hominum allicit voluntates, e contra vero concupiſcentia etiam ardentiſſima nonniſi ad bonum finitum & apparens inhiat, hinc S. Aug. pœnitens in ſoliloquiis de ante-acta vita ingemiſcens Deum optimum ſic alloquebatur: *Bonitas ſero amata.*

7. *Sequitur* ex his æquilibrium victoriæ in omni ſenſu non eſſe abjudicandum; tametſi enim gratia ſufficiens nonniſi gradatim emolliat cor, ſic tamen intus agit, ut peccator non ita, ut prius in peccato complaceat, tum peccatum quaſi invitus, ſuperante adhuc vitiorum inundante mari facit: poſtea ſic reſiſtere incipit, ut inter peccandi & ſeſe convertendi volitionem hæreat; denique armis prorſus depoſitis, cedit gratiæ & Deo reconciliatur. Omnes gratiæ ſufficientis operationes concupiſcentiam debellantes expertus eſt S. Auguſt. ut ipſe teſtatur in libris Confeſſionum, quæ tandem ipſo devicto, triumphavit, ſic loquitur lib. 8. cap. 12. num. 28. " *Jactabam* voces mi- ,, ſerabiles. Quandiu? quandiu? cras ,, & cras? quare non modo? quare non ,, hac hora finis turpitudinis meæ. ,,

Tandem abſit propugnare æquilibrium ſemper immediatum, ita ut vel ipſi obdurati habeant a gratia præveniente proximum & relative ad diſpoſitionem præſentem poſſe converſionis expeditum, non enim niſi remotam habent: attamen datur eis potentia proxima etiam relativa ad orandum, ut, mediante oratione, gratiam ſufficientem uberiorem obtineant, ut velint converti, tum & efficacem ſi iſti non obnitantur habebunt. In iſto ſenſu ſufficientes habent vires & ut declinent a malo, & ut faciant bonum.

Inſtant. Abſurdum eſt dicere juſtum in quo exardeſcit concupiſcentia & frigeſcit charitas, tum peccatorem infinitis prope vitiorum vinculis obſtrictum habere tantum virium, quantum ad reſiſtendum tentationi requiritur, cum experientia comprobetur fere quotidiana peccatores ad pœnitendum ſtimulatos ſæpius pendulos hærere inter bonum & malum, tum tandem iterum ſuperatos a concupiſcentia, ipſi uſque ad interitum cedere: equidem non diffiteor, movente & alternatis vicibus excitante gratia, reſiſtunt, verum ingraveſcente prælio, laſſati vincuntur. Igitur gratia ſufficiens in nullo ſenſu adjunctum habet libertatis, tum & actionis, a fortiori nec reſiſtentiæ & victoriæ æquilibrium.

Reſpondeo, ex dictis clareſcere nihil abſurdi in æquilibrio delineato conſequi. Igitur ad primum exemplum dico juſtum ſecundum præſentes quas habet vires, quamlibet concupiſcentiam colaphizantem poſſe, nedum compeſcere, ſed & prorſus ſuperare. Hoc definivit Innocentius X. qui contrariam Janſenii propoſitionem damnavit; & merito, cum teſte S. Thoma 3. p. quæſt. 70. art. 4. " Minima chari- ,, tas plus diligat Deum, quam cupiditas ,, auri & argenti. ,,

Ad peccatoris vitiorum multitudine conquaſſati perſonam, reſpondemus habere ſufficientes ad orandum vires, ut deprecatione media, uberiorem gratiam qua poſſit immediate converti ad Dominum, obtineat: Non igitur in illo adeſt æquilibrium gratiæ, cum nonniſi remotam habeat converſionis gratiam, ſufficientem tamen relative, ad obdurationem ſuperandam poſſidet, ut neceſſario non peccet, ſicut perperam contendit

Jan-

Janſenius, maxime cum non tanta requiratur gratia ad reſiſtendum tentationi, quanta ad conſummatam converſionem; non ſemel quippe contingit peccatorem ad converſionem repetitis vicibus a gratia præveniente invitari. 1. Non ita ſæpius in peccatum prolabi. 2. Peccatum non ſine amaritudine committere. 3. Sæpius hærere inter bonum & malum, & licet nondum convertatur, abſtinere tamen aliquandiu a peccato ſatagit, quas quidem alternatas gratiæ viciſſitudines S. Aug. ſupra laudatus ſe expertum fuiſſe teſtatur.

Ad alia de prælio ingraveſcente objecta; dicendum eſt cum eodem S. Auguſtino, oret ſemper peccator, & Deus eum adjuvabit ne victus cadat in certamine.

Inſiſtunt: Ex his omnibus ſequitur vitioſum æquilibrium, videlicet ipſum peccatorem ſufficientes ſemper habere vires ad debellandam concupiſcentiam, immo & iſtud abſurdius, gratiam ſufficientem obdurato conceſſam multo robuſtiorem eſſe quam vel in ipſis juſtis, cum majus gratiæ pondus requiratur ad minuendum onus obdurati graviſſimum, quam ad leviorem juſti ſarcinam ſublevandam & ſuperandam; ex quo & aliud falſiſſimum admittendum foret, nempe meritum obdurati adverſus carnem & ſanguinem dimicantis evadere majus ipſo merito juſti tentationes occurrentes generoſe propellentis & hoc propter duo. Primo quidem, gratia in obdurato decertanti ardentior eſſet. 2. Victoria comparanda difficilior, & conſequenter corona eminentior.

Reſpondeo diſtinguendo, ſequeretur æquilibrium potentiæ, concedo: æquilibrium gratiæ relative ad delectationem terrenam impugnandam, tum & vincendam, ſubdiſtinguo: æquilibrium mediatum, concedo: immediatum, rurſus ſubdiſtinguo, in juſtis, concedo: in obduratis, nego. Manet ſemper in omnibus æquilibrium potentiæ tum naturalis, tum ſupernaturalis: naturalis quidem nempe liberum arbitrium quod ex innata libertate ad bonum & malum flecti poteſt; ſupernaturalis vero, quatenus gratia præveniens quæ omnibus adeſt, ſufficientes relative ad delectationem terrenam dat vires, quibus tentatio vinci, tum & bonum fieri poſſit. Demum juſtis adeſt ſemper gratia ſufficiens quæ dat poſſe immediatum & relative proximum, quod & concedendum eſt homini qui nullo ſcelerum habitu depreſſus, nonniſi raro & hoc ex fragilitate peccat: ſed obdurati habent gratiam ſufficientem remotam converſionis, proximam tamen orationis, ut non ſemel dictum eſt, qua quidem uberiorem advocare queunt: & ſic non eadem eſt eorum cum juſtis conditio, & nihil de abſurdis in objectione recenſitis ſequitur.

Cæterum quod omnes ſufficientes relative vires ad ſuperandas tentationes & potentiam ad bonum faciendum expeditam habeant audi Apoſtolum 1. Corinth. 10. 13. dicentem: *Fidelis autem Deus eſt; qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*. Janſenius, tanto teſtimonio ejus ſyſtema funditus convellente oppreſſus, in adulterinum Apoſtoli ſenſum, ſed dicam non ſine magna temeritate textum detorquet, ita ut hominem, horrendum dictu, exuberante delectatione terrena, ſupra quod poteſt, tentari aſſerat.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Gratia ſufficiens dat poſſe bonum proxime & relative, ad quamcumque delectationem terrenam.

PRIMO: Hoc probant præcepta quæ ſicut juſtos, ſic & peccatores etiam impios ligant, adeoque omnibus indiſcriminatim poſſibilia ſunt, quod non eſſet, ſi premente tentatione, homo non poſſet proxime & relative ad delectationem terrenam bonum ſalutis operari: hinc juſta peccatorum frequens increpatio: hoc inter omnia iſtud Apoſt. oraculum 1. Cor. 10. annuntiat: *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*.

Secundo: Rem definivit Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. his verbis: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. Ibidem, ait, SS. Patres hujus ſententiæ eſſe tenaciſſimos: *Nemo debet*, inquit, *temeraria illa & a patribus ſub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia*.

Ter-

Tertio: Ex D. Thom. 3. p. qu. 62. art. 6. ad 3. *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ*. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametſi cum ſola gratia ſufficiente non ponatur actus, poteſt tamen elici, & hoc ſufficit ut gratia præveniens det poſſe bonum proxime & relative ad tentationes exardeſcentes ſuperandas.

Secundo: Nec quemquam hoc, quod dicit paſſim Auguſt. neminem poſſe bonum ſine gratia efficaci, movere debet, quia ibi loquitur de potentia conjuncta cum actu.

Tertio: Admittimus quidem æquilibrium potentiæ, ſed modo gratia vel mediate, vel immediate adjuvet hominem ut poſſit operari bonum, etiam exardeſcente concupiſcentia.

SECTIO QUARTA.

Utrum gratia ſufficiens quandoque habeat effectum perfectum?

CONCLUSIO.

Gratia ſufficiens quandoque habet effectum ad quem tendit ut ad finem, & quidem mediante gratia efficaci.

AD concluſionis intelligentiam duplex diſtinguendus eſt effectus, alter incompletus & indeliberatus qui eſt in nobis ſine nobis, qualis eſt illuminatio & ad bonum inſpiratio, alter vero completus & perfectus ſeu deliberatus, ut actus contritionis. Primus eſt immediate a gratia ſufficiente: ſecundus, ab eadem ſed mediante gratia efficaci & conſenſu. Dixi eſſe a gratia ſufficiente, quia ad illum tendit ut ad finem: ſiquidem ad hoc movet voluntatem ut ipſa producat & eliciat actum: qui quidem ſequitur, ſi non reſiſtit gratiæ ſufficienti, qua præparatur voluntas a Domino.

Probatur nunc concluſio auctoritate & ratione.

PRIMO, Ex Scriptura ſacra: Proverb. 23. Deus ſic alloquitur peccatorem: *Prabe fili mi cor tuum mihi*. Pſalm. 34. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Et Paulo prædicante Athenis, quidam quidem irridebant, quidam dixerunt audiemus te de hoc iterum, quidam vero crediderunt, ut Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris. Denique Matth. 11. legitur, quod Tyrii & Sidonii credidiſſent Domino, ſi eadem donati fuiſſent gratia, quam habuerunt Corozain & Bethſaida, in quibus ſuo caruit effectu. Sed in his omnibus agitur de gratia ſufficienti quæ aut habuit effectum, aut potuit cum eo conjungi. Et probatur: omnes rejiciunt Deum allicientem, ſed expoſcenti cor quandoque præbet homo, præbuit Magdalena Chriſto vocanti, præbuit Matthæus, præbuit & Paulus, qui tandem gratiæ vocanti obedivit. Unde Iſaiæ 55. habetur: *Verbum meum nunquam ad me vacuum redibit*. Igitur gratia ſufficiens non ſolum habet effectum incompletum excitando & movendo ad bonum, ſed quandoque etiam completum ad quem tendit & in quo per gratiam efficacem quieſcit.

Secundo, Ex Conciliis: Arauſicanum 11. Can. 20. ſic loquitur: *Multa bona in homine fiunt, quæ non facit homo*. Ecce gratia ſufficiens deſignata, tum Can. 9. dicit habere effectum, his verbis: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur, operatur*. Quod quidem explicat Tridentinum, his verbis ſeſſ. 6. cap. 11. dicens liberum arbitrium a Deo motum & excitatum poſſe diſſentire ſi velit. Igitur gratia ſufficiens & excitans quandoque habet effectum; non enim ei ſemper diſſentit voluntas.

Tertio, Ex SS. Patribus. D. Auguſt. lib. 12. de civit. cap. 6. ait, "Si duo „ æqualiter affecti in animo & corpore „ videant unius mulieris pulchritudinem, „ qua viſa unus ad illicite fruendum mo- „ veatur, alter in voluntate pudica ſta- „ bilis perſeveret, quid putamus eſſe cau- „ ſæ ut in illo fiat? „ Eadem gratia in duobus nempe præveniens & excitans in uno habet effectum, in altero vero minime. Igitur ex Auguſt. gratia ſufficiens quandoque habet effectum, tum lib. de libero arbitrio cap. 17. duplicem diſtinguit gratiam: "Unam qua datur parva charitas, ut Petro, cum dixit etiam ſi „ opor-

„ oportuerit me mori tecum non te ne- „ gabo. „ Alteram qua datur fortior charitas, ut in Martyribus & illa habet effectum. Denique quod veritatem magis comprobat, eſt exemplum Tyriorum & Sidoniorum qui crediddiſſent cum eadem gratia quam habuerunt Corozain & Bethſaida increduli. Igitur gratia ſufficiens quandoque habet effectum, quandoque etiam non habet, puta reſiſtit voluntas & gratiæ uberiori ponit impedimentum. S. Franciſcus Saleſius lib. 2. de amore Dei cap. 10. egregie explicat hominem a Deo motum & excitatum, gratiæ ſufficienti ſeu prævenienti non ſemper reſiſtere, eamque, quoties bona agimus, adjuvante efficaci habere effectum perfectum ad quem ut ad finem tendit, & quo obtento, quieſcit.

Quarto: Ratione eaque multiplici: aliquas hic proponere non abs re erit.

Prima: Deus nihil fruſtra facit: Sed gratiam dat & elargitur ſufficientem, ut præparet voluntatem ad actum: pulſat enim ad cor peccatoris, ut ipſe aperiat & convertatur: Igitur gratia ſufficiens poteſt conjungi cum actu.

Altera: Gratia efficax ſemper habet actum: Sed ille actus eſt etiam a gratia ſufficiente, ſcilicet mediate, in quantum diſponit ad eum, eo prope modo quo actus viſionis qui eſt immediate a lumine adjuvante, eſt etiam a potentia. Ergo &c.

Tertia: Ab actu ad poſſe valet conſequentia: Sed experientia conſtat neminem elicere actum bonum niſi prævie excitetur ad illum per gratiam ſufficientem. Et probatur: quoties bona agimus ſemper duo nobis proponuntur ad exercitium & meritum, nempe bonum & malum v. g. proponitur aliquod bonum pro anima, ut quid legi conforme & Deo gratum; e contra vero reclamantibus paſſionibus proponitur ut malum, ſcilicet ſenſibus & naturæ: Tunc judicium incipit a domo Dei; hinc ſapientia clamitat in plateis animæ, clamitat ut eligatur pœnitentia, & hoc per illuminationem & inſpirationem: concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ; ex alia parte recalcitrant juxta illud D. Jacobi 1. 14. *Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia abſtractus & illectus*: niſi igitur Spiritus ſanctus loquatur ad cor, nullum fieret bonum: Igitur quando fit, luce clarius patet fieri inchoative per gratiam ſufficientem, nempe per illuminationem & inſpirationem.

Quarta: Sic communiter docent Theologi, ut Iſambertus tract. de gratia, diſp. ultim. art. 1. & alii. Ergo &c.

Dices. Effectus completus & perfectus tribuitur gratiæ efficaci: Igitur non eſt a gratia ſufficiente.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens, non eſt a gratia ſufficiente immediate, concedo: mediate, nego. Quotieſcumque enim non reſiſtitur gratiæ ſufficienti, toties habet effectum deliberatum, quia ad hunc tendit: Sed habet adjuvante gratia efficaci.

SYNOPSIS SECTIONIS.

Gratia ſufficiens tendit ad actum perfectum.

PRIMO: Hoc non obſcure indicat Scriptura Pſal. 34. his verbis: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Tum & iſtud Prov. 23. *Præbe fili mi cor tuum mihi*: Has autem ad bonum invitationes eſſe a gratia ſufficiente, nullus, ſi attenderit, negabit.

Secundo: Concinit Conc. Arauſ. 11. Can. 9. his verbis: " Quoties bona agi- „ mus, Deus in nobis, atque nobiſcum „ ut operemur, operatur. „ Celebris eſt S. Aug. lib. 12. de civ. cap. 6. pro iſto momento ſententia, cum ait ex duobus æqualiter circa unam mulierem affectis, unum velle tentationi cedere, alterum vero minime, quod dubio-procul a gratia ſufficienti primum, tum ab efficaci procedere quis dubitat?

Tertio: Deus nihil fruſtra facit: Igitur cum gratiam ſufficientem eo ſane ſcopo concedat homini ut bonum operetur, recte dicitur actum perfectum ad quem tendit, ſi non immediate, ſaltem mediate & adjuvante efficaci producere.

SECTIO QUINTA.

Utrum gratia ſufficiens immediate producat aliquem effectum debilem & pravium ad effectum perfectiſſimum?

NOTANDUM eſt triplicem eſſe actum ſupernaturalem, unum indeliberatum, qualis eſt bona aut cogitatio, aut inſpiratio;

tio; unum deliberatum ſed debilem, qualis eſt attritio, actus ſpei & fidei informis, dare eleemoſynam, & audire in die feſto ſacrum, bono quidem, ſed nondum ſinceræ converſionis motivo. Tertium deliberatum perfectum, ut contritionis & amoris Dei ſuper omnia atque perfectæ converſionis. De primo non eſt hic quæſtio, quia eſt in nobis ſine nobis: neque de tertio currit, certum eſt enim a gratia ſumme efficaci procedere: Sed de ſecundo quæritur utrum gratia ſufficiens ſe ſola hunc poſſit producere actum, ita ut inſpiratio quæ eſt in nobis ſine nobis, ſeu indeliberatio inchoet & determinet ad hanc voluntatem; inſpiratio continuata & adjuvans per modum concurſus ſimultanei, cooperante voluntate, illum conſummet. Quęſtio poteſt etiam procedere de juſtis & de peccatoribus, non quidem obduratis. Probabilius quidem eſt iſtos propter firmatam in malo voluntatem non poſſe quidquam boni ſupernaturalis ſine gratia efficaci facere: Sed de iis qui nondum ſunt in peccato per malum aliquem formatum & inveteratum habitum pertinaces. Suppono 1. non adeſſe gravem tentationem ſuperandam ad actum eliciendum, in hac quippe hypotheſi gratia ſumme efficax neceſſaria foret. 2. Peccatorem adhuc habere fidem. 3. Etiam adeſſe ſæpius ſpecialem Dei protectionem.

CONCLUSIO.

Probabiliſſimum eſt gratiam ſufficientem, cooperante libero arbitrio, ſe ſola producere actus deliberatos debiles, quales ſunt diſpoſitio negativa, ad gratiam efficacem, actus attritionis & fidei informis &c.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura ſacra.

LEGITUR Matth. 11. 21. *Va tibi Corozain, va tibi Bethſaida: quia, ſi in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Item Luc. 11. 41. Chriſtus præcipit omnibus tam juſtis quam peccatoribus eleemoſynam: *Date eleemoſynam*, inquit, *& ecce omnia munda ſunt vobis*. Sed ex his & ſimilibus locis optime infertur juſtos & peccatores ſola gratia ſufficiente adjutos poſſe producere actus ſupernaturales remiſſos: igitur gratia ſufficiens quandoque producit actus debiles & remiſſos. Probatur minor quoad ſingulas partes. Primo quidem obſervandum venit quod Tyrii & Sidonii cum gratia oblata Judæis, ſe convertiſſent, quia probabile judicatur quod gratia ſufficiente præventi, vel judiciorum Dei timore perterriti, vel futuræ beatitudinis ſpe attracti, aliquod bonum patrare cępiſſent dando v. g. eleemoſynam, legem naturalem in facilibus adimplendo, audiendo Chriſtum, ponderando ejus miracula quibus omnibus diſpoſiti fuiſſent ad recipiendam gratiam Dei efficacem, gratiam converſionis; prius eſt enim hominem ſerio examine ponderare religionem aliquam quamvis optimam, quam de facto eam amplecti, ut notat Cabrera diſp. 2. cap. 7. num. 464. & diſp. 17. 2. num. 81. Item duplex eſt ad gratiam actualem efficacem & habitualem diſpoſitio, una remota, ut non diſſentire gratiæ excitanti: hanc vocat negativam ibidem Cabrera. Alia proxima quæ fit actu perfecto & maxime poſitivo, ut cum tentatus ad peccatum motivo amoris Dei elicit actum contrarium & bonum operatur, certe nulla eſt implicantia, immo plurimum veritati convenit tribuere gratiæ ſufficienti actus remote diſpoſitivos ad gratiam: ita cenſet Petrus de Tarentaſia in 2. ſent. diſt. 28. qu. 2. art. 4. 2. Pari probabilitate dicitur peccatorem motum a gratia ſufficiente quandoque dare eleemoſynam nedum motu compaſſionis, ſed & religionis, ad quod vel ipſe Chriſtus adhortatur omnes indiſcriminatim peccatores Luc. 11. 41. his verbis: *Date eleemoſynam: Et ecce omnia munda ſunt vobis*: Non enim ſemel compertum eſt, peccatorem eleemoſyna ad pœnitentiam ſe diſponere, oratione vero quæ poteſt a ſola gratia ſufficiente profluere, converſionem obtinere. De primo momento dicitur Daniel 4. 24. Nabuchodonoſori: *Peccata tua eleemoſynis redime*. Sauli vero Act. 9. Anania, *Surge & vade in vicum . . . . . & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarſenſem. Ecce enim orat.* Dices ne audire ſacrum, largiri eleemoſynam, eo præſertim motivo, ut peccator ſatiſfaciat præcepto, eſſe a gratia efficaci, cum nondum ſuam ſtatuerit converſionem & hoc debili admodum affectu

ctu exequatur; probabilius eſt hoc ipſum a bouis inſpirationibus procedere & gratiam couſequenter ſufficientem hæc omnia cum voluntate patrare.

Secundo, ex auctoritate Concilii Tridentini, SS. Auguſtini & Thomæ.

CONCILIUM TRID. ſeſſ. 6. cap. 13. ſic loquitur: *Si ipſi juſti gratia Dei non defuerint, Deus ſicut cœpit opus, ita perficiet*, ſed per gratiam ſufficientem prævenientem juſti poſſunt eſſe fideles, poſſunt gratiæ uberiori & efficaci oblatæ non reſiſtere; ſaltem hoc innuere videtur ſacra Synodus, nam optime hac ſententia ſolvitur iſtius difficultatis nodus, in quoquidem ſolvendo, aut cæcutiunt, aut implicantur multi & obſcurum per obſcurius explicare conantur, iſtud nempe, a quo procedat non diſſentire gratiæ efficaci oblatæ: omnes ſiquidem ultro fatentur peccatorem recipere gratiam efficacem converſionis ſi non ponat obicem, juſtum vero actum juſtitiæ perfectiſſimæ producere ſi ſit fidelis: quæritur ergo quid ſit non ponere obicem: reſpondetur eſſe non reſiſtere gratiæ, nou diſſentire: ſi dicas hoc ipſum eſſe a gratia efficaci, dabitur proceſſus in infinitum, nam iterum quæretur a quo ſit non ponere obicem gratiæ efficaci, quæ non diſſentire operatur: item alia contradictio occurrit, quia illud non diſſentire quantumvis negativum, erit actus poſitivus, certum eſt tamen, prius eſſe non diſſentire gratiæ, quam ipſius ope producere actum ad quem tendit & propter quem eliciendum confertur: at vero dicendo, non diſſentire eſſe a gratia ſufficiente, cuncta clareſcunt, optime ſiquidem concipitur gratiam efficacem poſtea recipi in anima & tunc operari bonum: igitur mens Tridentini rite explicatur dicendo illam fidelitatem ſeu docilitatem exhibendam gratiæ efficaci oblatæ, a ſufficiente profluere.

D. Auguſtinus non in uno loco eamdem indigitat veritatem. Celebris eſt ille locus ex lib. de natura & gr. cap. 69. depromptus in quo ſic loquitur: " Eo ipſo ,, quo creditur Deum juſtum & bonum ,, impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc ,, admonemur & in facilibus quid agamus, ,, & in difficilibus quid petamus. ,, Quænam ſunt facilia quæ facere admonemur, niſi actus remiſſi? Præcipit Deus ea omnia operari quia habemus gratias ad hoc ſufficientes; non enim intelligit Auguſt. aliquem poſſe aut ſperare in Deum, aut ejus timere & formidare judicia abſque ullo gratiæ auxilio: quænam vero difficilia patranda, niſi ſuperare gravem tentationem, perfecte ſe convertere ad Dominum, condonare propter Dei amorem inimicis ſuis? Hæc & ſimilia naturæ lapſæ admodum dura, aut ſaltem difficilia videntur. Ad hæc requiritur gratia efficax, eamque petere debemus: " ,, Admonemur, *inquit Aug.* & in facilibus ,, quid agamus, & in difficilibus quid pe- ,, tamus. ,, Igitur ex Aug. gratia ſufficiens valet ad actus remiſſos & debiles eliciendos. Hunc autem genuinum eſſe Aug. ſenſum putaverunt multi per-graves Theologi, ita ut iſta commoti ſententia noſtram propugnare concluſionem voluerint, ut dicetur infra.

Rurſus lib. de diverſis qq. ad Simpl. q. 1. " Hoc reſtat in hac mortali vita libero ,, arbitrio, non ut impleat homo juſtitiam ,, cum voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate ,, convertatur ad Deum cujus dono eam ,, poſſit implere. ,, Ibi S. Doctor loquitur de homine qui nondum habet gratiam converſionis efficacem, qui vult quidem juſtitiam, ſed nondum habet illud quo illam impleat. Supponit igitur aliquam habere bonam voluntatem, aliquem adhibere conatum, ut legem adimpleat: a quo dono hæc ſalutis primordia habet, niſi a gratia ſufficiente & præveniente? Subdit S. Aug. illum hominem ad Deum ſupplici pietate confugere debere, ut ejus dono omnem poſſit potentia proxima & conjuncta cum actu voluntatem implere. Patet igitur Aug. in poſtremis ſuæ ſententiæ verbis loqui de gratia efficaci poſtulanda adeoque diſtincta penitus a gratia qua ille homo incipit velle juſtitiam antequam illam de facto adimpleat. Igitur gratia illa primum producens ſalutis conatum, gratia inchoans per actus remiſſos & precibus converſionem, eſt gratia ſufficiens.

Expreſſius loquitur idem S. Doctor lib. de gr. & lib. arb. cap. 18. " Præcepto, ,, *inquit*, admonitum eſt liberum arbi- ,, trium, ut quæreret Dei donum, quod ,, quidem ſine ſuo fructu prorſus admone- ,, tur, niſi prius acciperet aliquid dilectio- ,, nis, ut addi ſibi quæreret unde quod

,, jube-

„ jubebatur impleretur. „ Ibi omnia diſtinguit S. Aug. Primo quidem actum remiſſum & ſalutis initialem, quo aliquis quærit precibus, quærit aliquo conatu, quærit aliqua dilectione imperfecta, Dei donum; deinde actum perfectum quo de facto omnem adimplet juſtitiam. Primum ſine fructu quæritur abſque ſecundo. Quis igitur non videat S. Doctorem primum conatum a gratia ſufficiente proficiſci velle, actum vero perfectiſſimum a gratia efficaci qua Deus fructum & incrementum dat juxta illud ejuſdem Auguſt. lib. 2. de pecc. merit. cap. 17. " Ideo quiſque no- „ ſtrum bonum opus ſuſcipere, agere, im- „ plere nuno ſcit, nunc neſcit, nunc de- „ lectatur, uunc non delectatur, ut nove- „ rit non ſuæ facultatis, ſed divini mu- „ neris eſſe, vel quod ſcit, vel quod de- „ lectatur, ac ſi ab elationis vanitate ſa- „ netur, & ſciat quam vere non de ter- „ ra illa, ſed ſpiritualiter dictum eſt, Do- „ minus dabit ſuavitatem, & terra noſtra „ dabit fructum ſuum. „ Et iterum lib. de ſpir. & litt. cap. 29. ait: „ Peccator „ per fidem confugiat ad miſericordiam „ Dei ut det quod jubet. „ Vult igitur Aug. peccatorem gratia ſufficiente præventum, fide vero adjutum petere gratiam qua adimpleat quod jubetur: Ergo &c.

Aſtipulatur D. Thomas in locis jam jam ſupra citatis, ubi inſinuat hanc veritatem dicendo gratiam novi Teſtamenti dare auxilium ſufficiens, & ideo iram non operari, minimam gratiam plus diligere Deum quam cupiditas diligit aurum & argentum. Quæ quidem omnia ſatis indicant gratiam ſufficientem poſſe aliquos actus remiſſos producere. Hoc ipſum iterum ſubindigitat. 1. 2. q. 109. art. 6. loquens enim de præparatione ad gratiam habitualem, ait: " Ad hoc autem quod „ præparet ſe homo ad ſuſceptionem hu- „ jus doni, non oportet præſupponi ali- „ quod auxilium gratuitum Dei interius „ animam moventis, ſive inſpirantis bo- „ num propoſitum. „ Eo loci S. Doctor loquitur de duplici diſpoſitione, altera ad gratiam habitualem per motum liberi arbitrii adjuti: altera ad gratiam prævenientem. Iſtam non dari probat ex eo quod daretur proceſſus in infinitum, ſi prærequireretur diſpoſitio ad primam gratiam, intelligit ergo hominem poſſe ſe præparare ad gratiam habitualem per gratiam efficacem, ad efficacem vero per ſufficientem, juxta illud apud Theologos tritum axioma: " Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat „ gratiam. „ Quod non poteſt ſic intelligi, facienti quod in ſe eſt viribus gratiæ efficacis Deus non denegat gratiam; ſin minus gratia efficax foret diſpoſitio ad ſeipſam, ſicque daretur proceſſus in infinitum, alia quippe gratia efficax velut diſpoſitio ad primam requireretur: Rurſus alia anterior ad iſtam ulteriorem. Igitur ad gratiam ſufficientem ſpectat ponere diſpoſitionem negativam ad gratiam efficacem, hoc eſt, oblatæ non diſſentire, & hoc vocatur facere quod in ſe eſt, ſi enim peccator non diſſentiat gratiæ vocanti, habebit ipſum converſionis auxilium. Hunc ſenſum laudato axiomati exhibent, & uti genuinum propugnant Marſilius de Inghein in 2. ſent. q. 28. art. 4. Alenſis in 2. parte q. 61. membro 5. vel ipſe S. Thomas de verit. q. 14. art. 7. Rurſus in cap. 10. epiſt. ad Rom. lect. 3.

Tertio, ex Theologis omni exceptione majoribus.

HANC Provinciam diſertiſſime propugnat Dominus & illuſtriſſimus Epiſcopus Tullenſis d'Argentre in ſuis ad Theologiam Grandini doctiſſimis obſervationibus pag. 346. 347. eamque fuiſſe, tam veterum, tam recentiorum ſententiam demonſtrat. Ex veteribus quidem Goderdus Deſontibus ſocius Sorbonicus in quodlibeto 3. Henricus a Gandavo ſocius utique Sorbonicus: ex recentioribus plurimi quorum opiniones referre non pigebit.

Philippus Gamachæus Profeſſor Regius in 1. 2. q. 14. cap. 4. ſic loquitur: " Si pro- „ prie ac ſtricte loqui velimus, gratia ſuf- „ ficiens ea ſola a ſcholaſticis vocatur quæ „ vel reipſa caret ac privatur effectu, quam- „ vis habere poſſit, vel certe non ſemper, „ nec infallibiliter, eo quod modo mani- „ feſte differt ab efficaci, quæ ſcilicet ef- „ fectum perpetuo infallibiliter includit, „ nec ſine eo reperiri umquam poteſt. „ Nos igitur utramque partem eo modo nunc ſpectamus & utramque probamus. Igitur propugnat Gamachæus gratiam ſufficientem quandoque ſuum ſortiri effectum, & ab efficaci diſtingui quod ſemper & infallibiliter effectum & quidem perfectiſſimum non producat.

Ecce alter Profeſſor Regius & Doctor Sorbonicus, nempe Andreas Duvallius qui tract. de gr. qu. 5. art. 2. eamdem tenet ſententiam : " Sciendum eſt, *inquit*, nos „ hoc loco agere de gratia ſufficiente pro „ ut efficaci opponitur, ſed ut non eſt „ efficax, quæ etiam ſi aliquando auxi- „ lium, idem ſit cum efficaci, quando „ nempe cum ſuo effectu conjungitur, „ nihilominus de eo quatenus effectum „ ſuum non conſequitur & ab efficaci pro- „ pterea diſtinguitur, hoc loco duntaxat „ agimus. „

Iſaacus Habertus Doctor Sorbonicus deinde Vabrenſis Epiſcopus lib. 2. Theologiæ Græcorum Patrum vindicatæ circa univerſam gratiæ materiam cap. 15. num. 2. eidem ſuffragatur veritati his verbis : " Arbitramur proinde & dicimus gra- „ tiam ſufficientem eſſe gratiam diſpoſi- „ tionis ſupernaturalis ad gratiam effica- „ cem, ut pote ex cujus bono uſu & ef- „ fectu incompleto Deus poſtea gratiam „ completi effectus certe productivam, „ ſeu effectivam creatæ voluntati conce- „ dat, quo fit ut accurate ſit animadver- „ tendum gratiam efficacem duobus mo- „ dis a Deo conferri : Primo quidem ſo- „ litarie & immediate abſque gratia diſ- „ poſitionis ſeu gratia ſufficiente præceden- „ te: Secundo vero ut plurimum & me- „ diate & precedente gratiæ ſufficientis, „ vel ſemel, vel pluries oblatæ paulatim- „ que auctæ, acceptatione bonoque uſu tam- „ quam prævia diſpoſitione. Uterque mo- „ dus in ſuis apud Scripturam, Sanctoſque „ Patres argumentis non caret. „ Et iterum ibidem nu. 3. " Gratiam itaque ſuf- „ ficientem optime deſcribit ſchola Sorbo- „ nica apud Philippum Gamachæum Re- „ gium Theologiæ Profeſſorem, auxilium „ gratiæ ex cujus ope & bono uſu homo „ a Deo excitatus gratiam efficacem con- „ ſequi poteſt... auxilia igitur gratiæ ſuf- „ ficientis ſunt diſpoſitiva ad efficacem, „ & ipſa quoque ſecundum ſe ſpectata „ poſſunt dici efficacia non ſimpliciter ef- „ fectus completi ad juſtificationem, vel „ ad meritum, ſed efficacia ſecundum quid, „ effectus videlicet incompleti, inchoati, „ diſpoſitivi, & præparantis & impe- „ trantis primo remote, ſecundo tam- „ dem proxime, qualis actus fidei, actus „ ſpei, actus timoris ſervilis, primum „ .... paulatim perfectionis atque inter „ hæc omnia orationis. „ Ergo &c. Ratio duplex affertur ab illuſtriſſimo illo Theologo prima quia datur diſpoſitio ad gratiam efficacem; oratione quippe, humilitate, eleemoſynis & ſimilibus virtutum actibus comparatur, iſti vero actus a gratia promanant, non ab efficaci, ut ſupponitur, igitur a ſufficiente. Altera ea eſt: gratia efficax illa ſolum cenſetur quæ habet actum perfectum, ideo enim datur, inquit, Auguſtinus, ut cordis duritia primitus auferatur. Et vero licet peccator aliqua mala habitudine mortali laboret, attamen ſatisfacit miſſæ audiendæ præcepto, fundit mane & veſpere ſolitas preces, quandoque eleemoſynam propter Deum elargitur. Qui quidem omnes actus non ſine aliqua gratia producuntur: & quis dicet eos a gratia efficaci promanare: ipſe peccator negat, nec gratiam putat habere efficacem donec convertatur a viis peſſimis: Igitur illi actus ſunt a gratia ſufficiente. Sic optime & erudite ratiocinatur Habertus.

Sequitur Alphonſus le Moyne Socius utique Sorbonicus in ſacra Theologia Profeſſor Regius anno 1650. qui diſputatione de dono grandi contra libellum Arnaldi contendentis omnem gratiam eſſe efficacem, docet gratiam ſufficientem committi quoad uſum libero arbitrio ad initium piæ voluntatis & inchoatam boni cupiditatem eamque deliberatam, pro nutu effectum quandoque ſortiri.

Dominus Deligny Profeſſor etiam Regius in Collegio Regniæ Navarræ anno 1670. ſuum calculum eidem tribuit ſententiæ. In ſuo tractatu de gratia manuſcripto hæc verba referuntur. In obſerv. ad Theologiam Grandini pag. 335. & ait: „ Gratiam ſufficientem eſſe quamdam il- „ luminationem mentis, & inſpirationem „ voluntatis qua homo eſt proxime po- „ tens, vel ad actum operandum, vel ſal- „ tem ab orandum, adeoque gratia ſuffi- „ ciens non eſt duntaxat ad orandum ut „ Elias cenſuit celeberrimus Theologiæ „ Profeſſor & Alphonſus le Moyne, ſed „ etiam ad operandum, ſi homo uti velit „ eadem gratia. „

Inter omnes iſtos teſtes eminet Cardinalis Noriſius in ſuis poſterioribus vindiciis quas Romæ edidit anno 1693. poſtrema diſſertatione cujus hunc exhibet titulum : *Janſeniani erroris calumnia ſublata*. Et refer-

fertur in obſerv. ad Theologiam Grandini pag. 346. & 347. c. 2. 81. pag. 255. ſic loquitur : " Affirmant etiam in ſtatu ,, naturæ lapſæ dari adjutorium ſine quo ,, non ſecus ac Janſenius contendit ; quod ,, quidem adjutorium efficit in nobis , ut ,, loquitur , voluntates parvas & infirmas , non validas & robuſtas quibus præcepta non implentur ; adjutorium vero ,, quo eſt ſemper efficax atque reddit voluntatem magnam , validam ac robuſtam . Porro illud adjutorium ſine quo ,, in ſtatu naturæ lapſæ eamdem notionem ,, retinet quam in natura integra habebat , ,, atque adeo ut agat motum voluntatis ,, cui cooperatur , expectat . Uti fuſius explicat S. Doctor lib. de corr. & gr. c. ,, 4. & 12. . . . . in priori parte recitatæ ,, doctrinæ . S. Auguſt. citato capite undecimo deſcribit auxilium ſine quo non ,, pure ſufficiens . . . cum vero , ait , quibus autem datur , idemmet adiutorium ,, ſine quo non deſignat : at cum addit & ,, tanto amplius datur , exprimit adiutorium quo , ſive gratiam efficacem : iam ,, vero adiutorium ſine quo non movetur ,, voluntas ad eliciendos actus debiles , ,, nempe deſideria , conatus , orationes minus fervidas pro adimplendis mandatis ,, in ordine ad quorum executionem adiutorium ſine quo non eſt tantum auxilium remotum impetratorium auxilii ,, quo ſive gratiæ efficacis ac victricis qua ,, ſola mandata implentur . ,,

Pergit : Et explicans ex lib. de nat. & gr. hanc Aug. ſententiam : " Hinc admonemur & in facilibus quid agamus , & in ,, difficilibus quid petamus . ,, Ait : " Hic S. Doctor loquitur de potentia proxima nondum actum bonum operante , ,, ſiquidem ait : Et ſi poſſit antequam petat , alias ſi jam actum bonum eliceret , ,, irriſorie peteret ut poſſet elicere , quare illud adjutorium eſt ſine quo non , ,, conſtituens voluntatem in potentia proxima ad faciendos actus bonos remiſſos ,, ac minus perfectos , abſque eo quod indigeat ulterioris auxilii additione , ,, quod tamen petendum eſt , cum vult ,, agere , cum nondum poteſt , nempe actus bonos validiores & perfectiores , qui , ,, quas actu habet vires , exuberat . ,, Idem docet pag. 202.

Rurſus : Idem Cardinalis opuſculo cui titulus , *Janſeniani erroris calumnia ſublata* , ait : " Manifeſtum eſt potentiam ad ,, orandum , debere eſſe proximam in juſto , ſive fideli . Nam ſi fidelis ſit in ,, potentia remota ad ſimpliciter orandum , ,, non enim hic loquor de fervida & diuturniore oratione , non habet is aliam ,, potentiam proximam pro impetranda ,, oratione , alias procederetur in infinitum . ,,

Agmen claudet D. Tournely Profeſſor Reg. Sorb. tract. de grat. tom. 2. pag. 447. ubi ſic loquitur . Quinta Concluſio . *Admittenda eſt gratia ſufficiens quæ ita immediate ſufficiat , ſeu ad facilia quadam implenda , ſeu ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium quo difficiliora impleantur , ut aliquando ſuum de facto producat effectum :* quod quidem probat omni auctoritatum genere.

Quarto , ex rationibus Theologicis.

Prima : Datur quædam diſpoſitio ad gratiam efficacem , eam quippe non ſemel petit peccator pœnitens , ut perfecte convertatur , ſed hæc diſpoſitio non eſt ab ipſa gratia converſionis effectrice , non enim orando expoſtulat pœnitens quod jam habet : Igitur a ſufficiente promanat : maxime ſi ſermo de diſpoſitione remiſſa & converſionis inchoativa , eſt a gratia ſufficiente , quæ poſſit ſe ſola , cooperante voluntate , quoſdam actus vel converſionis inchoativos , vel alios juſtitiæ remiſſos immediate producere.

Secunda : Adamus in ſtatu naturæ innocentis poterat cum adjutorio *ſine quo* producere actus ejuſmodi remiſſos , & ſecundum multos , etiam robuſtiores & perfectiores : ſed ex Theologis citatis idem eſt adjutorium *ſine quo* pro noſtro ſtatu , ut non ſemel indicat Aug. lib. de corr. & gr. cap. 11. igitur ſaltem actus remiſsos , minus validos & perfectos poterit immediate attingere gratia ſufficiens , maxime vero quia teſte D. Thom. 1. 2. qu. 109. natura non eſt per peccatum totaliter corrupta , immo nec ita infirma , quin aliquod poſſit bonum , modo paululum adjuvetur a gratia.

Tertia : Vel ipſi fideles quædam bona ordinis naturalis , ut dare eleemoſynam , abſque gratia quandoque operantur , ut ſupra probavimus : quod quidem in iſta Apoſtoli ſententia Roman. 1. 14. *Gen-*

tes . . . naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, fundatur: Ergo fideles vi ſolius gratiæ ſufficientis eadem operari poterunt motivo ſuperiori, ſcilicet ſupernaturali. Probatur conſequentia. Tria ad hæc potiſſimum requiruntur, nempe fides qua homo Deum cognoſcat & reſpiciat: 2. Sanitas ſeu quod potentia ſanetur & immutetur. 3. Motio in finem, ſive quod liberum arbitrium moveatur in Deum: Atqui tres iſtæ prærequiſitæ conditiones poſita gratia ſufficienti, adinveniuntur in ſubjecto. Et probatur. Primo quidem homo fide inſtructus eſt, ut ſupponimus. 2. Sanatur aut ſanari incipit per gratiam ſufficientem, quippe quæ immutet & elevet animam. 3. Eadem excitat, movet & pulſat cor ad Deum amandum. Igitur homo gratia ſufficiente præventus cuncta requiſita habet ut actus remiſſos & perfectionis inchoativos elicere queat.

Quarta: S. Auguſtinus repetit gratiæ efficacis neceſſitatem ex ignorantia per peccatum inducta. 2. Ex concupiſcentia quam morbum animæ vocat. 3. Ex infirmitate & fragilitate: ſed hæc omnia impedimenta, ſuppoſita fide, quandoque ſufficienter poſſunt vinci & ſuperari per gratiam ſufficientem, maxime vero ſi ſit ſermo de actibus remiſſis & facilibus qui præ ſe magnam non inferunt difficultatem, ſi adſit ſpecialis Dei protectio & concurſus: Igitur gratia ſufficiens ad actus minus robuſtos eliciendos valet. Probatur minor. Primo quidem ignorantia habitualis fide diſſipatur. 2. Actualem fugat ſuis gratia ſufficiens illuminationibus & irradiationibus. 3. Concupiſcentia quandoque aut parum, aut nullo modo exardeſcit, & bonis inſpirationibus a gratia ſufficiente, pro amantibus ex parte compeſcitur. 4. Iſta gratia movendo ad bonum animam aut fractam erigere incipit, aut titubantem & vacillantem fulcit & roborat, aut in vitiis ſopitam & ſepultam evigilat, aut in caducis rebus fluctuantem excitat, pulſat, & determinat ad aliquod bonum initiandum: ad quid enim tot illuminationes, tot inſpirationes, ex quibus timor ſeu tremor pro peccatis oritur? Enimvero ad gehennæ timorem ſuſpenſio, fuga, at etiam peccati horror conſequitur: Nonne a gratia ſufficiente procedunt ejuſmodi actus? nonne & ſimilibus emollitus peccator ad timorem caſtum per gratiam efficacem, tum & juſtificationem pervenit? Igitur actus deliberati ſupernaturales juſtitiæ inchoativi a gratia ſufficiente vel procedunt vel profluere poſſunt.

Quinta: Jugum Domini ſuave eſt & onus ejus admodum leve: ſed videtur quod durum foret, ſi peccator nondum obduratus & juſtus tepidus non poſſet actus vel converſionis, vel perfectionis inchoativos ſine gratia efficaci producere, quando quidem iſta neque ſemper, neque omnibus datur, e contra vero gratia ſufficiens: Igitur cum ſola gratia ſufficiente ejuſmodi actus quandoque producuntur. Hoc ipſum innuit illud Zachariæ 1. *Convertimini ad me*, ait Dominus exercituum, *& convertar ad vos*: id eſt convertimini per actus diſpoſitivos virtute gratiæ ſufficientis eliciendos, & ego convertar ad vos dando gratiam efficacem, habitualem & ſanctificantem.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES 1. omnia Scripturæ loca quibus probatur dari gratiam efficacem, & in eo ſenſu dici efficacem, quia effectus illi tribuitur: Igitur ſoli gratiæ efficaci per excluſionem gratiæ ſufficientis convenit producere effectum deliberatum. Confirmatur. 1. Quia actus tantum indeliberatus convenit gratiæ ſufficienti, & in eo maxime ſita eſt, ſeu ab efficaci diſtinguitur; hinc quandoque a Theologis vocatur gratia data in quantum eſt in nobis. 2. Si effectus completus illi utique tribuatur, jam gratia efficax & ſufficiens confundentur, quod eſt & contra S. Auguſtinum qui l. de corr. & grat. cap. 8. 10. 7. dividit gratiam actualem in adjutorium ſine quo, & in adjutorium quo ſeu in gratiam ſufficientem & efficacem, & contra Theologos qui a multis ſæculis ſic diſtinguunt gratiam ſufficientem ab efficaci. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, gratia efficax in eo ſenſu eſt efficax, quia effectus deliberatus perfectus, robuſtus & heroicus infallibiliter & ſemper ab ea promanat, concedo: quia effectus deliberatus, remiſſus & perfectionis inchoativus ab ipſa fluit, ſubdiſtinguo: ita ut quandoque poſſit a gratia ſufficiente produci, concedo: ſecus, nego. Actus deliberatus, robuſtus rocedit a ſola gratia efficaci, & quidem

dem ſemper & infallibiliter, quia infallibilem habet cum eo connexionem iuxta illud Sancti Proſperi, carmine de ingratis:

Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt.

Remiſſus eſt utique ab ea in duobus potiſſimum caſibus. 1. Si gratia illa abſque ſufficienti animadvertentia ſubito detur, ut in repentinis & miraculoſis converſionibus v. g. ut in converſione B. Pauli Act. 9. qui proſtratus ſubito circumfulgente luce de cœlo, exclamavit dicens: *Domine, quid me vis facere?* 2. Quando occurrit gravis aliqua tentatio propellenda; in aliis vero circumſtantiis actus remiſsus & diſpoſitivus vel ad gratiam efficacem impetrandam, vel iuſtitiam inchoandam, poteſt a gratia ſufficiente procedere, & quidem immediate, cooperante voluntate.

Ad primam confirmationem diſtinguo, actus indeliberatus eſt primario a gratia ſufficiente & in eo potiſſimum ſita eſt; actus vero deliberatus remiſſus ſecundario, concedo: ſecus, nego. Munus præcipuum gratiæ ſufficientis eſt pulſare, movere, & excitare voluntatem ad actum perfectum, quod fit primo quidem per actus indeliberatos, qui cor paulatim & per gradus emollit; ſecundarium autem eſt aliquem fidei & ſpei actum, vel etiam timoris pœnarum producere, quando quidem ideo datur ut cor primum emolliatur juxta illud toties repetitum ab Auguſt. effatum. *Præparatur voluntas a Domino*, ut eius duritia per gratiam efficacem, poſtea penitus auferatur. Bene igitur ab iſta gratia ſecernitur gratia ſufficiens. 1. Per actus indeliberatos, deinde per actus remiſſos qui comparative ad actum robuſtiorem dicuntur imperfecti et quaſi incompleti.

Ad ſecundam confirmationem, nego gratiam efficacem confundi cum ſufficiente; nam præter diſcrimina mox recenſita, in hoc inſuper a gratia ſufficiente diſtinguitur efficax, quod ſemper & infallibiliter ſuum ſortiatur effectum ex intentione & voluntate Dei, qui ita vult et ita diſponit, *inquit D. Th.* 1. 2. q. 112. *art.* 9. Gratia vero ſufficiens ſæpius hæret in motibus indeliberatis et caret effectu, quia non ſemel illi reſiſtitur. Sic propugnat Noriſius, ſic docent alii Theologi ſupra laudati. Unde manet legitima diviſio gratiæ actualis in adiutorium *ſine quo*, et in adiutorium *quo*.

Inſtabis: S. Auguſt. lib. de corr. et gr. cap. 8. 9. 10. et 7. et alibi diſtinguit adiutorium *ſine quo* ab adiutorio *quo*, in eo maxime quod primum det ſolum poſſe, alterum vero agere: Igitur actio etiam remiſſa non debet ſecundum Sancti Auguſtini principium tribui gratiæ ſufficienti.

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum contra Janſenium: nam ex ipſo lib. de gratia primi hominis cap. 10. 7. et 12. adiutorium *ſine quo* ſufficiebat Adamo ad bonos actus ſupernaturales eliciendos, nec ideo tamen rejicit gratiam efficacem, immo nihilominus diviſionem gratiæ actualis in ſufficientem et efficacem ut legitimam defendit.

Reſpondeo 2. diſtinguendo antecedens, S. Auguſt. diſtinguit gratiam ſufficientem perſeverantiæ a gratia efficaci, quod ſolum daret poſſe perſeverare, concedo: gratia ſufficiens actus remiſſi, nego. Duplex eſt juſtitiæ actus, alter juſtitiæ ut ſic, alter juſtitiæ finalis. Gratia ſufficiens dat quidem poſſe juſtitiam, & poteſt illam per actus remiſſos inchoare, ſed dat ſolum poſſe perſeverare, cum actus juſtitiæ finalis ſit omnium eminentiſſimus. Porro B. Aug. loquitur ſolum de poſſe perſeverare finaliter, ut ex profeſſo oſtendimus infra.

Inſiſtes: Apoſt. dicit 1. Corint. 4. *Quid habes quod non accepiſti: Si accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Sed diſcretio eſt per gratiam efficacem & per effectum ſeu actum ſupernaturalem: Igitur nullus effectus quantumvis remiſſus eſt a gratia ſufficiente, ſed ſolum ab efficaci, quod autem diſcretio fiat per gratiam efficacem docet Aug. l. de gr. & lib. arb. cap. 6. lib. de præd. SS.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, diſcretio perfecta fit per gratiam efficacem & actum perfectum, concedo: inchoata, nego. Fit enim per actus diſpoſitivos ad gratiam efficacem, & per remiſſos ad juſtitiam perfectam: Igitur triplex diſcretio: alia ab eo quod eſt naturale, & fit per actum ſupernaturalem, quemcumque, et-

iam per indeliberatum : alia a peccato, & quidem diſpoſitiva & inchoativa, & fit per gratiam ſufficientem : tertia perfecta & fit per gratiam efficacem. Apoſtolus loquitur de illa triplici contra Judæos qui ſe de lege accepta glorificantes, aſpernabantur Gentiles, ad iſtam ſuperbiam contundendam, ait : *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Unde S. Aug. lib. de præd. SS. c. 4. n. 8. citans iſtum Apoſt. locum, ſubdit : " Quod volens etiam Martyr Cy- ,, prianus oſtendere, hoc totum ipſo ti- ,, tulo definivit, dicens, in nullo glo- ,, riandum, quando noſtrum nihil ſit. ,, Et n. 9. " Videtiſque nihil agere Apo- ,, ſtolum, niſi ut humilietur homo & ,, exaltetur Deus ſolus ; quando quidem ,, in eis qui plantantur & rigantur, nec ,, ipſum plantatorem & rigatorem dicit ,, eſſe aliquid, ſed qui incrementum dat, ,, Deum. ,,

Auguſtinus in 1. lib. agit contra Pelagianos qui omnia naturæ virtuti tribuebant. in 2. ſcilicet de præd. SS. contra Semipelagianos qui ſaltem initium fidei a natura in ſe relicta procedere volebant : Igitur contra omnes propugnat gratiam ſufficientem hominem diſcernere inchoative, quando quidem initium, tum fidei, tum ſalutis a gratia præveniente ; habetur l. de grat. & lib. arb. cap. 6. ſic loquitur ſanctus Doctor : " Quoniam vero ,, merita humana ſic prædicant *Pelagiani*, ,, & ea ex ſemetipſo habere hominem ,, dicant, prorſus rectiſſime reſpondet Apoſtolus : *Quis enim te diſcernit?* ,, Audis per hæc verba *quis te diſcernit*, eos tantum redargui qui meritum ex ſeipſis, Deo non donante, habere prædicant : libro vero de præd. SS. c. 5. n. 10. ſic revincit alios : " Quiſquis audet dicere habeo ex ,, meipſo fidem, non ergo accepi, profe- ,, cto contradicit huic apertiſſimæ verita- ,, ti . . ad ipſam quoque fidem, quæ in ,, voluntate eſt, pertinet : *Quis enim te di-* ,, *ſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?* ,, Igitur juxta & Apoſt. & Auguſt. effatum, diſcretio noſtra eſt a Domino, inchoative quidem per gratiam ſufficientem, quæ valet ad actus remiſſos ſupernaturales, perfecte vero per efficacem.

Repones : Gratia diſcernens non eſt communis, juxta illud Auguſt. lib. de præd. SS. c. 5. n. 10. " Nihil autem huic ſen- ,, ſui tam contrarium eſt, quam de ſuis ,, meritis ſic quemquam gloriari, tan- ,, quam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia ,, Dei : ſed gratia quæ bonos diſcernit a ,, malis, non quæ communis eſt bonis & ,, malis. ,, Sed gratia ſufficiens omnibus datur : Igitur diſcretio nequidem inchoative poteſt eſſe ab ea ſecundum Auguſtinum.

Reſpondeo diſtinguendo : Gratia diſcernens perfecte non eſt omnibus communis, concedo : gratia diſcernens inchoative, ſubdiſtinguo : gratia fidei, concedo : gratia reſpiciens juſtitiæ adimpletionem, nego. S. Præſul loquitur de gratia ſufficiente fidem ſupponente, & ad actus religionis ordinata, quæ quidem gratia non eſt communis omnibus, a fortiori gratia efficax quæ perfecte & per actum validum atque robuſtum diſcernit. Loquitur Aug. de gratia fidei : unde ſive ſufficiens ſit, ſive efficax non convenit omnibus : utraque igitur diſcernit bonos a malis : ſufficiens fidei diſcernit fideles a Paganis, efficax Chriſtianos malos a bonis.

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo, gratia diſcernens non eſt communis, id eſt, non naturalis, ſed ſupra naturam, concedo : non eſt communis, id eſt, ſemper eſt efficax, ſubdiſtinguo : in electis, concedo : in aliis, nego. Ibi inſectatur Semipelagianorum errorem Auguſt. & probat poſſe habere fidem, eſſe omnibus commune & a natura, ſed non credere : poſſe habere fidem, non diſcernere hominem, ſed credere, ex quo infert fidem etiam inchoative eſſe a gratia nempe ſufficiente, ut bona fidei deſideria indeliberata, deliberata vero remiſſa a gratia ſufficiente procedere in iis qui jam habent fidem, deliberata valida a gratia efficaci, utraque ab eadem gratia in iis qui accedunt ad fidem & Chriſti amplectuntur religionem, quia requiritur gratia magna ut aliquis relictis idolis, vel aliis cujuſcumque Paganiſmi ſuperſtitionibus convertatur ad Dominum : hæc omnia facile diſtinguuntur in verbis S. Aug. Et vero l. de præd. SS. cap. 5. n. 10. loquitur primo de gratia in genere, ut omnem dicit gratiam actualem, per excluſionem gratiæ quæ eſt a natura : primam dicit diſcernere, non ſecundam, poſtquam enim gratiam diſcernentem non eſſe communem aſſeruit, immediate poſt ſubdit : " Sic

,, ergo

,, ergo gratia naturæ attributa qua ſumus
,, animantia rationalia diſcernimurque a
,, pecoribus, ſit etiam gratia naturæ attri-
,, buta qua in ipſis hominibus a deformi-
,, bus pulchri, vel ingenioſi diſcernuntur
,, a tardis, ac ſi quid ejuſmodi eſt. Sed
,, non ſe ille quem coercebat Apoſt. ad-
,, verſus pecus inſlabat nec adverſus ho-
,, minem alterum de aliquo naturali mu-
,, nere, nec quod ineſſe poſſet & peſſimo,
,, ſed aliquod bonum quod pertineret ad
,, vitam bonam, ſibi non Deo tribuens
,, inflabatur, quando audire meruit: *Quis*
,, *enim te diſcernit? quid autem habes quod*
,, *non accepiſti?*.. Poſſe habere fidem, ſi-
,, cut poſſe habere charitatem naturæ eſt
,, hominum, habere autem fidem, quem-
,, admodum habere charitatem gratiæ eſt
,, fidelium ... non quia credere vel non
,, credere non eſt in arbitrio voluntatis
,, humanæ; ſed in electis præparatur vo-
,, luntas a Domino: ideo ad ipſam quo-
,, que fidem quæ in voluntate eſt, perti-
,, net: *Quis enim te diſcernit? Quid habes*
,, *quod non accepiſti?* ,,

Inſtabis: Si quis actus foret a gratia ſufficiente, maxime ille quo præparatur voluntas a Domino: ſed hunc Aug. refundit in gratiam efficacem quæ multis denegatur: tum quia hæc præparatio eſt ſolum pro electis, ut patet ex loco mox adducto & ex iſto num. 7. ibidem: " Multi,
,, *inquit* Aug. audiunt Verbum veritatis,
,, ſed alii credunt, alii contradicunt: vo-
,, lunt ergo iſti credere, nolunt autem il-
,, li, quis hoc ignoret, quis hoc neget
,, ſed cum aliis præparetur, aliis non præ-
,, paretur voluntas a Domino, diſcernen-
,, dum eſt utique quid veniat de miſericor-
,, dia, quid de judicio? Ecce miſericor-
,, dia & judicium, miſericordia in ele-
,, ctione quæ conſecuta eſt juſtitiam Dei,
,, judicium vero in cæteros qui excæca-
,, ti ſunt. ,,

Reſpondeo diſtinguendo, præparatio perfecta quæ infallibilem habet cum gratia ſanctificante connexionem, eſt a gratia efficaci, concedo: præparatio ad ipſam gratiam efficacem, nego. Præparatio duplex, eſt alia perfecta & quæ eſt immediate ad juſtificationem, hæc fit per contritionem, & amorem Dei validum, qui infallibilem habet cum juſtificatione connexionem, & hæc a gratia efficaci promanat. Alia inchoata, remiſſa & veluti imperfecta, & eſt ad gratiam efficacem habendam. Hęc præparatio fit non reſiſtendo gratiæ per quædam bona ſalutis deſideria & ſimiles actus remiſſos, & hanc a gratia ſufficiente procedere in fidelibus nulla eſt implicantia. S. Aug. loquitur de præparatione ad fidem Chriſti amplectendam: " Vo-
,, lunt, *inquit*, hi credere, nolunt autem
,, illi. ,, Loquitur de diſpoſitione & præparatione poſitiva ad juſtificationem quæ eſt electionis & prædeſtinationis effectus, iſtam a gratia efficaci fluere totis viribus prædicamus.

Replicabis: Ut homo actus producat remiſſos, ſalutis & converſionis inchoativos, debet conſentire gratiæ ſufficienti, & non reſiſtere: ſed hic effectus eſt a gratia efficaci,& non a ſufficiente. Ergo &c. Probatur minor. Non reſiſtere gratiæ ſeu conſentire gratiæ ſufficienti non eſt ab ipſa, quia nequit operari niſi conſentiat voluntas: Igitur a gratia efficaci, alias ab ipſa voluntate humana promanabit, quod ſine errore dici non poteſt; jam enim homo ſe ipſum diſcerneret. Rurſus diſcretio non poteſt eſſe a gratia ſufficiente ullo modo, nam illud ſequeretur abſurdum, homo ſeipſum diſcernere valebit, ſiquidem ex duobus eamdem & ſimilem gratiam ſufficientem habentibus, cum unus conſentiat, alter non, penes voluntatem humanam erit, ſi gratia ſufficiens producat immediate aliquem actum deliberatum: Igitur dicendum eſt non producere.

Reſpondeo, diſcretionem proprie loquendo eſſe tantum a gratia efficaci, quia diſcretio dicit actum perfectum, nempe converſionis & juſtitiæ plenæ; quandiu enim homo in peccatis vel in torpore manet, non cenſetur diſcerni a malis, niſi inchoative & diſpoſitive, ſi aliquos virtutum actus remiſſos eliciat.

Reſpondeo 2. Nullum ſequi ex noſtro ſyſtemate inconveniens, quando quidem dicimus, hominem. 1. Præveniri gratia quæ illum & illuminat & movet ad bonum. 2. Seipſum, adjuvante gratia movere & determinare ad actus remiſſos de quibus impræſentiarum agitur, & conſequenter non opus eſt ad hoc momentum gratia efficaci, ut non ſemel ſupra probavimus. Nec etiam inde ſequitur diſcretionem quamcumque ſive completam, ſive incompletam & inchoatam eſſe ab ho-

mine in ſe relicto, bene vero ab homine gratia aliqua adjuto, accedente ſpeciali Dei protectione, ut gratiæ non reſiſtat peccator, & ipſo cooperante & non diſſentiente, evadat efficax.

Repones: Si gratia ſufficiens ſe ſola cum voluntate actus remiſſos elicit, exacerbatos Pelagianor. & Semipelagianor. animos occaſione gratiæ plurimum efficacis abſque magno negotio placaſſet S. Auguſtinus, ſiquidem illa gratia maxime favet libero arbitrio. Neque etiam neceſſe fuiſſet S. Doctorem ad rationem reddendam cur ex duobus æqualiter affectis circa alicujus corporis pulchritudinem, cur unus cedat tentationi, alter vero non, ad inſcrutabilia Dei judicia recurrere, maxime vero quia in hypotheſi ſufficeret dicere, ideo unum intrare in tentationem, quia vult reſiſtere gratiæ, ſecus vero alterum: atqui tamen ſanctus Præſul, neque ad iſtam gratiam recurrere voluit, neque pro ſolutione quæſtionis ad inſcrutabilia Dei judicia provocare ceſſavit. Ergo &c.

Reſpondeo. Aug. non ſemel locutum fuiſſe de effectu remiſſo quem tribuit quandoque gratiæ ſufficienti: attamen non ideo cum Semipelagianis compoſuit pacem, quia iſti omnem gratiam prævenientem tanquam libertati adverſam abnegabant, ad ſecundum patet ex dictis Auguſtinum paſſim ſolvere quæſtionem de converſione unius & perverſione alterius, dicendo, ideo unus non convertitur quia non vult, ſecus vero alter. Quare vero ille vult reſiſtere gratiæ, iſte vero eidem obedire jure merito exclamat Auguſt. *o altitudo*! &c.

Perſiſtes: Si gratia ſufficiens valeret ad actus remiſſos immediate eliciendos, maxime ad orationis actum: atqui ad orationem requiritur gratia efficax. Ergo &c. Probatur minor. Aug. epiſt. 105. ad Sixtum explicans illa Apoſtoli verba: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Ait: "Ita dictum eſt, quia interpellare nos facit.... Adjutorium igitur Spiritus Sancti, ſic expreſſum eſt, ut ipſe facere diceretur, quod ut faciamus, facit." Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, gratia efficax requiritur ad orationem intenſam & fervidam, concedo: ad orationem remiſſam, nego. Oratio alia eſt intenſa & charitate accenſa, alia vero remiſſa: ad primam requiritur gratia efficax, ſed non abſolute ad ſecundam. Solutio colligitur ex D. Aug. qui duplex iſtud orationis genus diſtinguit lib. de dono perſ. cap. 23. de fervida, loquitur dicens: "Hoc ipſum eſt donum Dei ut veraci corde & ſpiritualiter clamemus ad Deum." Rurſus ibidem, ait: "Sic petamus, ac tantum petamus, quomodo & quantum res tanta petenda eſt." De remiſſa vero lib. 1. ad Simpl. quæſt. 1. ſic loquitur: "Nonne aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potius frigida, & pæne nulla." Eadem reſpondet Cardinalis Noriſius in opere ſupra citato pag. 316. "Rurſus, *inquit*, colligo dolorem quo adeo tepide orare debemus, uti & ipſam & orationem fieri a nobis cum adjutorio *ſine quo non*, cum ſint actus remiſſi, debiles & minus perfecti, ea tamen tepida oratione impetramus ſpiritum ferventioris orationis qui nobis adjutorio *quo* donatur dicente Auguſtino, ego libera & valida intenſione preces ad te direxi, exaudiſti me infirmius orantem." Ecce duplex oratio, & cuilibet reſpondens effectus.

Dices: Ad actum etiam remiſſum requiritur præmotio: ſed præmotio eſt gratia efficax. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, requiritur præmotio moralis quæ eſt ipſa gratia præveniens, concedo: præmotio phyſica, ſubdiſtinguo: & ſe habet mere materialiter, quia attingit actum tantummodo ut ens eſt, non vero reduplicative ut moralis, concedo: ſic enim habet cauſam moralem: & ſe habet formaliter præmotio, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Gratia ſufficiens quandoque in Chriſtianis producit immediate actus debiles, qualis eſt diſpoſitio negativa ad gratiam actus fidei informis &c.

PRIMO: Sic prædicare videtur Chriſtus Matth. 11. dicens: *Væ tibi Corozain &c.* Eo enim loci increpat Judæos de incredulitate, quia gratiæ invitanti ad fidem noluerant credere, cum e contra, Tyrii & Sidonii eodem modo adjuti credidiſſent.

Et

Et tamen omnes ultro concedunt Judæos nonniſi gratias ſufficientes habuiſſe.

Secundum: Suffragatur S. Auguſtinus lib. de nat. & grat. cap. 69. " Admonemur, „ *ait*, & in facilibus quid agamus, & in „ difficilibus quid petamus. „ Igitur ex S. Præſule gratia ſufficiens quæ eſt in nobis ſine nobis, & quam non petimus, poteſt facilia: efficax vero quæ eſt pro difficilioribus, expoſtulanda. Idem colligitur ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 109. art. 6. ſic ex profeſſo docent Theologi omni exceptione majores. Ut Cardinalis Noricius, Iſaacus Habertus &c.

Tertio: Datur quædam diſpoſitio ad gratiam efficacem, quod eſt, non reſiſtere, quum offertur: ſed hunc eſſe a natura propugnare Semipelagianiſmum ſaperet: ſupereſt igitur quod a gratia ſufficiente procedat, cui non ſemel hunc tribuit ſanctus Auguſtinus effectum dicens: *Præparatur voluntas a Domino*.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Licet gratia ſufficiens producat actus ordinis ſupernaturalis infimos, non inde ſequitur unum hominem ab alio ſe diſcernere propter duo. Primo quidem diſcretio nonniſi ab actu vel converſionis, vel amoris Dei perfectiſſimo, qui ſoli gratiæ efficaci competit, repetitur: Secundo, dato quod hujuſmodi diſcretio foret etiam a gratia ſufficiente, nihil inde abſurdi adeſſet, cum homo nonniſi viribus gratiæ adjutus, actus infimos & ad gratiam efficacem diſpoſitivos elicere queat.

Secundo: Verum eſt omnem actum perfectum gratiæ efficaci tribui, ſed non opus eſt abſolute, quod etiam pro levioribus exigatur.

Tertio: Eſto quod præmotio vel pro ipſis actibus infimis requiratur, ſed moralis ſufficit, quæ ipſam gratiam prævenientem comitatur: vel ſi vis, eſt ipſa gratia excitans quæ præveniendo movet ad actum, cui poſſumus adjungere & phyſicam, ſed utique debiliorem, & dicam leviſſimam, cum motus debilis non aliam pro conditione ſua expoſtulat.

ARTICULUS TERTIUS.

De adjutorio ſine quo & de adjutorio quo ſecundum mentem D. Auguſtini, pro ſtatu naturæ integræ & lapſæ reparatæ.

HIC fit diviſio aquarum: totum enim Janſenii Iprenſis gratiæ ſyſtema in eo maxime poſitum atque fundatum eſt, quod propugnet S. Auguſtinum admiſiſſe auxilium *ſine quo* pro ſtatu innocentiæ, illud ipſum vero a ſtatu noſtro prorſus eliminaſſe, ita ut auxilium *quo*, ſit tantum pro ſtatu naturæ reparatæ. Hoc quidem ex profeſſo probare conatur in libro de gratia primi hominis & Angelo cap. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. & 18. ex quo ſequitur tria impræſentiarum probanda & explicanda occurrere, alterum de natura gratiæ Adami, ſeu primi hominis, alterum de auxilio *ſine quo* ſtatus innocentiæ, tertium denique de auxilio *quo* utriuſque ſtatus: cæterum ſi ſemel probaverimus utrumque adjutorium ſpectare hominem innocentem & lapſum reparatum, & hanc eſſe D. Auguſtini ſententiam, profecto funditus evertetur Janſenii ædificium atque ſyſtema.

Unum tamen obſervandum eſt; videlicet Iprenſem ita exaltare naturam hominis ſani, ut, illam bonum ſupernaturale viribus innatis operari poſſe propugnet ex profeſſo lib. de gratia primi hominis cap. 7 ibi primo refert opinionem Theologorum qui contrarium tenent: " Omnes enim, „ *inquit*, judicarunt opera ſupernaturalia, ut fidei, vel dilectionis Dei, non „ poſſe ejus libertati ſine injuria divinæ „ gratiæ tribui . . . . Quærimus, utrum „ illa opera, quæ lapſi hominis arbitrio „ per Chriſti gratiam conferri debent, „ Adam libertate arbitrii ſui naturalis, „ hoc eſt, quæ in prima conditione naturæ conceſſa fuerat, perficere potuerit . . . . Nos igitur hic aſſerimus, „ tanquam ſine dubitatione veriſſimum. „ . . . Omnia hujuſmodi opera, adeoque „ & ipſam fidem, & dilectionem Dei ab „ eo potuiſſe per arbitrii libertatem fieri, ſic ut ea non donaret ei gratia „ Dei. Quod quamvis alicui paradoxum „ fortaſſe videatur, non poterit tamen „ non admittere, ſi Auguſtini & Conciliorum doctrinam admittere velit. „

K 4 Igi-

Igitur & hoc momentum pro virili diſcutere in hac prima ſectione ſatagemus.

SECTIO PRIMA.

De eſſentia & natura gratiæ primi hominis.

CONCLUSIO PRIMA.

Sanctus Auguſtinus dividens gratiam in adjutorium *ſine quo*, & in adjutorium *quo*, illius naturam dare poſſe, iſtius vero dare agere, indigitavit.

Probatur textibus Sancti Præſulis.

SANCTUS Doctor lib. de corrept. & gratia cap. 12. ait : " Itemque ipſa ad-
„ jutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt ad-
„ jutorium ſine quo aliquid non fit, &
„ aliud eſt adiutorium, quo aliquid fit.
„ Nam ſine alimentis non poſſumus vive-
„ re, nec tamen, cum affuerint alimen-
„ ta eis, fit ut vivat qui mori voluerit.
„ Ergo adiutorium alimentorum eſt, ſi-
„ ne quo non fit, non quo fit ut viva-
„ mus. At vero beatitudo quam non ha-
„ bet homo, cum data fuerit, continuo
„ fit beatus. Adiutorium eſt enim non ſo-
„ lum ſine quo non fit, verum etiam quo
„ fit propter quod datur. Quapropter hoc
„ adiutorium & quo fit, eſt, & ſine quo
„ non fit. Quia etſi data fuerit homini
„ beatitudo, continuo fit beatus, et ſi da-
„ ta nunquam fuerit, nunquam erit. A-
„ limenta vero non conſequenter faciunt
„ ut homo vivat, ſed tamen ſine illis non
„ poteſt vivere. „

Multus eſt eiuſdem S. Doctoris ſermo de illis adiutoriis in hoc toto libro, ibidem enim num. 38. ſic proſequitur : " Per
„ hoc non de ipſa perſeverantia boni vo-
„ luit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis,
„ ſed in ipſo gloriari : qui eis non ſolum
„ dat adiutorium quale primo homini de-
„ dit, ſine quo non poſſit perſeverare, ſi
„ velint ; ſed in eis etiam operatur &
„ velle : & quoniam non perſeverabunt,
„ niſi & poſſint, & velint, perſeveran-
„ di eis & poſſibilitas & voluntas divinę
„ gratiæ largitate donatur, tantum quip-
„ pe Spiritu Sancto accenditur voluntas
„ eorum, ut ideo poſſint, quia ſi volunt,
„ ſic velint quia Deus operatur ut ve-
„ lint : nam ſi in tanta infirmitate vitæ
„ huius, in qua tamen infirmitate pro-
„ pter elationem reprimendam præferre
„ virtutem oportebat, ipſis relinqueretur
„ voluntas ſua, ut in adiutorio Dei ſine
„ quo perſeverare non poſſent, manerent
„ ſi vellent, nec Deus in eis operaretur
„ ut vellent, inter tot & tantas tenta-
„ tiones infirmitate ſua, voluntas ipſa ſuc-
„ cumberet, & ideo perſeverare non poſ-
„ ſent, quia deficientes infirmitate nec
„ vellent, aut non ita vellent infirmita-
„ te voluntatis ut poſſent. Subventum eſt
„ igitur infirmitati voluntatis humanæ,
„ ut divina gratia indeclinabiliter, &
„ inſuperabiliter ageretur ; & ideo quam-
„ vis infirma, non tamen deficeret : ne-
„ que adverſitate aliqua vinceretur. „

Ex his fit iſtud argumentum. Per auxilium *ſine quo* intelligitur gratia ſufficiens quæ dat poſſe bonum, nec ipſe diffitetur Janſenius ; per auxilium *quo* intelligitur gratia operis quæ infert actum, & finem ad quem tendit, ſortitur : Atqui Auguſtinus dividens gratiam in adiutorium *ſine quo*, & in adiutorium *quo*, ita prorſus intelligit : Igitur ex S. Doctore natura auxilii *ſine quo* in eo maxime ſita eſt, quod det poſſe bonum ; auxilii vero *quo*, operari & dare ipſum bonum.

Probatur minor, ex primo loco allato : " Itaque, *ait* Auguſt. ipſa adjutoria di-
„ ſtinguenda ſunt : aliud eſt adjutorium
„ ſine quo aliquid non fit ; & aliud eſt ad-
„ jutorium quo aliquid fit. „ Primum dare poſſe explicat exemplo alimenti, quo poſſumus vivere ſi eo utamur : alterum vero operari bonum probat ſimilitudine deſumpta ex beatitudine, qua quidem adepta, homo fit in æternum ab omni miſeria immunis, bonorum vero omnium aggregatione perfectus & felix. Ergo &c.

Probatur iterum minor, ſententiis in ſecundo textu laudatis. Primum quidem adjutorium dicit S. Præſul Adamo datum ut poſſet bonum, immo & in bono perſeverare ; ſecundum utique explanat dicendo Deum etiam operari velle, & dare perſeverantiam, hanc affert luculentiſſimam rationem, ne homo ſuis fidat viribus, ſed in Domino glorietur : " Ac per hoc
„ nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus
„ Sanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo
„ gloriari, qui etiam non ſolum dat adjuto-

„ rium

„ rium quale primo homini dedit, ſine „ quo non poſſint perſeverare, ſi velint, „ ſed in eis etiam operatur & velle, „ ut quoniam non perſeverabunt niſi & „ poſſint, & velint, perſeverandi eis „ & poſſibilitas & voluntas divinæ gra- „ tiæ largitate donetur. „ Quibus ultimis verbis totum brevit.r abſolvit Aug. dicendo quod & poſſibilitas & voluntas perſeverandi, gratiæ largitate donetur. Poſſibilitas quippe indigitat auxilium *ſine quo*, ipſa vero actualis perſeverandi voluntas, auxilium *quo*.

Plura circa illud momentum texere, ſupervacaneum ducimus, ſed major eſt de utroque auxilio comparative ad ſtatum innocentiæ, tum & naturæ lapſæ reparatæ, difficultas. Quænam ſit eſſentia ſeu natura, qui-ve effectus adjutorii *ſine quo*, & adjutorii *quo* pro noſtro ſtatu, jam diximus tractando de exiſtentia gratiæ ſufficientis, & gratiæ efficacis: Totum igitur præſens negotium eſt de ejuſmodi auxiliorum natura pro ſtatu hominis & ſani & lapſi: De adjutorio *ſine quo* impræſentiarum agimus.

Dictum eſt iſtud auxilium a D. Auguſt. vocari poſſibilitatis gratiam. Hanc Pelagius, ut norunt Docti, poſuit in libero arbitrio unde ſumpto, cui opinioni non modicum favet Janſenius lib. de gratia primi hominis & Angelorum cap. 7. relata enim cæterorum ſententia Theologorum qui diſtinguentes opera moralia naturalis ordinis, & ſupernaturalis, concedunt prima poſse eſse a libero arbitrio, alia vero ab eodem utique, ſed gratia adjuto procedere, ait Iprenſis: " Omnes judicarunt, „ opera ſupernaturalia, ut fidei, vel di- „ lectionis Dei non poſse ejus libertati ſi- „ ne injuria divinæ gratiæ tribui. „ Rejecta iſta ſententia ſic concludit: " Nos „ igitur hic aſserimus tanquam ſine dubi- „ tatione veriſſimum . . . . . Omnia hu- „ iuſmodi opera adeoque & ipſam fidem „ & dilectionem Dei ab eo potuiſse per „ arbitrii libertatem fieri, ſic ut ea non „ donaret ei gratia Dei. „ Ei, ſcilicet homini in ſtatu innocentiæ conſtituto: contra quem ſit

CONCLUSIO SECUNDA.

Poſſe bonum ſupernaturale proxime eſt a gratia actuali, etiam in homine innocente.

Probatur auctoritate D. Auguſtini & ratione.

Primo, auctoritate.

D. AUGUSTINUS lib. de corrept. cap. 12. num. 38. ait: " Eis non ſolum dat „ adiutorium quale primo homini dedit, „ ſine quo non poſſint perſeverare, ſi ve- „ lint; ſed in eis operatur etiam & vel- „ le. „ Ecce Aug. ſui ipſius interpres, dicit enim primum hominem habuiſse poſse perſeverare per adiutorium Dei: non potuiſse ſine eo in bono perdurare, & tamen Janſenius lib. de gratia primi hominis cap. 8. expreſse dicit Adamum potuiſse in iuſtitia perſeverare per vires liberi arbitrii naturales, ſicut & in Deum credere, quæ quidem doctrina aperte pugnat cum Auguſt. ſententia. Et vero ſic S. Doctor lib. de corr. & gr. cap. 11. ſe prius explicaverat circa poſſibilitatem actus, & virtutem eum eliciendi; ibi enim habet: " Quid „ ergo? Adam non habuit Dei gratiam, „ immo vero habuit magnam, ſed diſpa- „ rem. „ Tum ſubdit: " Sane habuit „ gratiam, in qua ſi permanere vellet, „ numquam malus eſſet, & ſine qua etiam „ cum libero arbitrio, bonus eſſe non poſ- „ ſet. „ Certe nemo bonus evadere poteſt ſine virtutum & apparatu & actu: Igitur poſſe bonum in omni ſtatu eſt ab auxilio *ſine quo*: ex quo ſequitur naturam hujuſmodi auxilii in eo conſiſtere, quod det poſſe bonum ſalutis.

Secundo, ex rationibus Theologicis.

PRIMA eſt, quod gratia ſufficiente præparatur voluntas a Domino, non ſolum compeſcendo paſſiones & cor emolliendo, verum etiam illuminando, movendo: Igitur natura gratiæ primi hominis talis erat, ut eum ſaltem illuminaret atque moveret ad bonum. Hoc univerſim tenet Aug. de utroque homine: emollit lapſum, excitat ſanum, utrumque adjuvat ad bonum: " „ Protegit nos, *inquit in Pſalm.* 44. quia „ Deus eſt, ne moriamur; regit nos,

„ quia

„ quia Rex eſt , ne cadamus . Regendo „ autem non frangit nos ; nam quos non „ regit, frangit . „ Quid eſt autem hominem regere ? Niſi illum inclinare & movere, ut poſſit operari bonum : Jam vero auxilii ſufficientis natura tota repoſita eſt in illuminationibus & motionibus, quibus , ut centies repetit Aug. præparatur voluntas a Domino.

Secunda ſic exponitur: poſſe bonum ſupernaturale proxime non eſt a natura , ſed ſolum poſſe remotum : Igitur eſt ab adjutorio *ſine quo* , quod quidem ideo auxilium ſufficiens nuncupatur, quia dat potentiam proximam & expeditam ad bonum ſalutis. Prob. Ant. Nihil poteſt extra ſui ordinis ſphæram operari. Inferior, ex Dionyſio, numquam attingit ſupremum: ordo naturæ, ordinem gratiæ, alias omnia confunderentur : Igitur natura etiam in primo homine ſe ſola non poterat bonum ſupernaturale; unde Fulgentius etiam fidelis Auguſtini diſcipulus lib. 2. ad Thraſimundum dicit , Angelum *ſua non ſuffeciſſe ſtabilitati*. Igitur ſolum adjutorium *ſine quo* , dat poſſe bonum ſupernaturalis ordinis.

Tertia : Ex S. Auguſtino ſupra laudato gratia primi hominis ſe habebat ut alimentum ſine quo vivere non poſſumus : ſicut lux ſine qua videre haud valemus : Igitur poſſe bonum ſupernaturale eſt ab adjutorio *ſine quo*; igitur eſſentia auxilii *ſine quo*, eſt dare poſſe bonum proxime , aliis inutile foret: ſi enim primus homo potuiſſet viribus ſuis abſque gratia operari bonum, fruſtra Aug. divideret gratiam in auxilium *ſine quo* , & in auxilium *quo* : incaſſum vocaret gratiam hominis integri auxilium *ſine quo* , ſed ſi quæ gratia foret illi neceſſaria, eſſet ſola efficax, quæ auxilium *quo* dicitur , & ſic Janſenius propugnando primum hominem potuiſſe per naturæ conatum credere in Deum , perſeverare in bono, nedum gratiæ primi hominis naturam , ſed & Aug. ſyſtema de gratia ſubvertit.

Operæ pretium eſt nunc ut naturam gratiæ primi hominis, ſeu eſſentiam in particulari exponamus. Dictum eſt in genere dari auxilium *ſine quo :* tale adjutorium dare potentiam proximam operandi bonum. Dictum eſt etiam gratiam ſufficientem formaliter conſiſtere in illuminatione intellectus, & in motione voluntatis, quod quidem certum eſt de gratia medicinali , ut docent Theologi , ſed gravior emergit difficultas de gratia primi hominis, etiam inter Orthodoxos . Quidam enim autumant illam in gratia habituali & illuminatione conſiſtere, ſive ſit auxilium *ſine quo* , ſive auxilium *quo* . Ita R. P. Dechamps de hæreſi Janſeniana lib. 3. diſp. 3. a capite 16. uſque ad caput 22. incluſive. Alii vero non pauci, aſſerunt hanc primi hominis gratiam , tum ad actus virtutum , tum ad perſeverandum finaliter in bono non ſolam gratiam habitualem cum mentis illuminatione dicere , ſed & voluntatis motionem importare : ita communiter noſtri Thomiſtæ cum quibus ſit

CONCLUSIO TERTIA.

Gratia primi hominis & Angelorum non ſolum gratiam habitualem & mentis illuminationem complectebatur , ſed & voluntatis motionem.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA : Ex D. Aug. illa gratia eſt gratia non ſolum illuminans, ſed & movens. quæ accendit voluntatem ut ardeat & flagret amore Creatoris; Atqui ex Aug. talis fuit gratia primi hominis juxta illud S. Doctoris effatum lib. 14. de civ. Dei cap. 13. “ Si voluntas in amore ſuperioris im„ mutabilis boni , a quo illuſtrabatur ut „ videret , & accendebatur ut amaret , „ ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi pla„ cendum averteretur, & ex hoc intene„ breſceret & frigeſceret . „ Ergo &c.

Altera : Illa gratia importat voluntatis motionem quæ reſpicit actus morales ab ipſa voluntate procedentes , nam effectus aſſimilatur cauſæ , actus autem virtutum moralium in ordine ſupernaturali a voluntate & a libero arbitrio gratia adjuto promanant , ut iterum atque iterum repetit Aug. ſed maxime lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 10. his verbis de primo homine ab ipſo prolatis : “ Deus idem „ qui creat hominem ut homo ſit , ipſe ope„ ratur hominem atque cuſtodit, ut etiam „ bonus, beatuſque ſit . „ Juvat audire Fulgentium D. Aug. fidelem interpretem lib. 2. ad Thra. ſic habet : “ Non alia ſtantem „ Angelum a ruina potuit cuſtodire , niſi

„ illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam „ potuit reparare. Una eſt in utroque gra- „ tia operata, in hoc ut ſurgeret, in illo „ ne caderet. „ Profectò ſi eadem eſt in utroque homine gratia, cum adjutorium hominis lapſi maxime ſit poſitum in motione voluntatis immutativa a vitio ad bonum, utique hominem ſanum movere debuit ad bonum ſupernaturale; nempe ad amorem auctoris naturæ & auctoris gloriæ, nam & ei dedit ut ſe convertere ad Deum factorem ſuum ſub utroque reſpectu conſideratum: Igitur gratia primi hominis, ſive ſit auxilium *ſine quo*, ſive adjutorium *quo* dicit motionem voluntatis: Et vero voluntas, tum Angeli, tum primi hominis non movebatur a gratia habituali, ſiquidem non eſt per ſe activa, reſpicit enim eſſe & non operari: nec etiam ab illuminatione: hæc ſiquidem ad intellectum immediate pertinet: a fortiori non a viribus naturæ, ut dictum eſt: igitur a gratia tangente cor & movente ad bonum.

Tertia: Tametſi juſtus in præſenti ſtatu habeat gratiam habitualem, indiget tamen actuali & mentem illuminante & voluntatem movente ad bonum vires naturales excedens: ſic docet Conc. Arauſ. II. can. 10. ſic S. Aug. lib. de præd. SS. & lib. de corr. & gr. cap. 12. Igitur & homo innocens opus habebat auxilio movente & compellente voluntatem ad bonum ſalutis, cum & in ejus ſtatu in immenſum utique vires innatas excederet.

Quarta: Quæ funditus ſyſtema Janſenianum convellit, hæc eſt. Tunc motio ſupernaturalis ex parte voluntatis requiritur, ſi gratia habitualis, ſi illuminans intellectum, ſi vel ipſe concurſus Dei ſimultaneus & ſupernaturalis non ſufficiant ad effectus, qui tribuuntur gratiæ primi hominis, producendos: Atqui res ita ſe habet. Et probatur vel ipſa S. Auguſtini auctoritate. Hi ſunt quos S. Præſul hujuſmodi gratiæ aſſignat: primus & præcellens eſt hominem regere: ita lib. 5. de civit. Dei cap. 13. ſecundus eundem a malo defendere: hoc docet epiſt. 106. Tertius conſervare in juſtitia. Hoc tradit ſerm. 34. de diverſis cap. 3. atqui ad iſta munia requiritur gratia movens & voluntatem compellens ad bonum. Ergo &c... ad effectus quippe prædictos non ſufficit gratia habitualis: quis enim dicet gratiam habitualem cuſtodire, & conſervare ipſam gratiam habitualem, tum quia Aug. in locis citatis expreſſe dicit hominem ſanum & in creatione ſanctificatum debere adjuvari: ſic loquitur ſerm. 34. de div. cap. 3. “ „ Semper Deus medicus opus eſt, etiam „ ſanis, ut ſanitas ipſa teneatur. „ Tum quia controverſia inter Auguſt. & Pelagianos contra quos ſcribit agendo de gratia, non erat de gratia habituali, quam ipſi ultro admittebant: tum quia etiam ut non ſemel diximus, gratia habitualis non eſt per ſe activa.

Non ſufficit etiam concurſus ſimultaneus. Primo, quia ſe tenet ex parte effectus, & reſpectu potentiæ ſe habet ut quid extrinſecum: Auguſt. autem loquitur de gratia actuali adjuvante potentiam, & de illa ſola difficultas erat & diſputationis punctum inter ipſum & Pelagium. Unde lib. de corr. & gr. cap. 11. diſtinguit expreſſe auxilium adjuvans liberum arbitrium hominis ſani tum a gratia habituali, tum a concurſu ſimultaneo: “ „ Tunc ergo, *inquit*, dederat homini Deus „ bonam voluntatem, in illa quippe eum „ fecerat qui fecerat rectum. „ His verbis denotatur gratia habitualis qua homo juſtus & rectus conditus eſt. Poſtea ſubdit: “ Dederat & adjutorium. „ Tum Enchir. cap. 106. “ Etſi peccatum in ſolo „ libero arbitrio erat conſtitutum, non „ tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat li- „ berum arbitrium, niſi participatione „ immutabilis boni divinum adjutorium „ præberetur. „ Rurſus epiſt. 106. “ Na- „ tura enim humana etiamſi in illa inte- „ gritate qua condita eſt, permaneret, „ nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non „ adjuvante, ſervaret. Cum igitur ſine Dei „ gratia ſalutem non poſſet cuſtodire quam „ accepit, quomodo ſine Dei gratia poteſt „ reparare quam perdidit? „ In primo loco addit Aug. adjutorium novum gratiæ habituali in 2. dicit illud adjutorium eſſe neceſſarium libero arbitrio, adeoque ut quid illi intrinſecum. In 3. contendit naturam humanam etiam integram non poſſe ſe conſervare in juſtitia niſi, Deo illam adjuvante. Igitur concurſus ſimultaneus ad hoc non ſufficit, quia naturæ extrinſecus eſt: cæterum S. Aug. loquitur de adjutorio quod datur ſecundum magis & minus. Dicit enim lib. 12. de civ. cap. 9. bonos Angelos fuiſſe magis adjutos: igitur de

gra-

gratia movente interius cor, intelligit adiutorium; concurſus enim ſimultaneus, utpote extrinſecus potentiæ, non ſuſcipit magis & minus. Hæc quippe quantitas virtualis convenit ſolum formis quæ recipiuntur in ſubiecto.

Non ſufficit denique illuminatio; & ſequitur ex his omnibus: attamen ulterius probatur. Vel enim illa illuminatio eſt extrinſeca, vel intrinſeca: ſi primum, nihil ponit in potentia, unde foret ſimilis illuminationi quam admiſit Pelagius, quam conſtanter negavit Aug. eſſe veram gratiam; liquet autem S. Doctorem admiſiſſe pro ſtatu innocentiæ præter gratiam habitualem, veram gratiam adiuvantem, quam ideo nomine adiutorii *ſine quo*, inſignivit. Si illa illuminatio de qua currit difficultas, eſt intrinſeca, rurſus quæritur utrum ſit mere ſpeculativa ſimul & pro intellectu ſolum, utrum vero ſpeculativa ſimul & practica? Non primum, nam Aug. prædicat adiutorium adiuvans liberum arbitrium, ſeu voluntatem quæ abſque auxilio maneret inſufficiens ad attingendum obiectum ſupernaturale excedens vires ſuas naturales: igitur ſecundum admittendum eſt, auxilium autem illuminans practice utique dicit voluntatis motionem, alias non foret practicum.

Totam videtur dirimere quæſtionem S. Auguſtinus lib. de geſtis Pelagii cap. 3. ubi oſtendit illuminationem non ſufficere ad actus virtutum eliciendos, & loquitur tam de gratia primi hominis, quam de gratia ſecundi, lapſi ſcilicet ſed reparati: " Sufficit enim ſibi oculus ad non videndum, hoc eſt, ad tenebras: ad videndum vero lumine ſuo non ſibi ſufficit, niſi illi extrinſecus adiutorium clari luminis præbeatur.,, Vult ergo aliquid intrinſecum conſortans potentiam. Jam quod non loquitur de lumine pure ſpeculativo, ſed practico, probatur Ench. cap. 106. ubi comparat gratiam hominis ſani alimento, quia paſcit & lætificat atque dilatat ut homo currat viam mandatorum, comparat manui quæ eum tenebat ne prolaberetur in peccatum.

Non abs re erit referre locum: " Sicut mori eſt in hominis poteſtate, cum velit; nemo eſt enim, qui non ſe ipſum, ut nihil aliud dicam, vel non veſcendo poſſet occidere, ad vitam vero tenendam voluntas non ſatis eſt, ſi adjutoria ſive alimentorum, ſive quorumcumque tutaminum deſint. Sic homo in Paradiſo ad ſe occidendum, relinquendo juſtitiam, idoneus erat per voluntatem, ut autem ab eo teneretur vita juſtitiæ parum erat velle; niſi ille qui eum fecerat, adjuvaret.,, Vides, Doctiſſime Lector, Auguſtinum agere de voluntate, cum ubique & paſſim dicit illam inſufficientem eſſe tum ad actus ſupernaturales eliciendos, ad perſeverandum & volendum, uſque ad finem, bonum, niſi ad hoc adjuvetur intrinſece. Igitur loquitur de gratia voluntatis dum adjutorium exigit etiam in homine ſano; non enim intelligit gratiam habitualem ſufficere cum illuminatione, quandoquidem exigit adjutorium pro voluntate hominis ſani, quem conſequenter gratia habituali ornatum ſupponit: Si gratiam voluntatis dicis eſſe gratiam intellectus qualis eſt illuminatio, non ſufficere propugnat, ſed inſuper requiri motionem contendit. Igitur a primo ad ultimum gratia hominis ſani per auxilium *ſine quo* & etiam per auxilium *quo* expreſſa, conſiſtit in illuminatione intellectus & motione voluntatis.

Quinta, & cæterarum confirmativa, hæc eſt. Si illuminatio ſufficeret cum gratia habituali in homine ſano, & hoc unice intelligeret Auguſtinus per adjutorium *ſine quo* & per adjutorium *quo* conceſſum Angelis ſanctis, de quo infra tractabimus, maxime quia primus homo erat ſanus & ſanctus: Atqui hæc ratio nulla eſt: Et probatur. Auxilium actuale movens & immutans voluntatem non ſolum requiritur ad ſanandam voluntatem, ſed & ad illam elevandam quando objectum eſt ſuperioris ordinis. v. gr. in homine lapſo duo iſta ſubit munia gratia: 1. compeſcit paſſiones immutando & ſanando voluntatem, ut non malum ſed bonum velit. 2. Elevat & movet ut velit credere quod intellectus non capit, v. g. myſterium SS. Trinitatis ad quod certe non ſufficit gratia illuminans, unde Act. 17. dicitur quod Paulus prædicans Areopagi reſurrectionem: *Quidam quidem irridebant; quidam vero dixerunt: audiemus te de hoc iterum, quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt.* Quinam crediderunt? Ii quorum Deus aperuerat cor ut crederent, ſicut dicitur cap. 14. de muliere Lydia purpuraria: *Colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit*

nuit intendere iis quæ dicebantur a Paulo. Ergo &c.

Sexta: Voluntas in his quæ ſuperant hominis captum, movet intellectum & applicat ad actum, ipſa vero ab intellectu ſolum quoad ſpecificationem eatenus movetur, quatenus & tale vel tale objectum proponit illi amandum: ſed voluntas nequit applicare intellectum ad actum fidei, v. g. niſi ipſa intrinſece moveatur & guſtaverit quoniam ſuavis eſt Dominus: quod, ſecluſa divina motione, etiam in creatura innocenti fieri non poteſt, eo quod objectum ſit indebitum, & humanas excedat vires, quocirca gratia fidei in omni ſtatu importat illuminationem ſimul & motionem, in ſtatu quidem innocentiæ ratione dependentiæ, ait S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. in ſtatu vero naturæ lapſæ ratione dependentiæ ſimul & infirmitatis: Ergo &c.

Septima: Eodem modo ratiocinandum eſt de proto-parentibus in ſtatu innocentiæ conſtitutis ac de Angelis viatoribus: ſed iſti nedum illuminationis ſed & motionis gratia donati ſunt, quippe quæ eſſet gratia converſionis & amoris erga Creatorem, cui reſiſtendo ex ſuperbia, dæmones & ea privati non ſteterunt, illi vero obediendo magis adjuti, teſte Aug. per gratiam efficacem, Deum ſummo amore proſecuti ſunt, & juxta dilectionis gradum ſinguli gloria æterna donati fuere. Igitur & Adamus eadem motionis & cordis gratia opus habebat, immo & habuit, quippe qui ut primum creatus ad Deum converſus, ipſum ut Creatorem & Benefactorem redamavit. Jam vero quis cordatus negaverit, gratiam amoris eſſe motionis voluntatis auxilium.

Solvuntur objectiones Janſenii quæ militant contra ſecundam concluſionem.

NULLA eſt difficultas circa primam concluſionem, Novatores enim etiam conveniunt ſanctum Auguſtinum diviſiſſe gratiam in auxilium *ſine quo*, & in auxilium *quo*, ſed eſt controverſia de ſecundo, in qua diximus hominem ſanum non habuiſſe ſaltem proxime poſſe bonum ſupernaturale facere, niſi a gratia ſufficiente: contrarium propugnat Janſenius pro homine ſano lib. de gratia primi hominis cap. 7. & 8. & hoc ex profeſſo. Operæ igitur pretium eſt convellere fundamenta quibus ſuam fulcire conatur opinionem.

Objicis: S. Auguſtinus multis in locis dicit hominem ſanum habuiſſe in ſuo libero arbitrio poſſe bonum operari, ſi voluiſſet: quod confirmat variis auctoritatibus, nempe Proſperi, carmine de ingratis cap. 9. & 42. Fulgentii l. de Incar. c. 12. Gregorii l. 5. Moral. cap. 28. Petri Diaconi l. de Incar. & grat. 6. qui omnes prædicant fuiſſe datum libero arbitrio, tum primi hominis, tum Angeli poſſe credere, ſtare, & perſeverare in bono. Inſtar omnium ſit auctoritas Aug. qui l. de cor. & grat. cap. 11. ait Adamum tale accepiſſe liberum arbitrium, ut, *bene velle poſſet & male*. Tum cap. 12. " Potuit non peccare primus homo, po„ tuit non mori, potuit bonum non de„ ſerere. „ Rurſus cap. 10. de Angelis: " Per liberum arbitrium a Domino Deo „ refugæ facti ſunt. „ Poſtea ſubdit: " „ Cæteri autem per ipſum liberum arbi„ trium in veritate ſteterunt. „ Igitur ex D. Aug. primus homo per vires mere naturales potuit & velle & operari bonum. Confirmatur. S. Aug. eodem modo loquitur de potentia ad bonum, ac de potentia ad malum; tale, *inquit*, accepit Adam liberum arbitrium, ut, *bene velle poſſet & male*. Sed liberum arbitrium primi hominis per ſe ſufficiebat ad malum: Igitur & ad bonum.

Reſpondeo 1. Janſenii opinionem collimare cum hæreſi Pelagiana, quæ quidem proſcripta eſt, eo quod plura, eaque indebita naturæ viribus innatis tribueret. Et vero ſi homo viribus naturæ poſſet elicere actus ſupernaturales, gloria utique & beatitudo debita forent naturæ, quæ propoſitio proſcripta legitur inter Propoſitiones Baii quarum una eſt: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia*. Altera, *Et bonis Angelis, & primo homini; ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces non gratia*.

Reſpondeo 2. diſtinguendo conſequens, homo ſanus poterat vi libero innata arbitrio bonum ordinis naturalis quodcumque facere, concedo; bonum ſupernaturalis ordinis, ſubdiſtinguo: poteſt potentia remota, concedo: potentia proxima, nego. Hæc eſt inter hominem ſanum

&

& lapſum differentia, quod primus viribus naturæ poterat cognoſcere, immo & facere quodcumque bonum quantumvis arduum, ut diligere Deum auctorem naturæ ſuper omnia, ſecus vero alter propter naturæ corruptionem, ipſa teſtante Scriptura Sap. 9. 15. *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*. Poterat quidem primus etiam operari bonum ſupernaturale per vires liberi arbitrii, ſed potentia remota, in quantum actus virtutum procedere debent a voluntate, minime vero proxime niſi per gratiam, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 2.

Idem docet S. Aug. lib. de corr. cap. 11. Non mirum autem videri debet ſi ſancti Doctoris & ſuorum talis ſit ſolutio, cum enim homo ſanus eſſet ab ortu rectus & juſtus, ac de ſe ad bonum propenſus, quaſi ex æquo tribuunt & gratiæ, & libero arbitrio actus virtutum; ſed viceverſa in homine lapſo magis gratiæ dant quam voluntati humanæ. Solutio patet ex verbis Auguſt. dicentis de Angelis, quod per liberum arbitrium in veritate ſteterint, & tamen ipſo docente Janſenio l. de grat. primi hominis cap. 10. non ſteterunt niſi per gratiam: Igitur quando Patres aſſerunt primum hominem per liberum arbitrium potuiſſe & facere bonum, & in eo perſeverare, loquuntur de libero arbitrio, ut ſano & recto, ut juſto & ſanctificato: quod quidem colligitur non ſolum ex ſententiis Aug. jam allatis, verumetiam quum S. Præſul dicit hominem per peccatum amiſiſſe naturam & libertatem: nemo enim ſanæ mentis dixerit, Adamum amiſiſſe granditate peccati naturæ & voluntatis realitatem, alias homo fuiſſet aut annihilatus, aut deſtructus omnino quoad ſpeciem: ſenſus igitur eſt, ut non ſemel vel ipſe S. Auguſt. explicat, hominem amiſiſſe libertatis perfectionem quæ erat a gratia; naturam ſanam & juſtam magis eſſe liberam quam vitiatam, ideſt, magis expeditam ad bonum, quod quidem confirmat Chriſtus quum dicit, Joan. 8. 36. *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis*.

Ad confirmationem diſtinguo, primus homo poterat phyſice operari bonum & malum, concedo: moraliter, ſubdiſtinguo: ſi ſit ſermo de bono ordinis naturalis, concedo: ſi de bono ſupernaturali, nego. Potentia duplex eſt, una phyſica, moralis altera, prima ea cenſetur & dicitur a qua actus elicitur in eſſe entis, moralis vero ea quæ producit actum ſecundum regulas morum & per ordinem ad finem: actus malus & bonus, ut ſunt entia, procedunt elicitive ab eadem potentia, immo & ſecundum quid ab eadem fluunt in eſſe morali, in quantum idem homo poteſt agere propter bonum vel malum finem: ſed non eodem modo in eſſe morali a voluntate procedunt, ſi agatur de bono ſupernaturali: malum enim habet cauſam deficientem, bonum vero cauſam efficientem; unde liberum arbitrium ad malum per ſe ſufficit, ſed non ad bonum ſupernaturale, niſi adjuvetur a gratia. Ita ſcribit Aug. lib. de corr. & grat.

Inſtat Janſenius. S. Aug. hoc ponit inter hominem ſanum & hominem lapſum diſcrimen, quod iſte ſine gratia non poſſit bonum, ſecus vero poterat ille: ſic enim loquitur lib. de dono perſ. cap. 7. num. 13. " Qui enim non infertur in tentationem, non diſcedit a Deo. Non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt: fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum ſuis cadente, in veritate ſteterunt, ſcilicet per liberum arbitrium. ,, Tum ſubjungit: " Poſt caſum autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum. ,, Igitur in ſtatu innocentiæ hoc opus ſupernaturale abſque gratiæ auxilio homo poterat implere.

Reſpondeo 1. S. Præſulem non excludere a ſtatu innocentiæ gratiæ prævenientis & adjuvantis auxilium, cum ipſo teſte, Angeli qui ſteterunt præ cæteris fuerint magis adjuti.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Et hoc unum vult S. Auguſtinus primum hominem habuiſſe principium radicale operandi ſupernaturaliter ratione gratiæ ſanctificantis quæ eſt omnium virtutum, immo & gratiarum actualium ad quas dat jus, radix, concedo: & excludit gratiam prævenientem & moventem, nego. Quia vero gratia ſanctificans erat homini coæva, illam a libero arbitrio ſano non ſecernit, tame-

Digitized by Google

tiſi ab ipſo foret diſtincta realiter. In iſto tantum ſenſu poſuit hominem innocentem potuiſſe per liberum arbitrium bonum operari, potentia radicali, quæ dubio procul non eſt in homine lapſo, quippe qui ſit natura filius iræ.

Hac argumentatione optime revincit S. Doctor Pelagium, qui & poſſibilitatem faciendi bonum, & illud ipſum operandi tribuebat viribus naturæ, modo nude ſumptæ, modo ſola lege adjutæ: ſed nuſquam ſenſit Aug. hominem ſanum virtute mere naturali potuiſſe quodlibet bonum ordinis ſupernaturalis facere, cujus quidem mens patet & ex probationibus, & ex ſententiis iſtis ſubſequentibus.

Sanctus Doctor l. de ſpiritu & litt. cap. 15. ait: " Ipſam humanam juſtitiam operationi Dei tribuendam eſſe, quamvis non fiat ſine hominis voluntate. " Cap. 12. affert rationem: " Quod voluntas noſtra ſine qua operari bonum non poſſumus, adjuvetur & erigatur impertito ſpiritu gratiæ. " Quibus verbis in utroque loco allatis patet S. Aug. ſenſiſſe Adamum habuiſſe in libero arbitrio poſſe credere & perſeverare, velle ſolum nec liberum arbitrium paſſive ſe habere, nec fuiſſe neceſſitatum etiam in Adamo, quamvis abundantia & copia gratiarum cumulato, nec etiam habuiſſe faciendi bonum difficultatem qualem nunc infelices experimur. Hunc ſenſum rurſus prodit S. Auguſtinus epiſt. 107. his verbis: " Hoc opus eſt gratiæ, non naturæ; opus eſt inquam gratiæ quam nobis attulit ſecundus Adam, non naturæ quam totam perdidit in ſemetipſo primus Adam... Non eſt igitur gratia in natura liberi arbitrii, quia liberum arbitrium ad diligendum Deum peccati granditate perdidimus. " Igitur ex Aug. ante peccatum gratia erat in natura liberi arbitrii, quia concreata fuerat cum illo, & unum cum ipſo conſtituebat hominem innocentem atque integrum, & ideo dicitur in iſto ſenſu naturalis. At vero in præſenti e contra, naſcimur natura filii iræ, teſte Apoſt. & conſequenter gratia dicitur ex omni parte gratia, ſcilicet quia & indebita eſt homini reo, & conditioni in qua naſcitur homo. E contra vero quamvis eſſet donum indebitum naturæ etiam innocenti, ex decreto tamen & beneplacito Deus voluerat eam alligare naturæ integræ.

Quid igitur perdidit Adam? non realitatem naturæ, ſed ornamentum & facilitatem; non liberi arbitrii ſubſtantiam, ſed charitatem quæ eſt ejus perfectio. Sic cenſet Aug. hunc ipſe prodit ſenſum ſerm. 2. de verb. Apoſt. " Verum eſt, magnas liberi arbitrii vires homo, cum conderetur & accepit, ſed peccando perdidit, amiſit. " Non igitur amiſit Adam liberum arbitrium quoad ſubſtantiam peccando, ſed vires liberi arbitrii, ſed libertatis excellentiam, quæ habetur per charitatem. Juvat illud ejuſdem ſancti Doctoris lib. 1. oper. imperf. pag. 123. ſententia: " Charitas facit liberum ad ea quæ bona facienda ſunt, " aſtruere.

Inſtat. Adam perdidit vitio naturalem ad operandum quodlibet bonum potentiam: ſed quod eſt naturale, eſt a natura nude ſumpta: igitur ante peccatum primus homo habebat ex ſe potentiam faciendi bonum independenter a quacumque gratia. Probatur antecedens auctoritate Cæleſtini Papæ qui epiſt. ad Epiſcop. Galliæ cap. 3. dicit: " In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem, *intellige credendi in Deum*, & innocentiam perdidiſſe. " Rurſus auctoritate Aug. qui l. 3. de lib. arbit. cap. 16. dicentis hominem habuiſſe poteſtatem ſufficientiſſimam faciendi bonum: ſi ſufficientiſſimam habuit: Igitur & omnimodam: loquens enim de Adamo ait: " Ex eo igitur quod non accepit, nullus reus eſt: ex eo vero quod non facit quod debet, juſte reus eſt. Debet autem ſi accepit & voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam facultatem. "

Reſpondeo diſtinguendo majorem, Adam perdidit faciendi bonum potentiam naturalem, ideſt, a creatione inditam naturæ, & cum ipſa concreatam, concedo: ut naturale complectitur vires mere naturales, & a gratia præciſas, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Impoſſibile eſt quod ſancti Doctores, & inter ipſos Cæleſtinus & Aug. loquantur de potentia naturali a gratia abſtracta, quia loquuntur de homine ſano & integro, de homine recto, & juſtitia tum naturali, tum ſupernaturali inſtructo: Igitur ly *naturale* ſumitur dupliciter: primoquidem late, & ut dicit id omne quod eſt ab ortu & conceptione, deinde vero ut dicit naturam

turam nude ſumptam. In primo ſenſu Aug. dicit nos eſſe natura filios iræ, juſtitiam fuiſſe Adæ innocenti naturalem, hoc eſt, coævam. Sic loquitur l. 3. de lib. arb. cap. 19. " Fuimus enim & nos naturaliter filii ,, iræ. ,, Et l. retract. 1. cap. 15. " Proprie natura dicitur, in qua ſine vitio ,, creati ſumus. ,, Et ſic patet ſolutio ad auctoritatem Cæleſtini Papæ.

Ad locum S. Auguſt. diſtinguo, Adam habuit ſufficientiſſimam faciendi bonum habitualem per gratiam ſanctificantem, & actualem per auxilium *ſine quo*, concedo: per vires mere naturales, ſubdiſtinguo, remotam, concedo: proximam, nego. Triplex eſt faciendi quodcumque bonum potentia, una remota ſeu incompleta; altera proxima habitualis; tertia proxima actualis: Prima conſiſtit in libero hominis arbitrio quod ſicut ad bonum, ſic & ad malum flecti poteſt. Et hæc eſt omnibus, etiam peccatoribus communis: ſecunda, in gratia habituali & ſanctificante, ſoliſque competit juſtis: tertia in gratia actuali quæ vocatur ſufficiens, ſeu auxilium *ſine quo*; & datur utique omnibus juſtis; etiam datur & impiis: illis ut poſſint ſervare iuſtitiam, iſtis ut valeant habere. De prima loquitur Aug. lib. de geſtis Pelagii cap. 6. his varbis: " Quis ,, enim dubitaverit quod Judas Chriſtum, ,, ſi voluiſſet, non utique tradidiſſet. ,, Et l. de unit. Eccl. cap. 9. " Hoc ſi vult, ,, credit in Chriſtum, ſi non vult non cre- ,, dit: ſi vult perſeverat in eo quod cre- ,, dit, ſi non vult non perſeverat. ,, De ſecunda ſermonem habet l. 12. de civ. c. 9. " Simul in eis condens naturam, & lar- ,, giens gratiam. ,, In eis, ideſt, in homine & in Angelo. De tertia denique l. de cor. & gr. c. 12. n. 34. ubi diſtinguit duo adiutoria gratiæ habituali addita: alterum *ſine quo* Adam quamvis iuſtus non poterat perſeverare: alterum quo aliquis de facto perſeverat in eo bono quo factus fuerat rectus, ſcilicet Adam, acceperat poſſe non peccare... datum eſt adiutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed *ſine quo* liberum arbitrium perſeverare non poteſt.

Adam habuit omnes iſtas operandi bonum ſupernaturales potentias, remotam quidem & incompletam per liberum arbitrium ab omni corruptione mundum: quandam proximam habitualem, ſiquidem conditus fuit in gratia ſanctificante, iuxta illud S. Auguſtini effatum de Deo Creatore: " Simul in eis condens naturam, & ,, largiens gratiam. ,, Proximam denique actualem per auxilium *ſine quo*; tametſi enim Adam non habuerit auxilium *quo* perſeveraret, habuit tamen *ſine quo* non perſeveraret. Igitur S. Auguſtinus non excludit ab Adamo gratiam excitantem, alias fruſtra diviſionem auxilii *quo* & adiutorii *ſine quo* ventilaret; hoc enim duplex auxilium non intelligitur, niſi de gratia actuali addita gratiæ habituali, quia erat potiſſimum controverſia cum Pelagio de gratia actuali.

Merito igitur S. Doctor vocavit poteſtatem faciendi bonum Adæ ſufficientiſſimam, & naturalem. Sufficientiſſimam quidem, quatenus habuit potentiam tam phyſice quam moraliter completam credendi, immo & perſeverandi in bono, ſiquidem vix condito, conceſſum eſt illi auxilium ut ſe converteret ad Deum, & ad hoc habebat ius, ratione gratiæ habitualis a qua ut a radice & primo fonte fluunt cæteræ gratiæ; naturalem vero quia has omnes gratias habuit ab initio, habitualem permanenter, actualem quando opus erat.

Quibus poſitis optime intelligitur illud tritum in doctrina Aug. axioma: " Per- ,, ſeverares ſi velles. ,, Primus homo habebat potentiam faciendi bonum quando volebat: quia liberum arbitrium ex ſe poterat bonum naturalis ordinis: ſupernaturalis vero per gratiam habitualem in qna fuerat conditus, & per actualem ſeu auxilium *ſine quo*, quod in tempore opportuno aderat.

Reponit: S. Aug. non poteſt intelligi niſi de potentia mere naturali inſita Adamo. Ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens. S. Doctor impugnans Pelagium qui omnia naturæ etiam pro præſenti ſtatu tribuebat, maxime bonum quodcumque operandi potentiam ſeu poſſibilitatem, concedit hoc fore verum, ſi homo qualis primum conditus eſt, naſceretur: Igitur agnoſcit hominem ſanum viribus naturæ habuiſſe potentiam proximam operandi omne & quodlibet bonum: alias ſi gratia requireretur, opinio Pelagii eſſet falſa pro utroque ſtatu, innocentiæ ſcilicet & naturæ reparatæ. Quod autem Auguſtinus concedat opinionem Pelagii pro bono etiam

arduo

Digitized by Google

arduo eſse veram liquet ex multis, nam lib. de natura & gr. cap. 51. cum dixiſſet Pelagius: *Ipſa non peccandi poſſibilitas, non tam in arbitrii poteſtate, quam in natura neceſſitate eſt*. Reſpondet Aug. " Si enim „ iſte qui hunc librum ſcripſit, de illa „ hominis natura loqueretur, quæ primo „ inculpata & ſalva condita eſt, utcum- „ que acceptaretur hoc dictum. „ Concedit igitur S. Doctor Pelagii ſententiam de homine primo eſse veram. Ibidem cap. 49. cum dixiſset iterum Pelagius, non peccandi poſſibilitatem, velimus, nolimus, inſitam eſse naturæ, reſpondet B. Aug. " „ De homine ſanis pedibus tolerabiliter „ dici poteſt, velit nolit, habet ambulan- „ di poſſibilitatem: confractis vero, ſi ve- „ lit, non habet. Vitiata eſt natura de „ qua loquitur. „

Confirmatur. S. Auguſtinus ibidem cap. 3. ait: " Natura quippe hominis primitus in- „ culpata, & ſine ullo vitio creata eſt: „ natura vero iſta hominis qua unuſquiſ- „ que Adam naſcitur, jam medico indi- „ get, quia ſana non eſt. „ Igitur primus homo quia ſanus, gratia non indigebat ut poſset operari bonum.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probationem diſtinguo, concedit Auguſt. Pelagii opinionem fore veram pro homine ſano, quantum ad aliquid, concedo: quantum ad capitale, ita ut potentia proxima faciendi quodlibet bonum eſset a natura, nego. Hoc enim fieri non poteſt, ut liquet ex probationibus. Duo igitur propugnabat Pelagius. Primum, poſſibilitatem faciendi bonum eſse homini innatam: alterum, fieri viribus naturæ. Concedit propoſitionem Auguſt. quoad primum ſenſum, & hoc quoad aliquid, quia ſcilicet gratia fuerat naturæ inſita, adeoque & operandi ſalutem poteſtas aliqua ſupernaturalis per gratiam habitualem, complenda per actualem: ſed negat quoad alterum: ſi dicas S. Aug. repetere neceſſitatem gratiæ ab ægritudine, reſpondeo etiam repetere a dependentia creaturæ ad Deum, & ab objecti ſublimitate, omnem naturæ ordinem tranſcendentis: ſæpius tamen ab ægritudine, quia exigebat propoſitum, eo quod Pelagius vellet naturam noſtram eſse ab omni peccati originalis labe puram.

Ad confirmationem diſtinguo: homo ſanus non indigebat medico, ideſt, gratia medicinali & reparatrice, concedo: gratia ut ſic, nego. Indigebat Creatore adjuvante.

Inſiſtit: Merita habebat Adam in ſtatu innocentiæ: atqui ex Auguſt. erant humana: igitur & actus ſupernaturales erant a naturæ viribus, quandoquidem merita habentur ſolum per actus virtutum ad Deum ut auctorem gloriæ conducentes. Quod merita naturalia forent, tum in homine ſano, tum in Angelis, colligitur ex D. Thoma 1. p. quæſt. 62. art. 2. ex Becano de Angelis cap. 2. quæſt. 5. & ex ipſo Aug. lib. 12. de civit. cap. 9. qui dicunt primas creaturas ſe diſpoſuiſse per actum amoris ad habitus fidei, ſpei, & charitatis habendos, ita ex profeſso doctiſſimus Pater Dechamps de hæreſi Janſen. diſp. 3. cap. 15. omnes ſaltem ſine æquivocatione conveniunt & Angelum & hominem in primo creationem ſequente inſtanti habuiſse ad Deum converſionem, illumque ut creatorem, & omnium bonorum auctorem agnoviſse. Probatur igitur minor ex Auguſt. qui lib. de præd. SS. cap. 15. ait: " Humana hic „ merita conticeſcant, quæ perierunt per „ Adam: & regnet quæ regnat Dei gra- „ tia, per Jeſum Chriſtum Dominum „ noſtrum &c. „

Reſpondeo diſtinguendo: Primus homo habebat merita humana late ſumpta, concedo: humana ſtricte, nego. Meritum poteſt dici humanum dupliciter. Primo, late & improprie, in quantum homo gratiam habuit ſibi coævam, & concreatam: Secundo, ſtricte; ita ut per vires mere naturales promeruerit gloriam: Auguſtinus loquitur in primo tantum ſenſu; & non in ſecundo. Alias gratia foret debita naturæ, quod dici non poteſt, cum gratia longe ſuperet naturæ ordinem. Unde auctores relati una voce prædicant gratiam operantem & adjuvantem fuiſse Adamo neceſsariam, ut ſe diſponeret ad habitus fidei, ſpei, & charitatis habendos: ut legentibus loca eorum in objectione citata patebit. Quod autem S. Auguſtinus non loquatur de merito ſtricte ſumpto, liquet ex ipſius textu: " Humana „ merita conticeſcant, quæ perierunt per „ Adam. „ Ideſt, gratia de qua loquitur lib. 12. de civit. cap. 9. " Simul in „ eis & condens naturam & largiens „ gratiam. „

Inſtat adverſarius. Merces meriti Adę erat gloria: ſed gloria reſpectu primi hominis, ſi in bono perſeveraſſet, non fuiſſet gratia: igitur erat tunc hominis naturæ debita. Probatur minor ex Aug. qui lib. de corrept. & grat. cap. 11. ſic loquitur: " Quæ futura erat homini, ſicut „ facta eſt Angelis ſanctis merces meri- „ ti, nunc autem per peccatum perdito „ bono merito, in his quæ liberantur fa- „ ctum eſt donum gratiæ, quæ merces „ meriti futura erat. „ Aug. hoc ſtatuit diſcrimen, inter ſtatum hominis primum & ſecundum, quod in primo gloria fuiſſet merces meriti; nunc vero propter peccatum eſt donum gratię: quod quidem diſcrimen non ſtaret, ſi gratia primo homini fuiſſet neceſſaria ad hoc ut habuiſſet meritum, quia illud fuiſſet utique gratiæ donum.

Reſpondeo 1. argumentum aut nihil, aut nimis probare; procedit enim de actu meritorio: impręſentiarum vero agimus de potentia ad bonum; ultro ſiquidem fatetur Janſenius lib. de gratia primi hominis, cap. 10. & 11. gratiam adjuvantem fuiſſe primo homini neceſſariam, tum ad actus ſupernaturales eliciendos, tum ad perſeverandum.

Reſpondeo 2. negando antecedens: Hoc quippe fuit in iſta propoſitione Baii damnatum: " Nec Angeli, nec primi homi- „ nis adhuc integri merita, recte vocan- „ tur gratiæ. „ Ad auctoritatem beati Auguſt. diſtinguo, gloria quæ futura erat merces meriti, nunc eſt gratia tam radicaliter quam formaliter, concedo: formaliter tantum, nego. Nunc propter peccatum homo gratia indignus eſt, & illi quocumque modo indebita, id eſt, indebita in radice: indebita & actibus naturalibus quos elicit: at vero non ſic in primo homine, gratia quidem erat indebita etiam radicaliter, Deus namque non tenebatur hominem in gratia condere, & conſtituere, quippe qui poſſet in ſtatu naturæ puræ eum creare: ſed ſuppoſita iſta miſericordia, ſuppoſito bonitatis decreto quo voluit hominem juſtum creare; profecto ſi Adam non peccaſſet, habuiſſent ejus poſteri ex debito, non quidem in natura humana, ſed in miſericordia Dei fundato gratiam, & poſtea gloriam quæ ex gratia ſanctificante velut a radice & a primogenio fonte promanat: unde gloria fuiſſet merces meriti, id eſt, fructus gratiæ inſitæ miſericorditer naturæ: nunc vero eſt fructus gratiæ omnimode indebitæ; neque enim pater vitiatus illam pręhabet, a fortiori nec filius qui portat iniquitatem patris, & concipitur in peccato. Ad illam nullum habet jus nec infans unius diei ſine Baptiſmo habet; at vero in ſtatu innocentiæ filii Adam, ſuppoſita patris in bono perſeverantia, habuiſſent jus ad gloriam fundatum in gratia ab origine recepta.

Inſiſtit novator: nunc prædeſtinatio Sanctorum non habet pro motivo merita hominum, quia per peccatum originale omnes homines ſunt in maſſa perditionis: ante peccatum vero res aliter ſe habebat: Igitur merita mere humana tunc diſcernebant hominem. Probatur antecedens ex divo Auguſt. qui lib. 4. de civit. Dei c. 16. ait: " Non defuit conſilium quo cer- „ tum numerum civium in ſua ſapientia „ prædeſtinatum, etiam ex damnato ge- „ nere humano ſuæ civitatis impleret. „ Non eos jam meritis diſcernens, quando „ quidem univerſa maſſa tanquam in vi- „ tiata radice damnata eſt, ſed gratia di- „ ſcernens. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguo antecedens. Ante peccatum homo habebat quo diſcerneretur in radice, & per gratiam acceptam in creatione, concedo: per merita viribus naturæ comparata, nego. Vult ſolum Auguſt. quod Deus ante peccatum videbat in homine motivum gloriæ dandæ, quia erat in gratia, & per meritum diſcernens, intelligit ipſam juſtitiam originalem, ſuppoſito enim quod Adam in bono perſeveraſſet, voluiſſet Deus & filiis conſequenter concedere gloriam quæ fuiſſet debita obedientiæ protoparentis, & reſpergenda in filios: nunc vero eſt ex omni parte gratia diſcernens: quia Deus & patrem & filios in peccato conſpicit eſſe. Quomodo igitur quidem a maſſa perditionis ſeparabuntur, niſi gratia? Quomodo vero juſtus inter plures juſtos ſecerneretur ad gloriam niſi nova gratia, & multis meritis virtute amoris comparatis. Quod autem hæc ſolutio ſit ex mente Auguſtini patet ex ipſis terminis: " Non „ eos jam meritis diſcernens, quando qui- „ dem univerſa maſſa, tanquam in vi- „ tiata radice damnata eſt. „

Urget Iprenſis: atqui S. Aug. vult merita mere naturalia fuiſſe cauſam diſcretio-

nis

nis ſaltem quoad gratiam, & ex conſequenti quoad gloriam in ſtatu innocentiæ ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens. S. Doctor lib. de correp. & grat. c. 10. ait: " Saluberrime confitemur, quod rectiſſime credimus, Deum dominumque „ rerum omnium ſic ordinaſſe Angelorum „ vitam, ut in ea prius oſtenderit quid „ poſſet eorum liberum arbitrium, dein„ de quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem, diſtinguo, Deus ſic ordinavit Angelorum vitam, ut prius videret quid poſſet eorum liberum arbitrium in gratia habituali creatum, & per gratiam excitantem atque ſufficientem adjutum, deinde quid gratiæ efficacis beneficium, concedo: ut videret quid poſſet liberum arbitrium in ſe relictum, nego. Auguſt. loquitur de libero Angelorum arbitrio quale ſpiritus illi cæleſtes illud in creatione receperant, ſcilicet ut gratia ornatum & roboratum. Cæterum S. Doctor in loco citato loquitur de præmio bonorum operum, adeoque non præciſe de poſſe, & de gratia mere poſſibilitatis, ſed de gratia efficaci ſe ſe per actus bonos prodeunte, & gloriam producente; unde ſubdit: " Quid poſſet ſuæ gratiæ benefi„ cium. „ Id eſt, Angeli libero arbitrio ſanctificato & per gratiam elevato, bene utentes magno gratiæ beneficio, nempe gloria coronati ſunt æterna: hoc quidem, nempe fidelem gratiæ acceptæ cooperationem prius exegit creator optimus: videns ergo & quid poterant facere, & quid fecerunt per liberum arbitrium ſanctificatum, vidit poſtea eos glorificando, quid potuit in eis ſuæ gratiæ actualis & miſericordiæ beneficium. Quod enim S. Præſul non excludat a ſanctis Angelis gratiam actualem ad bonum operandum, ait, præ cæteris ut in gratia habituali & charitate perſeverarent magis fuiſſe adjutos.

Solvuntur objectiones quæ contra tertiam concluſionem fieri poſſunt.

OBJICIES: S. Auguſtinus cujus mentem in quæſtione propoſita præcipue quærimus, adjutorium pro ſtatu innocentiæ neceſſarium ad actus fidei, ſpei, & charitatis neceſſarium, & ad perſeverandum in bono, non a motione, ſed modo a charitate repetit, ut lib. 1. ad Simplic. quæſt. 1. modo ab inſpiratione charitatis, ut epiſt. 147. modo ab infuſione charitatis, ut lib. 2. ad Bonif. modo a gratia qua charitas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, & ſemper vocat lucem cui illud comparat, ut lib. 2. de pecc. meritis cap. 19. lib. vero de natura & grat. cap. 8. ſic loquitur: " Si de integra & „ ſana hominis natura loqueretur Pela„ gius, quam modo non habemus, nec ſi „ recte diceret, quod non peccare no„ ſtrum tantummodo ſit, quamvis pecca„ re noſtrum eſſet, nam & ibi eſſet ad„ jutorium Dei, & tanquam lumen ſa„ nis oculis, quo adjuti videant, & præ„ bere volentibus. „ Igitur adjutorium, ſive *quo*, ſive *ſine quo* pro ſtatu naturæ integræ complectitur ſolum gratiam habitualem & illuminationem.

Reſpondeo 1. Retorquendo argumentum contra auctores noſtræ aſſertioni adverſantes. Becanus de Angelis cap. 2. quæſt. 5. R. P. Deſchamps de hær. Joan. lib. 3. cap. 15. propugnant adjutorium pro ſtatu innocentiæ ad actus charitatis eliciendos ſolum gratiæ habitualis addere illuminationem, & tamen ibidem gratiam operantem, & moventem defendunt pro prima tum Angeli, tum hominis ad Deum converſione, qua ſe diſponerent ad habitus fidei, ſpei, & charitatis habendos: pari & conſimili ratione eamdem concedere debent, ut ſe diſponerent ad cæteros virtutum & maxime perſeverantiæ actus eliciendos, ſi enim gratiam motionis exigunt, pro his momentis licet & Angeli, & Adam eſſent jam in gratia conſtituti; cur ergo rejicere placet pro cæteris actibus; maxime cum gratia habitualis non ſit perſecutiva, illuminatio vero ſpectet dumtaxat intellectum, & ipſe intellectus indigeat moveri ab ipſa voluntate ut ſuum præbeat aſſenſum fidei, quia illi proponuntur myſteria omnem mentis aciem ſuperantia.

Reſpondeo 2. Opponendo Auguſtinum Auguſtino; ipſe enim agnoſcit gratiam actualem neceſſariam ad primam ad Deum converſionem in Angelis & in homine lib. 12. de civit. cap. 9. dicens primam eorum bonam voluntatem fuiſſe a Deo; ait enim, Sanctos Angelos quem habent Creatorem naturæ eumdem habere bonæ voluntatis auctorem per Spiritum Sanctum

ctum in eis charitate diffuſa. Ecce verba S. Præſulis: " Profectò & bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris, habere non poſſent. " Sed & eamdem gratiam operantem exigit pro aliis virtutum actibus, maxime pro perſeverantia finali: audiamus ipſum loquentem lib. 4. de civit. Dei cap. 13. " Si voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, a quo illuſtrabatur, ut videret & accendebatur ut amaret, ſtabilis permaneret; non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc intenebreſceret, & frigeſceret. " Quod autem S. Doctor non loquatur de gratia ſolum pro homine lapſo, verum etiam pro homine ſano, patet ex illa ſententia quam lib. 8. de Gen. cap. 10. profert: " Deus idem qui creat hominem, ut homo ſit, ipſe operatur hominem, atque cuſtodit, ut etiam bonus, beatuſque ſit. " Certe gratia quæ facit hominem bonum reſpicit immediate voluntatem: igitur eſt gratia voluntatis, adeoque & motionis. Quid plura? Fulgentius fidelis Auguſtini & diſcipulus & interpres dicit gratiam quæ cuſtodivit Angelum, ne prolaberetur, eamdem eſſe quæ lapſum hominem reparat: gratia autem reparans, ſecundum omnes, eſt gratia motionis.

Reſpondeo 3. Ad argumentum diſtinguendo, S. Auguſtinus a charitate nominat gratiam Adami, ut a radice, concedo: ut a cauſa adæquata, nego: Liquet ex probationibus Auguſtinum non a ſola charitate nominare gratiam hominis ſani, cum etiam nominet a motione quæ ſtimulat, & inflammat, atque accendit voluntatem: Sed ſæpiſſime a charitate nuncupat, quia charitas habitualis eſt prima radix gratiæ operantis, eo quod homo ſanus haberet ratione charitatis innatæ jus ad auxilia actualia, eaque neceſſaria, tum ad præcepta dilectionis, & obedientiæ adimplenda, tum ad perſeverandum in bono. Cæterum Auguſtinus, loquendo de charitate, tanquam de gratia primi hominis, vocat inſpirationem charitatis, maxime lib. 1. ad Simplic. qu. 2. & aliis locis. Inſpiratio autem fit immediate in in voluntate per gratiam excitantem & moventem: Profectò charitas habitualis non movet, niſi prius ipſa moveatur per aliud, quando quidem non eſt ſemper in actu amabilium, immo potius in potentia ad actum: Igitur movetur ab alio, ſcilicet a gratia præveniente, quæ ideo dicitur inſpiratio charitatis.

Reſpondeo ad alias auctoritates Auguſtini etiam diſtinguendo, S. Doctor vocat gratiam primi hominis illuminationem practicam, concedo: ſpeculativam tantum, nego. Duplex eſt illuminatio ſeu lux: alia ſpeculativa, practica altera: prima eſt ea quæ ſiſtit in intellectu, & oſtendit objectum; ſecunda illa dicitur quæ ſe extendit ad voluntatem, quæque motionem adjunctam habet. Talis erat lux quam præ ſe ferebat gratia Adami; quomodo enim operaretur actus voluntatis, ut actus ſpei, & dilectionis qui a voluntate immediate procedunt, niſi moveret & excitaret voluntatem? Quomodo vero applicaret voluntatem ad actus ſuos, niſi & motionem complecteretur? Quod ſatis innuit Sanctus Auguſtinus in locis ſupra laudatis: tum & epiſtol. 106. his verbis: " Bonum eſt homini ut cum totis viribus liberi arbitrii ſui veraciter dicit, fortitudinem meam ad te cuſtodiam: quia ille qui putavit ſine ipſius adjutorio ſe poſſe cuſtodire, quod dedit, profectus in regionem longinquam cuncta conſumpſit. " Duo ibi docet Doctor gratiæ; primo hominem ſanum habuiſſe poſſe ſe cuſtodire per gratiam: ſecundo gratiæ talentum propter abuſum, & in viribus propriis præſumptionem amiſiſſe: gratia autem quæ cuſtodit hominem, & ſervat a peccato incolumem, eſt gratia cordis. Igitur dicit motionem.

Repones: S. Auguſtinus repetit neceſſitatem gratiæ moventis ad ſingulos actus in præſenti ſtatu, a concupiſcentia, & infirmitate; ſic enim loquitur lib. de corr. & grat. cap. 11. " Ille, *ſcilicet primus homo*, non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti, cum dicunt, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* . . . Ille vero nulla tali rixa a ſe ipſo adverſus ſe ipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace fruebatur. " Igitur cum in primo homine nulla eſſet concupiſcentia, non opus erat gratia movente & excitante ad ſingulos virtutum actus.

Reſpondeo diſtinguendo, S. Auguſtinus repetit neceſſitatem gratiæ medicinalis a concupiſcentia & ab ignorantia, concedo:

gratiæ

gratiæ conditoris hominem ſanum moventis, nego. Falſum eſt Auguſtinum excludere motionem a gratia hominis ſani, nullibi hoc reperies in ſuis ſcriptis. Secundo ſi neceſſitatem gratiæ medicinalis moventis fundat in concupiſcentia, & ex hoc inferatur gratiam excitantem, atque moventem neceſſariam non fuiſſe quia homo innocens concupiſcentia carebat: ſimili ratione dicendum foret, gratiam illuminantem utique inutilem primo homini fuiſſe ad actus virtutum in decurſu vitæ eliciendos; quandoquidem idem Auguſtinus repetit etiam ab ignorantia hominis lapſi neceſſitatem gratiæ illuminantis. Sic enim loquitur lib. 2. de pecc. merit. cap. 17. " Volunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat .... Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt quæ hominum adjuvat voluntates. " Si igitur, non obſtante Adami ſcientia, rerum tum naturalium, tum divinarum præter gratiam habitualem opus habebat gratia illuminationis, dicendum eſt pariter neceſſariam illi fuiſſe ad actus ſupernaturales gratiam motionis, quamvis eſſet rectus & ab omni paſſionum æſtu liberrimus. S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 2. repetit neceſſitatem gratiæ actualis moventis a dependentia creaturç a Creatore.

Perſiſtes: Gratia habitualis cum illuminatione & concurſu Dei ſupernaturali homini ſano ſufficiebat ad actus virtutum meritorios: Igitur gratia motionis erat tunc inutilis. Probatur Ant. 1. anima Adæ erat per gratiam habitualem ſanctificata: 2. Gratia illuminans proponebat objecta quæ ſufficienter movebant potentias. 3. Inſuper & aderat concurſus Dei: Igitur omnia requiſita abſque gratia motionis habebat Adam innocens, adeoque auxilium pro ſtatu innocentiæ ſolum importabat illuminationem.

Reſpondeo nego Antecedens: Ad probationem diſtinguo; objecta a gratia illuminante propoſita ſufficienter movebant potentiam ſpeculativam, & intellectivam, concedo: volitivam, nego. Objectum movet ſolum extrinſece & metaphorice potentiam, eſto quod gratia illuminans moveret & intrinſece immutando potentiam, ſed ſolum intellectum ſpectabat: Igitur præter illuminationem ſufficientem ad intellectum, requirebatur gratia excitans, & movens voluntatem ad actum, maxime vero quia concurſus Dei ſimultaneus ad hoc non ſufficiebat; dictum eſt enim ſe habere extrinſece reſpectu potentiæ, & ſe tenere ex parte effectus in quem influit, & influendo producit, cooperante cauſa ſecunda; unde Aug. lib. de corr. & gr. cap. 11. dicit: " Iſtam gratiam non habuit homo primus qua numquam vellet eſſe malus, ſed ſane habuit, in qua ſi permanere vellet, numquam malus eſſet. " Quæ verba denotant gratiam voluntatis, ſiquidem ab ipſa procedit bonum & malum, ipſo prædicante, & docente Chriſto Matth. 15. 19. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria*, &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

1. *Ex Sancto Auguſtino auxilium* ſine quo *dat poſſe expeditum agere, auxilium vero* quo *actu agere*. 2. *Poſſe bonum proxime eſt a gratia ſufficiente etiam in ſtatu innocentiæ*. 3. *Gratia primi hominis illuminationem ſimul & voluntatis motionem importabat*.

PRIMUM patet ex lib. de corr. & gr. ubi cap. 12. nu. 34. S.Aug. dividit gratiam in adjutorium *ſine quo*, & in adjutorium *quo*: priorem ait dare poſſe perſeverare; poſteriorem vero actu perſeverare.

Secundum utique claret, cum ibidem ſanctus Præſul nomine auxilii *ſine quo* intelligat auxilium datum Adamo innocenti, ut poſſet perſeverare: porro omnes Theologi definiunt gratiam ſufficientem, auxilium quod dat poſſe proxime agere. Ratio altera hæc eſt: Tametſi Adamus in prima ſua conſtitutione ſpectatus, foret ſanus, opus tamen habebat auxilio Dei ut poſſet bonum ſalutis, quippe quod omnem naturæ ordinem tranſcenderet.

Tertium ex eodem S. Auguſtino probatur. Exigit enim lib. 14. de civ. cap. 13. in Adamo gratiam cujus virtute arderet in eo Creatoris amor. Ecce gratia voluntatis. Ratio ulterior hæc eſt, quod bonum ſupernaturale non minus innatas voluntatis humanæ vires excedat, quam verum divinum in immenſum ſuperat intellectus creati virtutem. Igitur ſicut gratia illuminationis ad myſteria cognoſcenda, ſic & motionis ad illa colenda & adoranda, opus habebat Adamus.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

OBJICIUNTUR multa adverſus 2. Concl. 1. S. Aug. paſſim dicit hominem ſanum habuiſſe in ſua poteſtate perſeverare ſi voluiſſet. 2. S. Aug. lib. de dono perſ. cap. 7. hoc ponit diſcrimen inter hominem ſanum & lapſum, quod eſſet in poteſtate prioris ſuperare tentationem, ſecus vero in poteſtate poſterioris. 3. Ex eodem S. Præſule Adamus granditate peccati lib. 3. de lib. arb. cap. 16. recte faciendi potentiam amiſit.

Reſpondeo ad primum S. Aug. loqui de libero arbitrio adjuto per gratiam ſufficientem, quam nomine auxilii *ſine quo* celebrat, ut ſæpius dicit lib. de corr. & gr. cap. 8. 9. 10. 11. & 12. Ad ſecundum dico S. Aug. non excludere a ſtatu innocentiæ gratiæ actualis auxilium, cum admittat auxilium *ſine quo* pro Adamo, & dicat, Angelos bonos præ cæteris magis fuiſſe adjutos, ſed velle ſolum hominem innocentem habuiſſe poſſe bonum radicale ab ipſo creationis momento, ratione gratiæ habitualis, quo quidem dono carent homines lapſi qui ſunt, teſte Apoſtolo, *natura filii iræ*. Ad tertium reſpondeo Adamum amiſiſſe peccato facilitatem ad bonum operandum, nuſquam vero ipſum faciendi bonum potentiam. Ita paſſim S. Aug.

Opponitur contra 3. Concl. 1. S. Aug. adjutorium primo homini conceſſum repetere modo a luce, modo etiam ab inſpiratione charitatis. 2. Idem S. Doctor exigit gratiam liberum arbitrium moventem propter naturæ lapſæ infirmitatem, qui morbus non habet in ſtatu innocentiæ locum, adeoque nec motionis gratia. 3. Videtur quod gratia habitualis ſufficiat pro homine innocente, cum huic accederet concurſus Dei ſimultaneus.

Reſpondeo ad primum S. Aug. non excludere a ſtatu innocentiæ gratiam motionis, quippe qui admittat in eo gratiam ſufficientem quæ in illuminationibus ſimul & motionibus ſita eſt lib. 4. de civ. cap. 13. ait de Adamo: *Accendebatur ut amaret*. Ad 2. S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. repetit neceſſitatem auxilii actualis moventis hominem ſanum ad ſalutis opera, a dependentia hominis a Deo. Ad 3. dico gratiam habitualem non eſſe immediate activam, concurſum vero ſimultaneum ſe tenere ex parte effectus, unde præter hæc omnia opus erat gratia movente in ſtatu innocentiæ.

SECTIO SECUNDA.

Utrum S. Auguſtinus admiſerit auxilium ſine quo *in ſtatu innocentiæ, per excluſionem à ſtatu naturæ lapſæ reparatæ.*

JANSENIUS tenet ubique affirmativam, & in hoc potiſſimum principio nititur ejus ſyſtema de gratia Mediatoris. Sic docet ex profeſſo, lib. de gratia primi hominis, & Angelorum cap. 10. 11. 12. 13. e contra vero cæteri Theologi.

Antequam noſtram exponamus & probemus ſententiam, obſervandum eſt auxilium *ſine quo* illud eſſe, etiam fatente Janſenio, quod vocamus gratiam ſufficientem. Definitur adjutorium dans poſſe bene agere in ordine ad ſalutem; gratia qua præparatur voluntas a Domino; illa autem multiplex diſtinguitur: altera quę dat poſſe orare, & dicitur gratia orationis: altera quę dat poſſe conteri de peccatis propter Deum ſumme dilectum & diligendum, & dicitur gratia pęnitentiæ: altera quæ dat poſſe perſeverare in bono, & vocatur gratia perſeverantiæ in actu primo: porro omnis gratia ſufficiens dat poſſe proximum ad expeditum actum quem reſpicit, attamen una quæ eſt gratiæ proxima reſpectu actus minus perfecti quem reſpicit, dicitur remota relative ad robuſtiorem; quando quidem iſto poteſt illuſtrari exemplo. Gratia quæ dat proxime impio orare dicit remota ſeu mediata pro converſione; hoc eſt, obduratus mediante oratione poterit habere uberiorem qua velit conterere & pœnitentiam agere. Idem ſervata debita proportione, dicendum incumbit de efficaci quæ multiplex quoque & ſecundum diverſos gradus, juxta actum eliciendum diſtinguitur. His prælibatis controverſia non movetur utrum detur in præſenti ſtatu gratia ſufficiens, cum ſupra oſtenſum ſit diſtinct. 1. ſed de mente S. Auguſtini contra Janſenium.

CON-

CONCLUSIO.

S. Auguſtinus non excludit a ſtatu præſenti auxilium ſine quo.

PROBATUR iſto validiſſimmo argumento : Ille non excludit adjutorium *ſine quo* a ſtatu naturæ lapſæ, qui gratiæ medicinali tribuit eamdem definitionem , easdemque proprietates quas adjutorio Adami tribuit : Atqui Auguſtinus eamdem definitionem, eaſdemque proprietates tribuit gratiæ medicinali , quas tribuit gratiæ Adami : Igitur non excludit a ſtatu naturæ lapſæ auxilium *ſine quo*. Major patet nam vel ex ipſo Janſenio fuit ſolummodo auxilium *ſine quo* in ſtatu innocentiæ . Probatur igitur minor multis & tantis momentis ut ex his funditus ſubvertatur Novatoris ſyſtema.

Primo : ex Janſenio lib. de gratia primi hominis cap. 10. 11. 12. 13. & 14. gratia Adami erat auxilium ſufficiens , tum ad actus virtutum ſupernaturales eliciendos , tum ad perſeverandum in bono ; quod quidem , variis Auguſtini ſententiis probat, præcipue vero cap. 14. ex lib. 3. de libero arbitrio cap. 16. ubi S. Doctor dicit Adam habuiſſe bene vivendi & agendi " ſufficientiſſimam facultatem . „ Atqui ex eodem Auguſt. gratia novi Teſtamenti dat utique auxilium ſufficientiſſimum ad bene vivendum : Et probatur 1. quia Auguſtinus loquens de gratia Chriſti paſſim dicit, quod ſufficientia noſtra ex Deo ſit : D. Thomas fidelis Auguſtini interpres ſic loquitur 1. 2. quæſt. 106. art. 2. ad 2. " Si quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit , majori pœna dignus eſt , tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens, nec tamen propter hoc dicitur , quod lex iram operatur , quia quantum eſt de ſe, ſufficiens dat auxilium ad non peccandum . „

Secundo : Gratia collata Adamo dabat illi poſſe bene agere & hoc probat Janſenius ibidem cap. 10. his Auguſt. verbis ex lib. de corr. & gr. cap. 11. deſumptis : " Sane habuit , *ſcilicet Adamus* , gratiam in qua ſi permanere vellet , numquam malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet. „ Sed gratia Chriſti ſimiliter dat poſſe bonum, ita Aug. lib. 3. de lib. arb. num. 46. " Nemo , *inquit* , peccat , in eo quod vitare non poteſt. „ Lib. de natura & gr. cap. 64. ſubdit : " Eadem fide qua credimus non jubere impoſſibilia . „ Igitur ex Auguſt. homo peccans, adeoque gratia efficaci carens , habet tamen poſſe bene facere , & hoc per gratiam , non quidem efficacem , igitur per ſufficientem . Ergo ex Auguſtino datur etiam in noſtro ſtatu gratia ſufficiens quæ dat poſſe adimplere præcepta ſupernaturalia : alias non foret, ipſo teſte, peccator reus ſi non haberet poſſe proximum , & expeditum bene agere , tunc enim peccaret in eo quod vitare non poſſet.

Tertio: Gratia primi hominis illuminabat Adamum, & hoc probat Janſenius ibidem cap. 10. his Aug. oraculis, namque S. Doctor ſerm. 6. de verbis Apoſt. cap. 2. de Deo largiente primo homini gratiam, ait : " Sic enim remunerans libero arbitrio, ut eum regeret imperio . „ Tum lib. 14. de civit. cap. 13. " A ſuperiori bono illuſtrabatur ut videret . „ Atqui gratia Chriſti ſimiliter illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſic iſta interpretatur verba Auguſt. tract. 1. in Joan. & tract. 35. " Sicut lumina quæ in facie habemus indigent adjutorio luminis extrinſecus, quo ſublato, ſana & aperta non vident : ſic mens noſtra quæ eſt oculus animæ niſi luminis veritate radiatur , & ab illo qui illuminat, nec illuminatur . „ Unde lib. Soli. cap. 34. exclamat : " Gratias ago, Domine, qui dignatus es per tuam miſericordiam illuminare me , lumen verum, lumen ſanctum . „ Et num. 2. in Pſal. 26. explicans illa verba : *Dominus illuminatio mea , & ſalus mea quem timebo*, ait : „ Ille me illuminat , recedant tenebræ. „

Quarto : Gratia innocentiæ dabat velle bonum , & ad hoc movebat : hoc utique probat Janſenius ibidem c. 10. illo Aug. teſtimonio ex lib. de geſtis Pelag. deprompto, cap. 3. " Non viribus propriæ voluntatis reguntur , & aguntur Filii Dei . „ Idem probat aliis auctoritatibus S. Aug. qui lib. 11. de Gen. ad litt. c. 4. Adamo dicit : " Cum & in natura poſſe , & in poteſtate haberet velle , & non conſentire ſuadenti adjuvante tamen illo qui ſuperbis reſiſtit. „ Et ad-

Digitized by Google

„ huc lib. 4. de civ. cap. 13. " A ſu-„ periori bono... accendebatur ut ama-„ ret. „ Atqui Aug. idem dicit de gratia Chriſti, lib. de corr. & gr. cap. 6. his verbis: " Corripiatur ergo origo da-„ mnabilis: ut ex dolore correptionis vo-„ luntas regenerationis oriatur: ſi tamen „ qui corripitur Filius eſt promiſſionis, ut „ ſtrepitu correptionis forinſecus inſonan-„ te, ac flagellante, Deus in illo intrin-„ ſecus occulta inſpiratione operetur & „ velle. „ Ergo &c.

Quinto: Gratia hominis ſani talis erat naturæ, ut ei poſſet reſiſtere liberum arbitrium; ſic paſſim docet Janſenius ibidem, ſed maxime cap. 14. poſt multa quibus probat gratiam Adami innocentis fuiſſe ſolum auxilium *ſine quo*, & poſſibilitatis auxilium, ſubdit enim: " Alterum quod „ ex iſto ſequitur, eſt, uſum iſtius adju-„ torii, non ab ipſo illo eodem adjuto-„ rio, ſed a libero primi hominis arbitrio „ pependiſſe; uſque adeo, ut in ejus arbi-„ tratu, nutu, ac voluntate, non minus „ eſſet ſitum uti in illo adjutorio quam „ non uti; acceptare illud, quam repel-„ lere; illi conſentire, quam diſſentire; „ illud tenere, quam deſerere; ſtare, „ quam cadere; perſeverare, quam non „ perſeverare. „ Idem probat variis S. Aug. ſententiis ex cap. 11. & 12. libri de corr. & gr. deſumptis, in primo ait Aug. " Nec ipſum ergo, nempe Adamum, „ Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam „ reliquit in ejus libero arbitrio. „ Poſtea ſubdit ſanctus Doctor: " Fortiſſimo quippe „ dimiſit, atque permiſit facere quod vel-„ let. „ Atqui Aug. admiſit etiam pro noſtro ſtatu gratiam cui poſſumus reſiſtere: Igitur eamdem cum adjutorio *ſine quo*. Ex iſto ſigno evidenti plane dignoſcitur, & cito apparet quantum allucinatur Janſenius volens gratiam Chriſti eſſe ſolummodo auxilium *quo*.

Sanctus Præſul totam ſolvit quæſtionem lib. de ſpir. & litt. cap. 34. his verbis: " Agit Deus ut velimus ſive extrinſecus, „ ſive intrinſecus: ſed conſentire, vel „ diſſentire propriæ voluntatis eſt. „ Non-ne prædicat eo loci S. Aug. gratiam cui voluntas reſiſtere poteſt? Igitur & vere ſufficientem ex ipſis principiis Janſenii, quippe qui propugnet hominem lapſum a gratia efficaci ſic agi & trahi, ut illi reſiſtere non queat. Fuſam auctoritatum S. Aug. ſeriem tract. de ſcientia Dei, diſſ. 4. puncto 8. attulimus pro gratia ſufficiente in noſtro ſtatu aſtruenda, maxime ex libris Confeſſionum, ubi gratiæ nondum efficacis & concupiſcentiæ luctam lib. 8. cap. 5. deſcribens, ait: " Duæ voluntates meæ, una vetus, alia „ nova; illa carnalis, illa ſpiritualis, con-„ fligebant inter ſe, atque diſcordando „ diſſipabant animam meam. „

Solvuntur objectiones Janſenii.

OBJICIT 1. Auguſtinus diſtinguit adjutorium *ſine quo*, & adjutorium *quo*, & ſæpius repetit in lib. de corr. & gratia auxilium *ſine quo* pertinere ad ſtatum innocentiæ, alterum vero ad ſtatum naturæ lapſæ reparatæ: Unius eſt & ejuſdem labii quoties in iſto libro hanc tractat quæſtionem: Igitur excludit auxilium *ſine quo* a noſtro ſtatu: alias fruſtra divideret gratiam actualem ſtatus innocentiæ, & ſtatus præſentis in auxilium *ſine quo*, & in auxilium *quo*. Probatur Antec. & inter omnes auctoritates, prima occurrit quæ jacet in textu cap. 11. num. 29. in quo ſic loquitur S. Auguſt. " Quid ergo? Adam „ non habuit Dei gratiam? immo vero „ habuit magnam. „ ... Num. 31. hæc „ ſubdit: " Iſtam gratiam non habuit ho-„ mo primus, qua nunquam vellet eſſe „ malus: ſed hanc habuit in qua ſi per-„ manere vellet, nunquam malus eſſet, „ & ſine qua etiam cum libero arbitrio „ bonus eſſe non poſſet. „ Adam non habuit gratiam qua nunquam vellet eſſe malus. Ecce adjutorium *quo*: " Sed hanc ha-„ buit ſine qua bonus eſſe non poſſet. „ Ecce auxilium *ſine quo*. Subjungit nunc meritis Chriſti dari Sanctis etiam adjutorium *quo* finaliter in bono cœpto perſeverent: Igitur S. Præſul excludit a præſenti ſtatu auxilium *ſine quo*, gratiam ſcilicet ſufficientem.

Reſpondeo 1. negando S. Auguſt. excludere adjutorium *ſine quo* a ſtatu naturæ lapſæ, quippe qui tribuat peccatoribus etiam reprobandis aliquam gratiam: Igitur eamdem qualem in Adamo prædicat, ſcilicet adjutorium *ſine quo* ſeu gratiam poſſibilitatis qua perſeverare poſſunt, ſed non adjutorium *quo* perſeverent, quia vero tale habent adjutorium, ideo corrigendos eſſe vult, & dicit pœna dignos quum

pec-

peccant, quia habentes poſſe bonum, non faciunt. Si c loquitur libro de correct. & gratia capite 6. " Corripiatur ergo origo ,, damnabilis, ut ex dolore correptionis ,, voluntas regenerationis oriatur.... Si ,, autem jam regeneratus & juſtificatus in ,, malam vitam relabitur, certe iſte non ,, poteſt dicere, non accepi: quia acce- ,, ptam gratiam Dei, ſuo in malum libe- ,, ro amiſit arbitrio. ,,

Reſpondeo 2. diſtinguendo, & Aug. his ſententiis loquitur ſolum de gratia ſufficiente & efficaci perſeverantiæ, ut iſtam excludat ab Adamo, concedo: ut primam excludat a noſtro ſtatu, nego. Scopus S. Auguſtini eſt exaltare gratiam Chriſti contra Pelagianos, ad quod perficiendum, dividit gratiam in adjutorium *ſine quo*, ſeu poſſibilitatis, qua quis perſeverare finaliter poteſt; & in adjutorium *quo* aliquis de facto perſeverat. Adamum potuiſſe perſeverare in juſtitia originali, & habuiſſe hanc perſeverandi facultatem, per gratiam quam vocat auxilium *ſine quo*, aſſerit: ſed gratiam Chriſti prædicat eſſe majorem, quia, inquit, per eam homo non ſolum habet poſſe bonum, ſed velle facere: non ſolum habet poſſe perſeverare, ſed Sancti actu perſeverant: ſemper & ſine intermiſſione de perſeverantia loquitur: Unde patet Novatores nolle intelligere ut bene credant, & agant. Audiamus ipſum Auguſtinum de cujus mente ſolum quæſtio verſatur.

Incipiamus a capite 6. libri de correptione & gratia, ibi S. Auguſtinus probat perſeverantiam eſſe magnum Dei donum, eamque Chriſtum oratione & ſupplicatione pro B. Petro meruiſſe; habetur enim Lucæ 22. 32. *Ego autem regavi pro te ut non deficiat fides tua*. Cor. 7. eamdem proſequitur materiam S. Doctor, & ait corripiendos eſſe etiam eos qui perſeverare in bono nolunt: " Quæ cum ita ſint, ,, *inquit*, corripimus tamen eos, juſte- ,, que corripimus, qui cum bene vive- ,, rent, non in eo perſeverarunt. Ex bo- ,, na quippe in malam vitam, ſua volun- ,, tate mutati ſunt. ,, Poſtea exponit quibus mediis Deus utitur, ut electi, non obſtantibus vitæ & periculis, & etiam defectibus, ad finem perveniant. Cap. 8. fundatius agit de perſeverantia: cur autem Deus hanc iſti largiatur, alteri vero neger, dicit exclamandum eſſe, *o altitudo!* Eo loci duo ſtabilit inconcuſſa, alterum præparari voluntatem a Domino ad perſeverandum: alterum gratiam hanc magnam de facto conferri electis, & ſic in primo agnoſcit gratiam ſufficientem & auxilium *ſine quo* homo non poſſet perſeverare: in altero gratiam efficacem & auxilium *quo* de facto juſtus perſeverat. Sic loquitur nu. 17. " Quis ignorat tunc fuiſſe ,, perituram fidem Petri, ſi in ea qua fi- ,, delis erat, voluntas ipſa deficeret, & ,, permanſuram, ſi eadem voluntas ma- ,, neret; ſed quia præparatur voluntas a ,, Domino, ideo pro illo, Chriſti non poſ- ,, ſet eſſe inanis oratio. Quando rogavit ,, ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud ,, rogavit? niſi ut haberet in fide liberri- ,, mam, fortiſſimam, invictiſſimam, per- ,, ſeverantiſſimam voluntatem. ,,

Eamdem proſequitur S. Aug. materiam c. 9. & cur non omnes vocati, ſed tantum electi perſeverent, hanc aſſert rationem his verbis: " Apud eum enim hoc ,, non ſunt cui notum eſt quod futuri ſunt, ,, ideſt, ex bonis mali. ,, Propter hoc Apoſtolus cum dixiſſet: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Rom. 8. Sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono uſque in finem non permanere. ,, Mox addidit: " His qui ,, ſecundum propoſitum vocati ſunt. ,, Cap. 10. dicit Adamum non habuiſſe eximiam perſeverantiæ gratiam. Idem repetit cap. 11. his verbis: " Tunc ergo de- ,, derat homini Deus bonam voluntatem, ,, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat ,, rectum. Dederat & adjutorium ſine quo ,, in ea non poſſet permanere, ſi vellet... ,, ſed quia noluit permanere, profecto ejus ,, culpa eſt; cujus meritum fuiſſet, ſi per- ,, manere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ,, ſancti, qui cadentibus aliis per liberum ,, arbitrium, per idem liberum arbitrium ,, ſteterunt ipſi, & hujus manſionis debi- ,, tam mercedem recipere meruerunt, ran- ,, tam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, ,, qua eis certiſſimum ſit, ſemper ſe in ,, illa eſſe manſuros. ,,

Sanctus Doctor clarius ſuam aperit mentem cap. 12. ibi enim agnoſcit auxilium *ſine quo* & auxilium *quo* in electis. Primo num. 34. diſtinguit duplex illud adjutorium, deinde de homine ſano ait: " In ,, eo bono quo factus fuerat rectus accepe- ,, rat poſſe non peccare, poſſe non mori, ,, poſſe

„ poſſe ipſum bonum non peccare, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non „ quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo „ per liberum arbitrium perſeverare non „ poſſet. „ Ecce auxilium ſufficiens pro Adamo, poſtea ſubdit: " Nunc vero Sanctis in regnum Dei, per gratiam Dei „ prædeſtinatis non tale adjutorium per„ ſeverantiæ datur, ſed tale ut eis per„ ſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut „ ſine iſto dono perſeverantes eſſe non „ poſſint, verum etiam ut per hoc donum „ nonniſi perſeverantes ſint. „ Ubique Auguſt. tractat de perſeverantia; & unum duntaxat intendit probare, ſcilicet gratiam Chriſti eſſe gratia Adami potentiorem, quia non ſolum dat poſſe perſeverare, ſicut dabat adjutorium Adamo præſtitum, ſed & actu perſeverare. Quamobrem non intendit excludere auxilium *ſine quo* a ſtatu præſenti, cum iterum atque iterum dicat voluntatem præparari a Domino, quod certe fit per gratiam ſufficientem, ſed tantum eliminare a ſtatu Adami gratiam perſeverantiæ, eamdem vero adſtruere pro præſenti.

Inſtat: S. Auguſtinus dixit auxilium *ſine quo* quale Adamo conceſſum eſt, non dari in præſenti ſtatu, ſed aliud fortius quod vocatur auxilium *quo*: Igitur ex Aug. non datur auxilium *ſine quo* pro ſtatu naturæ lapſæ. Probatur minor. Auguſtinus ibidem cap. 12. dicit Adamum habuiſſe duntaxat *ſine quo*, poſtea ſubdit: " Nunc „ vero Sanctis in regnum Dei per gra„ tiam Dei prædeſtinatis, non tantum ta„ le adjutorium perſeverantiæ datur; ſed „ tale ut eis perſeverantia ipſa donetur. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: Ad probationem diſtinguo: non tale adjutorium perſeverantiæ datur Sanctis, ideſt, non illud ſolum, concedo: ideſt, non habent ſimul auxilium *ſine quo*, nego: immo cum tandem aliquando habeant perſeverantiæ donum, & de facto finaliter perſeverent, prius ordinante providentia, habuerunt adjutorium *ſine quo* perſeverare noluiſſent, quo quidem ante omnia præparatur voluntas a Domino. Perſeverantia igitur finalis duplici modo conſideranda eſt, ſcilicet cauſaliter & formaliter: Priori modo ſpectata dicit ſeriem auxiliorum quibus homo perſeverat in bono uſque in finem: Poſteriori modo eſt ipſa perſeverantia, ipſa beatitudo, juxta illud S. Aug. de Angelis cap. 11. " Per „ idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi „ *ſcilicet Angeli*, & hujus manſionis de„ bitam mercedem recipere meruerunt, „ tantam ſcilicet beatitudinis plenitudi„ nem, qua eis certiſſimum ſit ſemper ſe „ in illa eſſe manſuros. Et iſtud: nunc ve„ ro Sanctis... non tantum tale adjuto„ rium perſeverantiæ datur; ſed tale ut „ eis perſeverantia ipſa donetur. „ Utroque igitur modo Sanctis datur perſeverantia, ſed & prius habent poſſe perſeverare quam actu, & finaliter perſeverent, præparatur enim voluntas a Domino. Ecce Aug. ſui ipſius interpres, ſic enim loquitur ibidem c. 12. " Ac per hoc nec de ipſa „ perſeverantia boni voluit Deus Sanctos „ ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloria„ ri: qui eis non ſolum dat adjutorium, „ quale primo homini dedit, ſine quo non „ poſſint perſeverare ſi velint. „ Ecce adjutorium gratiæ ſufficiens ſimile adjutorio Adami conceſſum.

Proſequitur: " Sed in eis etiam operatur „ & velle: ut quoniam non perſeverabunt „ niſi & poſſint, & velint, perſeveran„ di eis & poſſibilitas & voluntas divinæ „ gratiæ largitate donetur, tantum quip„ pe Spiritu ſancto accenditur voluntas eo„ rum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt, „ ideo ſic velint, quia Deus operatur ut „ velint. „ Quid plura? Ipſis reprobis datur poſſe in bono perſeverare ſi velint, & ideo correctionis capaces eſſe affirmat Auguſtinus, ideo vero non perſeverant, quia inquit ſanctus Doctor, *nolunt*.

Inſtat: Atqui ex Auguſtino non datur auxilium *ſine quo* pro præſenti ſtatu: Ergo nulla ſolutio. Probatur anteced. S. Auguſtinus ibid. cap. 11. nu. 32. loquens de auxilio *ſine quo* & Angelis & primo homini conceſſo, ait: " Si autem hoc „ adjutorium vel Angelo, vel homini „ cum primum facti ſunt, defuiſſet; quo„ niam non talis natura facta erat, ut ſi„ ne divino adjutorio poſſet manere ſi „ vellet, non utique ſua culpa cecidiſſet: „ adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo „ manere poſſent. Nunc autem quibus deeſt „ tale adjutorium, iam pœna peccati eſt. „ Igitur adiutorium *ſine quo* de quo facit mentionem Auguſtinus, deeſt in pœnam peccati.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probatio-

bationem dico 1. Auguſtinum non loqui de omni gratia ſufficienti, ſed tantum de gratia ſufficienti proxima perſeverantiæ, & ideo non poteſt ex hoc concludi ſanctum Doctorem procul facere a noſtro ſtatu omnem gratiam ſufficientem.

Reſpondeo 2. ad eandem minorem diſtinguendo; nunc deeſt omnibus gratia ſufficiens, nego: aliquibus, ſubdiſtinguo: gratia ſufficiens qualis erat in Adamo, concedo: omnis, nego. Gratia ſufficiens qualis erat in Adamo complectebatur gratiam ſanctificantem; unde bene dicit Auguſt. " Quibus deeſt tale adiutorium, „ iam pœna peccati eſt. „ Sed non docet gratiam ſufficientem ut ſic, quæ conſiſtit in illuſtrationibus intellectus & in piis voluntatis motionibus, omnibus deeſſe. Audiamus eum, ſic enim ſe explicat ibidem: " Nunc autem quibus deeſt tale „ adiutorium, iam pœna peccati eſt; „ quibus autem datur, ſecundum gratiam „ datur, non ſecundum debitum, & tan„ to amplius datur per Jeſum Chriſtum „ Dominum noſtrum, quibus id dare Deo „ placuit, ut non ſolum adſit ſine quo „ permanere non poſſumus, etiamſi veli„ mus, verumetiam tantum, ac tale ſit „ ut velimus: ſit quippe in nobis per hanc „ Dei gratiam in recipiendo, & perſeve„ ranter tenendo, non ſolum poſſe quod „ volumus, verum etiam velle quod poſ„ ſumus, quod non fuit in homine pri„ mo: unum enim horum in illo fuit, „ alterum non fuit: namque ut reciperet „ bonum, gratia non egebat, quia nondum „ perdiderat: ut autem in eo permane„ ret, egebat adiutorio gratiæ ſine quo „ omnino non poſset; & acceperat poſse „ ſi vellet, ſed non habuit velle quod poſ„ ſet; nam ſi habuiſset, perſeveraſset. „ Auguſtinus ad eundem ſemper pergit ſcopum; oſtendere enim ſatagit gratiam Chriſti eſse Adamica maiorem; & hoc propter duo. Primo quia dat poſse perſeverare: inſuper dat Sanctis actu perſeverare quod non habuit primus homo. Hæc igitur de gratia medicinali profert Aug. " „ Tanto amplius datur per Jeſum Chri„ ſtum Dominum noſtrum, quibus id da„ re Deo placuit, ut non ſolum adſit ſi„ ne quo permanere poſsumus. „ Adeſt igitur nobis auxilium *ſine quo:* Poſtea ſubdit: " Verum etiam tantum ac tale ſit ut „ velimus, ſit quippe in nobis per hanc „ Dei gratiam in bono recipiendo & per„ ſeveranter tenendo, non ſolum poſse, „ quod volumus, verum etiam velle quod „ poſsumus. „

Replicas: S. Auguſtinus diſtinguit gratiam Chriſti ab ea quæ fuit in Adamo, quod illa ſit & major & potentior: Igitur omnis gratia Chriſti eſt auxilium *quo*: alias ſi qua eſset ſufficiens & *ſine quo*, profecto non deberet dici gratia primi hominis maior.

Reſpondeo diſtinguendo, & quando Auguſtinus aſserit gratiam Chriſti gratia Adæ maiorem eſse, loquitur de gratia medicinali adæquate ſumpta, ſcilicet ut complectitur auxilium *ſine quo* homo non perſeveraret in bono, & auxilium *quo* de facto perſeverat, concedo. Hoc quidem patet ex modo dictis: & de ea loquitur inadæquate ſumpta, ut dicit tantum gratiam ſufficientem, nego. Et vero ubique hanc affert Auguſt. rationem cur gratia Chriſti ſit potentior, quia non ſolum dat poſſe bonum, ſed & facere. Totum hoc negotium explicat ibidem cap. 12. num. 38. dicens præter gratiam ſufficientem gratiæ Adami ſimilem, dari fortiorem, ne natura humana propter infirmitatem deficiat, ſi ſolum haberet adjutorium *ſine quo*: " Ipſi, *ait*, relinqueretur voluntas ſua ut „ in adjutorio Dei ſine quo perſeverare „ non poſsent. „ Ecce gratia ſufficiens, „ *ſi vellent*. Pergit: " Manerent ſi vel„ lent, nec Deus in eis operaretur ut vel„ lent inter tot & tantas tentationes in„ firmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, „ ideo perſeverare non poſsent, quia de„ ficientes infirmitate nec vellent, aut non „ ita vellent infirmitate voluntatis ut poſ„ ſent. Subventum eſt igitur infirmitati „ voluntatis humanæ ut divina gratia in„ declinabiliter & inſuperabiliter agere„ tur, & ideo quamvis infirma non tamen „ deficeret, neque adverſitate aliqua vin„ ceretur. „ Ecce gratia efficax, & qui„ dem perſeverantiæ; gratia ſpecialiſſima „ & potentiſſima data per Chriſtum. Merito igitur dixit Auguſtinus gratiam Chriſti adæquate ſumptam eſse gratia primi hominis potentiorem, quia Adam ſua culpa caruit auxilio *quo* perſeveraret.

Urges. S. Auguſtinus hanc adhuc ponit inter hominem ſanum & lapſum differentiam, quod primus relictus ſit ut faceret quod vellet: infirmo vero datum eſt

ut

ut inviĉtiſſime vellet. Sic enim loquitur ſanĉtus Doĉtor ibidem cap. 12. " Fortiſ-
" ſimo quippe dimiſit atque permiſit face-
" re quod vellet; infirmis ſervavit, ut ip-
" ſo donante inviĉtiſſime quod bonum eſt,
" vellent. " Quibus verbis Auguſtinus oſtendit Adamo datum fuiſſe auxilium *ſine quo*, auxilium vero *quo* ſervatum fuiſſe pro infirmis: Igitur excludit auxilium *ſine quo* a noſtro ſtatu.

Reſpondeo ut ſupra, Auguſtinum loqui de rebus ſicut factæ ſunt pro perſeverantia de qua principaliter movet quæſtionem; docetque Adamum habuiſſe tantum gratiam *ſine quo* perſeveraret in juſtitia originali: Electos vero nunc etiam habere auxilium *quo* de facto perſeverant, & in hoc totus conſiſtit Auguſtini ſcopus; quod autem de ſola perſeverantia loquatur, quum celebrat gratiam inviĉtiſſime moventem, patet ex verbis ſequentibus: dicit enim: " Pro infirmis ſervavit, ut
" ipſo donante inviĉtiſſime quod bonum
" eſt, vellent. " Deinde ſubdit: " Et
" hoc deſerere inviĉtiſſime nollent. "
Quod vero dicat primum hominem relictum & dimiſſum ut faceret quod vellet, non ſequitur auxilium *quo* fuiſſe ipſi neceſſarium ad perſeverandum in bono ſive ad tempus, ſive finaliter, ſed duntaxat Adamum majorem habuiſſe bene agendi facilitatem quam hominem lapſum: cum enim primus homo in gratia fuerit ab origine conſtitutus, cum fuerit omni præventus benedictione, cum & ſine vitio, & abſque ulla paſſione liber, relictus ſit in manu conſilii ſui ut perſeveraret, vel non: cum haberet præter gratiam habitualem, actualem ſufficientem, cum nulla inſuper paſſio ligaret tum intellectum, tum voluntatem ejus; nihil impediebat quominus perſeveraret in bono; lapſus quidem remanſit utique in manu conſilii ſui, ſed quia nunc homo natura filius iræ & ad malum propenſus eſt, data eſt illi gratia fortior, ut non obſtante infirmitate, ad finem uſque ſtaret in bono.

Ergo-ne perſeverantia non eſt ſpeciale donum pro ſtatu innocentiæ? Speciale profecto, cum ipſe Adam caruerit: cum Angelis multis cadentibus, alii qui ſteterunt, teſte Auguſtino, fuerint magis adjuti, ſed eſt ſpecialiſſimum in noſtro ſtatu, quia non ſolum eſt indebitum, non ſolum illud promereri non poſſumus, verum etiam quia naturæ filii iræ ſumus, ideo tanta gratia indigniſſimi ſumus: nedum in ſe, ſed & in mediis adhuc donum altiſſimum eſt, quia providentia cuncta ita diſponit, ut cedant in bonum electorum, unde Sap. 4. 11. dicitur de juſto: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*. Et Apoſt. Rom. 8. 28. ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*.

Reſpondeo denique ad iſtud & alia argumenta ipſum Janſenium confiteri Auguſtinum loqui tantummodo de gratia perſeverantiæ, quam dicit concedi electis, ut oſtendat gratiam Chriſti in immenſum ſuperare Adami gratiam quæ fuit ſolum auxilium *ſine quo*. Nullam igitur Aug. in toto libro de corr. & grat. movet quæſtionem præciſe de auxilio *ſine quo*, & de auxilio *quo* ad cæteros virtutum actus eliciendos, ſed de adjutorio *ſine quo* & *quo* perſeverantiæ: hinc non ſequitur ſanctum Doctorem admiſiſſe auxilium *ſine quo* ut ſic pro ſolo innocentiæ ſtatu, per excluſionem a ſtatu naturæ lapſæ, ſed tantum excluſiſſe auxilium *quo* perſeverantiæ a ſtatu naturæ integræ pro Adamo, ipſum vero agnoſcere pro noſtro, ſed ſuppoſita gratia ſufficienti qua voluntas præparatur a Domino ad bene vivendum & ad tempus, & etiam finaliter.

Janſenius ſic loquitur in libro de gratia primi hominis cap. 14. " Quibus ita con-
" ſtitutis perſpicue docet Auguſtinus, &
" iterum iterumque inculcat adjutorium
" Adami, cujus neceſſitatem tantopere
" multis locis commendaverat, non fuiſ-
" ſe adjutorium quo, ſed adjutorium ſi-
" ne quo non, hoc eſt, non fuiſſe tale
" adjutorium, quo fieret ut Adam perſe-
" veraret, aut vellet, ſed quo poſſet per-
" ſeverare, ſi vellet. " Et infra: " Nam
" in eo conſiſtit totum diſcrimen iſtius ad-
" jutorii ab adjutorio quod Chriſtus lapſis
" tribuit: quod per illud, ut jam ſæpiſ-
" ſime audivimus, daretur poſſe, ſi vel-
" let, per hoc vero etiam efficiatur ut
" velit. " Quod autem dictum ejus debeat intelligi tantum de gratia ſufficienti perſeverantiæ pro Adamo: de efficaci vero pro electis, patet ex locis divi Auguſtini adductis quæ affert in probationem; qualis eſt auctoritas ex cap. 12. lib. de corr. & gratiæ deprompta: " Primo itaque ho-
" mini qui in eo bono, quo factus fuerat,
" acceperat poſſe non peccare, & poſſe non

" mo-

„ mori , poſſe ipſum bonum non deſere- „ re , datum eſt adjutorium perſeveran- „ tiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, „ ſed ſine quo per liberum arbitrium per- „ ſeverare non poſſet. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Auguſtinus non excludit auxilium ſine quo *a noſtro ſtatu*.

PRIMO : Sanctus Præſul lib. 3. de lib. arbitr. cap. 64. ait neminem peccare in eo quod vitare non poteſt : Igitur ex eodem homo lapſus habet gratiam ſufficientem ; cum ipſa det poſſe expeditum ut homo declinare a malo, & bonum facere queat.

Secundo : Gratia ſufficiens illuminat peccatorem ut poſſit malum pręcognitum fugere ; hanc autem gratiam pro præſenti ſtatu celebrat ſanctus Auguſtinus Solil. cap. 34. Rurſus in Pſal. 26.

Tertio : Gratia ſufficiens ita compellit ad bonum ut ei poſſimus reſiſtere, & ſæpius reſiſtamus : Porro ſanctus Doctor hanc egregie delineat gratiam lib. de ſpir. & litt. cap. 34.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO : S. Auguſt. diſtinguens auxilium *ſine quo* ab auxilio *quo*, lib. de corr. & gr. cap. 11. primum quidem tribuit homini ſano, alterum lapſo, ſed eo loci ſermonem inſtituit ſolum de dono perſeverantiæ, aitque hominem innocentem habuiſſe poſſe perſeverare, lapſum etiam per gratiam Mediatoris habere ſæpius perſeverare : Igitur non excludit auxilium *ſine quo* a præſenti ſtatu, cum electi prius habeant poſſe perſeverare, quam actu perſeverare, eo quod ut centies dicit Aug. præparetur voluntas a Domino.

Secundo : Neque negamus ſanctum Doctorem in lib. de corr. & gr. iteratam inſtituere comparationem inter adjutorium *ſine quo* & adjutorium *quo*, & iſtud ſemper commemorare pro homine lapſo ; ſed dubio-procul inter perſeverantiæ finalis limites ſiſtit non excludendo auxilium *ſine quo* : ſed eo ſolum ſcopo auxilium *quo* nominat eo loci pro noſtro ſtatu, ut exemplo efficaciſſimæ gratiæ finalis oſtendat Semipelagianis gratiam Chriſti eſse gratuitam, & gratia Adami longe præpollentiorem, adeoque in immenſum vires naturæ ſuperare.

Tertio : Nec ullum faceſſit negotium quum Idem S. Aug. ibid. c. 12. dicit primum hominem in ſe fuiſse relictum, ut faceret quod vellet, infirmis vero datum fuiſse ut actu vellent bonum, & illud operarentur ; non enim ab exemplo gratiæ perſeverantiæ ſecedit, ut Mediatoris gratiam exaltet ; maxime cum ejus ope homo habeat ſimul & poſſe bonum, & ſimul facere. Cæterum ſi verba Auguſtini ſumantur in ſenſu obvio & pro gratia ſemper efficaci, ut perperam contendit Janſenius, ſequitur non aliam eſse in præſenti ſtatu præter perſeverantiæ finalis gratiam, cum S. Auguſtinus de ea ſolum loquatur in lib. de corr. & grat. a cap. 6. uſque ad 12. incluſive, ut infra probabimus. Abſurdum conſequens : Ergo & antecedens.

SECTIO TERTIA.

Utrum S. Auguſtinus admiſerit neceſſitatem auxilii quo *pro ſtatu innocentiæ?*

NEGAT Janſenius aliud fuiſse tum pro Adamo innocenti, tum pro Angelis, quam auxilium *ſine quo*, unde docet ſufficiens fuiſse & ad actus virtutum eliciendos, & ad perſeverandum finaliter in bono ; & conſequenter perſeverantiam non eſse ſpeciale donum pro ſtatu naturæ integræ : Sic loquitur libro de gratia primi hominis cap. 14. " Tertium iſtis duobus ad- „ di poteſt, non aliud fuiſse iſtud gratiæ „ adjutorium quod Adamo & Angelis da- „ tum fuit, quam id quod Schola paſſim „ ſufficiens vocat. „ Et caput 16. hunc habet titulum : " Perſeverantia & me- „ rita in ſtatu innocentiæ humanæ & „ angelicæ non fuerunt ſpecialia dona. „ Supereſt igitur ad reliqua ſyſtematis Janſenii de gratia fundamenta ſubvertenda ; oſtendere auxilium *quo* etiam ſpectaſse, & primum hominem, & ſanctos Angelos. Affirmativam hanc defendunt communiter Theologi ut Suarez lib. 10. de grat. cap. 9. num. 6. Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 17. R. P. Deſchamps de hær. Jan. tota fere diſputatione 3. in primis c. 8. & omnes Thomiſtę, qui docent perſeverantiam in ſtatu innocen-

centiæ fuiſſe ſpeciale donum, quod patebit infra ex Auguſtino ubi de Angelis ſanctis dicemus, qui aliis cadentibus, magis adjuti ſteterunt & perſeveraverunt: profecto ſi magis adjuti ad perſeverandum, perſeverantia fuiſſet donum ſpeciale etiam in ſtatu innocentiæ.

Oſtendimus quidem tract. de Deo Creatore præmotionem admittendam eſſe vel pro ipſo innocentiæ ſtatu, nunc vero eadem ſed ſub alio reſpectu contra Janſenii ſyſtema redit quæſtio, videlicet, 1. num gratia efficax quæcumque ſit, fuerit in ſtatu innocentiæ neceſſaria ad actus virtutum eliciendos? 2. Num hæc ſit D. Auguſtini opinio.

Antequam aliquid cum veteranis Theologis contra Janſenium concludamus, præmittendum eſt, eam gratiam dici ab omnibus efficacem, quæ infert actum vitalem, deliberatum, & cum omni tum advertentia, tum libertate emiſſum: ſive efficacia illa veniat a conſenſu, ſive per ſcientiam mediam explorantem congrue conſenſum, ſive per præmotionem tantum moralem, aut etiam phyſicam, ſufficit quod ſit efficax, nihil enim refert ad quæſtionem præſentem, quod gratia dicatur efficax per ſe, vel per conſenſum: unum hic quæritur ad confundendum Janſenium, ſcilicet, an auxilium *quo*, ſeu gratia efficax fuerit in ſtatu innocentiæ. Si ſemel enim hoc probatur; certe Janſenius cauſa cadet.

Obſervandum eſt etiam gratiam efficacem eſſe ad quemlibet actum perfectum & deliberatum, adeoque tot eſſe gratias efficaces, quot producuntur ejuſmodi actus, eſt enim auxilium tranſiens, adeoque multiplicabile: & ſic alia eſt gratia efficax ad actum fidei & attritionis eliciendum: alia ad actum amoris, alia ad perſeverantiam finalem: quo magis autem perfectus eſt actus qui producitur, eo major gratia efficax illum producens nuncupatur: & ſic gratia efficax ad actum amoris perfecti, fortior eſt ea quæ applicat ad actum attritionis: omnium major eſt gratia perſeverantiæ. Concedimus Adamum innocentem non habuiſſe auxilium *quo* perſeveraret, ſed contendimus habuiſſe auxilium *quo*, ſeu gratiam efficacem ad cæteros virtutum actus: ſanctos Angelos habuiſſe & ad iſtos, & etiam ad perſeverantiam, ita Theologi citati, ita ipſe Auguſtinus. Unde ſit

CONCLUSIO PRIMA.

S. Auguſtinus admiſit auxilium *quo* pro Adamo, non quidem perſeverantiæ, ſed ad actus virtutum eliciendos.

Probatur rationibus S. Præſulis.

PRIMA ſic ſe habet: Ille habuit auxilium *quo* ſeu gratiam efficacem qui adimplevit ad tempus præcepta Dei: atqui Adamus ad tempus adimplevit præcepta Dei: igitur habuit auxilium *quo* & ad præcepta fidei, ſpei, & charitatis adimplenda, & ad actus cæterarum virtutum eliciendos. Major patet ex Auguſtino qui lib. 2. de peccatorum meritis cap. 5. hanc ſtatuit regulam: " Ad peccandum namque non adjuvamur a Deo: juſta autem agere, vel juſtitiæ præceptum omni ex parte implere non poſſumus, niſi adjuvemur a Deo. " Quæ quidem verba Auguſtinus nedum de homine lapſo, verum etiam de homine ſano intelligi vult; ſic enim ſentit ſerm. de diverſ. cap. 3. " Semper Deus medicus eſt, etiam ſanis, ut ſanitas ipſa teneatur. " Probatur igitur minor, Adamus ut primus primum creatus eſt, agnovit auctorem ſuum, in ipſum ſperavit, & ad eum tum per gratiarum actionem, tum per amorem erga patrem tam magnificum & bonum ſe convertit; ita docent Theologi modo citati .... Ita dicendum eſt ſecundum illud inconcuſſum Apoſtoli principium: omnes noſtras actiones propter Dei gloriam facere debemus.... Ita ſecundum iſtud Thomæ effatum ſæpius in ſua ſumma repetitum homo ſub pœna peccati mortalis in prima rationis aurora ad Deum ſe convertere debet, & defacto illud dilectionis præceptum: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo*; tunc obligat & ligat adultum: Adamus igitur peccaſſet mortaliter peccato ingratitudinis, ſi Deum auctorem non agnoviſſet, ſi non amaſſet, ſi non adoraſſet: & ſic peccatum originale non fuiſſet de eſu fructus vetiti, quod eſt contra Scripturam; dicendum igitur Adamum tunc ſatisfeciſſe præcepto fidei, præcepto ſpei & charitatis, adeoque habuiſſe adhoc auxilium *quo*: nemo enim teſte Tridentino ſine tali gratia poteſt credere, ſperare & diligere Deum ſicut oportet,

tet ; hoc ipſum confirmat S. Auguſtinus ſerm. 11. de verbis Apoſt. vet. edit. his verbis : *Regebat enim eum ipſe qui fecerat*. Quomodo autem regebat? Niſi per gratiam quæ ipſum applicabat ad bonum.

Secunda: Ille habuit gratiam efficacem, qui habuit gratiam ut juſtus, ut bonus & beatus eſſet, qui multos ante lapſum virtutum actus elicere ſategit : atqui hanc habuit primus homo gratiam, multos exercuit virtutum, maxime religionis actus : Igitur habuit auxilium *quo*. Major patet; ſiquidem gratia efficax requiritur & neceſſaria eſt ad actus ſupernaturales producendos, ut non ſemel probavimus, & ut Concilium ſecundum Arauſicanum docet Can. 9. his verbis : *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur operatur*. Probatur minor ex D. Auguſtino cujus impræſentiarum quærimus contra Janſenium auctoritatem lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 10. 11. 12. de primo homine dicit : " Sumpſit Dominus Deus hominem quem fecit, & poſuit eum in paradiſo operari ut juſtus eſſet. " Ibidem cap. 10. " Deus idem qui creat hominem „ atque cuſtodit, ut etiam bonus beatuſque ſit. " Profecto creatura ab origine ſancta non cito-citius peccavit; & multi propugnant aliquos etiam menſium, forſan & annorum ſpatio perduraſſe in ſtatu innocentiæ : jamvero quis neget hominem tam perfectum ab omni & peccati & vitii labe purum, multos erga Deum benefactorem ſuum pietatis ſimul & religionis produxiſſe actus ; quæ quidem omnia ſine gratia operis fieri non poſſunt : igitur Adamus innocens hanc habuit.

Tertia: Ille habuit gratiam efficacem, qui habuit gratiam quæ illum in bono ad tempus tenuit, & cuſtodivit a malo : quæ illum illuminabat ſimul & accendebat ut amaret Deum : atqui talem habuit ad tempus gratiam Adamus innocens, teſtante ipſo Auguſtino: Ergo &c. Major patet ; gratia enim efficax illa eſt, quæ applicat ad opus. Probatur igitur minor, & quidem ex Auguſtino qui lib. 14. de civit. Dei cap. 13. de primo homine hæc duo potiſſimum dicit. Nempe hanc ad tempus habuiſſe gratiam : illam vero ſua ſuperbia & inobedientia amiſiſſe : " Si voluntas, „ *inquit*, in amore ſuperioris immutabilis „ boni, a quo illuſtrabatur ut videret, & „ accendebatur ut amaret, ſtabilis permaneret; non inde ad ſibi placendum averteretur. " Igitur Adamus innocens habuit ad tempus gratiam efficacem quæ illum & illuminabat, & accendebat atque in bono tenebat.

Quarta: Ille habuit ad actus pietatis producendos gratiam efficacem, ſeu auxilium *quo*, qui ſine eo non poterat actu ejuſmodi actus ſalutem ſpectantes producere : atqui primus homo ſine tali adjutorio non poterat actus pietatis & ſimiles ſine gratia efficaci hic & nunc producere : igitur illam habuit ſaltem ad tempus ad tales actus. Probatur minor. Gratia efficax propter duo neceſſaria eſt. Primoquidem, ut reducat potentiam ad actum, quia omne quod movetur ab alio movetur, potentia autem debet reduci ad actum per id quod eſt ſemper in actu, nempe per Deum, mediante gratia. Secundo, ut ſanet hominem & compeſcendo paſſiones voluntatem promoveat ad bonum : atqui licet gratia efficax non eſſet primo homini neceſſaria propter ſecundum, erat tamen propter primum motivum. Et probatur, ex D. Thoma fideli S. Auguſtini interprete. S. Doctor 1. 2. quæſt. 109. art. 2. ſic loquitur: " Igitur virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ indiget „ homo in ſtatu naturæ integræ quantum „ ad unum, ſcilicet operandum & volendum bonum ſupernaturale, ſed in „ ſtatu naturæ corruptæ, quantum ad „ duo; ſcilicet ut ſanetur, & ulterius ut „ bonum ſupernaturalis virtutis operetur „ quod eſt meritorium, ulterius autem in „ utroque ſtatu indiget homo auxilio divino ut ab ipſo moveatur ad agendum. " Atqui gratia efficax in præſenti ſtatu neceſſaria eſt ad operandum & merendum, eamdem utique ad operandum exigit S. Thomas pro ſtatu naturæ integræ : igitur ex ſancto Doctore, gratia efficax fuit in ſtatu innocentiæ neceſſaria, ibidem art. 9. ait : " Sicut ſupra dictum „ eſt, nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ. Secundo ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem remanet tamen in ea corruptio quantum ad carnem „ per quam ſervit legi peccati. " Et iterum quæſt. 3. de malo art. 1. ad 9. " Sed „ in ſtatu naturæ corruptæ habet impel-

„ lens

„ lens ad malum, & ideo indiget auxilio „ gratiæ ne cadat. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Angeli ſancti habuerunt auxilium quo ſeu gratiam efficacem tum ad præcepta fidei, ſpei, & amoris erga Deum adimplenda, tum ad actus religionis & pietatis eliciendos, tum etiam ad perſeverandum finaliter in bono.

Probatur multipliciter.

Primo, ex Scriptura ſacra.

Beatus Joannes qui omnia prædeſtinationis Myſteria nobis in Apocalypſi enarravit hæc cap. 12. de Angelis, dicit: *Factum eſt prælium magnum in cælo; Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus, & non prævaluerunt, neque locus inventus eſt eorum in cælo*. Secundum Patres & Theologos interpretes agitur in his verbis de prælio voluntatis, de tentatione & impetu quibus Lucifer voluit omnes angelos ſuæ voluntatis imperio ſubjicere, quatenus ſicut ipſe & beatitudinem ſibi debitam eſſe, & virtute propria mundum alterum noſtro ſimilem poſſe condere autumaret. Neque vero deſunt Theologi qui propugnent hanc fuiſſe lapſus Angelorum malorum cauſam, quod Verbum incarnandum ut Deum adorandum ſibi propoſitum noluiſſent ut ſuum agnoſcere Dominum. Magnam fuiſſe pro bonis Angelis tentationem, ex duobus potiſſimum colligitur. Primo quidem, quia ut ait Joan. Apoc. 12. 4. *Factum eſt prælium magnum in cælo*. 2. Ex eo quod ibidem dicatur: *Ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem: & in capitibus ejus diademata ſeptem: & cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum*. Hoc eſt, Lucifer tertiam Angelorum partem ſeduxit: quem tamen devicit S. Michael & Angeli ejus. Quanta fuerit parta corona, intelligite ex gloria qua donati ſunt, & ex pœna rebellantium, habetur enim ibidem: *Draco pugnabat & Angeli ejus: & non prævaluerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in cælo*. Verum ſi prælium magnum & victoria difficilis, dubio procul & gratiam efficaciſſimam dedit bonis Angelis Deus ut vincerent.

Secundo, ex S. Auguſtino.

Primo: Illi habuerunt gratiam efficacem ſeu auxilium *quo*, qui majorem præ cæteris habuerunt gratiam: atqui ex Aug. ſancti Angeli majorem præ cæteris habuerunt gratiam: Igitur & efficacem: major patet; cum enim omnes Angeli habuerint auxilium *ſine quo*, ſi boni aliud majus receperint, magiſque fuerint adjuti; citra dubium eſt hallucinari Janſenium quum dicit gratiam qua boni Angeli perſeveraverunt, fuiſſe tantum auxilium *ſine quo*: nihil enim præ aliis habuiſſent. Probatur igitur minor ex Aug. S. Doctor lib. 12. de civit. Dei cap. 9. ait, de ſanctis Angelis: " Si non potuerunt ſeipſos „ facere meliores, quam eos ille fecerat, „ profecto & bonam voluntatem qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio „ Creatoris habere poſſent. „ Certe gratia quæ reddit juſtum meliorem eſt ſola gratia efficax & operis ipſo teſtante Chriſto Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei*. Ibidem Auguſt. clarius ſe explicat & ſic hanc proſequitur materiam: " Sine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore, numquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt, iſti „ autem qui cum boni creati eſſent, tamen mali ſunt, mala propria voluntate, aut minorem acceperunt amoris divini gratiam quam illi qui in eadem „ perſtiterunt, aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, illis mala voluntate „ cadentibus, illi amplius adjuti ad eam „ beatitudinis plenitudinem; unde ſe numquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt. „ Igitur ex Aug. patet ſanctos Angelos habuiſſe gratiam efficacem qua in omni virtutum bono perſeverantes, glorificati ſunt; ita ut mirum prorſus videri debeat quomodo Janſenius qui Auguſtinum præ cæteris Theologis ſe ſcire jactitat, auſus ſit ex profeſſo docere lib. de gratia primi hominis & Angelorum cap. 11. 12. 13. & 14. gratiam qua ſancti Angeli & vicerunt malos, & in fide permanſerunt, fuiſſe ſolum auxilium *ſine quo* & non adjutorium *quo*.

Secundo: Gratia efficaci diſcernuntur electi a reprobis: ita colligitur ex Apoſtolo Rom. 6. & iterum atque iterum hoc repe-

repetit Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. & lib. de dono perſ. Atqui ex Auguſt. boni & ſancti Angeli diſcreti fuere a malis: Igitur habuerunt gratiam efficacem. Probatur minor. Aug. lib. 11. de civit. Dei 19. ait, de Angelis: " Cum lux illa prima facta eſt, Angeli creati intelligantur, & inter ſanctos Angelos & immundos fuiſſe diſcretum, ubi dictum eſt: & diviſit Deus inter lucem & tenebras: & vocavit Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem. Solus quippe ille iſta diſcernere potuit, qui potuit etiam priuſquam caderent præſcire caſuros, & lumine privatos veritatis in tenebroſa ſuperbia remanſuros. " Et paucis interjectis ſubdit S. Doctor: " Inter illam vero lucem, quæ ſancta ſocietas Angelorum eſt, illuſtratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id eſt, malorum Angelorum averſorum a luce juſtitiæ teterrimas mentes, ipſa dividere potuit: cui enim futurum non naturæ, ſed voluntatis malum occultum, aut incertum eſſe non potuit. " Idem docet lib. 13. Confeſ. cap. 14. lib. 12. de civit. Dei c. 9. Ergo &c.

Tertio: Illa gratia eſt efficax quæ eſt omnipotens ſupplementum omnium, queque cuncta neceſſaria ad ſalutem exhibet: hanc quippe notionem tribuunt omnes S. Doctores gratiæ efficaci: atqui gratia collata ſanctis Angelis his gaudet proprietatibus: Igitur fuit auxilium *quo*. Probatur minor quoad utramque partem ex Auguſt. Primo quidem, quod gratia ſit omnipotens Auguſtinus prædicat Enchyr. cap. 95. his verbis: " Deus noſter in cœlo & in terra omnia quæcumque voluit fecit; ſed utique verum non eſt, ſi aliqua voluit & non fecit: & quod eſt indignius, ideo non fecit quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. " Et lib. 14. de civit. Dei c. 27. " Quis audeat credere aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe? " Quod autem hæc verba de gratia efficaci intelligi debeant, explicat Auguſtini magnus & fidelis diſcipulus S. Proſper carmine de ingr. cap. 13. his verſiculis:

At vero omnipotens hominem cum gratia ſanat,
Ipſa ſuum conſummat opus cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit, nec moribus illi
Sit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

Quod vero gratia bonis & fidelibus Angelis exhibita, fuerit omnis & perfectionis, & juſtitiæ ac felicitatis complementum, utique docet Auguſt. in Pſalm. 32. " Non habuerunt, *inquit*, aliquid ex ſe, ſed tanquam ſupplementum a Domino perceperunt: ſpiritu enim oris ejus, non pars, ſed omnis virtus eorum. " Ergo &c.

Tertio, ex aliis SS. Patribus.

PRIMUS occurrrit Baſilius qui lib. de Spiritu Sancto cap. 10. ſic loquitur de Angelis: " In horum autem creatione cogita mihi principalem cauſam eorum quæ fiunt, Patrem, dein conditricem Filium, perfectricem Spiritum ſanctum, ut voluntate quidem Patris ſint adminiſtratorii ſpiritus, Filii vero operatione producantur, ut ſint, Spiritus autem adventu perficiantur. Porro Angelorum perfectio eſt ſanctificatio & in hoc perſeverantia. " Profecto loquitur de ſanctificatione parta meritis, qua quidem pervenerunt Angeli ſancti ad perſeverantiam & beatam vitam: Igitur de gratia efficaci qua Spiritus ſanctus ita eos fixit in bono, ut illud uſque in finem voluerint: Igitur ex D. Baſilio habuerunt Angeli ſancti auxilium *quo* perſeveraverint.

Poſt Baſilium venit Fulgentius qui lib. 2. ad Thr. ait: " Non alia ſtantem Angelum a ruina potuit cuſtodire, niſi illa quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. " Atqui ex ipſo Janſenio gratia quæ lapſum hominem reparavit eſt auxilium *quo*: Igitur cum ex Fulgentio eadem ſit gratia quæ Angelum a ruina cuſtodivit; auxilium *quo* ex concedendis fuit in ſanctis Angelis.

D. Bernardus eamdem pertractat, & veluti definit quæſtionem lib. enim de libero arbitrio ſic diſcurrit: " Superioribus ſpiritibus datum eſt ſine peccato & miſe-

„ ria perdurare : Adæ autem abſque his
„ quidem eſſe , ſed non permanere . „
Et ſerm. 22. in Cant. " Qui erexit ho-
„ minem lapſum , dedit ſtanti Angelo ,
„ ne laberetur , ſic illum de captivi-
„ tate eruens ſicut hunc a captivitate de-
„ fendens, & hac ratione fuit ęque utri-
„ que redemptio , ſalvans illum , & ſer-
„ vans iſtum . Liquet ergo ſanctis Ange-
„ lis Chriſtum Dominum fuiſſe redemp-
„ tionem , ſicut iuſtitiam , ſicut ſapien-
„ tiam, ſicut ſanctificationem . „ Deinde concludit . „ Sic ergo omne quod erat
„ Angelis, factus eſt & nobis . „ Cum igitur in nobis ſit omnia per gratiam ſpiritualem & efficacem, utique fuit omnia per eaſdem gratias Angelis: nam primum S. Bernardus concludit ex iſto.

Huic addimus auctoritatem D. Anſelmi qui lib. de caſu diaboli cap. 1. de Angelis , ait : " Quod etiam ad Angelos dica-
„ tur , quid habes quod non accepiſti ?
„ Unde iam ab ipſo ingreſſu quærenti di-
„ ſcipulo illud Apoſtoli : quid habes quod
„ non accepiſti ? Dicitur hominibus tan-
„ tum , an & Angelis ? " Reſpondet :
" Nulla creatura habet aliquid a ſe , quod
„ enim ſeipſum a ſe non habet , quomo-
„ do habet a ſe aliquid . „ Paucis vero interiectis ſubdit : " Ille igitur ſolus a ſe
„ habet quidquid habet , & omnia alia
„ nonniſi ab illo habent , & aliquid : &
„ ſicut a ſe nonniſi nihil habent : ita ab
„ illo nonniſi aliquid habent . „ Ex Anſelmo omnis creatura etiam angelica non habuit aliquid , nec bonum operata eſt ad ſalutem ordinatum niſi, Deo adiuvante ac donante, per gratiam operantem : Igitur auxilium *quo* fuit in Angelis ſanctis ad operandum bonum.

Quarto , ex rationibus Theologicis .

PRIMA ſic exponitur : gratia efficax ea eſt quæ facit operari bonum ſalutis , quæ dat adimplere præcepta , vincere tentationes, perſeverare in bono : quæ reddit hominem meliorem & iuſtiſſimum : denique quæ diſcernit electos a reprobis : ita omnes Theologi , ita vel ipſe Janſenius loquendo de gratia Chriſti : atqui ex variis Auguſtini ſententiis modo relatis gratia hæc omnia in ſanctis Angelis operata eſt : ex ſancto Fulgentio eadem eſt gratia quæ a ruina eos cuſtodivit ac ea quæ hominem lapſum reparavit . Quid plura ? Ex ipſo Janſenio hos omnes effectus habuit in Angelis : Igitur debet concedere , fuiſſe auxilium *quo* .

Quod autem Janſenius eoſdem effectus omnes tribuat gratiæ Angelorum , quos tribuit gratiæ Chriſti , patet ex articulis 10. & 11. libro de gratia primi hominis & Angeli , ubi hoc ex profeſſo probat ; primi capitis titulus ille eſt : " Ca-
„ put X. an indiguerit Adam & Angeli
„ adjutorio gratiæ ad juſte vivendum &
„ perſeverandum in juſtitia . „ Obſerves velim , doctiſſime Lector , Janſenium hic agere de gratia operis . Sic autem ſolvit dubium : " Juxta fidem catholicam ab eo
„ (nempe Auguſt.) explicatam dicimus ,
„ neque Angelos , neque primum hominem
„ ullo modo ſine gratiæ juvantis adjutorio
„ in veritate ſtare , hoc eſt , in accep-
„ ta juſtitia perſervare , potuiſſe : verita-
„ tem iſtam tot modis , ſive naturam &
„ nomen gratiæ , ſive effectus , & operan-
„ di modos ſpectes , aſſerunt , tantaque
„ contentione inculcavit Auguſt. ut non
„ minus pro ſolvenda divinæ gratiæ ne-
„ ceſſitate ad tuendam juſtitiam ſtatus in-
„ nocentiæ , quam ad illam perditam re-
„ parandam pro tuendo Jeſu Salvatoris au-
„ xilio ſollicitus fuiſſe , ac decertaſſe vi-
„ deatur . „ Ecce gratia adjuvans , gratia operis ab ipſo Janſenio agnita : Igitur ſibi manifeſte contradicit negando auxilium *quo* pro ſtatu innocentiæ ; illudque ſanctis abjudicando Angelis . Quæ quidem contradictio manifeſte apparet ex locis Aug. quæ affert in probationem , maxime ex auctoritate beati Fulgentii ex cap. 2. ad Thr. deprompta , hæc autem talis eſt de gratia : " Non alia ſtantem Angelum a rui-
„ na potuit cuſtodire , niſi illa quæ lapſum
„ hominem poſt ruinam potuit reparare :
„ una eſt ex in utroque gratia operata ,
„ in hoc ut ſurgeret , in illo ne caderet :
„ in illo ne vulneraretur , in iſto ut ſa-
„ naretur ; ab hoc infirmitatem repulit ,
„ illum infirmari non ſivit : illius eſca ;
„ iſtius medicina . „ Profecto jam habemus confitentem reum . Namque Janſenius totum iſtum locum affert ut probet gratiam eſſe neceſſariam ad actus bonos & fuiſſe in S. Angelis ad perſeverandum : dicit cum Fulgentio eamdem eſſe gratiam quæ reparavit hominem : in libris vero tribus de gratia Salvatoris ſine

fine

ſine prædicat gratiam Chriſti eſſe auxilium *quo*: jam ipſe concludat: quid enim ſequitur ex ejus probatione, auctoritate S. Fulgenti ſuffulta? quod eadem ſit gratia angelica ac medicinalis ſeu reparativa: iſta vero ex ipſo Janſenio eſt verum auxilium *quo*: Igitur ex totis concedendis gratia Angelorum fuit auxilium *quo*; alias erit perpetua in dictis Janſenii contradictio; gratia ſanctorum Angelorum erit gratia operis & non: erit gratia eadem cum gratia medicinali, & non.

In eodem capite eſt alia Janſenii contradictio quæ noſtram firmat aſſertionem. Dicit liberum arbitrium Adami indiguiſſe gratia ut perſeveraret, quod probat iſto Auguſt. effato Encb. cap. 107. " Sic „ factus eſt homo rectus, ut & manere „ in ea rectitudine poſſet, non ſine ad„ jutorio divino. „ Ex Novatore igitur Adam & Angeli poterant per liberum arbitrium actu perſeverare, ut ex profeſſo docet ibidem cap. 8. & 9. ſed ut actu perſeverarent, opus fuit adjutorio Dei: Igitur Angeli qui perſeveravere, habuerunt auxilium *quo* perſeverarent: nec ſine contradictione hoc negare poteſt Janſenius, cum auxilium *ſine quo* ex ipſo ſit ſolum auxilium ſufficiens, ſic loquitur c. 14. pag. 61. col. 1. " Tertium iſtis duobus addi „ poteſt, non aliud fuiſſe iſtud gratiæ ad„ jutorium quod Adamo & Angelis da„ tum fuit, quam id quod ſchola paſſim „ ſufficiens vocat. „ Duplex in iſtis verbis patet contradictio. Prima: vocat auxilium *quo* Angeli ſancti perſeverarunt ſolum auxilium ſufficiens, & *ſine quo*, nec aliud fuiſſe ex profeſſo probat in iſto toto capite decimo quarto. Altera eaque prorſus abſona eſt, quod idem auxilium Adamo datum fuiſſe aſſerat, quod eſt manifeſte contra Auguſtinum dicentem Adamum non habuiſſe idem auxilium quod boni Angeli receperunt, iſtos habuiſſe auxilium *quo* perſeverarent, alterum minime: & vero, ſi idem auxilium habuiſſet Adam, certe ſicut Angeli ſancti perſeveraverunt in bono, ſic & ipſe perſeveraſſet, ut ait S. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 10. " Non habuit perſeve„ rantiam, & ſi non habuit, non utique „ accepit. „ Igitur non accepit gratiam perſeverantię; adeoque non idem pro perſeverantia fuit auxilium Angelis & Adæ collatum.

Janſenius ibidem c. 11. probat ex profeſſo gratiam fuiſſe & Adamo & Angelis neceſſariam ad actus bonos. Talis articuli hic eſt titulus. " Utrum ad ſingulos „ actus bonos gratia neceſſaria fuerit: & „ quæ radix tantæ neceſſitatis. „ Sic reſpondet & incipit: " Nec vero ad per„ ſeverandum tantummodo in juſtitia, ut „ quidam arbitrantur, ſed ad ſingulas „ etiam voluntates bonas, ſeu opera bona „ ſeu tentationum victorias, per quas ſit „ ut quis in juſtitia perſeveret, Angelis „ & hominibus iſtam gratiam neceſſariam „ eſſe, eadem prorſus aſſeverantia Augu„ ſtinus docuit. Quod ipſum non uno „ certe loco in ſcriptis ejus videre, li„ cet. „ Deinde multas affert Aug. auctoritates quibus probat gratiam operis fuiſſe in homine & in Angelis: Igitur ex concedendis, Angeli habuerunt auxilium *quo*. Unde, his omnibus ſic ſtatutis, ſequuntur variæ pro noſtra ſententia contra Janſenium rationes.

Ad primam veniamus. Gratia efficax neceſſaria eſt ad præcepta ſalutis adimplenda: atqui hanc habuerunt ſancti Angeli, Deum ſiquidem ex toto corde uſque in finem & perſeveranter dilexerunt. Ergo &c.

Secunda iſta ſequitur: Gratia operis ex Auguſtino eſt auxilium *quo*, illam quippe ideo efficacem vocat: ſed Angeli ex eodem habuerunt gratiam operis, & ideo ſteterunt in bono: Igitur habuerunt auxilium *quo*.

Tertia. Idem ſanctus Doctor lib. de corr. & grat. cap. 12. num. 34. duo diſtinguit adjutoria: alterum *ſine quo* aliquid fieri non poteſt, quod ab ipſo poſſibilitatis gratia vocatur & a Janſenio auxilium ſufficiens: alterum quo aliquid fit & quod gratiæ efficacis nomine celebrat: atqui Angeli non ſolum habuerunt poſſe perſeverare & bene facere, ſed & auxilium *quo* operari juſtitiam valerent, ſed quo actu ſtarent & perſeverarent, ſiquidem defacto uſque in finem cuncta adimpleverunt pietatis officia & religionis præcepta: Igitur vere habuerunt auxilium *quo*.

Præter ejuſmodi rationes aliæ permultæ poſſent afferri. Et vero gratia prædeſtinationis conſummativa eſt ſpecialiſſima, ut fuſe docet S. Aug. toto de præd. SS. lib. Atqui hanc habuerunt Angeli ſancti: Igitur & auxilium *quo*. Item gratia perſeve-

ſeverantiæ eſt omnium miſericordiarum conſummativa, &c.plenitudo legis, adeoque ſupra gratiam ſufficientem omnibus communem plurimum elevata, ut ex profeſſo in libro de dono perſ. propugnat S. Auguſt. Illam autem habuerunt ſancti Angeli: Igitur habuerunt auxilium *quo*. Item gratia gloriæ Angelorum conſummativa fuit omnipotens, quæ eos tenuit & fecit in confeſſione, perdurante prælio, fortes & fideles, quod innuit Auguſt. Enchir. c. 95. his verbis: " Deus noſter in cœlo „ & in terra omnia quæcumque voluit „ fecit. „ Igitur gratia Angelorum non eſt gratia communit & indifferens, ſed efficaciſſima: alias nihil mirabile haberet prædeſtinatio Angelorum & ne dicam incomprehenſibile: quis autem rerum æquus æſtimator hoc dicet? Quomodo enim aliis Angelis quamvis in gratia creatis cadentibus illi ſteterunt? *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus*. Rom. 11. 33.

Denique, retorqueo contra Janſenium argumentum, ſi in Angelis boni fuit tantum auxilium *ſine quo* utique & cæteri perſeverare debuerunt: abſurdum conſequens, ergo & antecedens. Probatur ſequela: omnes fuerunt in gratia ſanctificante pares: omnes in hypotheſi & in gratia actuali, quia mali habuerunt auxilium *ſine quo*: unde igitur ceciderunt: numquid per vires nudas liberi arbitrii, Angeli boni diſcreti ſunt ab aliis, hoc eſt Pelagianum; & contra Auguſtinum ſupra laudatum, qui non ſemel gratiæ adjuvanti & operanti tribuit diſcretionem bonorum Angelorum a malis: Igitur ſi iſta velint novatores vitare abſurda, confiteri debent auxilium *quo* fuiſſe in ſanctis Angelis.

Fit ſatis Janſenii objectionibus.

JANSENIUS, ut ſuum de gratia defendat ſyſtema, totis viribus probare nititur libro de gratia primi hominis cap. 14. 15. 16. 17. 18. adjutorium neceſſarium ad ſingulos actus ſupernaturales, maxime ad perſeverantiam in ſtatu innocentiæ fuiſſe ſolummodo auxilium *ſine quo*, adeoque intactum manere ſuum de gratia principium, quo aſtruit gratiam duntaxat ſufficientem pro homine ſano & Angelis, efficacem vero per alterius excluſionem pro ſtatu naturæ lapſæ: quod quidem falſiſſimum eſſe, luce clarius oſtendimus: ſed ut veritas undequaque luceat & roboretur, reſpondendum eſt adverſarii rationibus.

Objicit Janſenius in libro mox laudato cap. 14. S. Auguſtinum operationem tribuere adjutorio Adæ collato: atqui illud adjutorium erat ſolum *ſine quo*. Igitur auxilium *quo* non erat pro ſtatu innocentiæ. Probatur minor, adjutorium *ſine quo* illud cenſetur quod dat poſſe: Atqui illi adjutorio Auguſtinus tribuit & operandi & perſeverandi virtutem atque efficaciam. Igitur illud adjutorium neceſſarium ad operationem pro ſtatu naturæ integræ, erat ſolum auxilium *ſine quo*. Probatur minor in qua eſt difficultas. Primo Auguſtinus lib. de corr. & gratia cap. 11. dicit de Adamo: " Poſſet ergo per- „ manere ſi vellet: quia non deerat ad- „ jutorium per quod poſſet, & *ſine quo* „ non poſſet perſeveranter bonum tene- „ re. „ Eo loci loquitur de gratia poſſibilitatis & hanc dicit ſufficientem ad perſeverandum, ait enim eſſe auxilium per quod poſſet, ſi vellet, perſeverare; qui loquendi modus indicat fuiſſe illud auxilium etiam pro operatione. Secundo, gratia collata Adamo & Angelo erat libero arbitrio ſubdita, juxta illud Auguſtini ibidem cap. 11. " Nec ipſum ergo, „ ſcilicet Adamum, Deus eſſe voluit ſi- „ ne ſua gratia, quam reliquit in ejus „ libero arbitrio. „ Et paulo poſt: " De- „ derat & adjutorium, *ſine quo* in ea non „ poſset permanere ſi vellet, ut autem „ vellet, in ejus libero reliquit arbitrio „ &c. „ Hæc autem gratia non eſt efficax. Tertio alimenta non ſolum dant poſſe vivere, ſed & vivere: Atqui S Aug. in eodem libro c. 12. comparat adjutorium in ſtatu innocentiæ alimentis, quæ tamen dicit tantum eſſe auxilia ſine quibus homo non viveret: Igitur auxilium *ſine quo* ſufficit, tum ad operandi potentiam: tum ad ipſam operationem: nec fuit auxilium *quo*, in ſtatu innocentiæ.

Reſpondeo nos jam feciſſe ſatis ſupra, pro ſolutione iſtarum difficultatum. Attamen nego minorem primi & ſecundi argumenti &c. Ad primam S. Auguſtini auctoritatem, diſtinguo: & S. Doctor loquitur tantum de gratia poſſibilitatis, non operis, concedo: ſecus, nego. Loquitur enim

enim ſolum de gratia quam habuit Adamus ad perſeverandum, quæque poſſibilitatis non operis fuit, cum de facto in juſtitia originali non perſeveraverit: Sed non negat Auguſtinus Adamum habuiſſe auxilium quo adimpleret & fidei, & ſpei, & charitatis præcepta.

Ad ſecundam auctoritatem diſtinguo, gratia etiam operis collata Adamo & Angelis erat ſubdita libero arbitrio quoad uſum, concedo: quoad ſe, ita ut a libero arbitrio dependeret, nego. Gratia dependet quoad uſum a libero arbitrio, quia ſe ſola non operatur effectum, ſed ſimul cum libero arbitrio. At vero non dependet a voluntate creaturæ; cum potius voluntas ab ipſa dependeat, quia illi datur gratia ut adjuvetur & applicetur ad opus. Cæterum ſic loquitur Auguſt. ut oſtendat gratiam operis non tollere libertatem, ſed hominem ſub ejus dominio quantumvis efficaci manere liberum lib. de corr. & gr. cap. 8. num. 17. " Ecce quemadmo- ,, dum ſecundum gratiam Dei, non con- ,, tra eam, libertas defenditur volunta- ,, tis. Voluntas quippe humana non li- ,, bertate conſequitur gratiam, ſed gratia ,, potius libertatem. ,, Denique argumentum ad ſummum probat gratiam innocentiæ non fuiſſe per ſe efficacem, quod tenent graviſſimi Theologi etiam pro noſtro ſtatu: Sed nullo modo evincit non eſſe efficacem, & gratiam operis, de qua ſolum currit præſens difficultas.

Ad tertiam auctoritatem diſtinguo: & S. Aug. non ſumit alimentum in eo ſenſu quo vitam operatur, ſed in eo quo poteſt illam fovere, concedo: & ſumit exemplum adæquate, & ſecundum omnem quam poteſt habere ſignificationem, nego. Auguſtini mens de ſe aperta eſt; ibi enim diſtinguit adjutorium *ſine quo*, & adjutorium *quo*, nec illa confundit auxilia ſicut Janſenius qui fucum facit legentibus. Cum enim validiſſimis argumentis contra ſuam ſententiam non poſſint reſpondere, tribuit poſſe operari & ipſam operationem eidem adjutorio *ſine quo*, quod quidem directe opponitur Aug. qui poſſe tribuit ſolum uni, & operari alteri; utitur autem exemplo alimentorum in eo ſolum ſenſu, quo poſſunt vitam alere: poſtea diſtinguit auxilium *quo*, cui ſoli operandi virtutem eſſe agnoſcit.

Juvat referre verba. Sic igitur loquitur lib. 12. de corr. & gr. cap. 12. num. 34. " Itemque ipſa adjutoria diſtinguenda ,, ſunt: aliud eſt adjutorium ſine quo ,, aliquid non fit, & aliud eſt adiuto- ,, rium quo aliquid fit: nam ſine alimentis ,, non poſſumus vivere, nec tamen cum ,, adfuerint alimenta fit ut vivat, qui mo- ,, ri voluerit. Ergo adjutorium alimen- ,, torum eſt ſine quo non fit, non quo fit ,, ut vivamus. ,, Quibus verbis penitus excludit exemplum ad ſignificandam operationem. Qua ratione igitur Janſenius qui comparat adjutorium *ſine quo* alimentis, poteſt dicere tale adiutorium ſufficere ad operationem, cum expreſſe dicat Auguſt. alimenta non eſſe id quo fit ut vivamus? Igitur & ex eodem ſancto Doctore auxilium *ſine quo* non fuit id quo factum eſt ut Adamus adimpleret fidei & charitatis præcepta: & id quo Angeli ſancti perſeverarent finaliter in bono.

Inſtat Janſenius cap. 15. ibidem: ſi auxilium *quo* neceſſarium fuiſſet in ſtatu innocentiæ, maxime ut boni Angeli diſcernerentur a malis: Atqui ad hoc ſufficiebat liberum eorum arbitrium cum auxilio *ſine quo*: Igitur auxilium *quo* non fuit in ſtatu innocentiæ. Major patet, probatur minor. Ideo quidam Angeli, aliis cadentibus, ſteterunt, quia ſic voluerunt: ut autem vellent, ſufficiebat adjutorium *ſine quo*. Ita colligitur ex Auguſtino qui lib. de bono coniugali cap. 21. ait: " Habitum eſſe quo agitur cum opus eſt, ,, cum autem non agitur, poteſt agi; ,, ſed non eſt opus: quo quis agit cum ,, voluerit. ,, Rurſus lib. de corr. & gr. cap. 12. de primo homine ait: " Ut ,, ergo non acciperet hoc donum Dei, ,, id eſt, in bono perſeverantiam primus ,, homo, ſed perſeverare, vel non perſe- ,, verare in eius relinqueretur arbitrio. ,, Et adhuc ibidem c. 11. " Sicut fecerunt ,, Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per ,, liberum arbitrium, per idem liberum ,, arbitrium ſteterunt ipſi. ,,

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum. Si per liberum arbitrium ſteterunt boni Angeli, abſque gratiæ etiam ſufficientis auxilio ſteterunt, quia Janſenius affert in probationem auctoritatem Auguſtini dicentis, quod ſicut mali per liberum arbitrium ceciderunt, ita e contra boni ſteterunt: certum eſt hoc eſſe contra Auguſtini mentem qui dicit creaturam ſine alte-

alterius auxilio peccare, ſed non benefacere cum de ſalutis negotio agitur; ex quo patet Janſenium nihil probare. Jam vero quodnam ſit auxilium *quo* Angeli boni ſteterunt, eſt, ipſo teſte Auguſtino, adjutorium quo diſcreti ſunt, adeoque efficax, quia auxilium diſcernens eſt adjutorium *quo* Angeli vicerunt tentationem Luciferi, quo magis adjuti meliores evaſerunt ut patet ex probationibus. Hoc autem competit ſoli auxilio *quo*. Nec mirum, vel ſufficiens erat illud auxilium, vel non: ſi primum, omnes Angeli ſtare debuerunt, quia omnes pares erant in adjutorio *ſine quo*: ſi non ſufficiebat: igitur liberum arbitrium adjuvabat ipſam gratiam & ſe ſe proprio conatu diſcernebat: verum hoc ſapit Pelagianiſmum: dicendum igitur Angelos præter auxilium *ſine quo*, habuiſſe auxilium *quo* vel congruum, ut multi volunt, vel præmovens ut Schola noſtra angelica docet.

Reſpondeo 2. negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Ideo boni Angeli ſteterunt quia voluerunt, & voluerunt quia fuerunt magis adjuti, concedo: ſecus, nego. Igitur auxilium *ſine quo* ad hoc non ſufficiebat, quia ex ipſo Auguſt. dat ſolum poſſe, & ſe tenet ex parte actus primi, unde aliud requiritur ex parte actus ſecundi, quod applicet ad actum & quod non ſolum det poſſe operari, ſed & operari, quale fuit, ipſo teſte Auguſtino, auxilium ſanctis Angelis collatum. Cæterum licet dicat eos ſtetiſſe, quia voluerunt, nihil refert; vult enim tantum indicare liberam Angelorum gratiæ cooperationem: Sic de malis dicit non ſtetiſſe quia noluerunt, utrumque etiam dicit pro noſtro ſtatu ſcilicet gratiam dari, ut velint homines bonum: de Judæis vero aſſerit non credidiſſe, quia noluerunt. Jam ſi quæras cur frequentius S. Doctor in liberum arbitrium primi hominis & ſanctorum Angelorum refundat actiones bonas, in noſtro vero ſtatu magis in gratiam, dicam hanc eſſe rationem, liberum arbitrium in gratia fuiſſe creatum in prima creaturæ ſpiritualis productione, ſecus in ſecunda: unde Auguſt. non eximit liberum arbitrium SS. Angelorum a gratiæ dependentia; quinimmo ſupponens in gratia, adhuc exigit adjutorium *ſine quo*, ut poſſent operari bonum: & auxilium *quo*, ut actu operarentur bonum, quia exigit quod præ cæteris magis adjuti ſint. Et ſic patet reſponſio ad utramque auctoritatem.

Reponit Ibidem cap. 16. lib. de gr. primi hominis &c. Una ratio cur auxilium *quo* requiratur in ſtatu innocentiæ, illa eſt, quia, & merita, & perſeverantiam finalem ſpecialia eſſe dona, etiam pro ſtatu innocentiæ, multi autumant: Atqui & merita & perſeverantia non fuerunt ſpecialia dona pro ſtatu innocentiæ. Ergo &c. Probatur minor: Illud non eſt ſpeciale donum quod creatura habet quando vult: Atqui primus homo habere poterat perſeverantiam ad nutum & per virtutem liberi arbitrii, hanc enim ponit diſcrepantiam S. Auguſtinus inter hominem ſanum & lapſum quod in præſenti ſtatu gratia finalis ſit ab homine independens, ſecus in alio; quæ quidem differentia non ſtaret, ſi perſeverantia fuiſſet donum ſpeciale in primo homine: Utrumque ſe probare putat Janſenius auctoritate S. Auguſt. pag. 65. col. 2. S. Doctor lib. de corr. & gr. cap. 12. ſic habet de perſeverantia liberi arbitrii: " Habens virtutem li-
,, beri arbitrii, ſcilicet ad perſeveran-
,, dum, quamvis non de futuro adjutorio
,, Dei ſine quo non poſſet perſeverare ſi
,, vellet; non tamen quo in illo Deus
,, operaretur ut vellet. ,, Ibidem: " For-
,, tiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit
,, facere, quod vellet; infirmis ſerva-
,, vit, ut ipſo donante, invictiſſime
,, quod bonum eſt, vellent, & hoc de-
,, ſerere invictiſſime nollent. ,, Rurſus cap. 11. dicit meritum fuiſſe Angelis ſanctis, debitum: " Factum eſt donum gra-
,, tiæ, intellige pro præſenti ſtatu quæ
,, merces meriti futura erat. ,, Hæc de Adamo ſcribit, poſtea ſubdit: " Profecto
,, ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet ſi
,, prima vere voluiſſet: ſicut fecerunt
,, Angeli ſancti qua hujus manſionis debi-
,, tam mercedem accipere meruerunt. ,,
Quibus verbis gloriam debitam merito Angelorum, & non gratiæ reputat; ſic concludit Janſenius: Ergo &c.

Reſpondeo 1. Magnum ſcatere errorem in dictis Janſenii; ſequeretur enim ex ejus concluſione homini primo fuiſſe liberum perſeverare, quia hoc erat in libero arbitrio, ſecus homini lapſo, quia ex ipſo gratia dat illi bonum facere invictiſſime & inſuperabiliter. Hoc ipſum innuit initio c. 16. his verbis: " Donum ſpeciale,

voca-

Digitized by Google

,, vocamus hic quod Deus per ſpeciale
,, gratiæ adiutorium donat, non ſolum
,, ita, ut ſine illo libertatis arbitrium id
,, non poſſit habere, ſi velit, vel illo ad-
,, iuvante poſſit habere, ſi velit, ſed e-
,, tiam ut per illud velit. Tunc enim Deus
,, per iſtud adiutorium ipſum velle do-
,, nando, donat & meritum, & huiuſmo-
,, di donata merita continendo ipſam etiam
,, perſeverantiam donet, ex qua ſpecialis do-
,, ni explicatione liquet, quid ad quæſtio-
,, nem iſtam iuxta Auguſtini mentem reſ-
,, ponderi debeat. Manifeſte quippe pa-
,, tet neque merita, neque perſeverran-
,, tiam Adamum, aut Angelos a Deo
,, ſpeciali hujuſmodi dono accipere debuiſ-
,, ſe, neque reipſa ſanctos Angelos acce-
,, piſſe. „ Et c. 15. Clarius ſuam prodit mentem: poſtquam enim dixit homini ſano fuiſſe liberum perſeverare, ſubdit: " Longe aliter ſe res habet in il-
,, lius gratiæ adjutorio, quod lapſis per pec-
,, catum fractiſque viribus libertati Chri-
,, ſtus attulit. Hoc enim non eſt amplius
,, adjutorium, ſine quo poſſunt velle,
,, vel permanere; ſed quo præſente hoc i-
,, pſo fit, ut velint, atque permaneant, &
,, per hoc non libero voluntatis arbitrio, ſed
,, ipſi gratiæ tribui debet. „ Uno verbo vult Janſenius ante peccatum hominem potuiſſe bona ex ſe facere & perſeverare, ſecus poſt peccatum, quia, inquit alibi, granditate peccati libertas amiſſa eſt, & ideo concludit gratiam invictiſſime movere & neceſſitare, quod eſt falſiſſimum. Cæterum licet perſeverantia, ut dicit providentiam extrinſecam rapientem ex hoc mundo juſtum ne malitia pervertat cor ejus, non dependeat a nobis, liberrime tamen elicimus actus bonos ad perſeverantiam finalem conducentes, immo & componentes.

Reſpondeo 2. negando minorem: Ad primam probationem diſtinguo, liberum arbitrium ſpecialiter adjutum a gratia habet perſeverandi virtutem, concedo: ſecus, nego.

Ad ſecundam diſtinguo ſimiliter, fortiſſimo dimiſit Deus, quia jam habebat gratiam homo ſanus & de novo adjutus poterat actu perſeverare, concedo: ſine gratia ſpeciali, nego. Erat quidem gratia ſpecialis requiſita homini ad perſeverandum, ſed ſpecialiſſima & major pro ſtatu præſenti requiritur. Non opus erat primo homini ea providentia quæ ſubito eum e mundo raperet, ne malitia mutaret intellectum ejus, quia nec concupiſcentia, nec paſſio ipſi dominabantur, unde dicit Aug. fortiſſimo dimiſit Deus ut perſeveraret, vellet: non ſic in natura lapſa: foris adſunt pugnæ, intus timores, mundus ſeducit; Satanas loquitur, voluptas emollit cor, hinc ſine ſpecialiſſima providentia non ſalvatur homo, & ideo gratia perſeverantiæ adæquate ſumpta inſuperabiliter movet, nempe mortem adducendo eo tempore, quo peccator dolet de peccatis tempore quo adeſt Confeſſor ut abſolutionem a peccatis ægroto conferat.

Ad tertium prob. ſupra reſponſum eſt gloriam eſſe utique reſpectu Angelorum gratiam, ſed non tantam, quantam prædicat pro nobis Aug. cum enim natura Filii iræ ſimus, & a parte ante, id eſt, a conceptione, & a parte poſt gratia ſumus indigni, & conſequenter gloria; meremur tamen eam, ſed ſuppoſita magna & continua gratia, unde Thr. 3. 22. habetur: *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.*

Obſtrepit Adhuc Janſenius ibidem cap. 17. aitque S. Auguſtinum ſibi proponere difficultatem motam, eamque ſolvere per liberum hominis arbitrium auxilio *ſine quo* duntaxat adjutum, adeoque auxilium *quo* prorſus abjeciſſe pro ſtatu innocentiæ: & ſic probare credit. S. Aug. lib. de corr. & gr. cap. 10. num. 26. edit. non " Hic,
,, *inquit*, exoritur alia quæſtio non ſane
,, contemnenda, ſed in adjutorio Domi-
,, ni in cujus manu ſunt, & nos, & ſer-
,, mones noſtri, aggredienda atque ſol-
,, venda. Quæritur enim a nobis, quan-
,, tum attinet ad hoc donum Dei, quod
,, eſt in bono perſeverare uſque in finem,
,, quid de ipſo primo homine ſentiamus,
,, qui certe ſine ullo vitio factus eſt re-
,, ctus. Nec dico: ſi perſeverantiam non
,, habuit quando ſine vitio fuit, cui tam
,, neceſſarium Dei donum non habuit?
,, Huic namque interogationi facile reſ-
,, pondetur, eum perſeverantiam non ha-
,, buiſſe, quia in eo bono, quo ſine vitio
,, fuit, non perſeverarit: . . . . Sed il-
,, lud magis quærendum operoſiuſque tra-
,, ctandum eſt, quomodo reſpondeamus
,, eis qui dicunt. „ *Si in illa rectitudine in qua ſine vitio factus eſt, habuit perſeverantiam, procul-dubio perſeveravit in ea: & ſi perſeveravit, utique non peccavit, nec*

illam ſuam rectitudinem Deumque deſeruit . Eum autem peccaſſe, & deſertorem fuiſſe veritas clamat . Non ergo habuit in illo bono perſeverantiam : & ſi non habuit, utique non accepit . Quomodo enim & accepiſſet perſeverantiam, & non perſeveraſſet ? Porro ſi propterea non habuit, quia non accepit ; quid ipſe non perſeverando peccavit, qui perſeverantiam non accepit? Neque enim dici poteſt, ideo non accepiſſe, quia non eſt diſcretus a maſſa perditionis gratiæ largitate . Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis maſſa antequam peccaſſet, ex quo tracta eſt origo vitiata .

Ecce ſtatus quæſtionis clare expoſitus . Non quæritur an Adamus habuerit perſeverantiam : certum quippe eſt, non habuiſſe, quia non in eo bono in quo creatus eſt, perſeveravit : Sed quare non habuit? Quare non habendo peccavit ? Quibus quæſtionibus ſic reſpondet Auguſtinus ibidem n. 27. " Quapropter ſaluberrime ,, confitemur quod rectiſſime credimus ,, Deum Dominumque rerum omnium, ,, quia creavit omnia bona valde, & ,, mala ex bonis exoritura eſſe præſcivit, ,, & ſcierit magis ad ſuam omnipotentiſ- ,, ſimam bonitatem pertinere, etiam de ,, malis benefacere, quam mala eſſe non ,, ſinere, ſic ordinaſſe Angelorum & ho- ,, minum vitam, ut in eo prius oſten- ,, deret quid poſſet eorum liberum arbi- ,, trium, deinde quod poſſet ſuæ gratiæ ,, beneficium, juſtitiæque judicium. De- ,, nique Angeli quidam, quorum prin- ,, ceps eſt qui dicitur diabolus, per li- ,, berum arbitrium a Domino Deo refu- ,, gæ facti ſunt. Refugientes tamen ejus ,, bonitatem, qua beati fuerant, non po- ,, tuerunt effugere judicium, per quod ,, miſerrimi effecti ſunt . Cæteri autem ,, per ipſum liberum arbitrium in veri- ,, tate ſteterunt, eamque de ſuo caſu ,, numquam futuro certiſſimam ſcire me- ,, ruerunt . ,, Quibus verbis, inquit Janſenius, Auguſtinus perfecte ſolvit difficultatem recurrendo ad vires liberi arbitrii. Reſpondet ergo quærentibus cur non habuit Adamus perſeverantiam, quia cum poſſet perſeverare, noluit : cur Angeli multi ſteterint, quia voluerunt ; & per liberum arbitrium adjutum auxilio duntaxat *ſine quo* ſteterunt : non alio fortiori opus habuiſſe Adamum innocentem aperte declarat Auguſt. inquit Novator. Sic enim ille Pater c. 11. n. 29. loquitur de primo homine : " Ille non opus habebat eo ,, adjutorio, quod implorant iſti cum di- ,, cunt : video aliam legem in membris ,, meis repugnantem legi mentis meæ. ,, Implorant auxilium *quo*, inquit Janſenius, teſte Auguſt. primus homo non indigebat ad perſeverandum . Veniens poſtea Auguſt. ad homines lapſos, dicit eos indigere gratia potentiore ea, qua Adam potuit perſeverare, & de facto perſeveraſſet ſi voluiſſet . Sic enim habet ibidem c. 11. n. 30. " Proinde & ,, ſi non interim lætiore nunc verumtamen ,, potentiore gratia indigent iſti : & quæ ,, potentior quam Dei ,, Unigenitus Dei ,, Filius? ,, Ergo &c.

Tribus igitur momentis Janſenius probat auxilium *ſine quo* fuiſſe per excluſionem auxilii *quo* in ſtatu innocentiæ, & illud ſufficiens fuiſſe non ſolum ut Adam poſſet perſeverare, verum etiam ut actu perſeveraret. 1. Quia Angeli boni ex Aug. per liberum arbitrium ſteterunt . 2. Quia primus homo, non opus habuit ad hoc auxilio efficaci quod implorant lapſi homines . 3. Quia lapſi indigent gratia fortiori, ea quæ data eſt Adamo, qui diſparem habuit, teſte Aug. cap. 11. n. 29.

Reſpondeo, jam ex parte factum fuiſſe ſatis ejuſmodi difficultatibus, & nihil ex auctoritatibus Aug. Janſenium juſte concludere poſſe . Ubique enim probare ſolum intendit S. Doctor Adamum habuiſſe ſolummodo auxilium *ſine quo* perſeverare non poſſet, non vero quo perſeveraret ; cum igitur Auguſtinus diſtinguendo adjutorium *ſine quo* ab adjutorio *quo*, illi tribuat perſeverandi potentiam, iſti actualem perſeverantiam, luce clarius apparet S. Præſulem præter auxilium *ſine quo*, exigere auxilium *quo* ad perſeverandum, ſed eo, inquit, ſua culpa caruit Adamus inobediendo, malus Angelus ſuperbiendo : alias ſi auxilium *ſine quo* ſufficiens fuiſſet ad perſeverandum, habuiſſet perſeverantiam Adamus, & inepte ad deſignandum Adami lapſum dixiſſet, non habuit auxilium quo perſeveraret : & ſic evaneſcunt Janſenii ratiocinia & concluſiones quas male ex doctrina ſancti Auguſtini, ut fucum faciat legentibus, deducit. Veniamus nunc ad ſingula quæ quidem pari facilitate ex ipſo Aug. ſolvemus.

Ad primum igitur diſtinguo, Deus ſic ordinavit hominum & Angelorum natu-

ram.

ram ut videret quid poſſet liberum arbitrium a gratia adjutum, concedo: ſibi uni relictum, nego. Ipſe fatetur Janſenius adjutorium neceſſarium fuiſſe SS. Angelis, eos nonniſi adjutos ſtetiſſe: quodnam vero fuerit adjutorium, patet ex Auguſt. fuiſſe auxilium *quo* pro perſeverantia actuali, quia ibidem poſtquam dixit Deum: " Sic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in eo prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium: " Subdit deinde: " Quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium. " Profecto loquitur de gratia actuali efficaci, quia loquitur de gratia operis, de gratia parata per omnipotentiſſimam bonitatem cui certe reſpondet gratia efficax & omnipotens; de gratia quæ de malis etiam benefaciendi habet virtutem; denique de gratia quæ dedit bonis abundantiam charitatis ut ſtarent, quod ſane intelligi non poteſt niſi de actuali charitate, de ferventiori dilectionis actu quem produxerunt SS. Angeli, quique gloriæ plenitudinem aſſecuti ſunt: de actu dilectionis, inquam maximo, non de charitatis habitu quem quidem habebat æque perfecte ac cæteri Lucifer, ut pote Angelorum primus. Qui tamen non ſtetit: quare vero non ſtetit, niſi quia per ſuam ſuperbiam privatus eſt auxilio *quo* perſeveraret? Quæ quidem omnia ita ſubvertunt ſyſtema & argumenta Janſenii, ut non remaneat effugiendi locus.

Quod autem Auguſtinus ſic ſe explicet ex ipſius verbis accipe, doctiſſime Lector. Ita igitur cap. 10. num. 27. loquitur & reſpondet ad objectionem: " Rectiſſime credimus, Deum Dominumque rerum omnium qui creavit omnia bona valde & mala ex bonis exoritura eſſe præſcivit, & ſcivit, magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere. " Ecce bonitas omnipotentiſſima: quid ad illam pertineat, dicit: " Etiam de malis benefacere quam mala eſſe non ſinere. " Quodnam bonum facit? Ut S. Angeli ſtent: " Sic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium. " Adjutum ſcilicet gratia ſanctificante, in qua creati fuerant, adjutum auxilio *quo* perſeverarent, adeoque efficaci; judicium vero in malis Angelis qui habebant auxilium *ſine quo*, ut Auguſtinus dicit de Adamo; non enim pejoris ipſo conditionis erant, ſiquidem creati fuerant in gratia, ſed ſua culpa & ſuperbia caruerunt auxilio, beneficio ſcilicet quo perſeverarent. Quænam erat illius gratiæ virtus? Magnam & abundantem producere erga Deum dilectionem qua boni Angeli ſteterunt; hæc autem perſeverantia eſt effectus ſolius gratiæ efficacis, immo efficaciſſimæ. Ita ibidem Auguſt. " Diabolus vero & Angeli ejus, & ſi beati erant antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent, ideſt, ut magna per Spiritum ſanctum data abundantia Charitatis Dei, cadere ulterius omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſſime noſſent. " Quibus verbis oſtendit Auguſt. omnes Angelos in felici ſtatu conditos fuiſſe, ſed plurimos defectu, charitatis abundantiæ quæ non ponentibus obicem datur per Spiritum ſanctum, ideſt, per gratiam efficacem, qua Spiritus ſanctus movet cor & applicat ad bonum, non perſeveraſſe. Quid plura? Ideo boni ſteterunt, quia propter fidelitatem fuerunt magis adjuti; quo modo præ cæteris adjuti? Non recipiendo quidem auxilium *ſine quo* non perſeverarent, quod teſte Janſenio eſt auxilium actuale gratiæ habituali additum, & quod teſte eodem Aug. Adamus habuit, qui tamen non perſeveravit: quod Angeli omnes habuerunt in ſtatu viæ & tamen non omnes perſeveraverunt: Igitur auxilio *quo*, aliis cadentibus, boni ſteterunt & finaliter perſeverarunt in juſtitia, qui ideo pro dilectionis ſummæ præmio, ſummam utique & conſummatam, ſortiti ſunt beatitudinem.

Ad ſecundum diſtinguo, primus homo non opus habuit ad perſeverandum auxilio quo ſanatur natura & comprimitur concupiſcentia, concedo: hoc ex ipſis Auguſt. verbis in objectione allatis claret; " Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti, cum dicunt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. " Non opus habuit auxilio efficaci quo perſeveraret, nego. Hic eſt ſenſus genuinus Aug. qui dividit gratiam actualem in adjutorium

ſine

ſine quo, & adjutorium *quo*. Primum, inquit, habuit Adamus, ſed non ſecundum: habuit auxilium *ſine quo* perſeverare poſſet, ſed non quo perſeveraret. Exiſtimat ergo S. Doctor præter auxilium *ſine quo* requiri ad perſeverandum auxilium *quo*: credit hoc ipſum habuiſse Angelos qui in veritate ſteterunt. Igitur fuit auxilium *quo* in ſtatu innocentiæ.

Ad tertium diſtinguo ſimiliter, gratia præſentis ſtatus eſt fortior, & diverſa ab ea quam habuit Adamus, concedo: ab ea quam habuerunt S. Angeli, ſubdiſtinguo, quoad aliquid, concedo: quoad omnia, ita ut gratia qua Angeli ſancti ſteterunt, non fuerit efficax, nego. Aug. loquitur de gratia Chriſti comparative ad gratiam Adami: jure merito illam dicit & fortiorem, & diverſam a gratia Adami, quia iſte ſolum habuit auxilium *ſine quo* perſeverare non poſset: electi vero habent per Chriſti merita gratiam qua actu perſeverant. Unde loquitur ſolum de gratia perſeverantiæ: Sed non de gratia efficaci qua donatus eſt Adam ad præcepta tum fidei, tum ſpei & amoris adimplenda. Cæterum, gratia qua perſeveraverunt S. Angeli eadem erat ſubſtantialiter quoad efficaciam cum gratia quam nunc ad perſeverandum a miſericordia Dei accipimus: licet ſecundum quid diverſa: quia in Angelis nihil habuit concupiſcentiæ decertandum, aut devincendum; attamen vere inclinavit & applicavit S. Angelos ad bonum, vere eos accendebat ad Deum fortius præ cæteris omnibus amandum, & ideo ad perſeverandum.

D. Auguſtinus eſt ſui ipſius interpres. Nam cap. 11. ſæpius dicit Adamum habuiſſe auxilium *ſine quo* perſeverare non poterat, habuiſse poſse perſeverare, ſed non actu perſeverare, non auxilium *quo* perſeveraret; ita nu. 31. 32. 33. & 34. ſic concludit: " Nunc vero Sanctis in regnum „ Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non „ tale adjutorium perſeverantiæ datur, „ ſed tale ut eis perſeverantia ipſa done„ tur; non ſolum ut ſine iſto dono perſe„ verantes eſse non poſſint, verum etiam „ ut per hoc donum nonniſi perſeverantes „ ſint. „ Quibus expreſſionibus oſtendit diverſitatem auxilii dati Adæ ad perſeverandum, & nunc electis conceſſi, in eo potiſſimum quod Adamus ſolum habuerit poſse perſeverare, electi vero præter hoc, habeant & actu perſeverare. Igitur de gratia actuali ſolum tractat in his locis Aug. de gratia ut reſpectum habet ad perſeverantiam: hanc autem gratiam in homine ſano & lapſo diſparem fuiſse, ultro fatemur cum Aug. ſed negamus ſanctum Doctorem excluſiſse a ſtatu innocentiæ gratias efficaces; Adam enim eas ad actus virtutum ſupernaturalium eliciendos habuit, Angeli vero ſancti ad perſeverandum ſin aliter in juſtitia.

Unum ſupereſt enucleandum, quo ex parte nititur Janſenii ſyſtema, nimirum an gratia efficax præſentis ſtatus, indeclinabiliter & inſuperabiliter moveat ad bonum; unde ſit

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Auguſtinus admiſit auxilium quo *pro ſtatu innocentiæ, non quidem perſeverantiæ, ſed ad eliciendos fidei, ſpei, & charitatis actus.*

PRIMO: Quia Adam ut primum creatus eſt, amoris præceptum adimplevit, quod, ſecluſa gratia operis, non potuit facere. Sic propugnat S. Aug. lib. 2. de pecc. merit. & remiſs. cap. 5. ubi ait neminem poſse præceptum adimplere niſi adjuvetur a Deo. Et loci loquitur de gratia efficaci, de ea ſcilicet quæ movet & applicat ad opus.

Secundo: Auxilium *quo* illud eſt, quod nos ſanctos efficit, repetitis virtutum actibus: Sed ex S. Auguſtino hanc habuit gratiam Adamus: ſic enim loquitur lib. 8. de gen. ad litt. cap. 10. 11. 12. " Sumpſit Dominus, *inquit*, hominem quem fecit, & poſuit eum in paradiſo operari, „ ut eſset juſtus. „

Tertio: Angeli ſancti habuerunt auxilium quo Deum ſuper omnia diligenter, & in hoc præ cæteris amplius fuerunt adjuti, ait S. Aug. lib. 12. de civ. cap. 9. ſi amplius adjuti, habuerunt auxilium *quo*: ſin minus, non fuiſsent magis adjuti, cum vel ipſi Angeli apoſtatæ habuerint in via auxilium *ſine quo*, ſeu gratiam ſufficientem qua bonum facere poterant: Sed idem dicendum eſt de Adam ad amoris præceptum adimplendum quod ab Auguſtino dicitur de ſanctis Angelis. Ergo &c.

SY-

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Omnes obiectiones quas Janſenius ex auctoritate S. Auguſt. proponit, unum ſolum probant, videlicet Adamum non habuiſse auxilium *quo* actu perſeveraret, quod nos ultro fatemur: Sed non inde ſequitur illum non habuiſse gratiam efficacem ad eliciendos virtutum actus. Quod autem in textibus S. Aug. a Janſenio laudatis ſit ſermo tantum de gratia finali, argumentum eſt, quia ex libro de corr. & gr. ubi de hoc dono potiſſimum agitur, eos deprompſit.

Secundo: Tametſi S. Auguſtinus lib. de corr. & grat. cap. 12. dicat ſanctos Angelos ſtetiſse quia voluerunt, non inde ad hoc contendit ſolum liberum arbitrium hoc egiſse, ſed illud gratia efficaci fuiſse cooperatum.

Tertio: Similiter quando S. Præſul ait Deum prius præſciviſse, quid valeret in Angelis bonis liberum arbitrium, deinde quid gratiæ beneficium, non intendit excludere pro initio boni operis gratiæ prævenientis neceſſitatem, hoc quippe Semipelagianiſmum ſaperet, ſed denotare liberam voluntatis creatæ cum gratia & cooperationem, & concordiam. Neque vero eodem innixi principio dicimus S. Doctorem merita SS. Angelorum ſolis naturæ viribus tribuiſse, quia tamen fuerant conditi in gratia ſanctificante quam non amiſerunt, ratione iſtius accepti doni, eorum in Deum amor & converſio veluti quamdam induebat ad meritum vitæ æternæ connaturalitatem.

SECTIO QUARTA.

Quid intelligat Auguſtinus, quum dicit gratiam Chriſti, movere inſuperabiliter, & indeclinabiliter.

JANSENIUS lib. de gratia primi hominis non ſemel dicit gratiam Chriſti efficacem movere *inſuperabiliter* & *indeclinabiliter*, & exinde concludit nullum remanſiſse in homine lapſo liberum arbitrium, hominem neceſſitari, quod ſane militat, & contra bonitatem Dei, qui nullum compellit & neceſſitat ad malum, vel bonum, & contra fidem quæ ubique nos edocet in ſcripturis hominem eſſe perfectiſſime liberum libertate activa indifferentiæ. Sed antequam ad difficultatis punctum veniamus, multa ſupponenda ſunt.

Primo: Hominem eſſe liberum, & præmotum ad aliquid, poſſe eligere vel non, ſi voluerit.

Secundo: Perſeverantiam poſſe conſiderari ex parte Dei decernentis talem hominem ad gloriam; vel ex parte hominis qui cooperatur. Poteſt utique conſiderari inadæquate & adæquate. Ex parte Dei decernentis, perſeverantia eſt immobilis & infallibilis; ſecus ex parte hominis, qui poteſt agere, vel non agere; perſeverare in bono, vel non perſeverare. Jam vero ſi adæquate ſumatur, incipit a prima gratia quæ eſt in nobis ſine nobis, & terminatur per providentiam rapientem ſubito hominem, ne malitia mutet intellectum ejus: & ſic dicit immobilitatem, & ex parte Dei moventis, cujus prædeſtinatio falli non poteſt, & ex parte mediorum, quia importat ſeriem gratiarum quibus homo pertingit fortiter ſimul & ſuaviter ad finem: ſi vero inadæquate ſumatur, non dicit abſolute immobilitatem; nam multi electi prolapſi ſunt in peccatum, deinde reſurgendo per pœnitentiam, gratiam amiſſam recuperarunt.

Tertio: Obſervandum eſt gratiam perſeverantiæ finalis ſeriem quidem multarum gratiarum quibus fit motus & greſſus ad finem, importare. Sed non conſiſtere formaliter in gratia actuali & operante, bene vero in providentia conjungente mortem cum gratia habituali & ſanctificante. Sic docet paſſim Auguſtinus in libris de præd. SS. & de dono perſ. ita etiam in lib. de corr. & gratia, dicens juſtum ſæpe rapi ne malitia mutet cor ejus, ut patet in electis qui apoplexia correpti, moriuntur in gratia: in parvulis qui poſt Baptiſmum e vita migrant. Utroque exemplo ſæpe utitur S. Præſul, ut demonſtret Pelagianis prædeſtinationem eſſe gratuitam, & perſeverantiæ gratiam, donum ſpecialiſſimum, quandoquidem perſeverantia juſtum *inſuperabiliter*, *indeclinabiliter* & immutabiliter firmat in bono non ſolum intenſive, quia ſic ordinavit & voluit Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, verum etiam executive, quia de facto ſic ordinante Deo, in gratia & juſtitia moriuntur electi.

Quar-

Digitized by Google

Quarto : Termini *inſuperabiliter* , & *immutabiliter* in ſenſu obvio, neceſſitatem important , ſiquidem dicunt rem non poſſe aliter ſe habere : ſin minus, dicendum eſt motum agentis eſſe liberum, & non inſuperabilem : quis enim dicet aliquid *inſuperabiliter* & *indeclinabiliter* evenire quod poteſt non evenire ? Nihilominus Janſenius lib. de gratia primi hominis c. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. & lib. 2. de gratia Salvatoris cap. 24. & 25. hanc ponit inter gratiam primi hominis & gratia Chriſti differentiam , quod gratia primi hominis erat ſubdita libero arbitrio, gratiam vero Salvatoris nullo modo ; ſed ita per ſe efficacem eſſe, ut omnis gratia in præſenti ſtatu ſit efficax, & moveat *inſuperabiliter* ad bonum ; ex quo infert gratiam medicinalem voluntati humanæ imponere bonum faciendi neceſſitatem . Ante ipſum ita docuerat Calvinus lib. 6. de lib. arbitrio ſuo circa finem . Cum uterque contendat hanc eſſe Auguſtini ſententiam , operæ-pretium eſt inveſtigare in quo ſenſu uſurpet ſanctus Doctor iſta vocabula ; *inſuperabiliter* , *indeclinabiliter* , & cuinam gratiæ ea applicet .

Oſtenſum eſt 1. Omnem Chriſti gratiam non eſſe efficacem . 2. Hominem poſſe reſiſtere gratiæ interiori adeoque gratiam actualem non movere *inſuperabiliter* . 3. Ne quidem efficacem movere *indeclinabiliter* : hoc tamen tenent quidam Theologi Orthodoxi, ſed in ſenſu a Calvini & Janſenii diverſo : ita enim liberum arbitrium a gratia efficaci moveri contendunt , ut maneat potentia ad oppoſitum : Sed profecto in rei veritate, hoc non eſt inſuperabiliter movere. Igitur quid in hac reſtituendum eſt ad libertatem humanam contra Calvinum & Janſenium defendendam , aperiendum eſt ſecundum Deum . Difficultas in hoc ſolum puncto conſiſtit an Aug. loquatur de gratia perſeverantiæ finalis quando dicit gratiam movere *inſuperabiliter* .

CONCLUSIO.

Quando S. Auguſtinus dicit gratiam Chriſti movere inſuperabiliter , loquitur de gratia perſeverantiæ adæquate ſumpta , ideſt , de gratia perſeverantiæ finalis .

Probatur triplici argumento . 1. Ex textibus . 2. Ex ſcopo ab auctore intento . 3. Ex bonis inde conſequentiis, malis vero ſi aliter intelligatur .

Primum argumentum ex textibus .

ILLE loquitur de gratia efficaci ſolum perſeverantiæ finalis , quando dicit gratiam movere *inſuperabiliter* . Qui quoties hanc addit particulam gratiæ efficaci , facit expreſse mentionem de perſeverantia finali : Atqui res ſic ſe habet : Igitur S. Aug. loquitur ſolum de perſeverantia quum dicit gratiam Chriſti movere *inſuperabiliter* , *indeclinabiliter* & *invictiſſime* . Probatur minor ex textibus ; maxime ex lib. de corr. & gr. excerptis ubi ex profeſſo hanc tractat materiam .

Primus locus in quo fit de gratia inſuperabili mentio, eruitur e capite 8. num. 17. ubi Auguſtinus loquens de oratione quam Chriſtus fudit pro beato Petro, dicit oraſſe, ne deficeret fides Petri, & Chriſtum a Patre pro Petro poſtulaſſe *inſuperabilem fortitudinem* in fide : Atqui Auguſt. ibi loquitur de perſeverantia finali in fide ; & probatur . Primo Auguſt. hanc ſibi proponit objectionem , Petrum potuiſſe non perſeverare & hoc concedit : Igitur ex ipſo gratia efficax ut ſic , ad bona opera quibus floruit B. Petrus, non movet *inſuperabiliter* , hoc fatetur Auguſtinus : „ Quis ignorat, tunc fuiſſe perituram fidem Petri , ſi ea qua fidelis erat, voluntas ipſa deficeret ; & permanſuram , ſi eadem voluntas maneret . „ Petrus ante illam orationem habuerat gratiam efficacem , ſiquidem , relictis retibus, ſecutus fuerat Dominum : ipſe vera amoris argumenta Chriſto dedit , cum ante Domini ſui paſſionem juravit illi fidelitatem : jam vero Chriſtus antequam a Judæis comprehenderetur, oraverat pro Petro ne fides ejus deficeret , & tamen poſtea negavit : gratia igitur efficax ut ſic , non movet *inſuperabiliter* , cum Petrus in bono

tunc

tunc non ſteterit. Quænam eſt ergo gratia quæ ipſum immobiliter & immutabiliter fixit in fide? Perſeverantia finalis in ipſa fide. Hanc pro eo a Patre expoſtulavit Chriſtus: de hoc loquitur Aug. ſic enim poſt verba modo allata ſubdit: “ Sed
„ quia præparatur voluntas a Domino;
„ ideo pro illo Chriſti non poſſet eſſe inanis
„ oratio. Quando rogavit ergo ne fides
„ ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi
„ ut haberet in fide liberrimam, fortiſſi-
„ mam, invictiſſimam perſeverantiſſimam
„ voluntatem? Ecce quemadmodum ſe-
„ cundum gratiam Dei, non contra eam
„ libertas defenditur voluntatis. Volun-
„ tas quippe humana non libertate con-
„ ſequitur gratiam, ſed gratia potius li-
„ bertatem, & ut perſeveret delectabi-
„ lem perpetuitatem & inſuperabilem
„ fortitudinem. Petiit igitur Chriſtus pro Petro, ut haberet in fide *perſeverantiſſimam voluntatem, delectabilem perpetuitatem*. Quid clarius, Aug. ioqui de perſeverantia finali in fide?..

Secundus locus depromitur ex capite undecimo nu. 33. ubi S. Aug. hunc gratiæ Chriſti tribuit effectum, quod ita figat in bono, & determinet juſtum, ut motus ab ipſa peccare non poſſit: cum e contra Adamus innocens ſub dominio gratiæ peccare poſſet: quod quidem diſcrimen, aut inane foret, aut etiam ruerit penitus, ſi gratia medicinalis *inſuperabiliter* & *indeclinabiliter* non moveret: ſic autem loquitur Aug. “ Quapropter bina iſta quid inter ſe
„ differant, diligenter & vigilanter in-
„ tuendum eſt, poſſe non peccare, &
„ non poſſe peccare; poſſe non mori, &
„ non poſſe mori; bonum poſſe non de-
„ ſerere, & bonum non poſſe deſerere.
„ Potuit enim non peccare primus homo,
„ potuit non mori, potuit bonum deſerere.
„ Numquid dicturi ſumus non potuit pec-
„ care qui tale habebat liberum arbitrium?
„ Aut non potuit mori, cui dictum eſt,
„ *ſi peccaveris, morte morieris*? Aut non po-
„ tuit bonum deſerere, cum hoc, pec-
„ cando, deſuerit, & ideo mortuus ſit.
„ Prima ergo libertas voluntatis erat poſ-
„ ſe non peccare: noviſſima erit multo ma-
„ jor non poſſe peccare. „ Sed quis non videat S. Doctorem loqui de gratia perſeverantiæ quæ ſola figit hominem immobiliter in bono, quæ jungit hominem Deo in perpetuum, ita ut non poſſit amplius non mori qui ſic prævenitur & adjuvatur, S. Aug. ſeipſum explicat ſequentibus verbis; hæc enim ſubdit: “ Prima immor-
„ talitas erat, poſſe non mori; noviſſi-
„ ma erit multo major, non poſſe mori;
„ prima erat perſeverantiæ poteſtas, bo-
„ num poſſe non deſerere, noviſſima erit
„ felicitas perſeverantiæ, bonum non poſ-
„ ſe deſerere. „

Tertius locus habet auctoritatem quæ eſt apud auctores contrarię ſententiæ palmaris, S. Aug. cap. 12. num. 38. ait: “
„ Subventum eſt igitur infirmitati volun-
„ tatis humanæ, ut divina gratia inde-
„ clinabiliter & inſuperabaliter ageretur.
„ Et ideo quamvis infirma, non tamen
„ deficeret, neque adverſitate aliqua vin-
„ ceretur. „ Non poſſum demirari ſatis qua ratione, qua mente, quo ſcopo aliquis hac utatur auctoritate, ut probet gratiam efficacem ut ſic movere indeclinabiliter, & hoc ut probet eam eſſe per ſe efficacem; ſed nimis probaret; ſequeretur enim hanc gratiam hominem non ſolum neceſſitare ad bonum, quod eſt contra Conc. Tridentinum, ſed & figere immobiliter in bono, ita ut ab eo teſte Auguſtino: “ Nec de-
„ ficeret, neque adverſitate aliqua vince-
„ retur. „ Quibus verbis aperte claret S. Doctorem loqui tantum de gratia perſeverantiæ, quæ multarum gratiarum, earumque actualium ſeriem complectitur, quæque dicit providentiam mortem cum gratia conjungentem: Igitur ex antecedentibus, & ex concomitantibus, & ex ſubſequentibus claret S. Aug. loqui de perſeverantia finali.

Ex antecedentibus quidem: “ Per hoc,
„ *inquit*, idem nu. 38. nec de ipſa per-
„ ſeverantia boni voluit Deus ſanctos ſuos
„ in viribus ſuis gloriari: qui eis non ſo-
„ lum dat adjutorium quale primo homini
„ dedit, ſine quo non poſſint perſeverare
„ ſi velint, ſed in eis etiam operatur &
„ velle: ut quoniam non perſeverabunt,
„ niſi & poſſint & velint, perſeverandi
„ eis & poſſibilitas & voluntas divinæ
„ gratiæ largitate donetur. „ Quia vero propter naturæ infirmitatem poſſint a juſtitia deficere, ſubdit: “ Subventum eſt igi-
„ tur infirmitati voluntatis humanæ, ut
„ divina gratia indeclinabiliter & inſu-
„ perabiliter ageretur. „

Ex concomitantibus veritas utique patet; namque ſanctus Præſul ſubdit de volunta-

te hominis adiuta: " Et ideo quamvis in-
„ firma, non tamen deficeret, neque ad-
„ verſitate aliqua vinceretur. Ita factum
„ eſt ut voluntas hominis invalida & im-
„ becilla in bono adhuc parvo perſeveraret
„ per virtutem Dei: cum voluntas primi
„ hominis fortis & ſana in bono ampliore
„ non perſeveraverit. „

Ex conſequentibus idem comperitur: ſic enim concludit Aug. " Fortiſſimo quippe
„ dimiſit atque permiſit facere quod vel-
„ let: infirmis ſervavit, ut ipſo donante
„ inviĉtiſſime quod bonum eſt vellent, &
„ hoc deſerere inviĉtiſſime nollent. „ Certe hoc de gratia efficaci ut ſic, intelligi non poteſt, cum etiam teſte Janſenio, peccator iuſtificatus poteſt amittere gratiam quam recepit virtute contritionis quam, adiuvante gratia efficaci, produxerat. Loquitur igitur Aug. tantum de gratia perſeverantiæ.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex ſcopo ab auctore intento.

CERTUM eſt S. Auguſtinum in libris contra Pelagianos & Semipelagianos exaratis, unum maxime intelligere, nempe exaltare gratiam Chriſti, ut quid naturæ indebitum, & tamen ipſi abſolute neceſſarium, & hoc contra illos qui illam abnegabant: contra iſtos vero qui illam ex parte evacuabant tribuendo naturæ boni operis primitias, probat, vel ipſum fidei initium eſſe a gratia, ut videre eſt in libris de gr. & lib. arbit. de præd. SS. & de dono perſ. ſed maxime lib. de corr. & grat. in quo quidem a capite ſexto ad decimum quartum uſque hanc urget rationem, ut probet gratiam Chriſti eſſe potentiſſimam, eamque gratia primo homini collata fortiorem, quod det actu perſeverare & ſtare immobiliter & inſuperabiliter in bono, gratia vero hominis ſani ſolum poſſe in bono perſeverare, quæ quidem ratio non ponderaret, ſi de alia, quam de gratia perſeverantiæ intelligeretur; nam ſi quælibet gratia operis det inſuperabiliter bene agere, quia certo applicat ad bonum, utique gratia Adamo collata hoc etiam patravit: licet enim primus homo non habuerit gratiam efficacem perſeverantiæ, habuit tamen pro præceptis fidei, ſpei & charitatis adimplendis: Igitur habuit gratiam ſaltem pro eiuſmodi præceptorum actibus efficacem ſimpliciter & ordinariam; hinc gratia medicinalis non diceretur ſimpliciter potentior gratia Adami; unde non bene concluderet Aug. qui hanc perpetuo ponit inter gratiam Adami & gratiam Chriſti differantiam, quod illa det poſſe agere & perſeverare: iſta vero actu perſeverare. Cæterum gratiæ efficaci ut ſic tribuere, quod moveat inſuperabiliter, eſt manifeſte confundere gratiam efficacem ordinariam quam etiam reprobi ad tempus non ſemel habent, cum gratia perſeverantiæ, quod eſt contra S. Auguſtinum qui hanc movendi indeclinabiliter proprietatem ſoli tribuit perſeverantiæ dono, qua quidem proprietate diſtinguit gratiam Chriſti a gratia primi hominis, ſed ut veritas in re tanti momenti eluceſcat: ſingula capita libri de correptione & gratia a cap. 6. uſque ad caput 14. incluſive, percurrenda ſunt, ut mens & ſenſus Auguſtini appareat; & hoc maxime in duobus. Primo quia ubique agit de perſeverantia. 2. Quia ſi de alia gratia concluderet, movere inſuperabiliter, non probaret intentum. Procedamus igitur amore veritatis, ut quid ſit de ſententia S. Auguſtini in hoc puncto ſentiendum unuſquiſque recte intelligat.

1. *Scopus* S. Auguſt. in cap. 6. eſt probare perſeverantiam eſſe magnum Dei donum, & orationibus multis aſſequendum, num. 10. his verbis: " Ad hæc nos ne-
„ gare quidem non poſſumus, etiam per-
„ ſeverantiam in bono proficientem uſque
„ in finem, magnum eſſe Dei munus:
„ nec eſſe niſi ab illo de quo ſcriptum eſt:
„ *Omne datum optimum, & omne donum,*
„ *perfectum deſurſum eſt.* „ Ecce materia totius capitis & variis multiſque Scripturæ & Patrum auctoritatibus perſeverantiam dari & concedi in virtute multiplicis orationis probat: adeoque eſſe donum Dei ſpeciale. Sed, quæſo, ſi omnis gratia efficax quæ communis eſt juſtis & improbis movet inſuperabiliter & figit iu bono, quomodo perſeverantia erit ſpeciale donum, cum nihil habebit quod gratia quandoque etiam ad tempus conceſſa reprobis, non habeat? Igitur eſſet contra ſcopum Auguſtini, ſi loquens de gratia inſuperabiliter movente, loqueretur de omni gratia efficaci.

2. *Se-*

2. *Scopus* S. Auguſt. in cap. 7. eſt commendare gratiam perſeverantiæ, quæ, *inquit*, denegatur multis ad quos non pervenit Evangelium, quandoque vero etiam parvulis abſque Baptiſmo morientibus. Eamdem autem concedi electis, etiam iis qui peccant, ſed pœnitentiam poſtea agunt: nonnullis in qualibet ætate, qui quidem periculis hujus vitæ mortis celeritate ſubtrahuntur: iſtis & aliis per magnam miſericordiam illis cui vaſa gratiæ facere complacuit: num. 13. ait: " Quicumque ergo ab illa originali damnatione iſta divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium; & cum audiunt, credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur, uſque in finem perſeverant, etſi quando exorbitant, correpti emendantur, quidam eorum, etſi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt; & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate ſubtrahuntur. „ Quibus verbis docet Aug. quandoque electos per magnam auxiliorum & actuum, tum dilectionis, tum pœnitentiæ ſeriem, quandoque etiam, accepta gratia ſanctificante, mortis celeritate ut in eis qui apoplexia correpti moriuntur, pervenire ad perſeverantiam, qua obtenta, immobiliter ſummo adhærent bono; & ideo perſeverantia eſt donorum omnium maximum. Sed gratia efficax ut ſic non habet hæc omnia, non una duntaxat peccatorem habitualiter exorbitantem reducit. Quinimmo, quandoque electi in ſola gratia habituali & ſanctificante conſiſtentes, ſubito rapiuntur: Igitur gratia quælibet efficax non movet inſuperabiliter. Et certe, hæc ſequitur conſequentia, nimirum quod perſeverantia non foret ſpeciale & ſummum donum, ſi gratia efficax ut ſic moveret indeclinabiliter ad bonum, quia tantum efficaciæ haberet, quantum ipſa perſeverantia: quod eſt manifeſte contra Auguſtinum.

3. *Scopus* S. Auguſtini in cap. 8. eſt utique perſeverantiæ donum omnibus præeminere gratiis oſtendere: quod quidem exequitur variis exemplis. Cur enim Deus non det hoc donum uni qui eſt in gratia, & amore flagrat? Cur neget quandoque filiis Juſtorum, parvulis vero Infidelium concedat? Cur iſte rapiatur quum in peccato eſt, & non raptus fuit quando erat in charitate? Reſpondet Auguſt. hoc ad inſcrutabile judicium Dei, apud quem non eſt iniquitas, pertinere, & ex his perpetuo concludit perſeverantiam eſſe omnium gratiarum maximam. Sic igitur ſcribit num. 17. " Hic ſi a me quæratur, cur eis Deus perſeverantiam non dederit, quibus eam qua chriſtiane viverent, dilectionem dedit: me ignorare reſpondeo. Nota hanc gratiam hominem immobiliter in bono conſtituentem, quandoque deeſſe illi, qui gratiam efficacem habuit, qui ea auxiliante, Deum dilexit: igitur non ad gratiam efficacem, ſed ad ſolam perſeverantiam pertinet atque ſpectat movere indeclinabiliter & figere inſuperabiliter in bono. „ Quod enim hoc ſit ipſius natura ibidem probat Auguſtinus exemplo Petri pro quo Chriſtus oravit, ne illius deficeret fides: " Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem. „

Numero 18. idem probat exemplis: " Quis hoc, *inquit*, non miretur? Quis hoc non vehementiſſime ſtupeat? Sed etiam illud non minus mirum eſt, & tamen verum, atque ita manifeſtum, ut nec ipſi inimici gratiæ Dei quomodo id negent valeant invenire, quod filios quoſdam amicorum ſuorum, hoc eſt, regeneratorum bonorumque fidelium, ſine Baptiſmo hinc parvulos exeuntes, quibus utique ſi vellet hujus lavacri gratiam procuraret, in cujus poteſtate ſunt omnia, alienat a regno ſuo, quo parentes mittit illorum, & quoſdam filios inimicorum ſuorum facit in manus Chriſtianorum venire. Et per hoc lavacrum introducit in regnum, a quo eorum parentes alieni ſunt. „

Pergit n. 9. probare exemplis excellentiam perſeverantiæ finalis ſuper cætera Dei dona, & hoc utitur argumento: " Reſpondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus. „ Rom. 11. *Quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Neque enim hoc non donat Deus quibus voluerit, aut vero Scriptura illa mentitur, quæ de morte veluti immatura hominis juſti ait, Sap. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum*

ejus,

ejus, *aut ne fictio deciperet animam ejus*. Ex illo toto capite cujus omnem fere textum exhibuimus non infert gratiam efficacem juſtis communem movere indeclinabiliter, ſed ſolum hoc tribui perſeverantiæ finali quam dicit eſſe ſpecialiſſimum Dei donum: Tum caput octavum ſic concludit: " Cur igitur, hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat „ Deus, . . . ſicut ergo coguntur fateri, „ donum Dei eſſe, ut finiat homo vitam „ iſtam, antequam de bono mutetur in „ malum? Cur autem aliis, aliis non donetur, ignorant, ita donum Dei eſſe in „ bono perſeverantiam ſecundum Scripturas. „ Videas velim, juſte Lector, Aug. ſemper unum concludere, perſeverantiam eſſe magnum Dei beneficium; nec hic movere quæſtionem de gratia efficaci ut ſic ad ſingulos religionis actus perutili; ſed de dono perſeverantiæ.

4. *Scopus* S. Aug. in capite nono & decimo idem eſt ac in præcedentibus, in nono probat perſeverantiæ donum eſſe ſpecialiſſimum, num. 20. dicit multos, ideo non perſeverare, quia non ſunt prædeſtinati; nu. 21. prædeſtinatos & ſecundum propoſitum electos dicit gaudere dono perſeverantiæ: nu. 23. ideo, inquit, electis omnia cooperari in bonum: " Propter hoc Apoſtolus cum dixiſſet, ſcimus quoniam „ diligentibus Deum omnia cooperantur „ in bonum: ſciens nonnullos diligere „ Deum, & in eo bono uſque in finem „ non permanere, mox addidit, his qui „ ſecundum propoſitum vocati ſunt, hi „ enim in eo quod diligunt Deum, per„ manent uſque in finem. „ N. 24. fuſius ſuam probat de perſeverantia quæſtionem, dicendo tantam eſſe perſeverantiæ gratiam, ut electis quodammodo etiam proſint lapſus, in quantum majoris & pœnitentiæ & dilectionis erga Deum miſerentem ſunt motiva: Tum concludit correptionem ſemper eſſe faciendam, quia proficiet homini ſi electus eſt & prædeſtinatus, immo & alteri, videlicet ut immutet vitam malam & incipiat bonam, & electus evadat: In capite vero decimo n. 26. exponit ſelicem Adami ſtatum, in quo quidem perſeverare poterat, ſed non perſeveravit, ſecus fidelis Angelus, ut habetur n. 27. & n. 28. Tum iſti capiti imponit finem his verbis: " Quod ergo pau„ ci in comparatione pereuntium, in ſuo „ vero numero multi liberantur, gratia „ fit, gratis fit. „ Quis igitur rerum æſtimator dicet S. Aug. agere de gratia efficaci ut ſic? Quis ex his Auguſtini ſententiis & probationibus rite concludere poterit: ergo gratia efficax movet inſuperabiliter, cum hanc concludendi proprietatem & modum a ſola perſeverantiæ gratia deducat ſauctus Doctor, & ex hoc ipſe concludat perſeverantiam eſſe magnum beneficium; quæ quidem conſequentia nullo modo ex ejus ſequeretur probationibus in utroque capite allatis, ſi movere inſuperabiliter conveniret gratiæ efficaci ut ſic & in abſtracto conſideratæ. Et vero in omnibus Aug. ratiociniis apparet non una gratia efficax, ſed multarum ſeries: ideo enim concludit electis dari perſeverantiam, quia prædeſtinatio eſt præparatio non unius, ſed omnium donorum quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur. Ideo aſſerit diligentibus Deum omnia cooperari, etiam lapſus in bonum cedere, quia non una, ſed gratiarum multitudine quæ perſeverantiam componit, reſurgunt in melius, & bonum ardentius quam ante lapſum & volunt & operantur: ideo gratiam Chriſti gratiæ Adami præcellere conclamat, quia illa dabat poſſe tantum perſeverare, iſta vero actu perſeverare largitur: Quæ gratia, quæſo, dat perſeverare: Nunquid una? heu! quot unam & etiam multiplicem habuerunt, atque juſti multis annis extitere, & tamen non perſeverarunt. Sola igitur perſeverantiæ gratia, movet inſuperabiliter, quippe quæ ſola figat hominem immutabiliter in bono.

5. *Scopus* S. Aug. in cap. 11. eſt præcedentem novis rationibus roborare de excellentia gratiæ perſeverantiæ doctrinam: n. 29. dicit ſanctos majorem & poteutiorem habere per Chriſtum gratiam ea, quæ primo homini collata ſuit. N. 31. reddit rationem cur ſit potentior, quia non ſolum perſeverandi voluntatem, qualem dabat gratia Adamica, ſed & perſeverandi actum atque ſtatum elargitur: " Nec illa „ quidem parva erat, *gratia ſcilicet Ada*„ *mi*, quia demonſtrata eſt etiam poten„ tia liberi arbitrii, quoniam ſic adjuva„ batur, ut ſine hoc adjutorio in bono „ non maneret, ſed hoc adjutorium, ſi „ vellet, delereret. Hæc autem tanto „ major eſt, ut parum ſit homini per il„ lam reparare perditam libertatem, pa-

„ rum

„ rum ſit denique non poſſe ſine illa, „ vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, ſi velit, niſi etiam efficiatur ut velit. „ De qua, quæſo, gratia loquitur Auguſt. Nonne de gratia quæ facit ſemper velle bonum & in ipſo permanere: “ Hæc autem, *ſcilicet gratia Chriſti*, tanto major eſt, ut parum „ ſit.... non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum. „ Ecce effectus gratiæ efficacis, ſed plus exigit: “ Vel „ permanere in bono. „ Et hunc dicit gratiæ perſeverantiæ effectum. Hoc præcipue effectu diſtinguitur gratia Chriſti, non ſolum a gratia Adami qua poterat perſeverare, verum etiam ab illa qua bonum ad tempus operatus eſt, quod faciat permanere immutabiliter in bono: & hoc probare intendit Aug. exemplo perſeverantiæ, ſed non concluderet, ſi cuilibet gratiæ efficaci conveniret movere inſuperabiliter ad bonum.

6. *Scopus* S. Auguſt. in capite duodecimo eſt concludere, perſeverantiam eam eſſe gratiam quæ animam immutabiliter figit in bono. Num. 34. hac de cauſa dicit eſſe inter gratiam Adami & Chriſti, quod illa daret poſſe perſeverare, iſta vero actu perſeverare largiatur. Num. 35. Quod priori Adamus tametſi ab omni concupiſcentia expeditus, non perſeveraverit, cum e contra poſterior omnis generis hoſtes ſic ſuperet, ut vel ipſi lapſus cedant in electorum ſalutem, quatenus vi pœnitentiæ ad majorem reſurgant juſtitiam: Sic loquitur num. 34. “ Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus „ fuerat rectus acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut „ perſeveraret, ſed ſine quo per liberum „ arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc „ vero Sanctis in regnum Dei per gratiam „ Dei prædeſtinatis non tale adjutorium „ perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa *donetur*. „ Proſequitur „ num. 35. “ Major quippe libertas eſt „ neceſſaria adverſus tot & tantas tentationes, quæ in Paradiſo non fuerunt, „ dono perſeverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus: hoc Sanctorum martyria docuerunt: „ Denique ille & terrente nullo, & in„ ſuper contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio non ſtetit in tanta felicitate, iſti autem non dico, terrente „ mundo, ſed ſæviente ne ſtarent, ſteterunt in fide; cum videret illa bona præſentia quæ fuerat relicturus, iſti futura „ quæ accepturi fuerant non viderent. „ Unde hoc, niſi donante illo a quo miſericordiam conſecuti ſunt ut fideles eſſent? „ Ibidem ſubdit: “ Accipiunt „ tantam per iſtam gratiam libertatem, „ ut quamvis, quamdiu hic vivunt, pugnent contra concupiſcentias peccatorum, eiſque nonnulla ſubrepant, propter quæ dicant quotidie, *dimitte nobis debita noſtra*, non tamen ultra ſerviant „ peccato. „ Et n. 24. “ Talibus Deus „ diligentibus cum omnia cooperantur in „ bonum; uſque adeo prorſus omnia, ut „ etiam ſi qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt „ atque doctiores. „

Vides, doctiſſime Lector, Aug. in his omnibus loqui de omni electorum vita, de pœnitentia, de paſſionum invicta tolerantia, de tentationibus, & mundi & carnis ſuperatis: de reditu modo ad fervorem priſtinum, modo ad ipſam gratiam per peccatum amiſſam, quæ omnia ſane non unam, ſed multas efficaces gratias complectuntur, non unam aut alteram, ſed perpetuam ſuper hoſtes ſalutis reportatam victoriam, quæ quidem virtutum actus requiruntur ut homo tandem aliquando inſuperabiliter & moveatur, & ſtet in bono: hæc Chriſti gratia Adami gratiam longe præcellit, ſed quæ gratia? Non ſane efficax ut ſic, ſed efficaciſſima gratia: quæ ſeriem donorum dicit & complectitur; quæ dicit providentiam extraordinariam; qua cuncta diriguntur, ut cedant in bonum electorum. Illud eſt perſeverantiæ donum quo Chriſti gratia ſupra modum exaltatur, ſic docet Aug. qui omnia capita allata ita concludit n. 38. “ „ Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & „ ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. Ibi factum eſt ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc „ parvo perſeveraret per virtutem Dei. „ Tum n. 40. cap. 13. “ Denique etiam hoc „ erit, quando ulla ſuperbia eſſe non poterit;

„ rit; numerus ergo Sanctorum per Dei „ gratiam Dei regno prædeſtinatus, do- „ nata ſibi etiam uſque in finem perſe- „ verantia, illuc integer perductus, & „ illic integerrimus jam ſine fine beatiſſi- „ mus ſervabitur, adhærente ſibi miſeri- „ cordia Salvatoris ſui, ſive cum conver- „ tuntur, ſive cum præliantur, ſive cum „ coronantur. „

Obſervandum eſt ſanctum Doctorem omnia ſua argumenta concludere per perſeverantiam finalem, per gratiam qua homo nulla adverſitate a Dei famulatu aut convellitur, aut penitus diſtrahitur, qua pervenit ad felicem ſtatum in quo non poteſt amplius peccare: quæ quidem omnia gratiæ efficaci ut ſic non convenire conſtat, cum homo modo ex peccatore juſtus, modo etiam ex juſto peccator evadat, hinc patet gratiam efficacem ut ſic nou movere inſuperabiliter, unde aut nihil, aut parum concluderet Aug. ſi illam tantum intelligeret gratiam.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Petitur ex benis & malis conſequentiis, ſi iſta vocabula, inſuperabiliter, indeclinabiliter, *male aut bene applicentur.*

1. SANCTUS AUGUSTINUS hanc deducit in ſingulis pæne capitibus relatis conſequentiam, gratiam Chriſti gratiæ Adami ſupereminere in fortitudine: ſed hanc non ſatis bene inferret concluſionem niſi gratia Chriſti adæquate ſumpta hominem immobiliter, id eſt, uſque ad finem figeret in bono, quæ conſequentia optime ſequitur ad perſeverantiam finalem: bene igitur concludit Aug. loquendo de ea movere inſuperabiliter & indeclinabiliter.

2. *Sanctus Doctor* num. 24. infert ex gratiæ Chriſti gratuitate & eminentia hominem in nullo niſi in Domino gloriari debere, & ſalutem cum tremore operari debere: N. 10. ut ſine intermiſſione oret ad tantum bonum aſſequendum, nempe perſeverantiam; quæ quidem illationes veluti connaturaliter ſequuntur ad dicta ſancti Doctoris: ſi de ſola perſeverantia loquatur, quia eſt indebita, cur enim iſte rapiatur quum amore Dei flagrat, alter vero cum amore ſæculi inflammatur, quis novit ſenſum Domini? Quanta pro primo miſericordia, quantum beneficium, quam magna gratia quæ immobiliter in bono conſtituit hominem.

3. *Videtur* quod S. Auguſtinus non potuerit alteri gratiæ quam perſeverantiæ dono tribuere, *movere indeclinabiliter*: quia ſi gratia efficax ut ſic moveret inſuperabiliter, vel hoc faceret pro ſemper, vel ad tempus: non primum, hoc quippe ſoli perſeverantiæ finali competit, hac enim ſecluſa, homo quantumvis juſtus poteſt deficere a juſtitia, & illam amittere, quod quotidie evenit; ſed neque ſecundum: Et vero ſi gratia moveat ad tempus inſuperabiliter, tollit libertatem, qui enim eſt inſuperabiliter motus, non habet potentiam ad oppoſitum; alias, non inſuperabiliter moveretur: quod eſt contra auctoritatem Concilii Tridentini ſic definientis ſeſſ. 6. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum .... non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.*

4. *S. Auguſtinus* ſibi ipſi, quod abſit dicere, non conſtaret, ſi gratiam efficacem ut ſic vellet inſuperabiliter movere, cum in libro de gratia & libero arbitrio non ſemel dicat liberum arbitrium poſſe gratiæ diſſentire, ſi velit, idem verbis expreſſis pronuntiat libro de ſpiritu & littera, cap. 33.

5. *Admittere* gratiam efficacem ut ſic movere inſuperabiliter, eſt anſam præbere Hæreticis propugnandi gratiam neceſſitantem, talem infert ex ſententiis Auguſt. in pravum ſenſum uſurpatis Calvinus in Antid. Trid. ad ſeſſ. 6. cap. 6. edit. 3. pag. 278. " In eo allucinantur, *inquit*, „ (loquendo de Patribus Concil. Trid.) „ quod motum nobis offerri ſomniant, „ qui mediam electionem nobis relin- „ quunt. Denique in eo falluntur quod „ nullum obſervant inter generationis gra- „ tiam quæ nunc miſeriæ noſtræ ſubve- „ nit; & primam quæ Adæ data fuerat, „ diſcrimen quod diligenter exponit Au- „ guſt. iſtam inquit, gratiam non habuit „ primus homo qua numquam vellet eſſe „ malus, tale quippe erat adjutorium „ quod dcſereret cum vellet, in quo per- „ maneret ſi vellet; non quo fieret ut „ vellet, ſed potentior eſt gratia in ſe- „ cundo Adam, qua fit etiam ut veli- „ mus. „ Tum lib. 2. Inſt. cap. 3. n. 10. idem dicit, ſed præcipue lib. de æterna Dei prædeſtinatione pag. 696. " Non ta- „ li modo illis perſeverantiæ donum confer-

„ tur,

„ tur, quo poſſint, ſi velint, ſed quo „ non niſi perſeverantes ſint, quod optima „ ratione confirmat D. Aug. Nam ſi in tan„ta infirmitate vitæ hujus ipſis relinque„retur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei „ ſine quo perſeverare non poſſent, ma„nerent ſi vellent; nec Deus operaretur ut „ vellent, inter tot & tantas tentationes vo„luntas ipſa infirmitate ſua ſuccumberet.„

Synodus Dordracena pag. 313. ſimilia dicit abutendo auctoritate D. Auguſt. & ait: " Irreſiſtibilem hanc Dei motionem eſſe, „ firmiſſime probant Orthodoxi, *ſic Calviniſtas vocat*, quia textus Patris *ſine quo*, nemo venit ad Chriſtum, Joan. „ 6. irreſiſtibilitatem gratiæ ſupponit. „ Rurſus pag. 316. " Addatur, *inquit*, & „ Auguſtini ratio de corr. & gr. cap. 14. „ qui habet humanorum cordium, quo „ placet inclinandorum potentiſſimam po„teſtatem. „

Dices: S. Aug. loquendo de gratia perſeverantiæ dicit eam dare liberrimam voluntatem: Igitur non movet inſuperabiliter tollendo libertatem: ſi res ſic ſe habet, cur gratia efficax ad tempus non movebit inſuperabiliter, ſalvo libertatis jure?

Reſpondeo diſtinguendo: perſeverantia inadæquate & inchoative ſumpta dat liberrimam voluntatem: concedo: adæquate ſumpta, nego. Perſeverantia duplici modo conſiderari poteſt; primo quidem inadæquate, & ſic importat multas gratias operis, multos virtutum actus. 2. Formaliter & adæquate, ut dicit non ſolum gratiarum & auxiliorum ſeriem, ſed & providentiam extraordinariam quæ mortem cum gratia conjungit; priori modo ſpectata dat liberrimam voluntatem, quia voluntas adjuta vult & eligit bonum, illudque ſummo proſequitur amore, & hæc eſt libertas filiorum Dei qua nunc donantur electi: Si vero perſeverantia conſideretur formaliter & adæquate, & ut eſt ipſa mortis cum gratia conjunctio, non pendet abſolute loquendo a nobis, ſed a Deo ſic ordinante, ut homo dum juſtus eſt & divino flagrat amore, e vitæ periculis ſubtrahatur. Quid plura? eſt ipſa mors pretioſa & beata in Domino requies: Porro qui eſt in termino ulterius peccare ſeu deficere non poteſt. In iſto ſenſu eam uſurpat S. Auguſt. lib. de dono perſ. cap. 1. num. 1. his verbis: " Aſſerimus ergo donum Dei eſſe perſe„verantiam qua uſque in finem perſeve„ratur in Chriſto. Finem autem dico, „ quo vita iſta finitur. „

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: S. Auguſt. l. de corr. & gr. cap. 6. num. 10. dicit Chriſtum oraſſe Patrem pro Petro, ne deficeret Petri fides: " Quid enim ei rogavit, *inquit*, „ niſi perſeverantiam uſque in finem? „ Sed perſeverantia per totum vitæ curriculum dicit gratiam efficacem ad quemlibet religionis actum neceſſarium, infallibiliter & inſuperabiliter moventem: Igitur verba iſta Aug. *inſuperabiliter*, *indeclinabiliter*, intelligi debent de quacumque gratia efficaci: Probatur minor. Nullus perſeverare poteſt in bono per totum vitæ ſpatium, niſi omnia adimpleat religionis præcepta, niſi orationi & cæteris religionis ac pietatis operibus vacet, ſed ad ſingulos actus requiritur gratia efficax, ſi reſiſtat juſtus, & a juſtitia decidat, jam non perſeverat: Igitur eo ipſo quo Chriſtus petit pro beato Petro in fide perſeverantiam, ſequitur omnes gratias efficaces quas Apoſtolus habuit, durante vita, pro virtutum actibus eliciendis, hunc ipſum inſuperabiliter moviſſe & applicaſſe ad bonum: quod quidem S. Auguſt. innuere videtur cap. 8. n. 17. ubi iterum Chriſtum loquentem pro fide Petri indefectibili & orantem inducit: " Quando rogavit ergo „ ne fides ejus deficeret, quid aliud ro„gavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, „ fortiſſimam, invictiſſimam, perſeveran„tiſſimam voluntatem? Ecce quemad„modum ſecundum gratiam Dei, non con„tra eam, libertas defenditur voluntatis. „ Voluntas quippe humana non libertate „ conſequitur gratiam, ſed gratia potius „ libertatem, & ut perſeveret, delecta„bilem perpetuitatem. „

Reſpondeo 1. ex hoc ſequi gratiam efficacem quæ nonnumquam reprobis datur, non movere inſuperabiliter, quia in gratia non ſunt perſeveraturi, nec habebunt delectabilem in bono perpetuitatem; adeoque falſum eſſe, gratiam efficacem ut ſic ſpectatam movere inſuperabiliter.

Reſpondeo 2. ad argumentum neg. min. nempe ad perſeverantiam requiri gratiam efficacem inſuperabiliter moventem ad quemlibet actum, & hoc propter multa:

N 2 Primo.

Primo quidem, ſi quælibet gratia efficax moveret inſuperabiliter voluntatem ad bonum particulare, profectò non foret pro libertate indifferentiæ locus; quomodo enim maneret potentia ad oppoſitum, ſi inſuperabiliter moveretur; ſi agente cujus non poſſet reſiſtendo ſuperare virtutem, applicaretur ad opus: Enimvero ſi voluntas in hypotheſi reſiſtere poteſt, non inſuperabiliter, ſed ſuperabiliter movetur, quod de facto ſic eſſe ex Coucilio Trident. conſtat. Secundo quia Chriſtus oravit pro Petro ante ejus Paſſionem; ipſe vero Petrus poſt illam orationem ſummum erga Chriſtum amorem demonſtravit, ad quem eliciendum habuiſſe gratiam efficacem nemo non novit, & tamen capto a Judæis Chriſto, Petrus Magiſtrum bonum & ſanctum non ſemel abnegavit, quo quidem grandi peccato amiſiſſe gratiam & peccaſſe mortaliter aſſerunt communiter ſancti Doctores: habetur autem Luc. 22. *Ait autem Dominus Simoni, Simon ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Ecce oratio pro perſeverantia in fide & in gratia. Hunc autem Petrus ſuum nova fidelitatis promiſſione erga Dominum protulit amorem. *Dixit ei: Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.* Ecce dilectio. *Petrus vero ſequebatur a longe . . . quem cum vidiſſet ancilla quadam ſedentem ad limen, & eum fuiſſet intuita, dixit: & hic cum illo erat, at ille negavit eum, dicens: Mulier non novi illum.* Ecce peccatum & pro tunc defectus a gratia & a juſtitia: Falſum eſt igitur gratiam efficacem in abſtracto ſumptam movere ad ſingulos religionis actus inſuperabiliter. Igitur non de gratia efficaci, ſed de perſeverantia loquitur Aug. quum dicit gratiam inſuperabiliter movere. Clamat ipſe pro veritate textus qui iterum atque iterum exhibet orationis Chriſti effectum eſſe Petri in fide finalem perſeverantiam.

Reſpondeo 3. negando minorem primi & ſecundi argumenti. Ad probationem diſtinguo conſequens, eo ipſo quo Chriſtus petiit pro Petro perſeverantiam, petiit gratias efficaces inſuperabiliter moventes terminative, concedo: abſtractive & in individuo, inſuperabiliter moventes, nego. Gratia perſeverantiæ poteſt conſiderari dupliciter, ſcilicet inadæquate ſeu inchoative, & adæquate ſeu terminative: primo modo conſiderata dicit auxilia actualia quibus juſtus adjuvatur ab bene vivendum; ſi autem quodlibet auxilium in abſtracto conſideretur, certe non movet inſuperabiliter, cum electi quandoque exorbitent, ſed poſtea reſurgunt: ſi vero perſeverantia adæquate ſumatur, non unam aut alteram gratiam efficacem importat, ſed ſeriem gratiarum efficacium quæ habent relationem ad finem bonum, quæque in hoc ſenſu moveut inſuperabiliter; in quantum ſi deficit juſtus, datur altera gratia ut reſurgat ad majorem juſtitiam & amorem, datur ut & perſeveret uſque in finem. Denique illa perpetua, continua & indefectibilis in bono fidelitas, non habetur præciſe a gratiis actualibus, quandoquidem perſeverantia in parvulis cum Baptiſmo e vita migrantibus, & in adultis qui apoplexia correpti ſubito moriuntur, in gratia efficaci non conſiſtat formaliter ut docent Theologi, ſcilicet Pater Serry in opuſc. cujus titulus, *Schola Thomiſtica vindicata*, p. 98. R. P. Daniel in opuſc. gallico idiomate ſcripto cujus titulus, *Traite Theologique touchant l'efficace de la grace*, pag. 32. ſed in providentia extraordinaria mortem cum gratia conjungente: Igitur gratiæ electorum efficaces non a ſe præciſe ſed ab illa providentia habent movere inſuperabiliter & figere immutabiliter in bono: Hinc gratia efficax perſeverantiæ nunquam ab illa providentia ſeparanda eſt.

Solutio eſt ipſius S. Aug. ſic enim loquitur cap. 7. lib. de corrept. & grat. num. 13. "Quicumque ergo ab illa ori„ginali damnatione, iſta divinæ gratiæ „largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium „quod & procuratur eis audiendum E„vangelium, & cum audiunt, credunt, „& in fide quæ per dilectionem operatur „uſque in finem perſeverant, & ſi quan„do exorbitaut, correpti emendantur, & „quidam eorum etſi ab hominibus non „corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt, & nonnulli accepta „gratia in qualibet ætate, periculis hujus „vitę, mortis celeritate ſubtrahuntur.„

Cæterum, movere indeclinabiliter ſoli gratiæ perſeverantiæ convenit, propter duo, Primo, quia perſeverantia dicit ſeriem,

ſeriem multarum gratiarum formaliter ut in ſè unitarum, & ut ad eumdem tendunt effectum qui eſt perducere prædeſtinatum infallibiliter ad bonum finem . . . Secundo, connotat providentiam extraordinariam mortem cum gratia conjungentem, in quo ſenſu Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 14. num. 43. ait, de Deo qui vult juſtum coronare: " Volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit liberum arbitrium. " Et D. Thom. 2.2. quæſt. 137. art. 4. in corpore loquens de dono perſeverantiæ, aſſerit non eſſe in hominis poteſtate, ut ſeipſum reddat in bono immobilem.

Inſtabis: Atqui Auguſt. propugnat gratiam efficacem ſecundum ſe ſumptam movere inſuperabiliter: Ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens, nempe quod Aug. in lib. de corrept. & grat. loquatur non ſolum de gratia perſeverantiæ, verum etiam de qualibet gratia efficaci, cum dicit gratiam inſuperabiliter movere. S. Doctor agit contra Pelagianos quotieſcumque gratiæ exaltat & neceſſitatem, & efficaciam: Pelagiani autem contendebant providentiam neceſſariam eſſe ad perſeverandum, & quidem tanquam ducem qui juſtum ad ſalutis portum feliciter conduceret: atqui tamen Auguſt. non ex illa providentia extraordinaria, ſed ex corruptione & infirmitate naturæ repetit gratiæ de qua loquitur, nempe inſuperabiliter moventis neceſſitatem: Igitur ſaltem non ſola perſeverantiæ gratia terminative ſumpta, ſed & gratia efficax ſecundum ſe ſpectata movet inſuperabiliter & indeclinabiliter.

Quod autem Aug. repetat tantæ gratiæ neceſſitatem ex naturæ lapſæ infirmitate, accipe ex his verbis quæ cap. 10. ejuſdem libri num. 29. profert: " Sancti vero in hac vita ad quos pertinet liberationis hæc gratia in malis ſunt, ex quibus clamans ad Deum Matth. 6. 13. *Libera nos a malo*. Ille in illis bonis Chriſti morte non eguit: *ſcilicet Adamus*, iſtos a reatu hereditario & proprio, illius agni ſanguis abſolvit. Ille non opus habebat adjutorio, quod implorant iſti cum dicunt video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. "

Reſpondeo negando ſubſumptum, ad probationem diſtinguo. Auguſt. non repetit gratiæ actualis ſumptæ in abſtracto neceſſitatem ex providentia vitam feliciter terminante, concedo: gratiæ inſuperabiliter in bono figentis, nego. Pelagiani negabant neceſſitatem gratiæ actualis ad ſingulos actus: Semipelagiani ad initium; ex quo ſequebatur etiam perſeverantiam finalem ortum habere a voluntate humana; contra primos probat gratiæ actualis neceſſitatem, ex Scripturis, ex indigentia, ex infirmitate naturæ lapſæ de ſe deficientis: contra ſecundos probat naturæ inſufficientiam tum ad bonum incipiendum, tum ad illud finiendum ex excellentia gratiæ perſeverantiæ, cujus gratuitatem ex profeſſo docet in libris de prædeſt. SS. & de dono perſeverantiæ; concedit Pelagianis iſtam partem, nempe providentiam requiri ſpecialem ad perſeverantiam finalem: & ad aliam partem convertitur probando gratiam requiri & ad initium, & ad conſummationem actus propter elevationem objecti, ſed maxime propter naturæ lapſæ dejectionem & infirmitatem, at vero agendo ſpecialiter de providentia, nulli gratiæ niſi perſeverantiæ tribuit movere inſuperabiliter; quod quidem patet ex loco in objectione de correptæ naturæ adjutorio citato; ibi enim de perſeverantia pertractat; unde poſtquam de neceſſitate gratiæ ad vincendam concupiſcentiam locutus eſt, num. 30. ſubdit: " Proinde etſi non interim latiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent iſti. " Tum num. 32. cap. 6. " Quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perſeveranter tenendo. "

Urgebis: controverſia inter S. Auguſt. Pelagianos & Semipelagianos erat tantum de gratia operis: Igitur cum dicit cap. 12. n. 38. " Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur. " Loquitur de gratia efficaci ut ſic, maxime cum in verbis antecedentibus loquatur de infirmitate naturæ, & ex illa infirmitate concludat neceſsitatem gratiæ inſuperabiliter moventis. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, erat controverſia de gratia actuali, ſed inſuper & de dono perſeverantiæ, & hoc tanquam de principali medio ad probandam gratiæ neceſſitatem & gratuitatem, concedo: & non erat de gratia perſeverantiæ, nego.

Duo fidei dogmata propugnat S. Auguſt. nempe neceſſitatem gratiæ ad initium & conſummationem actus boni contra Pelagianos, ad initium contra Semipelagianos; gratuitatem vero contra omnes, & ad hoc probandum utitur exemplo perſeverantiæ quæ incipit a prima gratia quæ eſt in nobis, quæ continuatur per ſeriem & multitudinem gratiarum ad pietatis & religionis actus neceſſariarum, quæque terminatur per providentiam extraordinariam mortem cum gratia conjungentem: quod quidem lib. de corrept. & grat. cap. 8. num. 17. optime explicat, his verbis: " Si ergo confiteris, donum Dei
,, eſſe perſeverare in bono uſque in finem;
,, cur hoc donum ille accipiat, ille non
,, accipiat, puto quod mecum pariter
,, neſcis, & ambo hic inſcrutabilia judi-
,, cia Dei penetrare non poſſumus. Aut
,, ſi ad liberum arbitrium hominis, quod
,, non ſecundum Dei gratiam, ſed con-
,, tra eam defendis (*loquitur contra Pela-*
,, *gium*) pertinere dicis ut perſeveret in
,, bono quiſque, vel non perſeveret,
,, non Deo donante ſi perſeveret, ſed
,, humana voluntate faciente; quid mo-
,, liturus es contra verba dicentis: *Ro-*
,, *gavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua.*
,, An audebis dicere etiam, rogante Chri-
,, ſto, ne deficeret fides Petri, defecturam
,, fuiſſe ſi Petrus eam deficere voluiſſet,
,, hoc eſt, ſi eam uſque in finem perſe-
,, verare noluiſſet? Quaſi aliud Petrus
,, ullo modo vellet, quam pro illo Chriſtus
,, rogaſſet ut vellet. Nam quis ignorat,
,, tunc fuiſſe perituram fidem Petri, ſi ea
,, qua fidelis erat voluntas ipſa deficeret;
,, & permanſuram, ſi eadem voluntas
,, maneret? Sed Proverb. 8. edit. 7.
,, *Quia præparatur voluntas a Domino*; id-
,, eo pro illo Chriſti non poſſet eſſe ina-
,, nis oratio. Quando rogavit ergo ne fides
,, ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi
,, ut haberet in fide liberrimam, fortiſ-
,, ſimam, inviciſſimam, perſeverantiſſi-
,, mam voluntatem? ,,

Ad id vero quod in confirmationem objectionis adducitur, ſcilicet, Auguſtinum ex infirmitate naturæ concludere gratiam inſuperabiliter moventem, diſtinguo: gratiam perſeverantiæ, concedo: gratiam ut ſic, nego. Hoc patet ex verbis ſubſequentibus, poſtquam Auguſtinus dicit: " Subventum eſt igitur infirmitati
,, voluntatis humanæ, ut divina gratia
,, indeclinabiliter & inſuperabiliter age-
,, retur; ,, Subdit: " Et ideo quamvis
,, infirma, non tamen deficeret, ne-
,, que, adverſitate aliqua vinceretur. Ita
,, factum eſt, ut voluntas hominis inva-
,, lida & imbecilla in bono adhuc parvo
,, perſeveraret per virtutem Dei. ,,

Inſiſtes: S. Auguſt. lib. de præd. SS. cap. 8. dicit gratiam efficacem ſecundum ſe ſpectatam movere inſuperabiliter, ſic enim habet: " Hæc itaque gratia quæ occulte humanis cordibus divina largita-
,, te tribuitur, a nullo duro corde reſ-
,, puitur, ideo quippe datur ut cordis du-
,, ritia primitus auferatur. ,, Unde ſic arguitur: gratia quæ a nullo corde reſpuitur, quæque ideo datur ut cordis duritia primitus auferatur, movet inſuperabiliter: quid enim ad hoc requiritur, niſi quod non reſpuatur, niſi quod duritia quæ poteſt gratiæ impedire effectum, penitus auferatur? Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens, ad probationem diſtinguo: gratia a nullo reſpuitur, ſed reſpui poteſt, concedo: & non poteſt reſpui, nego. Aliud eſt non reſpui, aliud eſt non poſſe reſpui. Revera quidem gratia efficax non reſpuitur, quia ſic præparatur voluntas a Domino, ut non abjiciat vocantem. Hinc & Martyres in compedibus gaudebant quoniam digni haberentur pro Chriſto contumeliam pati: hinc & peccatores præventi in benedictionibus dulcedinis, ipſas pœnitentiæ amaritudines ebibere delectantur atque congaudent; ſic enim Sanctus Spiritus illuminat animam ut ſuadeat bonum, ſic movet, ut velit & operetur bonum: ſed poteſt ſemper ex innata libertate voluntas reſpuere; verum quidem eſt ideo conferri gratiam ut cordis duritia penitus auferatur, ſed ſuppoſito quod prioribus gratiis non reſiſtat voluntas. Quot, ipſo teſte Auguſt. refrigeſcunt adverſus gratiarum imbrem, ipſe Auguſt. peccator a gratia ad meliorem frugem & ad converſionem invitatus, longo tempore, dixit, *cras*, *cras*, & legitur in actibus quod Paulus contra ſtimulum gratiæ recalcitraverit: ideo tamen datur gratia ut cordis duritia auferatur: ideo Corozain & Bethſaidæ data & conceſſa eſt, ut, cordis duritia ablata, converterentur, ſicut de facto Tyrii & Sidonii converſi fuiſſent, ſi eaſdem habuiſ-

buiſſent gratias, Et tamen reſiſtit Corozain, reſiſtit Bethſaida: Igitur ex loco citato nihil ſequitur contra perſeverantiæ donum, maxime vero, quia gratia efficax ut ſic, licet a nullo corde reſpuatur, non tamen inſuperabiliter movet & applicat ad opus.

Repones: D. Thomas fidelis S. Auguſt. interpres dicit gratiam efficacem ſecundum ſe ſpectatam movere inſuperabiliter; ſic enim loquitur quæſt. 6. de malo, art. unico ad 3. "Deus movet immutabiliter „ voluntatem propter efficaciam virtutis „ moventis. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens, ad probationem, diſtinguo: Deus movet immutabiliter voluntatem immutabilitate hypothetica, concedo: immutabilitate abſoluta, nego. Motus agentis increati poteſt conſiderari dupliciter: primo, ex parte ſui: ſecundo, ex parte ſui & cauſarum ſecundarum. Ex parte cauſæ primæ eſt inſuperabilis, quia Deus movet immutabiliter ad bonum, quippequi ſciat quod creatura mota conſentiet, & cum ejus motio ſit poſt prævisa eorum quæ fiunt in mundo, ejus providentia in omnium diſpoſitione non fallitur: motus ſecundo modo conſideratus, nimirum ex parte cauſæ ſecundæ, non eſt immutabilis, quando quidem cauſa contingens poteſt deficere: ita ſeipſum ibidem explicat D. Thomas, hæc enim ſubdit: "Sed propter naturam vo„ luntatis motæ quæ indifferenter ſe ha„ bet ad diverſa, non inducitur neceſſi„ tas, ſed manet libertas. „

Ex his omnibus liquet S. Auguſtinum neque admiſiſſe auxilium *ſine quo* in ſtatu innocentiæ per excluſionem a ſtatu præſentis; neque gratiam efficacem præſentis ſtatus movere inſuperabiliter; quibus poſitis ruit funditus Janſenii ſyſtema.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Auguſtinus movere inſuperabiliter hominem ad bonum ſoli dono perſeverantiæ finalis tribuit.

PRIMO: Quotieſcumque S. Doctor loquitur de gratia inſuperabiliter movente, dubio procul agit de gratia perſeverantiæ finalis, ut legenti librum de corrept. & grat. a cap. 6. uſque ad 12. incluſive, patebit: Nec mirum, cum aliquis eſt in termino & beatus non poteſt Deum non amare.

Secundo: Idem claret ex ſcopo S. Præſulis, quippequi iſto libro Pelagianos & Semipelagianos, qui vel ex toto, vel ex parte gratiam Chriſti evacuabant, ſuo perſtringit ſtylo cenſorio, oſtendendo gratiam mediatoris ipſa gratia hominis innocentis eſſe longe robuſtiorem, quippe quæ nedum poſſe perſeverare, ſed actu perſeverare, etiam ſæviente mundo & terrente diabolo, conferat.

Tertio: Si gratiæ efficaci ſecundum ſe ſpectatæ tribuatur motio inſuperabilis, actum eſt de libertate, vel enim voluntas humana poteſt ei reſiſtere, ut definivit ſacra Synodus Trident. vel non: ſi primum, jam non movet inſuperabiliter: ſi ſecundum ruit præceps in apertum baratrum libertas indifferentiæ actus.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Ait quidem S. Auguſtinus Chriſtum oraſſe pro Petro ut invictiſſimam haberet in fide voluntatem, ſed inde male concludit Janſenius omnem gratiam efficacem movere indeclinabiliter, cum vel ipſe Apoſtolus, abſoluta Chriſti oratione efficacem habuerit, quum Chriſto dixit: *Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire*. Et tamen poſtea Magiſtratum bonum alternatis vicibus abnegando, gratiam habitualem amiſerit.

Secundo: Non negamus gratiam efficacem dari ut cordis duritia primitus auferatur, ſed ei non tribuit inſuperabilem motionem S. Auguſt. niſi annexam habeat perſeverantiam finalem propter rationes non ſemel allatas.

Tertio: Eſto quod controverſia palmaris inter Pelagianos, Semipelagianos & S. Aug. eſſet de gratia actuali, ſecundario tamen fuit & de perſeverantia finali, quam vel ipſi Maſſilienſes negabant eſſe ſpeciale Dei donum. Quid plura? pergit ad ſcopum S. Præſul & exemplo perſeverantiæ finalis, quæ non cadit ſub meritum, probat gratiæ gratuitatem.

ARTICULUS QUARTUS.

De natura gratiæ efficacis præſentis ſtatus.

GRATIA Chriſti eaque efficax poteſt ſpectari in actu primo & ſecundum ſe; deinde in actu ſecundo, quando ſcilicet producit cum voluntate creata effectum. Omnes conveniunt gratiam non eſſe efficacem in actu ſecundo, niſi cooperante voluntate; alias liberum arbitrium mere paſſive, ut lapis, qui projicitur, ſe haberet, quod nequidem admittitur a Luthero & Calvino. Tota igitur controverſia eſt de gratia efficaci in actu primo conſiderata. Et quæritur utrum ſit per ſe, an tantum per voluntatis conſenſum, efficax?

Gratiam eſſe per ſe efficacem, eſt ſecundum ſe, & propria virtute habere infallibilem cum actu a potentia eliciendo connexionem, & hoc dependenter a decretis divinis, a quibus omnis virtus emanat. Eſſe vero efficacem per conſenſum, eſt gratiam eſſe de ſe indifferentem, ſed habere a conſenſu voluntatis gratia ſufficiente adjutæ ſeipſa determinantis energiam. Porro conſenſus voluntatis duplex diſtinguitur: alter negativus, alter vero poſitivus. Primus eſt cum voluntas non vult abſolute reſiſtere gratiæ moventi, ſed hæret pendula & ſuſpenſa manet. Perterritus peccator aut non vult peccare, aut peccare timet, neque tamen vult abſolute pœnitentiam. Hic conſenſus, proprie & in rigore loquendo, eſt adhuc gratiæ obnitentia, quia voluntas ſuadendi nondum aſſentitur. Poſitivus eſt cum de facto gratiæ ad pœnitentiam invitanti præbet aſſenſum, & conſentit abſtinere vel a carnis ſpurcitia, vel a vindicta, vel ab aliquo alio vitiorum actu, ita ut ſequatur effectus. Quæſtio igitur de illo tantum ſecundo conſenſu currit; & de illo loquuntur tum Auguſtinus, tum Tridentinum, cum dicunt liberum arbitrium motum poſſe conſentire, vel diſſentire, ſi velit. His ſuppoſitis petitur in præſentiarum quomodo gratia ſit efficax? Non una eſt circa illud momentum ſententia, unde ſit

SECTIO PRIMA.

De variis gratiæ efficacis ſyſtematibus.

DUPLEX circa gratiæ efficaciam ſyſtematis genus circumfertur: alii enim gratiam per ſe efficacem eſſe propugnant: alii vero tantum per voluntatis conſenſum: & circa utrumque ſyſtema variæ ſunt opiniones, immo & quædam a fide penitus alienæ.

§. I.

Syſtemata hæreticorum qui tenent gratiam per ſe efficacem.

LUTHERUS & Calvinus tenent gratiam eſſe per ſe efficacem, ita ut gratia moveat neceſſario, & liberum arbitrium mere paſſive ſe habeat reſpectu actus in eſſe morali, & non ſit electioni locus; active vero ſolum phyſice, in quantum actus procedit a potentia vitali. Ita docet Calvinus lib. 1. inſtitut. cap. 18. §. 1. Ita Lutherus variis in locis. Hanc efficaciam uterque repetit a decretis ferreis neceſſario præmoventibus, quia inquiunt Deus vult ſolum quoſdam a Chriſto confœderatos ſalvari; unde ſecundum eos, qui in fœdere conſcripti ſunt, velint, nolint, quidquid faciant, ſalutem conſequentur. Et hoc vocatur prædeſtinatio neceſſitans ad vitam. Quem quidem errorem ab antiquis Prædeſtinatianis, vel etiam a Philoſophis fatum admittentibus, Proteſtantes accepiſſe conſtat.

§. II.

Syſtema Janſenii.

QUONIAM multis cæcutire placet eo ductis prætextu, ut B. Auguſtini doctrinam, quam ſoli Janſenio multis ab hinc annis planiſſime, ut credunt, notam, propugnant; operæ-pretium eſt omnia in præſentiarum diſtinguere, & falſa ſecernere a veris, ut veritas, qualis eſt in ſe, appareat atque triumphet. Quatuor pro iſto momento rite abſolvendo nobis tractanda occurrunt. Primo, agendum eſt de Janſenii ſyſtemate: Secundo, de eodem in particulari, ejuſque eſſentia ſeu

natu-

natura: Tertio, de illo comparative ad ſyſtema Thomiſtarum: Quarto, iterum de eodem reſpective ad opinionem quorumdam Theologorum Orthodoxorum, qui ſalva voluntatis activa indifferentia, defendunt gratiam efficacem in delectatione cæleſti eaque victrici.

De ſyſtemate Janſenii in genere.

JANSENIUS Iprenſis iiſdem prope innixus principiis ac Calvinus, defendit gratiam per ſe efficacem eamque neceſſitantem; nam ejus repetit efficaciam a delectatione cæleſti indifferentiam voluntatis activam abſorbente: enim vero ſecundum illum, ſi delectatio illa ſit ſuperabundans, vincit terrenam ſibi oppoſitam: & neceſſario applicat voluntatem ad actum bonum, qua de cauſa eam vocat victricem, ſecus vero ſi concupiſcentiæ excedat delectatio: v. g. ſi adſint quatuor concupiſcentiæ gradus, gratiæ vero tantum duo, delectatio terrena vincit cæleſtem, & neceſſario compellit atque determinat voluntatem ad peccatum. Verum hanc neceſſitatem libertati adverſam eſſe nullo modo credit, quinimmo voluntatem ſub dominio ejuſmodi gratiæ liberam manere contendit. Sed quænam eſt illa libertas? Niſi fucata & imaginaria, ſiquidem in eo ſolum, teſte Janſenio, poſita eſt, ut homo agat voluntarie & ſpontanee, non enim electionem & indifferentiam actus ad rationem libertatis exigit Novator, ſed ſolummodo indifferentiam ſtatus. Et ut paucis omnia dicam, exigit tantum ad libertatem, immunitatem a coactione, ſed non a neceſſitate; quæ quidem opinio collimat cum opinione Calvini, qui ultro concedit lib. 2. inſtitut. cap. 2. num. 2. hominem in illo ſenſu poſſe dici liberum: Et lib. 2. de lib. arbitrio, pag. 153. edit. 3. Genevenſis, ait, parum de nomine libertatis ſollicitum eſſe, modo illud omne quod opponitur tantum violento, liberum dicatur.

De ſyſtemate Janſenii circa gratiam efficacem in particulari, ejuſque eſſentia.

JANSENIUS quatuor dicit 1. gratiam efficacem conſiſtere in delectatione victrici. 2. Illam delectationem neceſſario compellere voluntatem ad bonum. 3. Eamdem ſe tenere ex parte actus primi, & neceſſario inferre actum ſecundum: 4. Ineſſe voluntati creatæ ſub dominio gratiæ potentiam abſolutam & antecedentem reſiſtendi gratiæ, ſed non conſequentem & relativam.

Primum, nempe gratiam eſſe ex ſe efficacem, eamque in delectatione victrici conſiſtere, totius operis doctrina eſt, maxime vero lib. 4. de gratia Chriſti, inprimis in undecim capitibus: capite primo docet gratiam efficacem eſſe cæleſtem ſuavitatem, & hoc variis D. Aug. ſententiis, quas in ſuos retrahit ſenſus, probat, ut iſta ex l. de peccatorum meritis cap. 19. deprompta: *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & ſuave faciat quod non delectabat?* C. 2. idem probare proſequitur, duplicem diſtinguens delectationem, alteram terrenam, quæ eſt tum a concupiſcentia, tum a creaturis allicientibus & cor emollientibus: alteram cæleſtem, a gratia promanantem, quam eſſe victricem prædicat, ea tamen conditione, ut in gradu ſuperet terrenam, alias hæret in deſideriis inefficacibus, & terrena neceſſario compellit ad peccatum. Cap. 3. probat efficacem gratiæ a majori delectatione terrenam ſuperante, dimanare. Idem docet lib. 8. de gratia Chriſti, cap. 2. Itidem & propugnant ejus Aſſeclæ, in primis Arnaldus, diſſert. de gratia efficaci parte 4. art. 6. his verbis: *Nihil*, inquit, *aliud efficax gratia quam victrix delectatio, ſeu amor Dei, quo fit ut plus delectet quod præcepit Deus, quam delectet quod impedit.* Concinit Paulus Irenæus diſpoſitione 5. Ejuſmodi delectationis neceſſitatem pro gratia efficaci repetit Janſenius ex infirmitate naturæ, quæ propter corruptionem & fragilitatem, nonniſi ſuavitate & delectatione trahitur ad bonum. Ita docet lib. 4. de gratia Chriſti, cap. 2. 3. 4. 5. præcipue 7.

Secundum eſt, gratiam illam neceſſitare, & actum bonum neceſſario inferre. Ita tenet & propugnat Janſenius variis in locis lib. 4. de gratia Chriſti cap. 4. dicit perpetuam ineſſe nobis luctam quandiu vivimus, nec unam partem cedere alteri donec vincat & ſuperet pag. 173. col. 2. ſic loquitur: *Decet*, inquit, *Auguſtinus, quandiu in hac vita mortali vivimus*,

mus, eſſe in homine quandoque luctam duarum delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ atque cæleſtis, quarum utralibet vicerit, animum cæcum conſentientem ac pronum trahit. Tunc vero hominem a peccato liberari, & opus bonum effici, quum cæleſtis illa ſuavitas de cælo venerit, atque adverſariam ſuam ſuperaverit.

Audis, benevole Lector, delectationem trahere & neceſſitare voluntatem ſecundum Janſenium, cujus illud eſt inconcuſſum principium, quod ſui totius doctrinæ Auguſtini clavem appellant, neceſſe eſt agere bonum aut malum prout alterutrum magis delectat & placet. Janſenius eſt ſuipſius interpres, ibidem cap. 6. ubi ait: *Ex his jam perſpicue intelligitur, tantopere eſſe neceſſariam iſtam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut niſi major fuerit quam terrena, qua noſter affectus detinetur, fieri non poſſit quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam delectatione minori ſuperatur, ſed eam ſequetur animus, quæ magis eum efficiendo ſuavitate detinuerit.* Ideo ibidem ex profeſſo probat gratiam efficacem vocari victricem, quia, devicta concupiſcentiæ delectatione, neceſſario compellit voluntatem ad actum juſtitiæ.

Verum celebris eſt locus ex lib. 7. de gratia Chriſti, cap. 5. depromptus, in quo tam aperte ſuam exprimit mentem Janſenius, ut plane mirum ſit, quod viri alias doctiſſimi ita cæcutire velint, ut aſſerere audeant tertiam propoſitionem non reperiri in Janſenii libro. Audi igitur ipſum Janſenium, qui indifferentiam activam abſolute abnegat, qui voluntatem a gratia neceſſitari affirmat, qui non aliam libertatis eſſentiam requirit, quam a coactione immunitatem. Sic loquitur pag. 314. col. 1. *Ut igitur diviſionis iſtius natura percipiatur, memoria repetendum eſt, id quod tam prolixe ex Auguſtino, Bernardo, cæteriſque Patribus, tum Scholaſticis aſſeruimus libertatem arbitrii naturalem & generalem non eſſe aliam niſi a neceſſitate, quam eos ſolam coactionem intellexiſſe demonſtravimus. Ex quo fit ut apud eos liber actus ſit idem, qui non coactus, qui non fit, nobis nolentibus ſeu invitis, & qui hoc ipſo eſt in noſtra poteſtate. Hic autem non eſt alius, quam actus voluntarius ſeu ſpontaneus, prout voluntarium, ſeu ſpontaneum, juxta Damaſceni doctrinam, motum rationalem cum rationis advertentia & circumſtantiarum cognitione deſignat, nec oriri poteſt in homine renitente voluntate. Solum hæc eſt differentia, quod non coactum & non extra poteſtatem noſtram, deſignat, & motum illum privative, prout non fit ab extrinſeco; prout ab extrinſeco voluntarium, ſpontaneum, & in noſtra poteſtate, ſignificent eum poſitive, prout fit ab intrinſeco. Carere enim, cauſa extrinſeca cogente, non eſt ſatis ut actus voluntatis fieri intelligatur, niſi etiam ſuam cauſam internam habeat, a qua fiat, quod magis nomine ſpontanea & in poteſtate poſita, quam non coacta voluntatis exprimitur; liberum autem utrumque indicat, ut videlicet & privative non cogatur quaſi ſit extra arbitrii poteſtatem, & poſitive ſponte fluat ut ſit in arbitrii poteſtate.*

In his totum ſyſtematis fundamentum totumque virus apparet. Enimvero Janſenius vult primo ut voluntas humana terrena vel cæleſti delectatione neceſſitetur ad alterutram partem. 2. Ut maneat libera eo ipſo quo ſponte agit cum advertentia & cognitione circumſtantiarum. 3. Hanc neceſſitatem vocat naturalem diſtinctam a cæca, qualis eſt in amentibus, quæque ſola libertati opponitur. 4. Non aliud ad libertatem exigit, quam a coactione immunitatem, modo actus & intrinſece, & voluntarie fluat a potentia vitali.

Tertium momentum eſt, delectationem victricem ſe tenere ex parte actus primi, quia dicit motum indeliberatum, quo voluntas ponderatur, & inclinatur ad unam potius quam ad unam partem, & ſua virtute infert neceſſario actum cum quo neceſſariam & inſuperabilem habet connexionem. Ita docet Janſenius lib. 4. de gratia Chriſti: *Dicimus igitur delectationem iſtam, ſeu ſuavitatem in Auguſtino celebrem, eſſe partim primum illum & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia eſt, partim etiam & crebro, ſecundum, qui deſiderium indeliberatum dicitur, quibus anima ita ſuaviter ac delectabiliter in bono appetendo rapitur, ut voluntas ei actu libero conſentiat ac bonum diligat, tanto vehementius quanto fortius illis actibus rapitur.* Ex quibus liquet delectationem cæleſtem ſecundum Janſenium, omnem perimere libertatem; non enim ſecun-

cundum illum eſt præmotio moralis pure objectiva, ſed realis & intrinſece potentiam afficiens : neque ſolam ſenſus compoſiti dicit inſuperabilitatem quæ convenit, ſecundum omnes, potentiæ cum actu ſuo conjunctæ, qui enim ſedet non poteſt ſimul non ſedere, ſed inſuperabilitatem virtutis moventis, quæ neceſſario infert actum. Hanc gratiam neceſſitatem iterum delineat lib. 7. de gratia Chriſti, cap. 5. his verbis: *Eſt autem . . . . delectabilis quædam arriſio ſeu complacentia objecti, quæ motus omnes voluntatis antegreditur, & viam parat, ſine qua omnino, quantumvis ſive velit, ſive nolit, ſive velle poſſit, ſive velle non poſſit, ſemper in ea generalis & naturalis illa ratio libertatis, quam explicuimus, integra ſit, nullaque in alterutram partem neceſſitate cogatur . . . hoc igitur quod potentiam voluntatis ad volendum allicit, & quo magis accenditur, implicaturque voluntati, eo ardentius conſtantiuſque allicit.* Ecce quomodo Janſenius ubique & conſtanter ad libertatem exigit ſolam a coactione immunitatem. Poſtea diſtinguit terminum a quo, & terminum ad quem gratiæ, iſtum eſſe in noſtra poteſtate con tendit, eo ipſo quo voluntarie & ſpontanee elicitur.

Quartum & quidem ponderatione dignum, illud eſt, Janſenium & ſuos duplicem diſtinguere potentiam, alteram antecedentem & abſolutam: alteram vero conſequentem & relativam faciendi bonum. Prima eſt a gratia ſecundum ſe ſpectata, quæ ſecundum Dei intentionem datur v. g. ad producendum actum ſibi proportionatum, ideſt, ſi eſt gratia intenſa ut quatuor, poteſt producere actum juſtitiæ bonum ut quatuor, quem tamen per accidens non producit, ſi ſit in concurſu cum concupiſcentia ut ſex : unde ſecundum ſe eſt gratia efficax : & de facto ſi concupiſcentia minuatur uſque ad tertium gradum inferiorem, illa gratia ſine nova entitate ſuperaddita, producet ſecundum Janſenium, actum bonum ut quatuor. Hanc gratiam appellat parvam relative ad circumſtantias, ſufficientiſſimam tamen ſecundum ſe & in abſtracto ſpectatam, ſed non in concreto, & ideo revera non eſt auxilium ſufficiens in concreto, quia ſecundum Novatorem, impoſſibile eſt hominem cum illa ſola gratia vincere concupiſcentiam in gradu ſuperiorem, & in hoc ſenſu præcepta dicit impoſſibilia. Potentia vero conſequens & relativa ex eodem promanat a gratia ſuperante in gradu concupiſcentiam, in qua quidem hypotheſi utique dicit Janſenius impoſſibile eſſe concupiſcentiam reſiſtere gratiæ, & ideo hominem neceſſario compelli ad bonum.

Janſenius hæc omnia ex profeſſo probat variis in locis, maxime lib. 4. de gratia Chriſti, cap. 6. pag. 173. col. 1. *Ex his*, inquit, *jam perſpicue intelligitur tantopere eſſe neceſſariam iſtam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut niſi major fuerit quam terrena, qua noſter affectus detinetur, fieri non poſſit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur.* Rurſus ibidem cap. 7. pag. 176. col. 1. *Dico itaque, juxta ſancti Auguſtini mentem conſtantiſſimam & ſæpe declaratam, idcirco in iſta, cum tentationibus, dimicatione, magnam, adeoque majorem ac victricem delectationem cæleſtem eſſe neceſſariam, ut delectatio terrena ſuperetur, quia, alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non poteſt, ſeu, ut Schola loquitur, tam intenſe ac fortiter velle non poteſt, quantum neceſſe eſt, ut tentatio, ſeu delectatio oppoſita ſuperetur.* Et iterum lib. 7. cap. 5. pag. 314. col. 1. *Actus porro liber quatenus poſitive ſpontanea & in poteſtate poſita voluntatis inclinatione fluit, quamvis ſemper ſine ulla neceſſitatis coactione fiat, impediri tamen & promoveri poteſt, & magis minuſve poni in arbitrii poteſtate, prout animi pronitas & repugnantia reſpectu actus, ſeu id quod voluntatem ad velle vel nolle provocat & avocat, itemque poteſtatem & infirmam facit, creſcit atque decreſcit.* Igitur ex Janſenio, potentia adimplendi præceptum juſtitiæ nuſquam deeſt, niſi delectatio cæleſtis inferior fiat terrena, nec juſtitiæ actus eſt in poteſtate voluntatis, niſi terrena decreſcat delectatio ; ſi enim creſcit, tunc infirma eſt voluntas, ſi vero decreſcit, jam potens evadit.

Janſenius rurſus explanat iſtam duplicem potentiam, probat & propugnat lib. 8. de gratia Chriſti, cap. 2. & 20. & poſt ipſum ipſius diſcipuli, inprimis Sambovius in tract. de gratia, diſput. 5. art. 6. apud Paulum Irenæum, diſput. 4. art. 4. his verbis : *Legitima eſt*, inquit, *diviſio gratiæ voluntatis propria ſtatus natu-*

ræ

Digitized by Google

ræ lapſæ per Chriſtum reparatæ , in gratiam ſufficientem intelligatur gratia parva , ea ſcilicet , quæ cum ſit efficax , ejus effectus ad quem proxime ordinatur , & quem Deus abſoluta voluntate intendit , non eſt tamen efficax ejus effectus , quem Deus abſoluta voluntate non intendit , & ad quem ordinatur , quantum eſt ex ſe . Ex his patet Janſenium & ejus defenſores per potentiam abſolutam , intelligere auxilium ſufficiens voce-tenus ; nam vel illud auxilium conſideratur ſecundum ſe & in abſtracto, vel relative & in concreto . Si primum , non eſt ſufficiens ſed efficax , quia & ex voluntate Dei & ex ſua natura habet virtutem producendi effectum , ad quem ordinatur : v. g. ut dictum eſt , ſi gratia illa parva , eſt intenta ut quatuor , habet vim producendi actum bonum ut quatuor , & de facto producet ſuppoſito quod decreſcat concupiſcentia . Si relative ad majorem delectationem terrenam & in concreto ſpectetur , nullo modo eſt utique ſufficiens ; quia impoſſibile eſt ex Janſenio ut in concurſu majoris delectationis producat actum bonum .

Concinit Arnaldus diſſert. de gratia efficaci , par. 2. art. 4. quærens enim an aliquis in gratia efficaci poſſit reſiſtere gravi tentationi , ait : *Tunc ſi ex communi omnium loquendi ratione , reſpondebitur , non quod abſolute , ſed in illa hypotheſi , ſine gratia non potuiſſe .* Poteſt ex ipſo potentia abſoluta , non relativa , ex hypotheſi ſcilicet quod ferventior ſit concupiſcentia .

Totum hoc ſyſtematis myſterium clariſſime explicant auctores quinque articulorum , art. 2. his verbis : *Quamvis* , inquiunt , *gratia ſufficiens in ſe ſpectata , effectu illo careat ad quem tendit , ad quem voluntas excitat , ad quem per antecedentem voluntatem deſtinatur , adeoque falſum ſit hoc ſenſu , omnem Chriſti gratiam habere eum effectum quem Deus vult , ſi tamen ſpectetur ut cum adjuncta voluntate conjuncta , merito hoc ſenſu efficax dici poteſt .*

Ex hoc gratiæ victricis ſyſtemate veluti e primigenio fonte promanant quinque Propoſitiones damnatæ . Prima quidem , quia eo ipſo quo delectatio gratiæ inferior eſt in gradu delectatione terrena , non poteſt voluntas aut reſiſtere concupiſcentiæ renitenti , aut eam colliſo impetu vincere , & ſic quædam præcepta quibuſdam juſtis , etiam conantibus , ſunt impoſſibilia ſecundum præſentes , quas habent , vires ; quia ſecundum Ianſenium impoſſibile eſt cum gratia illa parva vincere concupiſcentiam exæſtuantem . Fluit ſecunda , ſi enim gratia ſuperior ſit in gradu , pari ratione non poteſt illi reſiſti . Sequitur tertia , quia in concurſu delectationis cæleſtis ſuperioris anima ſponte quidem & voluntarie agit , ſed neceſſario , operatur enim cum advertentia & cognitione circumſtantiarum , & hoc ex Ianſenio ſufficit ad libertatem , ut docet lib. 7. de gratia Chriſti , cap. 5. lib. 4. cap. 7. lib. 8. cap. 9. Etiam quarta ſubſequitur quoad iſtam ſecundam partem , nempe Semipelagianos in hoc fuiſſe Hæreticos , quod dixerint , gratiam ſubjici quoad uſum , libero arbitrio , quandoquidem ſi delectatio victrix eſt , ita per ſe efficax evadit , ut neceſſitet , & ſic nequidem quoad uſum gratia ſubjicitur voluntati humanæ , quod ſane erroneum eſt , nam uſus dependet a libero arbitrio ut a cooperante & concauſa effectus producendi . Denique ex hoc ipſo ſequitur etiam quinta , namque ſi omnis gratia eſt efficax , & ſi omnis neceſſitat ad bonum , cum gratia efficax non ſit pro omnibus v. g. pro reprobis , conſequens eſt utique Chriſtum non eſſe mortuum niſi pro electis , nempe pro his ſolis pro quibus meruit gratias efficaces .

De ſyſtemate Ianſenii relative ad Calvinum & Lutherum .

Hæreſis Janſeniana eſt nova , & a Calviniana diſtincta , quamvis ei ſit affinis .

JANSENII defenſores ut ab ejus libris averterent damnationem , diſtinxerunt in opere famoſo trium columnarum ſenſum Calvini & Lutheri : ſenſum D. Th. & Molinæ . Primum & tertium a Janſenio prorſus alienum dicebant , ſecus vero medium , qui tribuitur Thomiſtis . Omnes norunt propoſitiones non præciſe in ſenſu Calvini , neque a fortiori in ſenſu Molinæ & D. Thomæ , ſed in ſenſu Janſenii fuiſſe proſcriptas . Nova eſt igitur hæreſis Janſeniana , & licet Calvinianæ affinis , ab ea tamen in multis ſecernitur .

Primo quidem Calvinus & Lutherus voce & re negant poſt peccatum libertatem ineſſe homini . Janſenius vero terminis aſtruit , ſed reipſa negat ; quandoquidem ne-

neceſſitatem naturalem non eſſe libertati adverſam propugnat lib. 4. de gratia Chriſti, cap. 5. & alibi.

Secundo, Hæretici præfati docuerunt juſtis omnibus, quacumque gratia inſtructis, omnia Dei mandata eſſe impoſſibilia, ipſiſque per totam vitam deeſſe gratiam, qua poſſibilia fiant; ita ut vel unum quidem ſine peccato adimplere haud valeant. At vero Janſenius dicit tantum quædam præcepta & quibuſdam ſolum juſtis, non ſemper ſed aliquando ſecundum præſentes, quas habent vires, eſſe impoſſibilia. Ita lib. 4. de gratia Chriſti, c. 4. 5. & 6. Ibidem lib. 3. c. 13. ex profeſſo.

Tertio, Proteſtantes de quibus ſupra negant ineſſe homini potentiam tum antecedentem, tum conſequentem adimplendi præcepta; Janſenius vero concedit ineſſe antecedentem; minime vero conſequentem in concurſu delectationis terrenæ ſuperabundantis. Sic propugnat lib. 3. de gratia Chriſti, c. 15. Hunc eſſe Janſenii apertum ſenſum, declarat Paulus Irenæus diſp. q. art. 2.

Quarto, Lutherani & Calviniſtæ, tenent liberum arbitrium nedum neceſſitari, ſed ut inanime quoddam vel a gratia, vel a concupiſcentia trahi ſeu ad bonum, ſeu ad malum. Non ſic Janſenius, quippe qui dicat actum humanum eſſe deliberatum in quantum intrinſece fluit a potentia vitali, non quidem cum electione, ſed cum advertentia & cognitione circumſtantiarum; unde ſolam neceſſitatem cæcam, qualis reperitur in amentibus & in motibus primoprimis, libero arbitrio adverſari contendit. Sic propugnat lib. 4. de gr. Chr. c. 5. 6. & 7. ſed maxime 9.

Quinto, Calvinus & Lutherus libertatem per peccatum ita extinctam prædicant, ut omnia etiam juſtorum opera inquinata & peccata eſſe doceant, & ſolum per juſtitiam Chriſti veluti quodam pallio tegi aſſerere audeant. Janſenius non ſic; admittit enim indifferentiam, non quidem actus, ſed ſtatus; in quantum peccator cedens tentationi, poteſt reſurgere & tranſire ad ſtatum vitæ. Ultro confitetur juſtificationem fieri vere per gratiam, & eſſe interiorem hominis renovationem, ita tamen ut gratia converſionis ſit victrix delectationis terrenæ, & voluntatem impii neceſſario determinet ad contritionem lib. 4. de gratia Chriſti, cap. 5. & aliis in locis.

Sexto, Calvinus dicit gratiam prævenientem talem eſſe, ut nullo modo poſſit ei reſiſti, contrariumque eſſe Semipelagianorum errorem: Janſenius ex parte quidem in hoc adhæret; ex parte etiam diſcrepat a Proteſtantibus: adhæret propugnando non poſſe reſiſti gratiæ; differt, dicendo poſſe quidem reſiſti gratiæ ſecundum ſe, ſed non relative, quando ſcilicet gratia ſuperat in gradu concupiſcentiam. Sic docet lib. 4. de gratia Chr. c. 5. 6. 7. & 8. Ibidem lib. 7. c. 9. ibidem l. 3. c. 13. 14. & 15.

Septimo, Calvinus & Lutherus aſſerunt Chriſtum eſſe tantummodo pro Prædeſtinatis mortuum ut illi ſoli per meritum ejus veram fidem & juſtitiam accipiant: quem ſenſum procul facit Janſenius, & ab ipſo alienum affirmant ejus defenſores in opere trium columnarum. Revera quidem Janſenius Chriſtum pro omnibus pretium extrinſece ſufficiens dediſſe; immo & promeruiſſe reprobis gratias temporales concedit, nuſquam vero vere interiores ſufficientes, cum vel ipſis juſtis etiam conantibus deeſſe, ſicque præcepta eis eſſe quandoque impoſſibilia affirmet.

De ſyſtemate Janſenii relative ad Thomiſtas.

Janſenii ſyſtema hæreticum eſt, & a ſenſu Thomiſtico penitus diſcrepans.

MIRUM eſt Janſenii Patronos quandoque ad ſenſum Thomiſticum recurrere ſeu confugere, quum vi argumentorum Theologorum Orthodoxorum premuntur, ut anathemata a doctrina Janſenii avertere conentur, cum ipſe Janſenius aſſerat D. Thomam ſibi faſtidire quando legit Auguſtinum, quaſi vero fidelis diſcipulus S. Auguſtini ſit alter ab ipſo; neque vero minus ſtupendum apparet, quod Janſenii defenſores, qui ſemel irrident gratiam ſufficientem Thomiſtarum, ut D. Paſchalis in ſuis Litteris Provincialibus, ſecura tamen mente appellent ad Thomiſtas, ut ſalvent Janſenium: ſed incaſſum profecto: Thomas ſane non erat, nec unquam erit cum eis, ut conſideranti patebit.

Primo: Janſenius quædam præcepta dicit quibuſdam juſtis impoſſibilia, etiam conantibus, & ſecundum præſentes quas ha-

habent vires; Thomiſtæ vero totis viribus contrariam aſſerunt, & gratiam ſufficientem dare proxime poſſe bonum etiam relative in concurſu cujuſcumque terrenæ delectationis propugnant.

Secundo: Janſenius contendit delectationem cæleſtem non poſſe potentia relativa vincere delectationem terrenam in gradu majorem; E contra vero propugnat D. Thom. 3. p. q. 62. art. 6. ad 6. minimam gratiam poſſe vincere cupiditatem quamcumque auri & argenti.

Tertio: Docet Janſenius omnem gratiam eſſe efficacem, & in actu primo ſpectatam neceſſariam habere cum effectu connexionem: Thomiſtæ vero non ſic, hanc quippe negant neceſſitatem, ſolamque hypotheticam admittunt in actu ſecundo, & in ſenſu compoſito actus, qui enim ſedet, v. g. non poteſt ſimul non ſedere. Quid plura? Propugnant gratiam in actu primo conſideratam poſſe ſuo fruſtrari effectu.

Quarto: Janſenius dicit neminem poſſe reſiſtere gratiæ concupiſcentia in gradu ſuperiori; Thomiſtæ vero unanimiter docent hominem agere per electionem, motum a gratia, ſeipſum determinare ad actum in individuo, immo & poſſe motioni divinæ reſiſtere.

Quinto: Janſenius ponit eſſentiam libertatis in ſpontaneitate pura: Thomiſtæ vero in indifferentia activa ad bonum & malum, ad actum & non actum.

Sexto: Janſenius duo dicit in quarta propoſitione, nempe Semipelagianos admiſiſſe gratiam prævenientem ad initium fidei; deinde vero in hoc erraſſe, quod dixerint gratiam ſubjici libero arbitrio. Et hoc quia ipſe propugnat neminem poſſe reſiſtere gratiæ efficaci. Sed noſtri Thomiſtæ tenent Semipelagianos non admiſiſſe gratiam prævenientem ad initium fidei: Ita Pater Alexander: nec illos fuiſſe hæreticos dicendo gratiam dependere a libero arbitrio quoad uſum, ſiquidem voluntas humana eſt concauſa actus cum gratia.

Septimo: Janſenius vult Chriſtum mortuum eſſe ſolum pro electis, Thomiſtæ vero propugnant mortuum eſſe pro omnibus & ſingulis hominibus.

De ſyſtemate Janſenii relative ad alios quoſdam Theologos.

Theologi Orthodoxi gratiam efficacem in delectatione reponentes, longe diſtant a Janſenio.

PRIMO: Janſenius pro principio tenet delectationem in gradu ſuperiorem concupiſcentia neceſſario trahere voluntatem ad bonum: Theologi vero Orthodoxi libere, & electione præſuppoſita.

Secundo: Janſenius ſcribit delectationem cæleſtem in gradu inferiorem delectatione terrena iſtam non poſſe ſuperare, adeoque in hac hypotheſi hominem neceſſario compelli ad peccatum: ab hoc propoſito abhorrent alii Theologi & contendunt quamlibet delectationem cæleſtem poſſe vincere oppoſitam.

Tertio: Janſenius ex profeſſo docet, ut ſupra dictum eſt, nullam eſſe gratiam ſufficientem, ſed gratiam, quam vocat parvam, hærere in deſideriis inefficacibus, donec decreſcat concupiſcentia ut producat effectum ad quem datur, nec dare potentiam bene agendi proximam. Oppoſita eſt aliorum Theologorum ſententia, nam & gratias ſufficientes admittunt, & illas dare poſſe & proxime bonum opinantur.

Quarto: Janſenius actum eſſe liberum dicit eo ipſo ſolum quo fit ſpontanee & cum advertentia, alii vero volunt ut inſuper procedat elective a potentia.

Quinto: Janſenius, poſita delectatione ſuperiori, dicit impoſſibile eſſe actum oppoſitum elicere ſeu ponere: ſed contra alii omnem procul faciunt impoſſibilitatem, & voluntatem manere liberam libertate actus & ſtatus ſub dominio tam gratiæ quam concupiſcentiæ toto corde prædicant.

Sexto: Janſenius totam gratiæ energiam in delectatione cæleſti reponit: alii vero non ſolum in delectatione, ſed maxime in virtute intrinſeca gratiæ. Ita Grandinus, diſſert. de diviſ. gratiæ.

Unum cæteris adjiciam, videlicet Janſenium ſuo de delectatione Victrici neceſſitante ſyſtemate renovare Manichæiſmum, cujus hæc erat opinio: bonum & malum principium alternata-vice in homine nominari, bonum per concupiſcentiam,

tiam quo temporis intervallo humana voluntas neceſſario ad bona opera facienda compellitur, mala vero cum malum principium vi malæ concupiſcentiæ exuberat & vincat. Omiſſa quidem duplicis primi principii ſententia, Janſenius cætera adoptavit, nimirum utramque concupiſcentiam, modo vitioſa, modo bona delectatione ad bonum vel malum pro natura ſua neceſſario compellentem.

Denique Theologi, de quibus agitur, damnant quinque propoſitiones, & contrarias ex profeſſo docent, remanente perfecta gratiæ cum libero arbitrio concordia.

Quibus omnibus ponderatis claret hæreſim Ianſenianam eſſe novam, & quidem veram, nuſquam vero phantaſticam ſeu imaginariam; unde & jure merito a SS. Pontificibus proſcriptam: quod certe nullus cordatus aut negat, aut abſque malæ fidei ſuſpicione negare poteſt.

§. III.

Syſtemata Doctorum Orthodoxorum qui tenent gratiam eſſe per ſe efficacem.

MULTI inter Theologos ſanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ tenent gratiam eſſe per ſe efficacem. Sed non eſt una omnium ſententia & opinio; non unus ſe ſe explicandi modus.

Quidam autumant gratiam eſſe per ſe efficacem, quia ita movet moraliter voluntatem, ita ſuaviter excitat ad bonum, ut de actu eliciendo ſequatur judicium practicum. Hanc gratiæ energiam deducunt a coaptatione genii, loci, temporis, Deo ita protegente, ut nullum occurrat gratiæ effectui offendiculum: hinc gratiam efficacem definiunt motionem moralem per ſe in actu primo efficacem cum protectione Dei extrinſeca, omnia ſuaviter diſponente, & hoc independenter a ſcientia media; ita Iſambertus quæſt. 11. de gratia, diſp. 8. art. 1. *Melior eſt*, inquit, *ſententia .... quam hac noſtra propoſitione explicamus. Singularis efficacia gratiæ prævenientis, ſumpta & conſiderata in actu primo conſiſtit præciſe & formaliter in ſpeciali aptatione & contemperatione vocationis cum voluntate vocati, ejuſque circumſtantiis, remotione impedimentorum per gratiam externæ protectionis; qua optatione & contemperatione gratia vocans eſt efficaciter potens ducere inſuperabiliter & indeclinabiliter voluntatem in liberum conſenſum dandum Deo ſic illum vocanti.*

Alii vero congruitatem ab ipſa gratia oriri putant, quia ſemper ſuaviter movet; hinc, ineſſe ei virtutem per ſe efficacem ad movendam & determinandam voluntatem ad bonum independenter tum a genio, tum a ſcientia media aſſerunt, quamvis congruitatem genii aliarumve circumſtantiarum quandoque adeſſe non diffiteantur. Ita Grandinus quæſt. 3. de diviſione gratiæ, ſectione 3. contendit enim gratiam efficacem antecedere voluntatis conſenſum, & ex ſua entitate habere quod determinet moraliter, ſed fortiter voluntatem ad agendum: Prima, inquit, concluſio. *Ratio conſtituens gratiam efficacem, non eſt conſenſus.* Secunda concluſio. *In eo conſtitui ratio gratiæ efficacis poſſet, ut ex ſua entitate determinaret moraliter, & reipſa nonnunquam talis conceditur; tamen ubique neceſſario admittenda non eſt.*

Quidam opinantur gratiam eſſe per ſe efficacem per præmotionem moralem ex delectatione & ſuavitate cor emolliente fluentem, juxta illud Pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum concurri, cum dilataſti cor meum.* Efficaciam repetunt a delectatione Victrici, ſed remanente indifferentia voluntatis, non ſolum ſtatus, ſed & actus eliciendi. Gaſto Chamillart Socius Sorbonicus & Profeſſor Regius anno 1655. hanc in ſuis Commentariis manuſcriptis tenuit ſententiam. Iuvat verba referre, qualia leguntur in obſervationibus ad Theologiam Grandini pag. 339. *Janſenius*, inquit, *contendit hoc fieri per modum prædeterminationis phyſicæ, ita ut voluntas, ita mota a Deo, tali motioni abſolute loquendo, reſiſtere non poſſit, unde conſequenter admiſit per gratiam tolli libertatis indifferentiam, quam proinde ut liberi arbitrii naturam ſalvaret ad intrinſecam libertatis rationem pertinere negavit. Nos vero dicimus gratiam delectando vincere, ſed per modum motionis congruæ, non prædeterminando, ſed inclinando: non neceſſitando, ſed invitando & flectendo; quia illa gratia ita aptata, ita attemperata eſt potentia, ita ſuaviter eam allicit, ut quamvis voluntas, abſolute loquendo, reſiſtere poſſit, numquam tamen reſiſtat.*

Idem propugnat Habertus Vabrenſis Epi-

Epiſcopus lib. 2. Theol. PP. Græc. cap. 18. num. 1. " Primum quidem, *ait*, mo-
„ tionem moralem eſſe delectationem Vi-
„ ctricem. „ Tum ſubdit : " Quæ qui-
„ dem univerſa ſemel conficiunt activita-
„ tem gratiæ prævenientis efficacis ſuaſo-
„ riam & moralem eſſe, unde ait B.
„ Auguſt. lib. 1. de peccat. merit. cap.
„ 17. ut aut innoteſcat quod latebat,
„ & ſuave fiat quod non delectabat, gra-
„ tiæ Dei eſt quæ hominum adjuvat vo-
„ luntates, qui ut non adjuventur in ipſis
„ ibidem cauſa eſt, non in Deo. Hæc
„ autem omnia præſtari poſſunt, & re-
„ vera præſtantur per moralem activita-
„ tem, & excitationem gratiæ efficacis
„ abſque ulla phyſica prædeterminatione,
„ & multo quidem abſque ulla neceſſi-
„ tate. „

D. Thomas & ejus diſcipuli illam gratiam dicunt efficacem quæ ſuapte natura vim habet ex potenti voluntate Dei inferendi effectum. Ejus efficaciam reponunt in præmotione morali ſimul & phyſica. Non abs re erit ſingulorum & verba & ſententias hic texere.

Doctor Angelicus 1. 2. quæſt. 112. art. 3. ſic loquitur : " Si præparatio ad gra-
„ tiam conſideretur ſecundum quod eſt a
„ Deo movente, tunc habet neceſſitatem
„ ad id quod ordinatur a Deo, non qui-
„ dem coactionis, ſed infallibilitatis, un-
„ de ſi ex intentione Dei moventis eſt,
„ quod homo, cujus cor movet, gratiam
„ conſequatur, infallibiliter ipſam conſe-
„ quitur. „ Ecce motio habens ex ordinatione potentiſſima Dei infallibilem cum effectu ſeu cum converſione, connexionem. Igitur efficacia oritur ex Dei voluntate, cui omnia obediunt, & ineſt tali gratiæ virtus ad producendum effectum.

Thomas Leones tom. 4. Panopliæ lib. part. 2. tract. 4. cap. 13. de gratia efficaci differens, ait : " Divina motio ni-
„ hil ex ſe ſeu ex natura ſua habet, niſi
„ quod a Deo movente participat. Un-
„ de idem eſt quod divina motio ex ſe,
„ ſeu ex natura ſua efficax ſit, & quod ut
„ venit a Deo, & ejus efficaci voluntate.
„ Ibidem : " Aliud eſt enim quod in ſe
„ efficaciam habet.... Aliud valde diver-
„ ſum quod ex ſe illam habeat.... Quid-
„ quid habet virtutis actio ſeu motio, non
„ ex ſe habet, ſed ex agente & moven-
„ te, ac proinde quidquid virtutis, ener-
„ giæ, & efficaciæ habet auxilium gratiæ
„ efficax, non ex ſe habet, ſed ex Deo
„ ipſo, & ex efficacia voluntatis divinæ. „

Alvarez eundem habet de gratia ex ſe efficaci ſermonem diſput. 90. num. 4. : "
„ Illa particula (ex ſe) *inquit*, poteſt
„ accipi dupliciter. Primo, ut præſcin-
„ dit a decreto abſoluto & efficaci Dei
„ volentis, ut homo hic & nunc conver-
„ tatur, vel pie operetur : & in hoc ſen-
„ ſu nullus catholicus dixit auxilium gra-
„ tiæ eſſe efficax ſecundum ſe, vel ex
„ ſeipſo ; nam lumine naturæ eſt per ſe
„ notum, nihil fieri in rerum natura niſi
„ Deo volente aut permittente, cum per
„ intellectum & voluntatem ipſe ſit cau-
„ ſa omnium, quæ quomodolibet habent
„ eſſe, ut diſput. 26. oſtenſum eſt. Se-
„ cundo modo poteſt auxilium gratiæ Dei
„ efficax ex ſe, ita ut particula *ex ſe*,
„ vel ſecundum ſe, importet indepen-
„ dentiam a libera cooperatione noſtri ar-
„ bitrii. Itaque idem eſt dicere auxilium
„ gratiæ eſſe efficax ſecundum ſe vel ex
„ ſeipſo, ac ſi diceretur eſſe efficax an-
„ tecedenter & independenter a libera
„ cooperatione noſtri arbitrii ; & in hoc
„ ſenſu intelligunt prædictam propoſitio-
„ nem ejus aſſertores, in quo etiam ve-
„ riſſima eſt. „

Ex his patet Thomiſtas repetere gratiæ efficaciam, tum a decretis præmoventibus quidem, ſed libere & ſalva indifferentia voluntatis activa : tum a præmotione morali, & phyſica : morali quidem, quia agitur hic de actu morali : phyſica vero, quia actus eliciendus non ſolum moralis, ſed & phyſicus eſt ; unde cauſam debet habere & moralem & phyſicam.

Syſtemata hæreticorum qui tenent gratiam efficacem per voluntatis in ſe relictæ conſenſum & conatum.

PRIMI occurrentes ſunt Pelagiani, qui gratiam ſolum externam ſcilicet legem admittebant; hinc liberum hominis arbitrium, tum ad incipiendum, tum ad conſummandum opus, intrinſece per ſe & ex ſe ſufficere propugnabant.

Secundo loco veniunt Semipelagiani, qui gratiam quidem admittebant interiorem ad conſummationem actus, ſed indifferentem & per conatum voluntatis, quæ ſe ſola in-

Digitized by Google

incipiebat opus determinandum. Ex quo ſequitur eos efficaciam gratiæ a conſenſu, qui ortum haberet a bona eaque naturali voluntate, deduxiſſe; ipſa ſiquidem & poſſe, & velle bonum, immo & inchoare tribuebat.

Iſtos ſequutus eſt in hoc puncto Arminius, de quo multus eſt ſermo in Synodo Dordracena apud Batavos.

Syſtema Orthodoxorum qui gratiam eſſe efficacem per voluntatis adjutæ a gratia præveniente conſenſum docent.

QUI ſcientiam mediam admittunt, illam gratiam dicunt efficacem, quam Deus in congruis circumſtantiis, prius prævişis, ne aliquod occurrat impedimentum, elargitur. Eius igitur repetunt efficaciam a ſcientia media, quia per eam gratia infallibillem habet, non quidem intrinſecam, ſed extrinſecam, cum effectu connexionem. Duobus potiſſimum principiis innititur illa opinio. Primo, ſupponunt Aſſertores Deum omnia præſcire; Deum prævidere quid Petrus in tali, vel tali circumſtantia, vel temporis, vel loci, vel perſonarum poſitus acturus ſit, quid vero non facturus. Secundo, Deus prævidens Petrum in tali circumſtantia, eaque congrua & opportuna gratiæ conſenſurum, quia non erit aut paſſio titillans, aut carnis ſtimulus fortiter pungens, aut tentator ad peccatum blandiendo alliciens, decernit eam dare, unde evadit efficax, & futurum conditionatum per ſcientiam mediam tranſit in abſolutum, ſic gratia infallibilem contrahit cum effectu producendo connexionem: ſic utique gratia eſt ſpecialis, ſic juſtificationis peccatoris myſterium ineffabile, quod enim gratia offeratur illi in circumſtantia congrua, in qua nullum erit ad operandum impedimentum; illi vero in circumſtantia, in qua nullum ſortitura eſt effectum, & peccator reſiſtet: o altitudo divitiarum! Nam non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: jam Dominus per gratiam ſcientia media directam, inclinandi cor hominis quocumque voluerit poteſtatem habet: quinimmo a nullo duro corde reſpuitur, ideo enim in circumſtantia congrua confertur, ut cordis duritia penitus auferatur.

Hæc eſt Molinæ opinio in ſua concordia, quæſt. 14. art. 13. diſp. 38. vel 40. ubi ſic ſcribit: *Quinto loco aſſerimus auxilia prævenientis, atque adjuvantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus conferuntur, quod efficacia, aut inefficacia ad converſionem ſeu juſtificationem ſint, pendere a libero conſenſu & cooperatione arbitrii noſtri cum illis, atque a Deo in libera poteſtate noſtra eſſe, vel illa efficacia reddere conſentiendo & cooperando cum illis ad actus quibus ad juſtificationem diſponimur, vel inefficacia reddere continendo conſenſum & cooperationem noſtram, aut etiam eliciendo contrarium diſſenſum.*

Huic ſententiæ aſſentitur Suarez lib. 3. de auxiliis, cap. 14. num. 8. & 9. Eandem propugnat Gabriel Daniel in ſuo tractatu de gratia efficaci lingua gallica ſcripto.

Non deſunt qui gratiam de ſe indifferentem indepedenter a ſcientia media per conſenſum & quamdam tum genii, tum loci, tum temporis, contemperationem efficacem fieri contendant: ſi quam vero mediam admittant ſcientiam, ſolum ut actus directivam, minime vero ut efficaciæ cauſam requirunt. Huic opinioni favere videtur Leſſius, tract. de prædeſtinatione §. 5. & 6.

Jam ut paucis cuncta reſumam, gratia per ſe efficax eſt, ſecundum multos Sorbonæ Doctores, ipſa præmotio moralis, quæ modo adiuncta congruitate circumſtantiarum, modo etiam ſola virtute & congruitate ſibi propria infallibilem habet cum conſenſu voluntatis connexionem.

Secundum alios, eſt præmotio moralis ex delectatione & ſuavitate interiori apta, quia Deus prævenit in benedictionibus dulcedinis, modo peccatorem, ut ſe convertat; modo juſtum ut perſeveret, etiam adverſantibus mundo, carne & diabolo, in juſtitia, & dicitur delectatio victrix, quia tunc tam ſuavis apparet Dominus, ut amor inde infallibiliter ſequatur.

Secundum Thomiſtas, eſt præmotio moralis ſimul & phyſica quibus ſuaviter ſimul & fortiter mota voluntas ad bonum, illud ipſum & vult, & liberrime eligit, quia ſic illuminata & mota judicat eſſe amandum: Gratia quæ non eſt efficax niſi per conſenſum, eſt gratia congrua, ſecundum multos a ſcientia media dependens ut infallibiliter inferat effectum: ſecundum quoſdam, gratia mere de ſe indifferens, effi-

caciam accipiens a ſolo conſenſu voluntatis quæ ſeſe determinandi vim habet.

Iſaacus Habertus lib. 2. Theologiæ Patrum Græcorum cap. 16. num. 2. compendioſe diverſa gratię efficacis ſyſtemata ſic delineat p. 397. “ De gratia igitur effi-
,, caci Theologi primo quidam ſic cen-
,, ſent : eam pro ut a ſufficiente condi-
,, ſtinguitur , conſiſtere in vehementiori
,, quadam vocatione , alii in qualitate
,, quadam per modum habitus animæ in-
,, fuſa, alii in actu quodam & motione tran-
,, ſeunte , phyſice tamen voluntatem prę-
,, determinante ad conſentiendum voca-
,, tioni : alii in ſola connotatione deno-
,, minativa & relatione ſolum extrinſe-
,, ca ad effectum , Dei præſcientia hanc
,, gratiam ſolum ſufficientem , hanc effi-
,, cacem futuram prævidentis , utramque
,, velut diſcernente.

Duo de fide certa ſunt : nempe voluntatem humanam manere liberam ſub dominio gratiæ . 2. Voluntatem nihil poſſe pro ſalute , nequidem inchoare bonum , niſi & præveniatur & adjuvetur a gratia. Primum eſt contra Lutherum, Calvinum, & Janſenium : alterum vero contra Semipelagianos : illi refutati manent ex his quæ diximus de libertate in tractatu attributorum : iſti ex his quæ diximus hujuſce operis initio contra Pelagianam hæreſim . Supereſt de ſyſtemate Janſenii tractare , oſtendendo quantum ſit a mente Eccleſię alienum ; quod quidem momentum variis & irrefrabigalibus argumentis ad conſolationem & inſtructionem fidelium præſtare juvat : quam quidem provinciam gallico idiomate ſuſcepit defendendam illuſtriſſimus, piiſſimus & doctiſſimus Dominus de Fenelon Cameracenſis Archiepiſcopus in ſua Paſtorali Inſtructione juris publici facta anno 1714. cujus ſequi in hoc veſtigia, tutum, & perutile, addo & glorioſum eſt. Unde fit

SECTIO SECUNDA.

Convellitur & funditus evertitur Janſenii de gratia per ſe efficaci ſyſtema.

DICTUM eſt Janſenium gratiam per ſe efficacem in delectatione cæleſti eaque indeliberata , terrenam delectationem longe ſuperante , conſtituere , quod quidem variis B. Auguſtini auctoritatibus in pravum & alienum prorſus a mente S. Præſulis ſenſum detortis probare conatur lib. 4. de gratia Chriſti in undecim primis capitibus . Paſſim dicit hominem delectationi terrenæ cedere ſi cæleſtis non exuberat : cap. 7. *Secundum delectationem omnis operationis ſecuturæ menſuram ſtatuit . . . . quod amplius delectat operari neceſſe eſt*. Cap. 11. delectationem cæleſtem aſſerit eſſe illud : *Quo mens hominis improviſe, indeliberate , ac delectabiliter tangitur* . Ibidem de eadem delectatione ſermonem faciens , ait : *Reſpondens paſſioni amoris ſenſitivi*. Hanc porro delectationem movere indeclinabiliter quando terrenæ victrix evadit , voluntatem humanam non poſſe ei reſiſtere non in uno aut altero loco docet , maxime vero lib. 4. de gratia Chriſti a capite primo uſque ad undecimum incluſive , eandem tribuit efficaciam delectationi terreſtri exuberanti , quinimmo hominem ejus motibus veluti tot vinculis conſtrictum eſſe prædicat . Rurſus lib. 3. de gr. Ch. cap. 13. eundem qui pro virili concupiſcentiæ mordenti reſiſtere conatur , neceſſario tamen ut primum ei cedit , peccare . En ſunt verba : *Hæc omnia demonſtrant . . . . eſſe præcepta quædam quæ hominibus non tantum infidelibus , excæcatis , obduratis , ſed fidelibus quoque & juſtis volentibus , conantibus , ſecundum præſentes quas habent vires , ſunt impoſſibilia , deeſſe quoque gratiam qua fiant poſſibilia* . Rurſus lib. 4. de gr. Ch. cap. 9. *Vigente enim delectatione carnali impoſſibile eſt ut virtutis ac honeſtatis conſideratio prævaleat*.

Ex his claret Janſenium velle gratiam efficacem 1. Eſſe actum indeliberatum , qui omnem antevertit deliberationem , & neceſſario compellit ad bonum . 2. Eſſe impreſſionem , aut ſenſibilem , aut ſaltem ſi ſit mere interna , perceptibilem , ſive ſit talis per ſe , ut ſuavitas quæ partem inferiorem afficit : ſive per accidens & ex redundantia ; gaudium enim de veritate , & ſuavitas amoris de bono prægustato quandoque uſque in parte inferiori , ſeu ſenſitiva affulgent , quidquid ſit , Janſenius eam eſſe impreſſionem (quia mens delectabiliter tangitur) reſpondentem paſſioni amoris ſenſitivi , contendit . Eandem delectationi terrenæ & ſemper ſenſibili cui opponitur , commenſurat : hoc eſt ſi terrena exuberet , cæleſtis vincitur : ſi

par

par eſt in gradu, anceps inter bonum & malum manet homo, inter utrumque hæret tunc animus: ſi cæleſtis ad gradum ſuperiorem aſcendat, vincit alteram. 3. Hæc eſt pro actibus humanis regula & ſequitur ex principiis Janſenii & ab ipſo ſtatuitur, ut quiſque ſecundum quod magis eum delectat operetur.

Gratia efficax ſic delineata Scripturæ ſacræ adverſatur, ſanctis Patribus & ipſi Auguſtino ignota fuit, rectas morum ſubvertit regulas, collimat cum doctrina Epicuri, immo & in quibuſdam capitibus deterior eſt; affinis eſt gratiæ efficaci qualem propugnat Calvinus. Quid plura? Videtur Deum peccati auctorem facere, excuſationem vero in peccatis dubio-procul hominibus ſuppeditat: Igitur prorſus abjicienda. Probatur Ant. quoad ſingula, quæ ſunt totidem argumenta quibus ſyſtema Janſenianum explodere aggredimur.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Syſtema Janſenii adverſatur ſacræ Scripturæ, & SS. Doctoribus.

SYSTEMA Janſenii exitioſam in actus humanos inducit neceſſitatem; quippe quod omnem amoveat a voluntate operante indifferentiam: Sed tale ſyſtema opponitur Scripturæ, opponitur & ſanctis Doctoribus: Igitur rejiciendum, immo & abhorrendum: Major patet ex modo dictis, non enim ſolum multus, ſed & perpetuus in hoc probando Janſenius eſt: propugnat utique neceſſitatem relativam ſub delectationis duplicis, cæleſtis ſcilicet & terrenæ dominio, minorem vero fuſe probavimus in tractatu de ſcientia Dei ubi ex profeſſo libertatis momentum enucleavimus & probavimus. Scriptum eſt enim Eccli. 31. 10. de juſto, *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit: ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Ecce libertas indifferentiæ: ecce libertas actus quæ tanquam principii meritum exaltatur: quoniam vero Janſenium appellat ad Auguſtinum, non abs re erit & injucundum os loquentis iniqua aliquibus S. Doctoris auctoritatibus confundere.

S. Auguſtinus variis in locis cum tempus, & materia adſunt liquido ſemper partes libertatis indifferentiæ agit, ut in libro de ſpiritu & littera cap. 33. ait enim liberum eſſe homini conſentire, vel diſſentire vocationi Dei, ſi velit. Sed hanc ſuſcipit provinciam defendendam in libris tribus quos conſcripſit adverſus Manichæos, qui fatum humanam perimens libertatem in actiones hominis inducebant. Audiamus igitur S. Doctorem præmaturis anathematibus ſententiam Janſenii ferientem, maxime lib. 3. de lib. arbitr.

S. Præſul c. 15. n. 44. dicit: " Quia „ enim nemo ſuperat leges omnipotentis „ Creatoris, non ſinitur anima non red„ dere debitum: aut enim reddidit bene „ utendo quod accepit, aut reddidit amit„ tendo quo bene uti noluit. „ Hic refundit in libertatem indifferentiæ quod anima non reddiderit debitum bene utendo, poſtea dicit reſervari in futurum judicium ad acerrimum ſenſum miſeriæ non pro iis quæ aliter facere non poterat, quia inquit in hoc culpa nulla eſt, ſed potius pro iis bonis quæ voluntarie, & ex innata libertate omiſit, quod ſane culpa eſt: " In omnibus ergo defectibus, aut non „ acceperunt ultra eſſe, *peccatores*, quæ „ deficiunt, & nulla culpa eſt, ſicut et„ iam cum ſunt, quia non acceperunt „ amplius eſſe quam ſunt, nihilominus „ nulla culpa eſt: aut nolunt eſſe, quod ſi „ vellent, eſſe acceperunt; & quia bonum „ eſt, reatus eſt ſi nolint. „ Tum n. 45. " Ex eo igitur quod non accepit, nullus „ reus eſt: ex eo vero quod non facit quod „ debet, juſte reus eſt. „ Hinc n. 46. ſic concludit: " Accipio iſta libentiſſime, ac „ probo, & omnino verum eſſe conſentio, „ nullo modo fieri poſſe, ut Creatori noſtro „ recte peccata noſtra tribuantur. „ Quare vero non poſſint tribui? Quia ex Auguſtino acceperunt peccatores ſufficientiſſimam poteſtatem ad non peccandum, alias non forent rei noxii, attamen de facto rei ſunt & juſte puniendi, unde hoc? Reſpondet S. Doctor: " Nolunt eſſe, quod ſi „ vellent, eſſe acceperunt, & quia bo„ num eſt, reatus eſt ſi nolint. „

Proſequitur cap. 19. num. 54. " Pecca„ tum illud dicimus quod proprie voca„ tur peccatum, libera enim voluntate, „ & ab ſciente committitur. „ Plura in hoc loco annotanda veniunt. Primo, ſecernit S. Auguſt. ignorantiam invincibilem alicujus boni, quam peccatum eſſe dicit ſolummodo in origine & improprie,

a culpa quæ libere, propria voluntate & cum ſcientia committitur, quaque proprie loquendo eſt peccatum. De prima culpa ait ſupra ibidem: " Nam illud quod ig-„ norans quiſque non recte facit, & „ quod recte volens facere non poteſt, i-„ deo dicuntur peccata, quia de peccato „ illo liberæ voluntatis originem ducunt, „ illud enim præcedens meruit iſta ſequen-„ tia. „ Secundo, apprime notandum illud eſt, S. Doctorem ad peccatum proprie dictum exigere, ut fiat propria voluntate, ut libere, ut cum ſcientia & cognitione: quibus conditionibus tot ſane telis confoditur Janſenius neceſſitatem inducens. Ex hac enim manifeſte ſequeretur peccata actualia & propriæ voluntatis, non diſtingui ab ignorantia & concupiſcentia innata in ratione culpæ, cum & iſta licet involuntaria, & ex peccato primi parentis in prolem neceſſario reſultantia, utique ab Auguſtino peccata nuncupentur, cum tamen, ipſo teſte, toto cœlo a peccatis actualibus diſcrepent, & ſint ſolum improprie peccata. Verius dicam, tantummodo materialiter.

Rurſus cap. 20. num. 55. declarat Auguſtinus per Chriſtum tantam nobis fuiſſe donatam libertatem, ut non ſolum velle bonum poſſimus, verum etiam nos adjuvari ut difficultates ad bonum proſequendum vincamus, ita ut gratia non ſolum non liget neque ullam imponat neceſſitatem, quin potius ſolvat a vinculis, liberet ab impedimentis & libertatem filiorum Dei elargiatur. " Jam vero ut me-„ liores gigneret (Adam) quam ipſe eſ-„ ſet, non erat æquitatis. Sed ex converſione „ ad Deum, ut vinceret quiſque ſupplicium, „ quod origo ejus ex averſione meruerat, „ non ſolum volentem non prohiberi, ſed „ etiam adjuvari oportebat: ſic enim „ vero Creator oſtendit, quanta fa-„ cilitate potuiſſet homo, ſi voluiſſet, „ retinere quod factus eſt, cum proles „ eius potuit etiam ſuperare quod nata „ eſt. „ Tum num. 56. dicit animam in multis corporalem creaturam irrationalem ſuperare, nec quidem dignitate ſolum, ſed quia vim habet eligendi & faciendi bonum: " Conditori ſuo gratias agat; „ quia ipſe ortus eius & inchoatio quovis „ perfecto corpore eſt melior. Non enim „ mediocria bona ſunt, non ſolum quod „ anima eſt, qua natura iam omne cor-„ pus præcedit, ſed etiam quod facultatem habet ut adiuvante Creatore ſe „ ipſam excolat, & pio ſtudio poſſit o-„ mnes adquirere & capere virtutes, per „ quas & a difficultate cruciante, & ab „ ignorantia cæcante liberetur. „ Quibus ſententiis omnem impoſſibilitatem etiam relativam procul facit S. Aug. Quo ſcopo igitur audet Janſenius, et in ſuum perverſum ſenſum protrahere conatur S. Præſulem, cum potius ab eo per omnia proſcribatur?

Perperam utique enititur Janſenius delectationem affectivam indeliberatam neceſſitantem auctoritate B. Auguſtini comprobare: & quidem multis de cauſis. Non negamus S. Præſulem quandoque de delectatione indeliberata ſermonem inſtituere, at non omittit deliberatam, cui tribuit efficaciam, amori quippe effectum annectit, adeoque & libertati, cum amor ex electione, ipſo teſte, procedat, ſed in delectatione affectiva amori ſenſitivo non abſimili ponere efficaciam gratiæ, ut contendit Janſenius, non eſt Auguſtini ſententia, qui lib. 2. de pecc. merit. cap. 17. num. 27. aſſerit unumquemque modo delectatione moveri ad bona opera facienda: modo etiam delectatione non moveri.

Et certe Doctores myſtici in hoc maxime puncto refragantur Janſenio: docent enim animas interiores quandoque in camino tribulationis internæ probari, in hac via, tenebras, ariditates, languores experiri tantos, ut non ſolum gratiis ſenſibilibus, quas Apoſtolus lac infantium vocat, priventur, verum etiam & gaudio & ſuavitate interiori, hinc cum Chriſto ſponſo conclamat iuſtus Pſal. 73. 3. *Renuit conſolari anima mea*. Vel ipſe Chriſtus Marc. 14. 34. ait: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Attamen anima in hoc amaritudinis gradu poſita adimplet mandata Dei. Qua gratia adiuta? Profecto gratia fideli intus latente, & pia motione qua, licet omni ſpoliata affectione ſenſibili, iudicat tamen bonum cæleſte terreno longe anteponendum eſſe: hinc ſponſum alloquens Cantic. 1. 5. ait: *Nigra ſum, ſed formoſa*: Nigra quidem tribulationis exercitationibus, formoſa vero virtute & fidei & patientiæ. Quamobrem Cantic. 3. 4. 5. exclamat: *Tenui eum nec dimittam*.

SECUN-

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Syſtema Janſenii opponitur D. Thomæ ejuſque ſcholæ Angelicæ.

GRATIÆ efficaciam repetit Janſenius ut jamjam oſtenſum eſt, ex delectatione cæleſti inſuperabiliter & neceſſario victrici: Sed hæc aperte adverſatur tum D. Thomæ, tum ejus Scholæ. Igitur D. Thomas non eſt cum eis, videlicet & cum Janſenio & cum ſuis. Major eſt quæſtio, facti definita a ſummis Pontificibus, a Clero Gallicano & ab eminenti Sorbona, quinimmo Janſenium admittere neceſſitatem non quidem naturæ, radicalem & abſolutam, ſed partialem & relativam, ita ut delectatio cæleſtis in gradu ſuperior terreſtri neceſſario compellat ad bonum, ultro concedunt Novatores: Tota igitur controverſia eſt de quæſtione juris, utrum ſcilicet hæc delectatio pugnet adverſus Scripturam, adverſus S. Auguſtinum & adverſus S. Thomam ad quem velut ad certam poſt naufragium tabulam, ſed incaſſum confugere nituntur. Contrariam eſſe ejuſmodi delectationem Scripturæ ſacræ & D. Auguſtino, jam liquet ex dictis: ergo impræſentiarum agitur de mente D. Thomæ & Thomiſtarum. Quorum omnium opinionem illis adverſari probatur.

Delectatio, quæ eſt actus humani motivum ex D. Thoma eſt delectatio ſubdita rationi & parti intellectivæ, minime vero indeliberata & corporalis quæ reſidet in appetitu ſenſitivo, quæque prævenit rationem, & ab ea independens eſt. Delectatio quæ eſt cauſa actus humani ex eodem D. Thoma eſt quies & complacentia in objecto a voluntate electo & prædilecto; eſt gaudium de bono quod intellectus judicavit præ cæteris optimum: Sed delectatio ſubdita rationi, ſed quies complacentia in objecto, nata ex judicio practico de meliori bono, ſed gaudium de objecto bono, & ideo bono quia ut tale & cognitum & judicatum eſt, nullam, ne quidem partialem & relativam neceſſitatem inducit, cum id totum ex judicio & electione procedat: Igitur delectatio imponens neceſſitatem aperte pugnat contra D. Thomæ & ſuorum ſententiam. Probatur major in qua eſt difficultas. D. Thomas 1. 2. quæſt. 31. art. 4. cujus eſt hic titulus: *Utrum delectatio ſit in appetitu intellectivo?* Loquitur ibi de delectatione quæ eſt actus humani motivum, & reſpondet affirmative, quod probat multis momentis. Primo quidem in argumento *ſed contra*, deinde in corpore articuli, poſtremo in ſolutione objectionum.

Primo in loco cum ſibi quid contrarium objeciſſet, ait: " Sed contra eſt, quod ,, in Palmo 36. dicitur: *Delectare in Domino*, ſed ad Deum non poteſt extendi ,, appetitus ſenſitivus, ſed ſolum intelle- ,, ctivus: ergo delectatio poteſt eſſe in ,, appetitu intellectivo. ,, In ſequenti loco ibidem ſic proſequitur: " Dicendum, ,, quod ſicut dictum eſt, delectatio quæ- ,, dam ſequitur apprehenſionem rationis: ,, ad apprehenſionem autem rationis non ,, ſolum commovetur appetitus ſenſiti- ,, tivus per applicationem ad aliquid par- ,, ticulare, ſed etiam appetitus intelle- ,, ctivus, qui dicitur voluntas, & ſecun- ,, dum hoc in appetitu intellectivo, ſive ,, in voluntate eſt delectatio, quæ dici- ,, tur gaudium, non autem delectatio cor- ,, poralis. Hoc tamen intereſt inter de- ,, lectationem utriuſque appetitus, quod ,, delectatio appetitus ſenſibilis eſt cum a- ,, liqua tranſmutatione corporali; dele- ,, ctatio autem appetitus intellectivi, ni- ,, hil aliud eſt quam ſimplex motus volun- ,, tatis: & ſecundum hoc Aug. dicit in ,, 14. de civ. Dei, quod cupiditas & læ- ,, titia nihil aliud eſt quam voluntas in ,, eorum conſecutione quæ volumus. ,, Denique in poſtremo loco ſibi cohæret & eumdem tenet ſermonem: " Ad tertium, ,, *inquit*, dicendum quod in nobis non ,, ſolum eſt delectatio in qua communi- ,, camus cum brutis, ſed etiam in qua ,, communicamus cum Angelis: Unde ibi- ,, dem Dionyſ. dicit, quod ſancti homines ,, multoties fiunt in participatione delecta- ,, tionum Angelicarum, & ita in nobis ,, eſt delectatio non ſolum in appetitu ſen- ,, ſitivo, in quo communicamus cum bru- ,, tis, ſed etiam in appetitu intellectivo ,, in quo communicamus cum Angelis. ,,

Obſerves velim, benevole Lector, D. Thomam 1. Duplicem diſtinguere delectationem, alteram corpoream quæ reſidet tantum in appetitu ſenſitivo, quæ adjunctam habet immutationem ſenſus & corporis, eamque eſſe nobis cum brutis com-

munem aſſerit : alteram ſpiritualem quæ eſt in intellectu in quo communicamus in delectatione Angelica . 2. Iſtam eſſe rationi ſubditam utpote ſpiritualem , & ex ejus electione conſequenter judicativa promanantem . 3. Eam eſſe gaudium & lætitiam de objecto, quinimmo ipſam voluntatem, eſſe velle aliquid : " Cupiditas , *inquit* , & lætitia nihil aliud eſt „ quam voluntas in eorum conſecutione „ quæ volumus . „ Qua quidem ſententia funditus evertitur Janſenii fucatum ſyſtema de delectatione ad gradum, cum totum electionis & delectationis negotium D. Thomas ſolvat per velle & nolle , & hoc ſecundum inconcuſſa D. Auguſt. principia qui lib. 12. de civ. Dei cap. 6. totam definit quæſtionem de duobus æqualiter affectis circa unam mulierem dicendo unum eligere caſtitatem quia judicat majus bonum & vult ; alterum velle ab ea deficere, eo quod ſic illi placeat. Denique ex D. Thoma delectatio , de qua procedit queſtio, eſt ſolum delectatio rationis, eaque ſola eſt actus humani motivum, ejuſdem finis, ejuſdem principium , conſequenter non delectatio indeliberata & corporalis : neque indeliberata etiam rationis mere apprehendentis objectum , ſed de ejus bonitate judicantis , adeoque delectatio deliberata, quia formaliter rationalis.

D. Thomas ibidem q. 34. iterum inſtituit de delectatione ſermonem art. 4. ubi ſic loquitur: " Dicendum , quod bonitas „ vel malitia moralis principaliter in vo„ luntate conſiſtit , ut ſupra dictum eſt , „ utrum autem voluntas ſit bona vel ma„ la , præcipue de fine cognoſcitur : id „ autem habetur ex fine , in quo volun„ tas quieſcit : quies autem voluntatis & „ cujuslibet appetitus in bono eſt delecta„ tio , ideo ſecundum delectationem vo„ luntatis humanæ præcipue judicatur ho„ mo bonus vel malus. Eſt enim bonus & „ virtuoſus qui gaudet in operibus virtutum; „ malus autem qui in operibus malis . „ Delectationes autem appetitus ſenſitivi „ non ſunt regula bonitatis , vel malitiæ „ moralis , nam cibus communiter dele„ ctabilis eſt ſecundum appetitum ſenſi„ tivum bonis & malis: Sed voluntas bo„ norum delectatur in eis ſecundum con„ venientiam rationis , quam non curat „ voluntas malorum . „

Videas quæſo, S. Thomam omnem clariſſime dirimere controverſiam . Dicit enim 1. Delectationem appetitus ſenſitivi non eſſe regulam actus boni vel mali, ſed delectationem rationis . 2. Illam delectationem eſſe quietem & gaudium in fine & hoc ipſum reddere actionem bonam, ſi ſit de bono , malam vero ſi ſit de aliqua contra legem . 3. Delectationem illam non attendi ſecundum concupiſcentiam & appetitus ſenſitivi motum , ſed *ſecundum convenientiam rationis* . Quibus quidem verbis eradicatur a fundamentis Janſenii ſyſtema, qui delectationem aſſignat terrenam in appetitu ſenſitivo, eamque vocat ſenſibilem & concupiſcentiam , delectationem vero cœleſtem utique ſenſibilem exigit, & ſecundum majorem vel minorem cupiditatem boni aut mali operari neceſſe rimatur , ita ut motivum actionis bonæ vel malæ repetat ex objecto attrahente ſimul & vincente , unde nulla eſt libertas: D. Thomas vero repetit ex convenientia rationis : " Quam non curat , „ *inquit*, voluntas malorum . „ Id eſt , voluntas peccatoris bono reſiſtentis , & ideo libertas, quia ex D. Thoma totum delectationis pondus eſt convenientia rationis unum præ alio ſeligentis.

Hanc confirmat doctrinam S. Doctor ibidem ad tertium : " Dicendum , *ait* , „ quod cum delectatio perficiat operatio„ nem per modum finis, ut ſupra dictum „ eſt, non poteſt eſſe operatio perfecte bo„ na, niſi etiam adſit delectatio in bono : „ nam bonitas rei pendet ex fine , & ſic „ quodammodo bonitas delectationis eſt „ cauſa bonitatis in operatione . „ Eſt igitur delectatio finis, namque eligimus unum pro fine: hoc ipſum dicit Angelus ſcholæ: " Voluntas bonorum delectatur in eis ſe„ cundum convenientiam rationis . „

TERTIUM ARGUMENTUM.

Syſtema Janſenii videtur Deum peccati auctorem facere , & viam ad mala multa parare.

ILLUD ſyſtema eſt rejiciendum, immo & abhorrendum quod videtur facere Deum peccati auctorem, quod excuſabiles reddit in ipſa culpa commiſſa peccatores, quod viam parat ad peccata promiſcue & abſque timore perpetranda , quod vitæ

vitæ myſtice & interioris ſemitas ſubvertit: quod denique juſtam & ſanctam actuum humanorum regulam abjicit & pervertit: Atqui tale eſt, & tale conſideranti apparebit Janſenii de gratia ſyſtema: Ergo &c. Probatur minor quoad ſingulas partes.

Primo quidem Janſenius videtur Deum facere auctorem peccati, quippe qui dicat, urgente præcepto, peccatorem, exuberante delectatione terrena, neceſſario compulſum peccare, præcepta quandoque juſtis etiam conantibus eſſe impoſſibilia, immo & eis deeſse gratiam qua poſſibilia ipſis evadant: ſic enim cauſa lapſus eſt gratiæ privatio, adeoque providentia in neceſſariis videtur deficere. Atqui talis eſt Janſenii doctrina, quippe quæ expreſſis terminis contineatur in prima propoſitione a Summis Pontificibus proſcripta: Sic enim loquitur lib. 3. de gr. Chriſti cap. 13. col. 2. edit. Roth. illa quippe ſola pro negotio Iprenſis utimur. *Quæ igitur omnia pleniſſime planiſſimeque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſt. doctrina certius ac fundatius, quam eſſe præcepta quædam, hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque & juſtis, volentibus conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam qua fiant poſſibilia.* Ergo &c.

Confirmatur. Qui dicit legem a Deo datam non ad bonum ſed ad malum promovere, dubio-procul facit Deum peccati auctorem, aut ſaltem videtur facere: Atqui ſic docet Janſenius: Et probatur. Lib. 1. de grat. Chriſti cap. 11. col. 1. his verbis: *Conſilium Dei reformando Judæorum populo ſaluberrimum in danda lege fuit, non ut per gratiam ſufficientem quæ deeſſet ipſis, eam obſervando recte viveret, quod eos nondum poſſe præſciebat, ſed ut multitudine peccatorum, & magnitudine prævaricationum, quæ per legem quam implere non poterant, ſecutura ſciebantur, eorum ſuperbia frangeretur .... Qui ſcopus Dei, tantum abeſt ut ſufficientem gratiam obſervandæ legis Judæis affuiſſe ſupponat, ut potius e contrario convincat, nullo modo eis affuiſſe.*

Idem ex profeſſo probare nititur lib. 3. cap. 7. cujus titulus eſt: *Non affuiſſe hominibus ſub lege viventibus gratiam ſufficientem ſervandi legem, vel ullum præceptum ejus.* Idem cap. 8. quod inſcribitur: *Status veteris Teſtamenti figurativus & propheticus non afferebat Judæis gratiam ſufficientem, ſed potius impedientem. Quanta fuerit Judæis ſervitus & ignorantia gratiæ, & auctoris ejus.* Idem cap. 9. ubi legitur iſte horribilis titulus. *Status veteris Teſtamenti, ut talis, non erat juſtitiæ & ſalutis, ſed potius peccati & mortis. Pauciſſimi juſti ſub illo Teſtamento, & gratia ſufficiente muniti. Gratia illa ſub natura & lege continetur.*

Hos omnes nævos auctoritate S. Auguſtini fulfultos putat, ſed in vanum in afferendis probationibus laborat, cum S. Doctor aſſerat 1. Gratiam omnibus dari ne abſque ratione aliquid jubeatur. 2. Fruſtra homines bonum operari, niſi adſit gratia ut præceptum poſſit impleri. 3. Legem quidem ad juſtificationem non ſufficere. De primo momento ſic loquitur lib. de grat. & lib. arb. cap. 4. num. 9. " Homo ergo gratia adjuvatur, ne ſine „ cauſſa voluntati ejus jubeatur. „ De „ ſecundo ibid. cap. 18. n. 37. " Præ„ cepto admonitum eſt liberum arbitrium, „ ut quæreret Dei donum: Quod quidem „ ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, „ niſi prius acciperet aliquid dilectionis, „ ut addi ſibi quæreret unde quod jubeba„ tur, impleret. „ De tertio ibidem c. 4. n. 8. " Numquid tam multa quæ præ„ cipiuntur lege Dei, ne fornicationes „ & adulteria committantur, indicant „ aliud quam liberum arbitrium? Neque „ enim præciperentur, niſi homo habe„ ret propriam voluntatem qua divinis „ præceptis obediret. Et tamen Dei do„ num eſt, ſine quo ſervari caſtitatis præ„ cepta non poſſunt. „ Obſerves velim S. Aug. tria propugnare quibus Janſenii ſyſtema ſubvertitur. 1. Præcepta poſſibilia omni. 2. Solis naturæ viribus hoc non fieri, ut contendebant Pelagiani quos hic debellat. 3. Gratiam dari qua poſſibilia evadunt, ita ut ſi deeſſet, forent impoſſibilia & in hac hypotheſi homini prævaricanti omiſſionem non imputari ad culpam: E contra vero ementitus Auguſtinus vult quædam præcepta eſſe impoſſibilia, gratiam ſæpius deeſſe qua poſſibilia evadant. Nihilominus imputari ad culpam. Hoc univerſim pro Judæis, ſi paucos excipias aſſerit: Idem & pro excæcatis, immo etiam quandoque pro juſtis in nova lege conſtitutis.

Dices ex S. Aug. concupiſcentia exube-

rante, homo neceſſitate compulſus peccat: Sic loquitur ibid. num. 8. " Si dixerit, „ volo ſervare, ſed vincor a concupiſcen- „ tia mea. „ Tum S. Doctor proſequitur, & ſcribit legem accendere concupiſcentiam, & ſolummodo ad peccandum valere: " Adjuvat gratia: quæ niſi adjuve- „ rit, nihil lex erit niſi virtus peccati. „ Augetur enim concupiſcentia, & ma- „ jores vires accipit, lege prohibente, „ niſi adjuvet ſpiritus gratiæ. „ Igitur homo, delectatione terrena ſuperante cæleſtem, neceſſario peccat.

Reſpondeo negando hominem in quocumque concupiſcentiæ gradu poſitum neceſſario peccare. Ad probationem, diſtinguo; vincor a concupiſcentia, hoc eſt, ſemper remanet, concedo: hoc eſt, invitus pecco, ſubdiſtinguo: materialiter, concedo: formaliter, nego. Concupiſcentia eſt virtus peccati originalis, & hinc quandoque a Patribus dicitur peccatum, ſed late & materialiter, nuſquam vero formaliter niſi accedat voluntatis conſenſus. Solutio colligitur ex ipſo Apoſtolo, qui concupiſcentiæ aculeis preſſus, non ideo tamen peccabat: Quia vero concupiſcentia exardeſcens inclinat ad peccatum, rogavit Deum ut iſte angelus Satanæ a ſe diſcederet, ſed ad humilitatis exercitium relictus eſt, & hoc reſponſum habuit 2. Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.*

Ad ſecundum reſpondeo ſimiliter diſtinguendo, lex ſine gratia iram operatur, hoc eſt, non ſufficit ad vincendas tentationes & ſalutem operandam, concedo: eſt de ſe mala & fomes peccati, nego. Nam teſte S. Stephano, Act. 7. eſt a Deo & in diſpoſitione Angelorum populo Judaico data: Judæi litteræ potius quam ſpiritui legis ſervientes putabant ſola lege independenter a Chriſti fide & gratia juſtificari, hoc & Pelagiani ex parte credebant, quippe qui ſervata fide, gratiam evacuarent; utrumque gratiæ inimicum debellat S. Aug. oſtendendo hominem lapſum ſine gratia præceptum adimplere non poſſe, cum vel ipſa lex, non quidem per ſe, & ſemper, ſed per accidens, & aliquando ad peccatum eatenus conducat, quatenus ex innata corruptione nitimur in vetitum. Graviter igitur erravit Janſenius quando dixit non niſi ad peccatum legem valere, cum ſalutares effectus ei tribuantur Pſal. 118. juxta illud. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Gravius quum ſubjungit ſæpius deeſſe hominibus gratiam ut mandata poſſibilia fiant; hanc enim ſingulis dari propugnat ſanctus Doctor dum ait mandata omnibus dari, & tamen ſine gratia non poſſe adimpleri, eos vero quibus imponuntur hoc ipſum poſſe habere, ſinminus forent impoſſibilia, & tranſgreſſores abſque culpa: Quod autem Deus det gratiam & mandata per omnia ſint poſſibilia ibidem num. 8. dicit & ad objectionem reſpondet: " Numquid tam multa „ quæ præcipiuntur in lege Dei.... „ indicant aliud quam liberum arbitrium? „ Neque enim præciperentur, niſi homo „ haberet propriam voluntatem, qua di- „ vinis præceptis obediret... ſi dixe- „ rit, volo ſervare, ſed vincor a concu- „ piſcentia mea: Reſpondet Scriptura „ libero ejus arbitrio, quod jam ſuperius „ dixi: *Noli vinci a malo, ſed vince in bo-* „ *no malum.* Quod tamen ut fiat adjuvat „ gratia... quod ipſe Apoſtolus ſecutus „ adjunxit: nam cum dixiſſet, *Virtus pec-* „ *cati lex*, continuo ſubjecit, *gratias au-* „ *tem Deo qui dat nobis victoriam per Do-* „ *minum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Ergo & „ victoria qua peccatum vincitur, nihil „ aliud quam donum eſt Dei. „

Secundo: Syſtema Janſenii peccatores reddit excuſabiles. Et vero lib. 4. de gratia Chriſti docet homines, blandiente & exuberante delectatione terrena, neceſſario peccare. Ex quo ſequitur legis prævaricatores poſſe dicere, tranſgredimur quidem mandata ubi fortiſſimum eſt prælium. Sed neceſſitate compulſi cadimus; nec aliter fieri poteſt, ſi cæleſtis delectatio ſuperaret in gradu terrenam, vinceremus: Has & ſimiles in peccatis excuſationes refert S. Auguſt. l. de corr. & gr. ſed cap. 15. jubet eos corripi ut bene agant, quia ſi gratiæ cooperari velint, juſtificabuntur. Cæterum ubique docet defectus, & peccata non in Deum qui ſemper conantes adjuvat, ſed in hominem tepidum, & voluntarie prævaricantem eſſe refundendos, quippe qui nuſquam tentatione neceſſitante vincatur.

Juvat verba Auguſtini ex l. 3. de libero arbitrio cap. 20. num. 57. hic texere: " Hoc quoque modo, *inquit*, non dicun- „ tur iſta peccata, niſi quia caro de propa- „ gine.

„ gine veniens peccatoris, venientibus „ ad ſe animis hanc ignorantiam & difficultatem facit; quæ neque his, neque Creatori tanquam culpanda tribuatur. Dedit enim ille & facultatem bene operandi in laborioſis officiis, & viam fidei in oblivionis cæcitate: judicium illud vel maxime, quod anima omnis & quærendum eſſe concedit quod inutiliter neſcit, & perſeveranter in officioſis laboribus enitendum ad evincendam recte faciendi facultatem, & opem a Creatore implorandam, ut conantem adjuvet; qui vel extrinſecus lege, vel in intimis cordis allocutione conandum eſſe præcepit, & præparat civitatis beatiſſimæ gloriam triumphantibus de illo, qui primum hominem ad iſtam miſeriam perduxit victum peſſima ſuaſione; quam miſeriam iſti ſuſcipiunt ad eum vincendum optima fide. Non enim parvæ gloriæ militia eſt diabolum vincere eodem ſuſcepto ſupplicio, quo ſe ille hominem victum perduxiſſe gloriatur. Quiſquis autem hoc iſtius vitæ captus amore neglexerit, nullo pacto juſte flagitium deſertionis ſuæ Regis imperio deputabit: ſed erit potius ſub omnium dominio in ejus partibus ordinatus, cujus turpe ſtipendium ut caſtra ſua deſereret, adamavit. „

Tertio: Syſtema Janſenii viam parat ad multa peccata aliis graviſſima: hæc enim eſt ab Ipreſi inſtituta lux una, *ſecundum id quod magis delectat, operari neceſſe eſt*: Igitur quum ſtimulat concupiſcentia carnis exuberans, cedere & obedire tentationi vel fornicationis, vel quod pejus adulterii neceſſe eſt: quum ſuperbia proximum peſſundare ſuggerit & placet, hoc ipſum operari neceſſe eſt: ſi excandeſcens ira, modo bona inimici in vindictam dilapidare, modo cruentas manus etiam fratri inferre, modo homicidia vel etiam parricidia committere, quia arrident paſſioni, dicat, neceſſe eſt fieri. Et vero tantum ponderat pro malo perpetrando delectatio terrena ſuperior, quantum pro bono cæleſtis ſi alternata vice exuberet, nam ſi ſit delectatio ſuperior inſuperabiliter infert „ actum ad quem datur: O tempora! o mores! Heccine ſtricta moralitatis a Novatoribus tam celebrata regula? quod ſi vel ipſi abhorreant, hæ tamen ad principia Janſenii concluſiones ſequuntur: abſque timore his innixus regulis ſibi indulget peccator, iniquitatem velut aquam ebibit: ſtimulos recalcitrantis conſcientiæ abſque difficultate compeſcere non ignarus, cuncta excuſat peccata, dicendo, gratia mihi defuit, hinc in peccata prolapſus ſum, nec aliter facere potui, *ſecundum id quod magis delectat, operari neceſſe eſt*. Quantum vero hæc omnia & Scripturæ, & B. Auguſtino diſſona ſint, ex dictis ſufficienter patet: non enim Deus, ſed ſolus peccator accuſandus qui benefacere cum poſſet, inquit Auguſtinus, noluit. Et vero ſi ſecundum quod magis delectat, operari neceſſe ſit, fruſtra in ſacris Scripturis correctiones, fruſtra exhortationes ad bonum, fruſtra comminationes ad deterrendum a malo peccatorem commendantur.

Quarto: Syſtema Janſenii rectas vitæ myſticæ & interioris ſemitas ſubvertit. Revera quidem præcipit Chriſtus unicuique portare crucem: Apoſtolis promittit pro fide propaganda verbera, gladium, mortem, tribulationes tum exteriores, tum interiores: Apoſtolus Heb. 11. celebrat fidem ſanctorum Patriarcharum, Prophetarum, & Regum qui non delectatione aut ſenſitiva, aut affectiva, præciſe, ſed ut plurimum ſola in Deum fiducia vicerunt mundum, adepti ſunt repromiſſiones. Quid Novator jactitat delectationem? Chriſtus non ſibi placuit, ſed opprobria opprobrantium ſibi ſuſtinuit: Apoſtolus delectatione interiori ita deſtitutus quandoque fuit, ut præ doloris interioris altitudine etiam ſe tædere vivere non diffiteretur. Si ſola delectatio cæleſtis paſſioni affectivæ non abſimilis requiratur ad bonum patrandum; ergo animæ tanquam aurum in fornace tribulationis interioris probatæ, nec mandata divina currere, nec in bonis operibus ſe ſe exercere debent: contrarium tamen & præcipit & fecit Chriſtus, ſic enim habetur Luc. 19. *Et factus in agonia prolixius orabat*. Quinimmo majus comparat meritum anima Deo abſque delectatione & conſolatione affectiva ſerviens, quam ea quæ ſolum in abundantia conclamat Pſalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*. Amor affectivus parvulus eſt, ut apparuit in Petro qui Chriſto in ſua dicebat abundantia: *Etſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo*.

Cum.

Cum tamen vel ad ancillæ vocem non ſibi conſtans de facto illum negaverit. Amor fidei nudæ fortior: quia Deum & propter ſe & appretiative ſuper omnia diligit. Quid dicam? Amor delectationis ut plurimum mercenarius eſt; amor vero qui Deum propter Deum proſequitur, conſtans, purus ac fidelis, quippequi non propter mercedem, ſed propter Deum & quia ſumma bonitas eſt, amet.

Quinto: Denique, ſyſtema Janſenii ſanctam morum regulam ſubvertit, aut abjicit, aut pervertit in pejus. Et probatur: lex eſt humanorum actuum regula, & ad mores componendos a Deo Judæis data, de illa quippe dicitur Pſal. 118. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis*. Rurſus Pſal. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis*. Sed non ſic judicat Janſenius: Et vero legem Moiſis concupiſcentiam ſolum inflammare contendit; homines magis peccatores conſtituere exiſtimat, eſſe in ruinam mortalium prædicat lib. 1. de gratia Chriſti cap. 11. & in aliis locis ſupra laudatis. Ergo &c.

QUARTUM ARGUMENTUM.

Syſtema Janſenii Syſtemati Epicuri nonnihil affine eſt, & in puncto libertatis pejus eſſe videtur.

SYSTEMA Epicuri ſyſtemati non prorſus abſimile, & in negotio libertatis pejus dubio-procul abjiciendum eſt: Atqui tale eſt Iprenſis ſyſtema. Ergo &c. Major patet; quis enim dicet, ſyſtema Epicuri vel ipſis honeſtis Paganis non fuiſſe exoſum. Minor in qua eſt difficultas duo complectitur. Primo quidem, ſyſtema Janſenianum cum ſyſtemate Epicuri nonnihil collimare: tum libertati magis eſſe adverſum.

Probatur min. quoad primam partem. Iſtud erat Epicuri ſyſtema. 1. Hominem ſecundum quod magis delectat operari æquum & juſtum eſſe arbitrabatur. Sic refert Cicero lib. 5. Tuſc. 2. Non ſpurcitias carnis & obſcena ad beate vivendum ſed delicias honeſtas mediocritate temperatas admittebat, hinc non tam moribus quam verbis & loquelis apud cæteros male habebat, ait idem Cicero lib. 2. de fine boni & mali. 3. Impreſſio quam delectationem Epicurus vocat, nihil aliud eſt præter *Vacuitatem doloris*. Apud Ciceronem lib. 5. Tuſc. Epicurei ibidem introducuntur loquentes: *Vacuitate omnis moleſtiæ gaudemus, omne autem id quo gaudemus voluptas eſt*. Quid plura? Iſti Philoſophi ſobrietatem in menſa, mediocritatem tum in veſtimentis, tum in domorum apparatu & ornamentis nedum laudabant, verum & exigebant: *Eo quod*, inquiunt ibidem, *parvo cultu natura contenta ſit*. Sed ejuſmodi delectationem, aut certe non multum abſimilem & pro gratia & pro vitæ regula admittit Janſenius: atqui tamen ſyſtema Epicuri, quantumvis ad mediocritatem compoſitum ab aliis Philoſophis abjiciebatur: hanc affert rationem Cicero lib. 2. de fine & malo quia pro regula vitæ delectationem habebat: *Quænam eſt*, inquit, *Philoſophia quæ vitium non abolet tametſi mediocritatem diligat & velit*? Igitur & ſyſtema Janſenii procul faciendum.

Probatur eadem minor quoad ſecundam partem, nimirum ſyſtema Janſenii ſyſtemate Epicuri in negotio libertatis eſſe deterius. Janſenius in ſuo delectationis ſyſtemate deſtruit libertatem, magnamque in actus humanos inducit neceſſitatem, hoc eſt enim inconcuſſum apud Iprenſem principium, *ſecundum id quod magis delectat, operari neceſſe eſt*: Voluntatem non poſſe reſiſtere delectationi cæleſti exuberanti non ſemel prædicat: ad bonum inſuperabiliter ejus efficacia compelli pro aris & focis defendit: atqui Epicurus aliter de ſua ad beate vivendum requiſita delectatione ſentit. Libertatem actus ſub ejus dominio permanere docet: & probatur multis momentis. 1. Voluntatem humanam ab omni neceſſitate, immunem eſſe propugnabat Epicurus, & atomorum declinamine, ut refert Cicero de fato, liberi arbitrii ſalvari indifferentiam contendebat. Lucretius eadem eſſatur. 2. Quemlibet hominem ſuæ libertatis virtute & efficacia omnem delectationis & voluptatis impreſſionem quantumvis magnam, ad mediocritatem tamen & componere, & compeſcere poſſe exiſtimabat: ita Cicero lib. 5. Tuſc. tantum abeſt ut delectationem neceſſitantem admiſerit Epicurus, quinimmo & vinci & ad juſtam metam reduci facile damodum.

dum putabat : *Ab iiſque*, inquit, *apud Ciceronem abſtinere minime difficile* eſſe. Qualis Janſeniana doctrina circa delectationem ita neceſſitantem, ut ſi terrena exæſtuat, nec legum comminatione, nec inferni horrore, nec damnationis timore perſtringi queat. Quiſnam rerum juſtus judex de ſententia Janſenii, ne dicam merito ſed longe potiori jure dici poſſe affirmabit, hæc quæ Cicero lib. de fine boni & mali protulit de Epicuriana : *Quæ jam oratio non a Philoſopho aliquo, ſed a cenſore opprimenda eſt. . . . Non eſt enim vitium ſolum in oratione, ſed etiam in moribus*.

QUINTUM ARGUMENTUM.

Syſtema Janſenii videtur ortum ducere a Manichæiſmo.

ILLUD ſyſtema eſt rejiciendum, quod Manichæiſmum ſpirat : Atqui ſyſtema Janſenii de gratia tale eſt. Et probatur. Tota Manichæorum doctrina duobus potiſſimum principiis innitebatur, uno videlicet malo a quo omnia tum culpæ, tum pœnæ mala & defectus : altero vero maxime bono ex quo cuncta bona dicebant profluere : hinc ubi dominabatur primum, jam defectus & mala : ubi ſecundum, tunc abundantia pacis & bonorum hinc inde affluentium copia : ſed non omnino abſimile videtur Janſenianum ſyſtema, quandoquidem duobus ſuffultum eſt delectationibus, nimirum una cœleſti, & altera terrena : ſi prior poſteriorem ſuperet, bonum fit, ſin minus e contra : *Quia ſecundum quod magis delectat*, ait, *operari neceſſe eſt*. Ergo &c.

SEXTUM ARGUMENTUM.

Opinio Janſenii de duabus delectationibus convenit cum Calvini opinione.

OPERÆ-PRETIUM eſt ad hujus argumenti efficaciam hic texere ſummatim Calvini ſyſtema. Ergo aſſerit malorum hominum iſte parens. 1. Omnes actiones cujuſcumque hominis etiam juſti veneno concupiſcentiæ eſſe contaminatas, ita lib. 3. inſtit. cap. 3. nu. 10. & 11. 2. Deum ratione prædeſtinationis motus concupiſcentiæ non imputare quidem juſtis ad peccatum, reprobis vero e contra. 3. Utramque delectationem alteram ad bonum, alteram ad malum admittit & in prima gratiam per ſe efficacem ſitam eſſe propugnat, lib. 2. inſtitut. cap. 2. num. 14. dicit gratiam perſeverantiæ in delectationis impreſſione poſitam, & lib. 3. contra Pighium voluntatem humanam ad malum expeditam eſſe : *Quia delectatione & proprio appetitu movetur*. 4. Admittit quidem neceſſitatem in actus humanos ab utraque delectatione inductam, ſed partialem tantum, id eſt, relativam & voluntariam quatenus alternata vice voluntas inſuperabiliter ab his delectationibus modo ad bonum, modo ad malum movetur. Lib. quippe 2. inſtit. cap. num. 5. ait, hominem eſſe ſui actus auctorem, quia voluntarie, omni ſecluſa coactione, operatur, illum pondere affectionis & inclinationis verſus terrena peccare : in eo igitur ſenſu neceſſitas eſt tantummodo partialis quatenus non eſt cæca & ex impetu naturæ promanans, ut in iis qui dementia aguntur, & in infantibus in quibus nondum floret ratio : hanc quippe neceſſitatem abjicit ſicut Janſenius, eam ſolummodo vult quæ a delectatione antecedenti promanans comitem haber reflexionem & objecti ſeriam cognitionem. 5. Admittit utique virtutem activam agendi in voluntate ſub utriuſque delectationis dominio, immo admittit & electionem ; ibid. enim cap. 2. num. 26. ait : *Electione voluntatem magis quam intellectum ſpectare oſtendimus*. Subdit gratiam eſſe : *Quæ in corde & electionem & voluntatem format*. Ibidem num. 13. & lib. 3. contra Pighium aſſerit voluntatem coactionis vinculo conſtrictam electione propria non moveri : *Quæ non ſponte ſua, nec interiore electionis motu inclinatur*. Igitur electionem exigit aliquam, nempe voluntariam, quinimmo ſatis eſſe pro ſua ſententia opinatur, ſi gratiam per ſe efficacem inſuperabiliter, hoc eſt, neceſſario tum in ſenſu diviſo, tum in ſenſu compoſito moventem propugnes. Nam lib. 2. inſtitut. cap. 3. num. 10. explicans iſta Joannis verba : *Qui audit Patrem venit ad me*, ait, *non ſecus accipi ſententia Chriſti poteſt . . . . Quam ut efficacem ſe ipſa Dei gratiam doceat*. Ibidem aſſerit corda : *Sic efficaciter gubernari divinitus, ut inflexibili affectu ſequantur*. 6. Paſſive quidem ſe habere voluntatem humanam ſub dominio gratiæ

tiæ docet, non in eo ſane ſenſu quod active non ſe habeat, namque ibidem num. 11. ait, ſic operari, *Ac ſi homo ſua ipſius induſtria redderet gratiam efficacem*. Sed quatenus prius movetur inſuperabiliter a gratia, & ita neceſſario ab ea applicetur ad bonum, ut voluntas ſit prorſus gratiæ pediſſequa. 7. Ibidem lib. 3. inſtit. num. 4. in hoc ſenſu liberum arbitrium in homine manere concedit. Homo ſecundum Calvini ſententiam nec quicquam boni ſine gratia facere; nec ad Deum ſe ſe convertere; nec in bono cœpto perſeverare poteſt. Rurſus lib. 2. contra Pighium, ſic loquitur: *Repeto, inculco, non hæreo in terminis, de verbis parum aut nihil curo, modo explicatio doctrinæ quoad ſubſtantiam in omnibus ſervetur, ſi nomine libertatis quidquid ſolum coactioni opponitur, quiſquis intelligat, ultro confiteor ineſſe homini liberum arbitrium*. 8. Solam gratiam habitualem in electis inamiſſibilem credit: tametſi enim graviter peccent prædeſtinati, non eis imputantur peccata; namque Deus ad juſtitiam Chriſti, qua teguntur, tantummodo attendit, unde & tanquam ſuæ dilectionis amica objecta eos ſemper habet. 9. Voluntatis ſub duplicis delectationis dominio veritatem agnoſcit; ita ut electi quandoque malum, reprobi vero e contra quandoque bonum operentur, unde lib. 2. inſtit. cap. 3. num. 3. quoſdam Paganos vitam ad tempus duxiſſe honeſtam non diffitetur, quod autem actiones extrinſece tantum bonas, ſed intrinſecus ſuperbiæ veneno contaminatas eis tribuat, patet, num. 4. *Nolo*, inquit, *aſſimilare in bonitate Catilinam Camillo*. Subdit naturam, modo recte dirigatur, omni non privari bonitate: nec putes Calvinum ab ejuſmodi actionibus omnem explodere gratiam, quandoquidem ibidem bona quæ in Paganis collaudat facta tribuit gratiæ ſpeciali quam malis quandoque concedi non negat, lib. 3. inſtitut. cap. 2. num. 11. ait, eaſdem gratias electis datas, utique non ſemel reprobis concedi, nec ullum ſequi inconveniens, ſi fidem ad tempus eis tribui prædicetur. Ibidem num. 12. reprobos gratia Dei quandoque ad tempus & præveniri & tangi docet. Sic inquit pia affectio in Saule ad tempus regnaſſe conſtat: *Ad tempus viguit pius affectus ut Deum amaret. . . . Bonitatis ejus dulcedine capiebatur*. Ibidem ſubdit bonos & electos quibuſdam ſubjici defectibus num. 18. *Quæ variatio, ex fidei imperfectione contingit*. Num. 24. tantas eſſe ejuſmodi variationes fatetur, ut etiam fidei interruptionem, ſeu aberrationem quandoque efficiant & cauſent.

His prælibatis ſic contra Janſenii de gratia traditam doctrinam argumentari licet. Illud de gratia efficaci ſyſtema abjiciendum, immo & toto mentis affectu abhorrendum quod Calvini ſententiæ ab Eccleſia in Concilio Tridentino proſcriptæ non abſimile eſt: Atqui tale eſt ſyſtema Novatoris. Ergo &c. Minor ex dictis de ejuſmodi ſyſtemate quod non ſemel delineavimus patet; Verum ut omnia benevolo Lectori reddamus, ex abundantia juris oſtendimus quoad ſingula in materia gratiæ affinitatem, ne dicam omnino parem & adæquatam. Et vero Janſenius 1. admittit neceſſitatem partialem, eſto; ſed Calvinus utique relativam ex delectatione exuberante promanantem potiſſimum celebrat. 2. Janſenius neceſſitatem cæcam ex natura profluentem abjicit: Calvinus ſimilem etiam abnegat, vult enim voluntatem præeunte cognitione & reflexione, tum & ad objectum attentione operari; nec aliis conditionibus libertatem aliquam agnoſcit. 3. Janſenius exigit ſpontaneitatem ad libertatem: ejuſdem eſt labii Calvinus, modo ſolum quod violentiæ oppoſitum eſt dicatur liberum arbitrium, de vocibus non curat: in eo ſenſu concedit liberum arbitrium in homine lapſo permanere. 4. Janſenius indifferentiam ſtatus exigit, quatenus homo poteſt a ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ pertranſire, ſiquidem datur aſcenſus & deſcenſus in delectationibus, delectatio terrena quæ modo exardeſcit, imminui poteſt: altera, nimirum cæleſtis alias parva creſcit & ſuperare poteſt malam: hanc utique variationem non ſemel confitetur Calvinus: Et vero malos quandoque accendi amore, electos vero tepeſcere uſque ad fidei interruptionem aſſerere non dubitat. 5. Janſenius voluntatem humanam active ſe habere prædicat: hoc ipſum & docet Calvinus, quinimmo ita active ſe habere conclamat, quaſi labore & induſtria propria gratia foret efficax, unde non alio ſenſu paſſive & tanquam inanime quoddam ſe ha-

bere

Digitized by Google

bere credit, hoc eſt, quia antecedenter movetur & neceſſario applicatur ad opus quod utique ex profeſſo docet Iprenſis de delectatione per ſe efficaci. 6. Janſenius gratiam per ſe efficacem inſuperabiliter & neceſſario moventem pro aris & focis defendit; non aliam agnoſcit, & propugnat Calvinus, ea quippe eſt gratia ſecundum ipſum quæ ita indeclinabiliter ad bonum applicat, ut ei reſiſtere non ſolum nefas ſit, ſed & impoſſibile. 7. Janſenius neceſſitatem in actus humanos conſequenter abſolutam eatenus inducit, quatenus ſecundum id quod magis delectat, ex ipſo operari neceſſe eſt. Non diſſentit Calvinus: Igitur opinio Janſeniana cum Calviniana collimat.

Ultro tamen fatemur Iprenſem in doctrina de gratia, nonnihil a Calvino diſcrepare. 1. Calvinus tantam vult neceſſitatem ad bonum per gratiam decreto prædeterminante innixam, ut vi prædeſtinationis neceſſitantis nequidem electo imputentur peccata. Janſenius e contra, imputari contendit. 2. Calvinus, neceſſitatem abſolutam ex decreto exigit & ſecundario moralem & relativam: Ianſenius iſtam ſolum nominat, ſed revera iuxta eius principium tranſit in abſolutam. 3. Calvinus nomine & re negat indifferentiæ libertatem; Janſenius non quidem nomine, ſed re, & quod peius eſt, fraudulenter; quum enim eam aſtruere dicit, eo ipſo debellare & ſubvertere ſatagit.

SEPTIMUM ARGUMENTUM.

Syſtema Janſenii ab omnibus Theologis tanquam erroneum & hæreticum rejicitur.

SYSTEMA de gratia per ſe efficaci Janſenianum, hæreticum eſse declaraverunt ſummi Pontifices Innocentius X. Alexander VII. noviſſime & Clemens XI. ut fuſius infra dicemus: impræſentiarum demonſtratur omnibus ſcholis catholicis exoſum eſse, & fruſtra Novatores ad Eccleſiæ anathemata declinanda recurrere ad Thomiſtas, quorum diſcipulos, quum ſuam vident cauſam deploratam, eſse gloriantur. Unde adverſus illam ſic inſurgimus.

Illud ſyſtema de gratia per delectationem vincentem reiici debet, quod nequidem apud ſcholas catholicas auditur, ſed prorſus alienum eſt: Atqui tale eſt Janſenii ſyſtema. Ergo &c. Probatur minor. Inter ſcholas aliæ ſunt congruiſtæ, aliæ vero Thomiſticæ: Atqui in eis omnibus neque auditur, neque recipitur, ſed potius reiicitur ſyſtema Janſenianum: & probatur quoad utrumque momentum. Inter congruiſtarum Theologos nonnulli admittunt ſcientiam mediam, nec quicquam niſi explorato voluntatis conſenſu Deum ſtatuere pro efficacia gratiæ contendunt, unde remanet perfecta hominis libertas ſub gratiæ triumphantis dominio: alii ſcientiam mediam inutilem quidem credunt, ſed Deum ſuam gratiam ita ad genium & circumſtantias attemperare prædicant, ut vocet ſuaviter & quomodo ſcit congruere, puta, conſiliando, ſuadendo & moraliter tantum movendo, cui motioni gratiæ libertatis iura plene ſervari nemo non videt. Iam vero ſi de Thomiſtis agatur, certum eſt omnia quæ cæteri Theologi tanquam libertati eſsentialia exigunt, eos utique expoſtulare: nam & gratiam ſufficientem qua præparatur voluntas a Domino, & deliberationem ad electionem præviam, & ipſam electionum liberrimam boni vel mali pro varietate guſtus hominis operantis, & gratiam efficacem omnibus ad agendum paratam, & eam vel recipiendi, vel etiam pro libito abiiciendi poteſtatem, ita admittunt, ut vel a ſolo neceſſitatis nomine abhorreant: indifferentiam nedum ſtatus, ſed & actus ad eſsentiam libertatis propugnant: poſse reſiſti præmotioni phyſicæ aſserunt, nec aliam ab ea induci neceſſitatem niſi hypotheticam, & conſequentem ab ipſa voluntate libere ſe determinante promanantem autumant.

Quid plura? Hominem ita liberum eſse ſub dominio gratiæ, etiam per ſe efficacis & credunt, & propugnant, ut vota ſicut & iuramenta pro bono faciendo fiducialiter emittant, & ſtare promiſſis ſe poſse credant, quaſi gratia præmovens in ſua foret diſpoſitione. Non ſic Ianſenius, nam & neceſſitatem antecedentem ex gratia victrici promanantem defendit, & poſse proximum & expeditum per gratiam ſufficientem conferri negat; & indifferentiam actus ſub dominio delectationis exuberantis ſubſiſtere non vult, quia, ait: *Secundum id quod magis delectat, operari neceſſe eſt.*

Pro-

Pro coronide ſubjiciam alias quaſdam rationes, ex principiis poſitis connaturaliter fluentes, dicendo, delectationem Janſenii ad gradum non conſtituere gratiæ efficaciam. Primo quidem, quia totum actus humani tum boni, tum mali momentum non penes delectationem ſenſibilem appetitus ſenſitivi, ſed potius ſpiritualem appetitus rationalis attendi debet. 2. Non ſemel contingit, exardeſcente concupiſcentia ſenſibili, nequidem ad hoc ſpiritum advertere & reflectere. Cum ejuſmodi motus juſtis ſæpius uſque ad ſtuporem & fremitum diſpliceant. 3. Certum eſt nullam delectationem in actuum humanorum œconomia partem habere niſi approbetur ab intellectu, & judicium practicum de objecti bonitate vera, vel apparenti fiat, ex quo ſequitur libertas indifferentiæ actus. 4. Sæpiſſime contingit, ut colaphizante vehementer concupiſcentia, ipſa judicetur mala, e contra vero florente delectatione cæleſti, bonum ex innata pravitate abjiciatur, & peccatum committatur. Igitur judicium practicum intellectus de bono aut malo faciendo non menſuratur ſecundum majorem vel minorem delectationem objectivam cor humanum attrahentem & emollientem, ut falſo propugnat Ipreſis, ſed ſolum penes rationis judicantis convenientiam, abſtrahendo quod intellectus gratia adjutus judicet bene, vel male ſi paſſione captus & obcæcatus ſit. Sic docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 34. art. 4. denique delectationem quæ ut principium actus humani admittitur, in judicio practico voluntatem conjunctam habente conſiſtere luce clarius apparet, velle enim aliquid, & illud amare libere, idem eſt: Igitur a primo ad ultimum funditus ruit Janſenii de gratia Chriſti ſyſtema, quippe quod Scripturæ & SS. Doctoribus adverſetur, ſyſtematibus Epicuri & Calvini affine ſit; ab omnibus Theologis Orthodoxis abjiciatur, ac demum a SS. Pontificibus alternata vice proſcribatur.

Fit ſatis objectionibus.

OBJICIUNT Novatores ad Janſenii defenſionem. Primo, Scriptura quotieſcumque loquitur de gratia, ait, trahere, vincere hominis malitiam, nihil ei reſiſtere, dare vires efficaciſſimas, juſtum ea actuatum & roboratum non poſſe peccare ut loquitur S. Joan. quas loquendi formulas adoptant & S. Auguſtinus, & S. Thomas; ille enim dicit lib. de corrept. & grat. cap. 4. num. 29. gratiam inſuperabiliter movere & rapere juſtum ne malitia ejus immutet intellectum & ſubvertat ſenſum lib. de dono perſev. cap. 1. num. 1. nihil eſſe habita gratia timendum juſto: iſte vero explicans S. Joan. ait; juſtum non ſolum non peccare ſed nequidem poſſe peccare: Igitur neceſſitas ſequitur ad gratiam medicinalem, neque tamen libertati adverſatur, non enim juſtos in agendo eſſe liberos negat Janſenius, unde non neceſſitatem ſimplicem, ſed ſolum ſecundum quid, non ignotam Patribus, non D. Auguſtino & Div. Thoma, immo non Thomiſtis & aliis plurimis Theologis alias Orthodoxis admittit.

Reſpondeo 1. Scripturam & Patres omnem amovere a voluntate humana ſub dominio gratiæ neceſſitatem, ut ex ſuperioribus patet, & ut iterum atque iterum ex dicendis patebit. Ratio divi Auguſt. & D. Thomæ ea eſt; gratia non deſtruit, ſed adjuvat & perficit liberum arbitrium. Hoc quippe & ſanat & ad operandum bonum applicat.

Reſpondeo 2. Ad ſingula. Ad primum quidem diſtinguendo, gratia trahitur voluntas amando & eligendo bonum, concedo: namque Deus & excitando, & ſuadendo ſecundum Aug. movet: voluntas trahitur ut inanime quoddam, nego. Tridentinum adverſus Proteſtantes contrarium definivit.

Ad ſecundum ſimiliter diſtinguo, juſtus non poteſt peccare in ſenſu compoſito quatenus agit reduplicative ut juſtus, concedo: ita expreſſis verbis interpretatur S. Joannem D. Thomas: non poteſt peccare ut ſic, nego. Conſtat enim ex Scriptura multos juſtos ut David, ut Petrum, illum Berſabee rapiendo, iſtum Chriſtum negando, maxime peccaſſe. Hic eſt genuinus Scripturæ ſenſus 1. Joan. 3. 9. *Qui natus eſt ex Deo... Non poteſt peccare.*

Ad tertium utique diſtinguo, gratia perſeverantiæ movet inſuperabiliter, concedo: dicit enim præter gratiam interiorem auxilium extrinſecum, videlicet providentiam ſpecialem quæ mortem cum charitate conjungit; quæque rapit juſtum

præ-

præmaturo obitu e mundo, ne faſcinatio nugacitatis tranſvertat ſenſum ſine malitia, & decipiat animam illius. Gratia ut ſic & ſecundum ſe ſpectata, nego. Tametſi enim det vires efficaciſſimas voluntati quibus anima tentationem certo vincat, ipſa tamen neque inſuperabilis, neque indeclinabilis eſt, quandoquidem ei poteſt reſiſti: contrarium propugnare eſt hæreticum & prohibitum, juxta illud Tridentini: ***Si quis dixerit liberum arbitrium motum & excitatum a Deo.... non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit***. Hoc igitur ſummopere diſtinguendum eſt, gratiam dare vires efficaciſſimas voluntati ut tantum habeat virium ad tentationem propellendam, quantum habet cupiditas ad movendum in malum, & gratiam inſuperabiliter movere. Primum veriſſimum eſt, namque ut ſervetur libertas & electionis affulgeat locus, voluntas ſufficientes debet habere vires, ad vincendum malum & faciendum bonum: Secundum vero minime, ſi qua enim eſt ineluctabilitas, a voluntate humana per gratiam adjuta, eligente bonum promanat. Cæterum D. Auguſt. ut non ſemel dictum eſt, loquitur in locis adductis de dono perſeverantiæ, quo juſtum rapi ab hac vita ne pervertatur, ſi diutius viveret, aſſerit. Unde lib. de dono perſ. c. 1. n. 1. eam perſeverantiæ dicit gratiam, qua data, nihil timendum c. 4. nu. 10. qua data charitas non poteſt amplius amitti: lib. de corr. & gr. c. 12. n. 33. qua homo non poteſt peccare in poſterum: ibidem c. 11. n. 29. qua data abſolutum eſt ſalutis negotium.

Inſtant: Si detur æquilibrium, ita ut voluntas tantas habeat vires ut ſufficiant ad vincendam quamlibet concupiſcentiam, jam tota gratiæ efficacia a voluntate deſumetur humana: jam gratia erit mere indifferens, & nullo modo efficax, jam ab ipſa voluntate creata determinabitur gratia ad opus, quod ſane Semipelagianiſmum ſapit.

Reſpondeo diſtinguendo, ſi illud æquilibrium a natura in ſe relicta promanet, gratia erit indifferens & per conatum voluntatis humanæ ad bonum determinabilis, concedo: ſi ſit ab ipſa gratia, nego. Dicimus gratiam dare vires efficaciſſimas, immo & potentiſſimas voluntati, quia illam ſanat, illam movet & ſtimulat ad bonum, illam in circumſtantia apta præviſa ſecundum congruiſtas movet, & ipſa adjuvante gratia ſeipſam applicat ad actum: illam præmovet primum moraliter, deinde vero phyſice facta prius deliberatione, ad mandatum implendum, ajunt Th. hinc a gratia oritur efficacia ipſius voluntatis: Igitur non a viribus naturæ ſed potius gratiæ quæ animam ſanat, immutat, adjuvat & applicat ad actum.

Inſtant: Iſtud æquilibrium eſt a gratia ſufficiente quæ ideo dicitur ſufficiens, quia ſufficientes ad debellandum quamlibet concupiſcentiam ſuppeditat vires: Sed hoc dato, ſequitur auxilium ſufficiens eam eſſe gratiam quæ dat efficaciſſimas & potentiſſimas vires, adeoque aliam non dari gratiam præter ſufficientem, quod aperte pugnat contra S. Auguſtinum qui tantam energiam ſoli gratiæ tribuit efficaci, quam ſane per omnia ſecernit a ſufficiente. Sequitur omnes homines æquales habere ad vincendum malum vires, nam omnes habent gratiam ſufficientem ad bonum operandum quando præceptum urget, malum vero, exacerbante tentatione, propellendum, & tamen nemo non novit peccatores & impios gratias habere leviores, juſtos majores præ cæteris poſſidere vires ut declinent a malo, & faciant bonum: Ergo &c. Cæterum D. Auguſtinus impugnat Julianum eo quod æquilibrium in voluntate ad bonum & malum admitteret: Sic enim eum alloquitur lib. 3. op. imp. cap. 117. " Pingis tibi ipſe „ quod placet, cui vacat inani corde ina„ nia volutare phantaſmata. Cur enim „ tu adminicula gratiæ ſupponis bonæ vo„ luntati, cum voluntas mala nullo inni„ tatur adminiculo ut mala ſit, vel mala „ eſſe perſiſtat? An hic libra tua, quam „ conaris ex utraque parte per æqualia mo„ menta ſuſpendere, ut voluntas quantum „ eſt ad malum, tantum etiam ſit ad bo„ num libera, vergendo in unam partem „ te indicat delirantem? „

Reſpondeo 1. S. Aug. agnoſcere & prædicare æquilibrium in viribus per gratiam tum ad faciendum bonum, tum ad declinandum a malo acceptis; ita ut tantas habeat voluntas adjutorio Dei vires ad propellendam tentationem, quantas habet concupiſcentia exardeſcens ad inducendum in peccatum. Primo quidem l. 3. op. imperf. cap. 114. oſtendit enim Juliano gratiæ adminicula non nocere libero arbitrio, ſed re-

reficere ut priſtinas habeat ad bonum operandum vires: “ Unde fieri poteſt, *inquis*, ut adjutoria gratiæ Dei liberum arbitrium loco pellant, quod potius vitiis pulſum & nequitiæ ſubjugatum ut in locum ſuum redeat, liberant. „ Rurſus lib. de ſpir. & litt. cap. 33. nu. 58. æquilibrium vocatur *media vis*, quatenus liberum arbitrium ſemper eſt in utramque partem flexibile. Tum lib. 3. de liber. arbit. cap. 1. Idem æquilibrium cardinem dicit his verbis certe non omittendis: “ Motus autem, *inquis*, quo huc atque illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet cum ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem voluntatis; neque omnino monendus eſſet, ut iſtis neglectis æterna vellet adipiſci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene. Hoc autem monendum non eſſe hominem, quiſquis exiſtimat, de hominum numero exterminandus eſt. „ Iterum delineat iſtud æquilibrium B. Aug. lib. de 2. anim. cap. 13. n. 19. dicens: modo unum aliquod placet, modo eadem diſplicent: “ Quorum nos in medio poſiti fluctuamus. „

Non unus Auguſtinus illud admittit æquilibrium ſed & D. Thomas prædicat, namque 1. p. qu. 83. art. 2. ad 2. docet potentiam quandoque non eſſe expeditam ad operandum, quandoque vero eſſe: “ Ad ſecundum, *inquit*, dicendum, quod facultas nominat quandoque poteſtatem expeditam ad operandum, & ſic facultas ponitur in definitione liberi arbitrii. „ Quomodo vero fiat expedita ipſe 1. 2. qu. 106. art. 3. ad 2. dicit eſſe per gratiam prævenientem & excitantem: “ Si quis, *inquit*, poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœna dignus eſt, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens. Nec tamen propter hoc dicitur quod lex nova iram operatur, quia quantum eſt de ſe ſufficiens auxilium dat ad non peccandum. „ Hoc ipſum aſſerunt omnes noſtri Thomiſtæ: hoc dicit Ledeſina: hoc propugnat Alvarez, & alii ſupra laudati ubi egimus de natura gratiæ ſufficientis.

Reſpondeo 2. quæſtionem hic non moveri de æqualitate aut inæqualitate delectationum: de majori vel minori infirmitate in diverſis hominibus, de ſanitate aut integritate ante vel poſt Adami lapſum, ultro concedimus delectationem cæleſtem quandoque excedere in gradu terrenam, iſtam vero e contra exardeſcere nonnunquam ſuper cæleſtem. Concedimus utique peccatores, maxime obduratos majorem experiri ipſis iuſtis in bono exequendo difficultatem; minus virium ineſſe homini poſt Adæ peccatum, ſed propugnamus cum Auguſtino hominem per gratiam ſanari, ſed per gratiam liberari & in locum ſuum redire, ſed gratiam eſſe virtutem mediam qua tantum virium illi tribuitur quantum ſufficit & ad debellandam quamlibet concupiſcentiam reſiſtendo, & ad bonum operandum adimplendo præceptum: gratia non perimi, ut contendebat Julianus, liberum arbitrium ſed ſanari, ſed reſtaurari: Sic ait Auguſt. Pelagianis lib. 3. op. imperf. cap. 114. “ Putatis quippe iſto modo auferri voluntatis arbitrium: cum hoc quiſquam facere niſi voluntate non poſſit; ſed quod vos non vultis, præparatur voluntas a Domino; non forinſecus ſonantibus verbis, ſed ſicut orante exauditaque Regina convertit Deus, & tranſtulit indignationem Regis in lenitatem. Sicut enim hoc divino & occulto modo egit in hominis corde; ſic operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. „

Jam reſpondeo in forma, conceſſa maiore, diſtinguo minorem, ſequitur gratiam ſufficientem efficaciſſimas præbere vires in actu primo & ſe tenente ex parte potentiæ, concedo: in actu ſecundo, ſubdiſtinguo: adiuncta ſibi gratia efficaci, concedo: non adiuncta, nego. Peccator abſque gratia non habet niſi potentiam ad bonum peragendum pro ſalute remotiſſimam: cum gratia ſufficiente habet proximam & ita expeditam ut poſſit propellere quamlibet tentationem. Per efficacem iungit actum cum potentia tum reſiſtendo paſſionibus, tum operando bonum. Igitur immutatur & inchoative ſanatur per gratiam ſufficientem, per efficacem vero complete, & eius ope ad priſtinum redit locum: Tunc enim per habitualem iuſtificatur peccator.

Non ſequitur igitur gratiam ſufficientem confundi cum efficaci, illa ſe tenet ex

par-

parte actus primi, iſta vero ex parte actus ſecundi. Nec ſequitur etiam gratiam eſſe in omnibus æqualem, certum eſt enim juſtos majorem habere quam obduratos: at contendo iſtos per gratiam ſufficientem quæ conceditur eis, tantum habere virium ad reſiſtendum concupiſcentiæ, quantum habet concupiſcentia exardeſcens ad inducendum in malum. Vi gratiæ redit ex Auguſtino in locum priſtinum; recipit potentiam expeditam, teſte divo Thoma, ad declinandum a malo & faciendum bonum. Minima charitas, inquit ſanctus ille Doctor, ſeu gratia plus diligit Deum quam cupiditas auri & argenti. Per charitatem etiam gratiam actualem intelligere non ſemel oſtendimus & hoc ſecundum D. Auguſtini mentem, qui ibidem l. 3. opuſc. imperf. cap. 114. ſic intelligit dicendo: " Hoc eſt autem incremen-„ tum, ut unuſquiſque obediat præceptis „ Dei: quod non fit, quando vere fit, „ niſi charitate. Unde Eccleſia incre-„ mentum corporis facit, in ædificatio-„ nem ſui, in charitate. Iſtam charita-„ tem non dat niſi Deus: charitas enim „ ex Deo eſt. Hanc vos inter adjutoria „ gratiæ, quæ commemoratis, nominare „ non vultis, ne hoc ipſum quod obedi-„ mus Deo, ejus eſſe gratiæ concedatis. „ Putatis quippe iſto modo auferri voluntis „ arbitrium: cum hoc quiſquam facere niſi „ voluntate non poſſit; ſed quod vos non „ vultis pręparatur voluntas a Domino, non „ forinſecus ſonantibus verbis, ſed ſicut „ orante exauditaque Regina convertit „ Deus & tranſtulit indignationem Re-„ gis in lenitatem. Sicut enim hoc di-„ vino & occulto modo egit in hominis „ corde, ſic operatur in nobis velle & „ operari pro bona voluntate. „ Charitas igitur illa qua voluntas redit in priſtinum locum virium, eſt charitas inchoata ſeu gratia actualis, namque ea eſt qua præparatur voluntas a Domino, qua Deus occultiſſima vi operatur in corde peccatoris nondum juſtificati ſed juſtificandi: qua in eo operatur & velle & operari bonum ut habeat juſtitiam & charitatem habitualem atque perfectam.

Ad alteram objectionis confirmationem ex auctoritate divi Auguſtini deſumptam, diſtinguo. Sanctus Doctor irridet æquilibrium & libram in viribus ſolius naturæ fundatam, qualem propugnabat Julianus, concedo: viribus gratiæ naturam adjuvantis innixam, nego. Julianus contendebat naturam noſtram peccato originali nullo modo eſſe fauciatam, tantumque virium in ſe habere, quantum ſufficit & ad malum propellendum, & ad bonum operandum, hanc irridet libram Auguſt. ut commentum, ſed ſane non eam quæ in gratia fundatur. Unde ſanctus Doctor relata objectione Juliani pro æquilibrio in ſolis naturæ viribus exſtructo, ſubdit ibidem c. 118. alloquens adverſarium: " Cur „ non addis quod ibi legiſti, ſi liberata „ non eſt? Aut quid eſt quod ait Domi-„ nus cum de fructibus palmitum, hoc „ eſt, de bonis actibus loqueretur, ſine „ me nihil poteſtis facere? niſi quia ne-„ mo ad bene agendum, quem non ipſe „ liberat, liber eſt. „

Inſtant: Obduratus v. g. habet ex una parte gratiam ſufficientem remotam ad actum perfectæ converſionis; ex alia vero multos habitus vitiorum inveteratorum peſſimos: exardeſcit ut plurimum concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ: Igitur abſurdum eſt dicere illum ſufficientes vires ad malum fugiendum, bonum vero operandum habere per auxilium debile, per gratiam admodum levem ſufficientem, qua etiam carere non pauci autumant Theologi: Igitur non eſt libra, non æquilibrium etiam per gratiam ſufficientem.

Reſpondeo 1. Juſtos conantes quibus abnegat Janſenius vires ſufficientes ad bonum, exuberante delectatione terrena, habere auxilium prorſus ſufficiens. 2. Habere & obduratos ſaltem mediate, quando præceptum urget, totis viribus propugnamus, alias forent peccando & prævaricando excuſabiles, quia præceptum, ſecluſa omni gratia, adimpleri non poteſt: jam vero ſi ſufficiens, igitur dat vires quæ impetum concupiſcentiæ frangere valeant. Unde gratia ſufficiens quæcumque, ſufficientes dat ad reſiſtendum malo & ad orandum vires, ſi fortior & uberior ad bonum converſionis peragendum velit peccator, oret; nam ut ait Tridentinum ſeſſ. 6. poſt Auguſt. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis & adjuvat ut poſſis*.

Urgent: Illud æquilibrium non rite concluditur ex exemplo duorum æqualiter circa

circa mulierem affectorum adducto a B. Aug. l. 12. de civ. cap. 12. quæſtionem quippe ſolvit per nolle & velle, quod videtur intelligi tantum de homine ſano.

Reſpondeo S. Aug. loqui de homine lapſo, alias nihil probaret adverſus Manichæos quos debellat: quippe qui naturam ita vitiatam eſſe propugnarent, ut ad malum neceſſitari contenderent: ut autem partes agat liberi arbitrii per gratiam Chriſti reparati, oſtendit ſufficientes habere vires ad quodlibet malum propulſandum, nullam ineſſe homini lapſo neceſſitatem ad peccandum, quod quidem familiari ſed plurimum convincenti probat exemplo duorum æqualiter erga aliquam mulierem affectorum, quorum unus cedit tentationi; alter vero reſiſtit & victor evadit l. 12. de civ. cap. 6.

Oppones 2. perperam dicitur ſyſtema Janſenii tollere libertatem, collimare cum Calvini opinionibus: Et probatur: Janſenius in multis punctis damnat Calvinum. 1. Lib. 8. de gr. Chriſti c. 21. admittit electionem, nuſquam vero Calvinus. 2. Janſenius ait poſſe reſiſti gratiæ, ſed non ſic Calvinus. 3. Janſenius dicit voluntatem tanquam pediſſequam eſſe reſpectu gratiæ, hoc Calvinus non admittit. 4. Calvinus propugnat non eſſe in hominis poteſtate aut bonum aut malum operari. Janſenius oppoſitum docet, nam l. 3. de gratia Chriſti cap. 15. & lib. 8. de gratia Chriſti c. 20. fatetur ſub dominio delectationis terrenæ, remanere potentiam ad oppoſitum. 5. Calvinus negat abſolute liberum arbitrium, illud vero & prædicat & propugnat Janſenius: Ergo &c.

Reſpondeo iſtas objectiones eſſe excuſationes in peccatis, ut liquet ex ipſis probationibus: Igitur ad omnia argumenta una hæc erit ſolutio. Janſenius admittit libertatem ſtatus, libertatem impropriam in mera ſpontaneitate ſitam, concedo: indifferentiam actus & vim electivam, nego. Unde voce tenus a Calvino differt, re vero in hoc gratiæ momento illi adamuſſim conciliatur. Et vero Calvinus lib. 2. inſtitut. cap. 2. n. 26. ait electionem ad voluntatem pertinere, ſed qualem electionem? Non aliam ſane quam ſtatus admittit, quatenus voluntas male operans ad alium poteſt tranſire ſtatum in quo bene operetur: nihil aliud aſſerit Janſenius. In eodem ſenſu Calvinus l. 2. inſt. cap. 3. n. 14. dicit voluntatem eſſe flexibilem & poſſe reſiſtere, nec ab hoc recedit Janſenius, quia ſecundum inconcuſſa ejus principia, exuberante una delectatione, ei cedere neceſſe eſt. Ceterum ut uno verbo omnia reddamus, Janſenius neceſſitatem relativam & partialem eamque duntaxat moralem admittit, quæ tamen in ſe ſuo modo abſoluta eſt, quia neceſſario infert effectum & ſapit fatum; nam ſi cæleſtis delectatio ſuperior eſt, neceſſe eſt voluntatem operari bonum, ſin minus e contra malum. Jam vero ſi utramque delectationem æqualem eſſe contingat, ecce adhuc neceſſitas, quippe voluntatem manere ſuſpenſam neceſſe eſt. Eſto, ſub una delectatione remaneat potentia ad oppoſitum, ſed qualis? Profecto non alia niſi remotiſſima, quatenus potentia naturalis ſub alia delectatione in ſuperioritate alternante eſſe poteſt. Quid plura? Neceſſitas non eſt naturalis abſoluta & cæca, ſed eſt moralis, ita ut una delectatione exuberante, neceſſario fiat res; hinc neceſſitatem a Calvino inductam tollere libertatem non diffitetur Janſenius, attamen ſecundum ipſum Calvinum eſt neceſſitas tantummodo ſecundum quid, id eſt, moralis & relativa, neceſſitas voluntaria: Sic loquitur l. 2. inſt. cap. 3. n. 5. "Neceſſitas quodam „ modo voluntaria . . . . voluntariæ cu- „ juſdam ſervitutis.

Inſiſtes: Neceſſitas moralis a Janſenio inducta non tollit libertatem indifferentiæ: Et probatur: Licet magna, poteſt tamen vinci & fieri contrarium. Sic homo tametſi liber ut oculos ſuos ſibi avellat, non tamen faciet, poteſt tamen facere: Eo prope modo voluntas ſub dominio delectationis exuberantis ſequetur pondus ad objectum, abſolute tamen loquendo poteſt non facere.

Reſpondeo, neceſſitatem a delectati ne aliqua exuberante promanantem inducere in hypotheſi Janſeniana impoſſibilitatem quodam modo abſolutam, eo quod majorem vincere alteram in gradu minorem neceſſe ſit.

Ad exemplum, dico eſſe impoſſibile pluſquam moraliter, aliquem ſibi præripere oculos, niſi enim aut dementia, aut furoris impetu ſubito ſit correptus & in rabiem actus, tantum ſibi malum non irrogabit.

Dices: Gratis objicitur ſyſtema Janſe-

nii

nii eſſe Epicuri ſyſtemati non abſimile; cum Epicurus nullam cognoverit, a fortiori nec admiſerit gratiam.

Reſpondeo nos per omnia non comparare utrumque ſyſtema ad invicem, ſed penes ſolum delectationis rationem, quatenus Epicurus cuncta delectatione fieri cenſebat: attamen cum libertate actus: Janſenius convenit in motivo operationis quod eſt delectatio: differt vero prorſus in conſequentia, ſiquidem hominem ſub delectatione terrena manere liberrimum autumabant Epicurei.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Syſtema Janſenii de gratia per ſe efficaci eſt erroneum & rejiciendum.

PRIMO: Quia tollit indifferentiam actus, quam Scriptura, Patres & ſancti Doctores ſemper & ubique propugnant. In primis S. Auguſt. lib. de ſpirit. & litt. cap. 33. D. Thomas 1. 2. q. 31. art. 4. ubi ex profeſſo docet omnem delectationem quæ eſt alicujus actus humani principium, rationi ſubjici neceſſe eſſe.

Secundo: Quia ex illo ſyſtemate ſequitur culpam non in hominem, ſed in Deum, quod abſit dicere, immo vel cogitare, refundendam eſſe, cum ille peccet in eo quod vitare non poteſt.

Tertio: Quia convenit cum Calvino libertatem exſufflante, nec aliud in multis inter utrumque, quam voce & nomine tenus reperiatur diſcrimen. Nam Iprenſis hoc habet pro regula: *In eo quod magis delectat, operari neceſſe eſt.*

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Incaſſum pro aſtruendo Janſenii de gratia per ſe efficaci ſyſtemate quædam proferuntur Scripturæ auctoritates in quibus habetur Deum trahere ad ſe peccatores, cum nomine tractus intelligatur vocatio & invitatio, quæ ſtimulat ad bonum, ſed nuſquam perimit liberum hominis arbitrium.

Secundo: Dictum eſt ſupra æquilibrium a nobis admiſſum non eſſe ſemper immediatum & ad æqualitatem gradus, ſed in eo ſenſu dici æquilibrium, quatenus quilibet gratia ſufficiente adjutus poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & tentationi: mediante vero oratione gratiam uberiorem ad perfectam converſionem obtinere.

Tertio: Eſto quod in terminis Janſenius in gratiæ negotio a Calvino ſecedat; non tamen in re, cum non aliam admittat gratiam per ſe efficacem, quam delectationem relative neceſſitantem: hoc eſt ſi delectatio cæleſtis ſuperet in gradu terrenam, neceſſario fit bonum, ſin minus, contra malum.

SECTIO TERTIA.

Utrum detur gratia per ſe efficax?

QUONDAM fuit animus quæſtionem in utramque partem tractare, ſed modis ita diverſis congruiſtæ in hac materia diſcutienda ſe ſe explicant, ut quinam ſit eorum genuinus ſenſus non ſine magna difficultate, ne dicam & obſcuritate exponi poſſit. Non una hæc ratio commovet auctorem ſuam ſolum hic exponere ſententiam, ſed & materiæ altiſſimæ conditio quæ variis hinc inde ſpinis intricata, & circumſæpta ſcopulis, ut plurimum fugit mentem lectorum. Quia vero unuſquiſque in hoc articulo pro ſua ſcholæ miles evadit, abſque mora alterius ſcholæ peſſundat ſententiam, ita ut quot capita; tot & ſenſus, qui nonnunquam nihil proſunt niſi ad pietatis, & charitatis ſubverſionem. Revera quidem nonnulli de recentiore ſcriptore alias doctiſſimo ſic loquuntur, ut noſtris auribus audivimus; rem involucris ſubtexerit, & vix quæ de quæſtione in utramque partem pretulit, comprehenduntur. Alii, Thomiſtam Theologum, eo ipſo quo congruiſtarum ſententias ad trutinam Academiarum probat, tanquam Moliniſtam ut exoſum cæteris iſtius ſententiæ Æmulis reddant, habent; Quidnam etiam inſulſis dicteriis a pondere, & menſura charitatis non nihil deficientibus, ut non ſemel comprobavit experientia contrariæ ſuæ ſententiæ ſcriptores afficiunt; ſicque varias de gratiæ efficacia recenſere, & probare ſententias auget legentium laborem, & in enucleanda, vel etiam comprehendenda quæſtione difficultatem.

His omnibus, matura deliberatione

 prævia,

prævia, ponderatis; auditis etiam ſuper hoc viris doctis, & cordatis, omni exceptione majoribus, ne quis putet me deſertorem ſcholæ Angelicæ, quam a juventute colui, in provecta ætate multis theſibus publicis triginta circiter annorum ſpatio celebravi, cui etiam ad ſenium uſque donec ultimum in Domino, & in pace Eccleſiæ claudam diem, ſalva erga cæteras ſcholas reverentia, adhærere volo, unicam de gratiæ efficacia ſcholæ Angelicæ opinionem pro virili omni argumentorum genere probare, propugnare ac defendere aggredior.

Prænotandum eſt gratiam triplici modo poſſe conſiderari. Primo quidem ex parte Dei: Secundo, reſpectu voluntatis peccatoris quem Deus invitat ad pœnitentiam. Tertio, relative ad ipſum effectum, nempe ad converſionem actualem. Controverſia non eſt de gratia priori modo ſpectata, Deus enim, inquit Leſſius & alii multi Theologi quantum eſt de ſe dat gratiam ut convertat peccatorem, ſed ſalvo ejus voluntatis arbitrio, ita ut reſiſtendo impediat effectum: Eam ſic ſpectatam vocant efficacem in actu primo: Neque etiam procedit difficultas de tertio modo, omnes quippe Academiarum doctores concedunt effectum ſalutarem a gratia ſimul & a libero arbitrio cooperante produci; ſed de ſecundo gratiæ ſtatu, ut prælibatum eſt, ſcilicet de gratia reſpectu voluntatis; cum enim prius ſit animam obedire Deo vocanti, & conſentire v. g. pœnitentiæ, quam ipſam amplecti pœnitentiam, quæritur num illa obedientia ſit ita a gratia, ut ſe ſola illam det, an vero illa vocationis efficacia ab ipſo voluntatis conſenſu ſit, ita ut gratia dicatur efficax non per ſe & propria virtute, ſed dependenter a voluntatis conſenſu.

Obſervandum eſt etiam gratiam eſſe per ſe efficacem & ſic movere voluntatem, ut motio habeat non quidem neceſſariam & abſolutam, ſed moralem, eamque infallibilem cum conſenſu connexionem, quamvis enim voluntas mota a Deo & excitata poſſit diſſentire, nuſquam tamen faciet, quia vel ipſa prævia deliberatione vult anima conſentire. Sed nequis in hac expoſita quæſtione aliquid confundat; tria præ oculis habenda ſunt & nuſquam omittenda. 1. Gratiam prævenientem eſſe in nobis ſine nobis. 2. Hac mediante ſufficiente gratia peccatorem ad converſionem invitatum poſſe adhibere conſenſum negativum, hoc eſt, non diſſentire gratiæ. 3. Gratiam uberiorem fortius movere, & ſic movere ut peccator conſentiat vocanti, & de facto convertatur. Conſenſus quidem eodem tempore datur quo fit motio, quia tamen prius eſt prioritate naturæ voluntatem moveri, ideo gratia dicitur per ſe efficax. Cunctis igitur dilucidatis, ad momentoſam iſtam quæſtionem, quæ tot in animis movit tragœdias perfecte eliquandam: Quærimus 1. num de facto gratia ſit per ſe efficax. 2. In quo conſiſtat præciſe illa efficacia. 3. Utrum ſub dominio gratiæ efficaciſſimæ effectui libere cooperetur humana voluntas.

§. I.

Reſolvitur quæſtio de gratia efficacia.

CONCLUSIO.

Gratia Mediatoris eſt intrinſece & per ſe efficax.

Probatur multis momentis.

Primum argumentum ex Scriptura utriuſque Teſtamenti oritur.

VARIIS ratiociniis Theologicis iſtud argumentum ita innititur, ut concluſionis veritas tot elucidata modis inconcuſſa permaneat.

1. *Illa* gratia eſt per ſe efficax, quæ nobis dat cor unum ad faciendum aliquid quod in noſtram utilitatem cedit: quæ eſt omnipotens ad noſtram operandam ſalutem: & quæ inclinat cor noſtrum quocumque voluerit Deus: quæ facit ut ambulemus in præceptis Domini. Atqui talis eſt gratia efficax: Igitur eſt per ſe efficax. Major patet. Enimvero per gratiam ex ſe efficacem intelligimus gratiam quæ ex ſe & propria virtute infert conſenſum, & infallibilem habet cum ipſo connexionem; quæ cor noſtrum inclinat ad quod vult Deus, quæ facit ambulare in mandatis, quæ a corde humano hoc non expectat, ſed ipſa dat cor novum ut operemur bonum: quæ motu proprio & omnipotenti ſalvat Iſrael: quæ ex

ſe &

ſe & non dependenter ab alio hæc omnia operatur bona, alias non foret omnipotens, ſed poteus cum adjutorio extrinſeco. Probatur jam minor quoad ſingulas partes, & hoc ex divinarum Scripturarum auctoritate.

Libro 2. Paralip. cap. 3. 12. habetur: *In Juda vero facta eſt manus Domini ut daret eis cor unum ut facerent juxta præceptum Regis, & principum verbum Domini. Congregatique ſunt in Jeruſalem populi multi, ut facerent ſolemnitatem Azymorum in menſe ſecundo: & ſurgentes deſtruxerunt quæ erant in Jeruſalem atque univerſa in quibus Idolis adolebatur incenſum.*

Obſerves velim, Doctiſſime Lector, ibi tractari de pietate Regis Ezechiæ, qui adhortatur populum ad Idola, quæ prius colebantur, deſtruenda: de Phaſe ſecundum priſtinum morem celebrandum. Profecto non erat ad hoc diſpoſitus idololatra populus, cor ejus non erat rectum coram Domino, nec cor novum ſibi ipſi dare poterat: at vero miſericors & miſerator Dominus dat eis cor unum ut faciant juxta præceptum Regis, nimirum ut deſtruant & idola, & idolorum altaria; ut celebrent Phaſe Domini atque Azymorum ſolemnitatem: Igitur illa gratia erat per ſe & ex ſe efficax, quandoquidem ipſa immutavit cor Judæorum ut facerent juxta præceptum Regis, qui Deum Patrum ſuorum coli volebat.

In libro Eſtheris, cap. 13. 9. legitur: *Mardochæus deprecatus eſt Dominum, memor omnium operum ejus, & dixit: Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſrael. V. 17. Exaudi deprecationem meam, & propitius eſto forti & funiculo tuo, & converte luctum noſtrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.* Tria hic obſervanda ſunt. 1. Mardochæum agnoſcere omnipotentiam Dei ut convertat cor Aſſueri in gratiam Populi Judaici, ut ipſe cum Iſrael e mortis periculo, Aman inſidias tendente, eriperetur. 2. Effectum alium temporalem, ſcilicet ipſum ab inſidiis Aman liberationem. 3. Effectum pure ſpiritualem, nempe ut convertat Deus luctum in lætitiam. Certe primus & tertius effectus eſt fructus gratiæ & quidem vehementiſſime efficacis, qualis enim energia & virtus ad cor Regis immutandum? qualis potentia, ut populus præ triſtitia & mortis imminentis, & quidem crudelis tædio oppreſſus, cito præ gaudio in Domino exultaret? qui quidem effectus tanto magis gratiæ de cordibus triumphantis ſunt, quanto minor erat futuræ & liberationis & lætitiæ ſpes. Sed & modus orationis Mardochæi maxime prænotandus eſt: agnoſcit & confitetur Dei omnipotentiam, & ad eam recurrit, quia nihil eſt quod poſſit reſiſtere, ſi Iſrael ſalvare velit: ecce gratia per ſe efficax: quoda eſt per ſe omnipotens, ſeu virtus & imperium omnipotentis, qui certe a nullo dependet, ut faciat quod vult: alias non foret omnipotens. Addit Mardocheus nihil poſſe reſiſtere Deo ſi decreverit ſalvare Iſrael: Quibus verbis non proclamat virtutem ferream cuncta compellentem, ut abſolute, & neceſſario fiat ejus voluntas; cum & Aſſuerus poſſet reſiſtere inſpirationi, & tamen non reſtitit, quam virtutem merito orationis Mardochæi ad ſalvandos Judæos habuit: & ipſe populus etiam ſuppoſita liberatione poterat non gaudere, ſicut nunc videmus multos præ malitia de bonis datis non gaudere. Quid ergo explicare contendit Princeps ille Judæorum, dicendo nihil poſſe Dei potentiæ reſiſtere? Unum maxime, hoc eſt, Dei gratiam ita ſuavem eſſe, ut a nullo corde duro reſpuatur: Nullus poteſt reſiſtere, id eſt, nullus vult reſiſtere, licet poſſit & ſæpius faciat. Concludamus igitur gratiam eſſe per ſe efficacem.

In libro Proverb. cap. 21. v. 1. ſcriptum eſt: *Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: Quocumque voluerit, inclinabit illud.* Ezech. 36. 26. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis & operemini.* Notate, quæſo, omnia: cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit, inclinat gratia: Igitur non a conſenſu habet efficaciam, cum ipſa inclinet cor ad conſenſum. Quod autem ſermo ſit non de ſola gratia ſufficiente quæ movet, ſed de gratia efficaci ſeu operis Propheta dicit; ſeu potius Deus ipſe per Prophetam. 1. Auferam a vobis cor lapideum, 2. Faciam ut in præceptis meis ambu-

ambuletis. 3. Faciam ut operemini. Aufert cor lapideum gratia. Igitur eſt per ſe efficax independenter a libero arbitrio, cum peccator prius debeat recipere a gratia cor carneum antequam agat. Facit ambulare in mandatis: Igitur gratia non accipit hanc a conſenſu efficaciam, ſed ipſa facit ut velimus ſervare mandata. Denique facit ut operemur: ſi facit ut operemur, ergo voluntas efficaciam agendi & cooperandi habet a gratia, non gratia a voluntate.

Rurſus. Illa gratia eſt per ſe efficax, quæ nos ipſa trahit ad Patrem, & ſine qua nemo venit ad eum: cujus gratiæ fides in Deum eſt effectus, & ſine cujus auxilio nihil boni facere poſſumus: Atqui talis eſt gratia efficax Chriſti: Igitur eſt ſecundum ſe efficax. De majore nulla videtur difficultas: quid enim magis efficax eſt quam illud ſine quo neque venire ad Patrem, neque aliquod bonum facere poſſumus? quod dat nobis & credere, & ſperare in Deum: Certe ſi dat, totum habemus ab eo, nihil vero e contra illud auxilium habet, aut recipit a nobis ut operetur. Probatur jam Minor. Joan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*. Cap. 6. 44. ibidem: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*. Et iterum cap. 6. v. 29. *Reſpondit Jeſus & dixit eis: hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum*. Et adhuc ibidem v. 45. *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Qui trahit aliquem & dat vires & fortitudinem, profecto habet ex ſe efficaciam operandi, & non dependenter ab alio, niſi ad conſummationem operis. Qui compellit & pulſat aliquem, dat illi actionis motum; iſte vero motus, a Deo poſtea currit & operatur: Sed prius eſt moveri ab alio: igitur qui movet non pendet a moto, ſed potius agens motum ab ipſo: cum igitur gratia moveat voluntatem creatam & ab ipſa non moveatur, ſequitur eſſe per ſe & independenter a conſenſu efficacem.

Denique illa gratia eſt per ſe efficax, quæ datur nobis tanquam Spiritus qui nos ad cuncta virtutum opera moveat, & ea in nobis atque nobiſcum operetur: Atqui talis eſt gratia efficax: Igitur habet ex ſe & ex propria entitate energiam ad effectum producendum. Major eſt clara, anima enim quæ eſt Spiritus ideo nobis datur ut ex illa operari habeamus, & certe talis eſt Spiritus munus, maxime Spiritus Dei, qui dicitur ſapientia omnibus mobilibus mobilior. Probatur minor. 1. Ex Ezech. *Spiritum meum*, inquit Deus, *ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis*. 2. 1. Cor. 12. 4. *Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*. Et ad Philippenſes 2. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle & perficere*. Operatur velle, ſeu conſenſum: Igitur non eſt efficax dependenter a conſenſu, ſed potius conſenſus ab ipſa gratia promanat.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Fit ex Conciliis.

QUOD indicant Concilia, propugnandum eſt: Atqui Concilia gratiam eſſe per ſe efficacem ſubindigitant. Ergo &c. Probatur minor.

Concilium Arauſicanum ſecundum, can. 9. ſic loquitur: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum operatur*. Obſervandum eſt hic loqui de gratia efficaci, nempe de gratia operis ut ipſe textus manifeſtat: *Quoties bona agimus*. Revera quidem, nam agit contra Semipelagianos, qui initium fidei & cujuſcumque actus ſalutis volebant prodire a voluntate humana ſibi relicta. In ſententia autem allata duo diſtinguit ſancta Synodus, nempe conſenſum ad actum, & ipſum actum: *Deus in nobis operatur*. Quid? Niſi conſenſum, ſicut ipſe dicit Apoſtolus, operatur in nobis velle: igitur conſenſus eſt effectus gratiæ. Si ita eſt, quis cordatus dixerit gratiam eſſe efficacem dependenter a conſenſu, cauſam ab effectu? Enim vero conſenſus non eſt a voluntate niſi a gratia & præventa & adjuta: *Deus autem nobiſcum operatur*. Ecce productio actus, qui procedit & a gratia, & a voluntate quidem cooperante: Ergo &c.

Succinit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. his verbis: *Declarat præterea ſancta Synodus ipſius juſtificationis exordium in Adultis a Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratia, ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo*

&

Digitized by Google

& cooperando diſponantur. Ibi utique ſit
mentio de gratia duplici, altera præve-
niente & excitante & cor immutante:
altera adjuvante & cooperante: ita ut
prima ſit per ſe efficax, quia ipſa dat
peccatoribus ut agant libere aſſentiendo,
& eſt in eis abſque eis: ſecunda ſit uti-
que efficax, ſed cooperans in actu ſecun-
do, agit enim ſimul cum peccatore, pre-
veniens: Igitur eſt efficax independenter
a conſenſu, quia prævenit efficaciter:
“ Ideo enim datur, *inquit Auguſtinus*, ut
,, cordis duritia penitus auferatur. ,, Al-
tera e contra a conſenſu eatenus depen-
dere dicitur, quatenus ſimul cum volun-
tate prius mota & præparata producit ef-
fectum. Verius dicam, dependentia ſe te-
net ex parte voluntatis & effectus, mi-
nime vero ex parte gratiæ, cum depen-
dentia proprie dicta a cauſa prima ſemper
eliminetur.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex ſanctis Patribus eruitur.

PRIMUM tenet locum Clemens Roma-
nus. Sic loquitur epiſt. ad Corinth. num.
8. “ Volens igitur *Deus* dilectos ſuos pe-
,, nitentiæ participes fieri, omnipotente
,, ſua voluntate ſtabilivit. ,,

Sequitur S. Ignatius qui epiſt. ad Smyr-
næos, ait: “ Dignus factus ſum ſecun-
,, dum voluntatem Dei non ex conſcien-
,, tia, ſed ex gratia Dei quam oro per-
,, fectam mihi dari. ,,

Concinit Irenæus lib. 4. cap. 70. his
verbis: “ Deus gratuito quidem donat in
,, quos oportet, ſecundum autem meritum
,, digniſſime diſtribuit adverſus ingratos
,, juſtiſſimus diſtributor. ,,

Mox Tertullianus lib. de anima c. 21.
“ Hæc, *inquit*, erit vis divinæ gratiæ,
,, potentior utique natura, habens in no-
,, bis ſubiacentem ſibi liberam arbitrii
,, poteſtatem. ,,

Item & Cyprianus lib. 3. ad Quirinum:
“ In nullo gloriandum, quando noſtrum
,, nihil ſit. Quid enim habes quod non
,, accepiſti? ,,

Origenes non abſimilia docet Homil. 20.
in Num. Eo loci de gratia loquens, ait:
“ Quodammodo vim nobis facit ut nos
,, pertrahat ad ſalutem. ,, Eamdem pro-
pugnat veritatem lib. contra Celſum.

S. Baſilius plura loquitur in lib. de Spi-
ritu Sancto cap. 8. ibi vocat gratiam,
“ Auxilium quod per imperium ſuæ po-
,, tentiæ operatur in nobis ,, Deus: &
ſerm. de lib. arbitr. appellat gratiam ef-
ficacem, “ Gratiam inſuperabilis poten-
,, tiæ. ,, Intellige, inſuperabilis mora-
liter, quia homo ab ea præventus & mo-
tus non vult reſiſtere, ab ea non perimi-
tur libertas; immo fovetur & roboratur,
juxta illud Auguſtini lib. de præd. cap. 8.
& 9. de gratia Dei conceſſa Petro vi
Chriſti orationis: “ Quando rogavit ne de-
,, ficeret fides ejus, quid aliud rogavit,
,, niſi ut haberet in fide liberrimam, for-
,, tiſſimam, invictiſſimam voluntatem?
,, Ecce quemadmodum gratia Dei, non
,, contra eam defenditur libertas volunta-
,, tis: voluntas quippe humana non liber-
,, tate conſequitur gratiam, ſed gratia po-
,, tius libertatem. ,, Id eſt liberum con-
ſenſum ut perſeveret in bono. Nam ſan-
ctus Doctor loquitur ibi de perſeverantia,
quæ non unam, ſed multiplicem ſæpe
complectitur gratiam efficacem: hæc au-
tem gratia operis eſt in nobis ſine nobis.
Homo, inquit Auguſtinus, “ non liber-
,, tate conſequitur gratiam. ,, Ad quid
datur? Ut habeamus filiorum Dei, ope-
rando bonum, libertatem: Sed gratia ef-
ficit conſenſum; ſubdit enim Auguſtinus,
in bono delectabilem perpetuitatem.
Igitur gratia eſt per ſe efficax, quia dat
ipſi voluntati, ut ſit in bono amplecten-
do efficax.

S. Chryſoſtomus ſuum addit calculum plu-
ribus in locis, Homil. 18. in epiſt. ad
Romanos, ſic loquitur: “ Quid ergo ha-
,, bes, quod non habes acceptum? . . .
,, Nihil eſt veſtrum. ,, Rurſus Homil.
8. in epiſt. ad Philippenſes de Deo lo-
quens, ait: “ Si volueris, tunc operabi-
,, tur ut velis, non te iſte metus angat,
,, & propenſionem voluntatis ipſe nobis
,, dat, & operationem. ,, Hoc eſt ad
bonum: Ergo &c.

Ex his auctoritatibus ſequitur iſtud pro
gratia ſecundum ſe efficaci argumentum. Il-
la gratia ſecundum ſe efficax independenter
a voluntatis conſenſu, quæ eſt natura for-
tior, quæ illam compellit ad bonum fa-
ciendum, quæ agit in nobis per impe-
rium ſuæ potentiæ ut bonis operibus in-
fallibiliter abundemus: Atqui talis eſt gra-
tia ex Patribus, ſecundum Clementem,

Ignatium et Irenæum operatur omnia juxta omnipotentem Dei voluntatem. Secundum Tertull. eſt ipſa natura potentior: Secundum Origenem, vim quodammodo facit, ut nos pertrahat ad virtutem: ſecundum Baſilium agit per imperium ſuæ potentiæ, cui cuncta ſubduntur & obediunt. Igitur eſt per ſe efficax.

QUARTUM ARGUMENTUM

Ex S. Auguſtino, ejuſque aſſeclis SS. Proſpero & Thoma.

Cæleſtinus I. Pelagius II. Alexander VII. et alii plurimi ſummi Pontifices doctrinam D. Auguſt. multi fecerunt, in primis de neceſſitate & operatione gratiæ eum audiri voluere; Sed S. Doctor gratiam per ſe efficacem propugnare videtur; ſic & defendunt ejus aſſeclæ S. Proſper & S. Thomas cum tota ſua ſchola Angelica. Ergo &c.

S. Auguſtinus egregius gratiæ contra Pelagianos defenſor prædicat ubique in libris quos pro hoc momento conſcripſit, gratiæ & neceſſitatem & efficaciam: Sed ſi omnia bene & in veritate ponderentur, apparebit lectori ſanctum Doctorem totis viribus propugnaſſe gratiam per ſe efficacem: quod unico, ſed validiſſimo comprobatur argumento.

Gratia per ſe & ex propria virtute efficax ea dicitur, quæ 1. Dat homini ut veniat in viam juſtitiæ conſentiendo bono & illud faciendo. 2. Quæ inclinat cor quomodo vult. 3. Quæ a nullo duro corde reſpuitur, ſic enim denotatur ejus cum effectu infallibilis connexio 4. Quæ operatur in hominibus etiam motum ad bonum, velle bonum. 5. Quæ ex nolentibus bonum, facit volentes, & ſic ipſa infert voluntatis conſenſum. 6. Denique quæ hunc independenter & a nutu noſtro, & ab induſtria, aliave tum loci, tum temporis circumſtantia producit. Atqui ex Auguſtino, talis eſt gratia efficax: igitur eſt per ſe efficax. Probatur minor quoad ſingulas partes.

Primo: habet gratia efficax hoc, quod promoveat hominem ad bonum & in viam juſtitiæ deducat. Ita Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 14. " Cum homines, „ *inquit*, per correptionem in viam juſti„ tiæ ſeu veniunt, ſeu revertuntur, „ quis operatur in cordibus eorum ſalu„ tem? Niſi ille qui quolibet plantante „ atque rigante, & quolibet in agris at„ que arbuſtulis operante dat incremen„ tum Deus, cui volenti ſalvum facere, „ nullum hominis reſiſtit arbitrium. „ Ecce gratia efficax cui non reſiſtitur: ecce gratia per ſe efficax quæ operatur in cordibus hominum non ſolum ut faciant, verum etiam ut velint ſalutem, ut conſentiant vocanti & operanti ſalutem. Ergo &c.

Secundo: Gratia efficax cor hominis quocumque voluerit Deus, inclinat. Hoc ipſum dicit Auguſt. Enchir. c. 98. " Quis „ tam impie deſipiat, ut dicat, Deum „ malas hominum voluntates quando vo„ luerit, in bonum non poſſe converte„ re? „ Si Deus, quando vult, convertit peccatorem, & averſum a via juſtitiæ reducit; profecto gratia eſt per ſe efficax. Et vero ſi hoc a conſenſu humano dependeret, non foret verum abſolute dicere Deum quando vult, convertere peccatorem, quia fieri poſſet ut peccator nollet converti quando vult Deus, quando eum ad hoc invitat: & de facto ſæpiſſime renuit obedire vocanti impius: Quando nam igitur convertitur? quando efficaciter vult ſalutem operari Deus, quando dat gratiam efficacem, quæ infert & conſenſum & actum. Unde lib. de gratia & libero arbitrio, c. 20. idem ſanctus Doctor dicit: " Hominum voluntates ita eſſe in Dei po„ teſtate, ut eas quo voluerit, quando „ voluerit, faciat inclinare. „

Tertio: Gratia efficax a nullo duro corde reſpuitur, quod certe demonſtrat infallibilem ejus cum effectu connexionem. Sic docet Auguſtinus, libro de prædeſt. SS. cap. 8. " Hæc itaque quæ occulte huma„ nis cordibus divina largitate tribuitur, „ a nullo duro corde reſpuitur, ideo „ quippe tribuitur, ut cordis duritia pri„ mitus auferatur. „ Antequam creatura producat converſionis actum, prius duritia cordis, ut vocanti obediat, auferenda eſt: ipſa gratia ad hoc datur, nempe ut emolliat cor, & ad conſenſum faciat in actu ſecundo voluntatem expeditam: gratia quæ operatur tantum miraculum eſt per ſe efficax, non enim ſola ſufficiens aufert cor lapideum: Igitur gratia eſt per ſe efficax, cum per ſe & virtute propria duritiam cordis auferat: cum il-

lum.

Digitized by Google

lam primitus tollat ut conſentiat ſuadenti peccator, ut veniat & convertatur: Cæterum ipſa gratia prior eſt ſaltem prioritate naturæ ipſo conſenſu: Igitur independenter a conſenſu eſt efficax.

Quarto: Eadem gratia ipſum motum & primum ad virtutem exercendam gradum operatur. Quid plura? Ipſum velle, teſte Auguſtino, qui lib. de gratia & libero arbitrio c. 21. " Agit in cordi-
„ bus hominum etiam motum voluntatis
„ eorum, ut per eos agat, quod agere
„ ipſe voluerit, quin omnino aliquid in-
„ juſte velle non novit. „ Manifeſtum eſt
„ ſanctum Doctorem loqui de gratia efficaci: Igitur gratia eſt per ſe efficax, cum & ipſum voluntatis motum ad converſionem elargiatur.

Quinto: Gratia efficax ex nolentibus facit volentes: Igitur ipſum operatur conſenſum; & ideo non a conſenſu voluntatis, ſed voluntas a gratia efficaciam ſortitur. Audiamus jam Auguſtinum loquentem lib. 4. ad Bonifacium, c. 9. " Ora-
„ mus ergo non ſolum pro nolentibus,
„ verum etiam pro repugnantibus & op-
„ pugnantibus. Quid ergo petimus? Ni-
„ ſi ut fiant ex nolentibus volentes, ex
„ repugnantibus conſentientes. „ Quid clarius ipſum conſenſum eſſe gratiæ effectum? Igitur non ab ipſo dependet: Quis enim dicet cauſam pendere in ſua efficacia ab effectu, cum potius effectus ſit ejus efficaciæ terminus & exercitium?

Sexto. Gratiam virtute propria independenter a nutu proprio habere ſecundum ſe efficaciam, habere infallibilem cum effectu producendo connexionem, dicit Auguſt. cum & hanc a nutu, a genio, a tempore congruitatem ab ipſa gratia provenire conclamet. Unde ſic circumſtantias ad bonum conducentes, & ipſum conſenſum divinæ gratiæ eſſe effectus ex ipſo conſtat. Ecce verba Auguſtini ex lib. 1. ad Simplic. q. 2. deprompta: Cum ergo
„ nos ea delectant quibus proficiamus
„ ad fidem, inſpiratur hoc & probatur
„ gratia Dei, non nutu noſtro & indu-
„ ſtria, aut operum meritis comparatur.
„ Quia ut ſit nutus voluntatis, ut ſit in-
„ duſtria ſtudii, ut ſint opera charitate fer-
„ ventia, ille tribuit, ille largitur.„ Denique rem definire videtur ſerm. 13. de verb. Apoſt. c. 12. & ſic ait: " Sine conſen-
„ ſu gratia vacua erit, neque tamen con-
„ ſenſus ipſe facit ut ſit vacua, ſed Deus
„ qui effecit conſenſum.

S. Doctor l. 1. contra duas epiſt. Pel. c. 20. n. 38. totum hoc variis Scripturæ exemplis explanat & probat momentum; eo quippe loci oſtendit Deum per gratiam ſuam inclinare cor hominum quocumque voluerit, etiam ſi nonnunquam circumſtantiæ nedum opportunæ & amicæ, ſed & penitus adverſæ affectui intento appareant: maxime quum cor Regis Aſſueri contra Eſtherem furentis in lenitatem tranſtulit: Sic igitur intonat S. Præſul de gratia efficaciſſima loquens: " Hoc
„ verum eſſe non conjectura ſuſpicamur,
„ ſed evidentiſſima divinarum Scriptura-
„ rum auctoritate dignoſcimus. Legitur in
„ Paralipomenon libris: Et quidem in Ju-
„ da facta eſt manus Dei ut daret illis cor
„ unum, ut facerent præceptum Regis,
„ & principum in verbo Domini. Item
„ per Ezechielem Prophetam Dominus di-
„ cit: Dabo eis cor aliud, & ſpiritum
„ novum dabo eis, & evellam cor eorum
„ lapideum de carne eorum, & dabo eis
„ cor carneum ut in præceptis meis am-
„ bulent, & juſtificationes meas obſervent,
„ & faciant eas. Quid eſt autem quod
„ Eſther illa Regina orat, & dicit: da
„ ſermonem concinnum in os meum &
„ verba mea clarifica in conſpectu leonis,&
„ converte cor ejus in odium impugnan-
„ tis nos? Ut quid iſta in oratione dicit
„ Deo, ſi non operatur Deus in cordibus
„ hominum voluntatem? Sed forte hoc
„ mulier inſipienter oravit. Videamus er-
„ go utrum inaniter præmiſſus fuerit oran-
„ tis affectus; & conſecutus non fuerit
„ exaudientis effectus. Ecce ingreditur ad
„ Regem. Ne multa dicamus: Et quia
„ non ordine ſuo ingrediebatur, magna
„ neceſſitate compulſa, intuitus eſt eam,
„ ſicut ſcriptum eſt, velut taurus in impetu
„ indignationis ſuæ. Et timuit Regina,
„ & converſus eſt color ejus per diſſolu-
„ tionem, & inclinavit ſe ſuper caput de-
„ licatæ ſuæ, quæ præcedebat eam. Et
„ convertit Deus, & tranſtulit indigna-
„ tionem ejus in lenitatem. Jam ſequentia
„ commemorare quid opus eſt, ubi Deum
„ compleviſſe quod illa rogaverat, divina
„ Scriptura teſtatur, operando in corde
„ Regis, quid aliud, quam voluntatem
„ qua juſſit & factum eſt quod ab eo Re-
„ gina popoſcerat? Quam Deus jam ut fie-

ret„

,, ret, exaudierat, qui cor Regis, antequam mulieris ſermonem poſcentis audiſſet, occultiſſima & efficaciſſima poteſtate convertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem. Hoc eſt a voluntate lædendi ad voluntatem ſavendi: ſecundum illud Apoſtoli, Deus operatur in vobis & velle. ,, Audis gratiam efficacem independenter a circumſtantiis, ante prolatum Reginę ſermonem. Ergo &c.

S. Proſper Auguſtini interpres.

S. PROSPER tanti Magiſtri eximius diſcipulus eamdem tradere videtur de gratia efficaci doctrinam: plura ipſius loca texere ſupervacaneum eſt, una auctoritas iſta ſufficit. Habetur carmine de ingrat. cap. 15. & ſequentibus exprimitur verſiculis:

At vero omnipotens cum gratia ſanat,
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit, non moribus illi
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

Profecto: Si gratia ipſa ſuum conſummat opus, ſi agendi ſemper tempus adeſt, ſi nulla mora ſuſpenditur ejus efficacia, quis dicet eſſe efficacem ſolum dependenter, & a conſenſu, & a loci vel temporis opportunis circumſtantiis; & non per ſe? Si ad hoc concurrit congruitas, dicamus cum Auguſtino & Proſpero congruitatem eſſe ejus efficaciæ ſœtum, adeoque cuncta illius innatam arguere & demonſtrare efficaciam.

Angelicus Doctor D. Thomas alter Auguſtini os & mens.

D. THOMAS hanc etiam non in uno loco, ſed dicam veluti ex profeſſo, gratiæ per ſe efficacis ſuſcipit partes defendendas; quippequi repetat ex omnipotentia & intentione Dei moventis infallibilem efficaciam. Sic enim habet 1. 2. quæſt. 112. art. 3. " Si præparatio ad gratiam ,, conſideretur ſecundum quod eſt a Deo ,, movente, tunc habet neceſſitatem ad id ,, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis. ,, Unde ſi ex intentione Dei moventis ,, eſt, quod homo, cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam ,, conſequitur. ,, Obſerves velim duo propugnare S. Thomam. Primum, Deum movere cor infallibiliter per gratiam, motio quippe Dei eſt ipſa gratia. Alterum, ſanctum Doctorem non repetere efficaciam gratiæ aut a conſenſu, aut a voluntate humana, ſed ex intentione ſeu decreto, ſed ex fortitudine & omnipotentia Dei moventis. Et vero quum dicimus gratiam eſſe per ſe efficacem, illam per ordinem ad omnipotentiam Dei conſideramus.

Rurſus quæſt. 6. de malo art. 1. ad 3. ſic loquitur: " Deus movet voluntatem ,, immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis quæ deficere non poteſt. ,, Sed nomine gratiæ ex innata virtute efficacis intelligimus gratiam cujus in movendo talis eſt energia, ut moveat infallibiliter. Igitur ex S. Thoma datur gratia per ſe efficax. Rurſus 1. 2. quæſt. 9. art. 6. his verbis clare ſe explicat: " Ad tertium dicendum, quod Deus movet vo- ,, luntatem hominis, ſicut univerſalis ,, Motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum. Et ſine hac univerſali motione homo nihil poteſt velle, ſed homo per rationem ſe determinat ad volendum hoc vel illud; quod eſt ,, vere bonum, vel apparens bonum. Sed tamen ſpecialiter Deus movet aliquos ad ,, aliquid determinate volendum, quod ,, eſt bonum: ſicut in his quos movet per ,, gratiam. ,, Extra dubium eſt S. Thomam loqui de motione efficaci. Sed hanc reponit differentiam inter motionem ad res naturales, & motionem ad ſupernaturales, quod prima motio ſit ſolum generalis, & particularis ſit penes voluntatis humanæ determinationem: ſecunda vero ſit ſpecialis, ita ut voluntas prius a gratia determinetur ad bonum ſalutis in particulari, & poſtea ſeipſam utique determinet & agat: Igitur conſenſus eſt a gratia quę determinat ſpecialiter & in particulari; & conſequenter gratia eſt per ſe & ante ipſum conſenſum efficax.

Rurſus: Nomine gratiæ per ſe efficacis intelligitur gratia ſecundum ſe ſpectata efficax, quatenus in priori actus habet infallibilem connexionem cum illo ponendo, & hoc ex intentione Dei omnipotentis qui eo fine ſuam elargitur gratiam,

ut,,

Digitized by Google

ut ſuum infallibiliter ſortiatur effectum: eamdem vero noſtri Thomiſtæ propugnant præmoventem nedum moraliter, ſed & phyſice, quia voluntas eſt phyſice & intrinſece per peccatum originale, infirma & ſauciata, quocirca debet præveniri & ut intrinſece ſanetur, & ut applicetur ad bonum ſalutis: atqui S. Thomas gratiam utroque modo efficacem propugnat. Ergo &c. Probatur minor, quoad primam partem ex S. Doctore qui 1. 2. quæſt. 12. art. 3. ſic loquitur in corpore de gratia qua homo præparatur ad juſtificationis gratiam: " Alio modo poteſt conſiderari ſecundum quod eſt a Deo movente, & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non poteſt, ſecundum quod Aug. dicit in lib. de prædeſtinatione Sanctorum, quod per beneficia Dei certiſsime liberantur quicumque liberantur. Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt quod homo cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur: ſecundum illud Joan. 6. omnis qui audit a Patre, & didicit, venit ad me." Probatur ſecunda pars ex eodem angelico Doctore qui ibidem quæſt. 109. art. 2. ait: "Sic igitur virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad unum, ſcilicet ad operandum & volendum bonum ſupernaturale. Sed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo, ſcilicet ut ſanetur; & ulterius ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur quod eſt meritorium."

QUINTUM ARGUMENTUM

Ex rationibus plurimis conflatur.

Prima: Quod attingit omnia a fine uſque ad finem fortiter ſimul & ſuaviter, eſt ſecundum ſe efficax: atqui talis eſt gratia operis: Igitur eſt per ſe efficax. Probatur minor. Ad hoc quatuor requiruntur: 1. Ut gratia procedat a voluntate Dei univerſali, cui omnia obediunt. 2. A potentia fortiſsima, quæ vim habeat ſibi ſubjiciendi ſuaviter omnia. 3. A providentia quæ in ſui diſpoſitione non fallatur. 4. A cauſa prima, quæ non ſolum ſubſtantiam effectus, ſed modum agendi rerum attingat. Atqui gratia, de qua loquimur, eſt efficacia voluntatis Dei, cui omnia obediunt: efficacia omnipotentiæ, quæ ſibi ſubjicit omnia: efficacia Providentiæ Dei, cuncta ſic diſponentis, ut electis omnia cooperentur in bonum: efficacia cauſæ ſupremæ, Dei ſcilicet, qui, inquit D. Thomas, attingit & ſubſtantiam rerum, & modum agendi rerum, quippequi faciat agere cauſas neceſſarias neceſſario, liberas vero libere: Igitur omnia attingit a fine uſque ad finem fortiter & ſuaviter gratiæ virtute propria & ſibi innata. Ita colligitur ex omnibus auctoritatibus tum ex Scriptura ſacra, tum ex Patribus depromptis.

Secunda: Nihil poteſt recipere gratia a concurſu ſimultaneo voluntatis humanæ: Igitur ſecundum ſe & virtute innata, independenter a conſenſu, eſt efficax. Probatur antecedens. Concurſus ſimultaneus ſe tenet ex parte effectus, & eſt agenti quid extrinſecum, quæſtio autem currit de cauſa agente: Igitur nihil poteſt recipere a conſenſu, qui illi extrinſecus eſt. Et vero quum duo ad rhedam accinguntur, ſi unus infirmus & languidus ſit, nihil tamen ab alio recipit, & non trahitur currus, hinc neceſſe eſt ut unuſquiſque ſuas ex ſe habeat vires. Cum igitur gratia non ſit infirma, ſed potius fortiſſima, nihil roboris recipit a conſenſu, ſed ex ſe efficaciam habet, & propria operatur energia. Ergo &c.

Tertia: Gratia non a conſenſu, ut iterum atque iterum probatum eſt, efficaciam habet, ſed neque videtur a ſcientia media, ut propugnant plurimi: Igitur a propria habet virtute. Probatur minor. 1. Quia ſcientia media utique extrinſeca eſt gratiæ, nec addit aut virtutem, aut robur, immo pure ſpeculativa eſt. 2. Inutilis eſt talis ſcientia: vel enim Deus prævidet voluntatem hominis gratiæ conſenſuram vel non. Si primum, gratia non a ſcientia media, ſed ex propria virtute efficaciam habet ad effectum producendum: ſi ſecundum, non eſt gratia efficax, ſed ſufficiens. 3. Gratia non habet effectum a conſenſu, ut non ſemel oſtenſum eſt. Inutile igitur, & a quæſtione prorſus alienum eſt dicere gratiam habere a conſenſu efficaciam: ſed neque habet aut a nutu, aut ab induſtria, quia dictum eſt

eſt etiam nutum & induſtriam, teſte Auguſtino, eſſe a gratia: unde enim & nutus, & genium & induſtria? Niſi a gratia qua præparatur voluntas a Domino: a gratia quæ compeſcit paſſiones, quæ manſuetudinem inſpirat: quæque de nolentibus facit volentes & conſentientes.

SEXTUM ARGUMENTUM,

Et quidem irrefragabile petitur ab exemplo duorum, erga mulierem eodem modo affectorum, quorum unus cedit tentationi, alter non, licet in iiſdem circumſtantiis poſitus.

JAM oſtenſum auctoritate D. Auguſtini efficaciam gratiæ non pendere a genio & hominis induſtria: ſed celeberrimum eſt exemplum duorum æqualiter erga mulierem affectorum, qui licet in iiſdem circumſtantiis poſiti, unus tamen cedit tentationi, alter vero non. Hanc ſimilitudinem exponit S. Doctor & diſcuſſione & relatione non ſemel ad circumſtantias factis, concludit victoriam unius in ſolam gratiam reſundendam, lapſum vero alterius in naturam quæ quia ex nihilo facta eſt, in nihilum peccati proprio pondere labitur: ſicque S. Doctor gratiam per ſe efficacem mirum in modum celebrat: & omnium congruiſtarum de efficacia gratiæ explodit ſyſtema. Ecce textus lib. 12. civ. cap. 6. edit. nov. “ Si enim
,, aliqui duo æqualiter affecti animo &
,, corpore videant unius corporis pulchri-
,, tudinem, qua viſa unus eorum ad illi-
,, cite perfruendum moveatur, alter in
,, voluntate pudica ſtabilis perſeveret, quid
,, putamus eſſe cauſæ, ut in illo fiat,
,, in illo non fiat voluntas mala? Quæ
,, illam res fecit, in quo facta eſt? Ne-
,, que enim pulchritudo illa corporis; nam
,, eam non fecit in ambobus: quandoqui-
,, dem amborum non diſpariliter occurrit
,, adſpectibus. An caro intuentis in cau-
,, ſa eſt? Cur non & illius? An vero a-
,, nimus? Cur non utriuſque? Ambos e-
,, nim & animo & corpore æqualiter af-
,, fectos fuiſſe prædiximus. An dicendum
,, eſt, alterum eorum occulta maligni ſpi-
,, ritus ſuggeſtione tentarum, quaſi non
,, eidem ſuggeſtioni & qualicumque ſua-
,, ſioni propria voluntate conſenſerit?
,, Hanc igitur conſenſionem, hanc malam
,, quam male ſuadenti adhibuit volunta-
,, tem, quæ in eo res fecerit, quærimus.
,, Nam ut hoc quoque impedimentum ab
,, iſta quæſtione tollatur, ſi eadem tenta-
,, tione ambo tententur, & unus ei ce-
,, dat atque conſentiat, alter idem qui
,, fuerat, perſeveret; quid aliud apparet,
,, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a
,, caſtitate deficere? Unde niſi propria
,, voluntate, ubi eadem fuerat in utro-
,, que corporis & animi affectio? Ambo-
,, rum oculis pariter viſa eſt eadem pul-
,, chritudo, ambobus pariter inſtitit occul-
,, ta tentatio: propriam igitur in uno eorum
,, voluntatem malam quæ res fecerit ſcire
,, volentibus, ſi bene intueantur, nihil oc-
,, currit. Si enim dixerimus quod ipſe
,, eam fecerit, quid erat ipſe ante volun-
,, tatem malam niſi natura bona, cujus au-
,, ctor Deus, qui eſt immutabile bonum?
,, Quid ergo dicit eum qui conſenſit ten-
,, tanti atque ſuadenti, cui non conſenſit
,, alius, ad illicite utendum pulchro cor-
,, pore, quod videndum ambobus pariter
,, adſuit,; cum ante illam viſionem ac
,, tentationem ſimiles ambo animo &
,, corpore fuerint, ipſum ſibi feciſſe vo-
,, luntatem malam, quia utique bonus
,, ante voluntatem malam fuerit; quærat
,, cur eam fecerit, utrum quia natura eſt,
,, an quia ex nihilo facta eſt. ,,

1. *Ex his* pro noſtra ſententia ſic argumentari fas eſt. Gratia efficax, etiam non diſſentientibus alterius ſententiæ Theologis, illa eſt, quæ independenter a circumſtantiis loci, temporis, vel etiam genii ſuum ſortitur effectum. Atqui ex D. Auguſtino talis eſt, cum in exemplo laudato ſupra ambo pari tentatione ſunt ſtimulati circa mulierem, pares in aſpectu & animo, pares in objecto quod eodem modo afficit utriuſque ſenſus, & tamen unus ad ſpiritum gratiæ attendens vincit tentationem, alter vero in interitum cedit. Igitur victoria in gratiam per ſe efficacem reſundenda eſt.

2. *Si* efficacia gratiæ repetenda foret a congruitate aliqua, dubio procul quæſtionem, allegando congruitatem in uno quæ defuit alteri, ſolviſſet S. Aug. ſed omnem S. Doctor excludit congruitatem, eoſque æquales in diſpoſitione habet, nec ad aliud confugit quam dicendo, unum noluiſſe cedere tentationi,, alte-

rum

rum vero reſiſtendo gratiæ voluiſſe obedire. Ergo &c.

3. *Qui* pares ſunt in circumſtantiis & in ipſo gratiæ ſufficientis auxilio unus non poteſt ſuperare tentationem niſi gratiæ per ſe efficacis energia, quæ deeſt alteri juſto Dei judicio: Atqui in exemplo a S. Doctore allato, ambo pares ſunt & in circumſtantiis; & in ipſa gratia ſufficiente, & hoc ſupponit Aug. ſin minus abſque negotio reſpondiſſet ad caſum propoſitum, unum habuiſſe gratiam uberiorem prævenientem; & ideo non ceſſiſſe tentationi. Igitur gratiæ victricis energia deſumenda eſt ex virtute ipſius gratiæ.

4. *Efficacia* gratiæ in uno repeti non poteſt ex ipſa gratia ſufficiente, nam in utroque tentato ſupponitur æqualis: non a concurſu ſimultaneo, quippequi ſit quid extrinſecum reſpectu agentis, & ſe teneat ex parte effectus: hinc ſi ex duobus equis trahentibus rhedam unus deficiat, ſtat currus, & alter tametſi ſanus ultra non progreditur, inani & incaſſo impetu conatur trahere, quod argumentum eſt nihil virium ab alio accepiſſe, tametſi prima fronte ſimul currum ambo traherent: non a circumſtantiis, ſe habent enim etiam extrinſece cauſæ reſpectu ſecundæ & ut diximus, ſunt in utroque pares: ſupereſt igitur dicere gratiam evadere efficacem in uno vel per auxilium novum ſuperadditum, vel quia genium & natura bonæ indolis addit robur, ſed iſtud ſapit Semipelagianiſmum. Igitur dicendum eſt gratiam eſſe per ſe & ex propria entitate efficacem.

Solvuntur objectiones in genere adverſus gratiam per ſe efficacem.

OBJICIES illud Matth. *Væ tibi Corozain &c.* In iſta ſententia apparet increpatio & objurgatio magna propter infidelitatem Judæorum, qui, audita Chriſti prædicatione, viſiſque ejus miraculis, nihil meliores facti, quinimmo adhuc in infidelitate pertinaciſſimi credere in Chriſtum noluerunt: ſed ſi gratia ſit per ſe efficax, videntur excuſabiles cives Corozain & Bethſaidæ, potuiſſent enim reſpondere Domino objurganti, ſi gratiam nobis dediſſes efficacem per ſe, profecto & nos credidiſſemus: ſed abſurdum conſequens; Ergo & antecedens. Probatur minor. Ut juſta ſit increpatio, Corozain & Bethſaidæ populi debuiſſent eſſe in auxilio pares Tyriis & Sidoniis, qui crediſſent: ſed ſuppoſito gratiam eſſe per ſe efficacem, non fuerunt pares, quia Tyrii & Sidonii gratiam efficacem, ſine qua nulla ſequitur converſio, habuiſſent: hac ipſa vero & Corozain & Bethſaida caruerunt. Igitur cum conſtet increpationem fuiſſe juſtiſſimam, & nefas ſit atque ſcelus aut dicere aut credere contrarium, dicendum quoque eſt gratiam non eſſe per ſe, ſed tantummodo per conſenſum efficacem: tunc enim optime ſolvitur difficultas, culpam omnem in Judæos refundendo. Satisfit quippe objectioni dicendo cum Auguſtino, non crediderunt, quia noluerunt.

Reſpondeo negando minorem, ad probationem diſtinguo. Ut Judæi fuerint objurgatione digni, debuerunt eſſe pares in auxiliis ſufficientibus cum Tyriis & Sidoniis, concedo: in auxiliis efficacibus, ſubdiſtinguo, quantum ad præparationem, concedo: quantum ad receptionem, nego. Præparatur voluntas a Domino per gratiam ſufficientem quæ dat proxime poſſe agere: inſuper Deus eo ipſo quo dat gratiam ſufficientem ad aliquid, paratus eſt & efficacem conferre, ſi ex innata libertate & malitia non reſiſtat homo, & non ponat obicem: qui igitur poteſt bonum facere, & non facit, certe non ſolum objurgatione, ſed & pœna dignus eſt. Chriſtus & interius, tum illuminando, tum & excitando per gratiam ſufficientem Judæorum corda pulſabat, & exterius prædicando & exhortando; paratus erat gratiam uberiorem & omnino efficacem conferre. Ipſi vero, ſicut eorum Patres, non ſemel Spiritui ſancto reſtiterunt, unde bene dicit Auguſtinus: noluerunt credere, ſed eorum culpa fuit. Tyrii & Sidonii ſi eamdem recepiſſent gratiam ſufficientem, habuiſſent & efficacem: quod igitur ea caruerint Judæi, non eſt quia gratia eſt per ſe efficax, ſed quia libertate utentes, & gratiæ ſufficienti reſtiterunt, & gratiam efficacem oblatam rejecerunt. ſic optime ſolvitur difficultas, & apparet juſtam fuiſſe Judæorum objurgationem. Non recipit peccator obduratus gratiam efficacem, ejus reſiſtentia cauſa eſt: non recipit quia non vult recipere, & ideo ejus culpa. Ita Au-

Digitized by Google

Auguſtinus lib. 2. de peccat. remiſ. cap. 17. "Ut autem innoteſcat quod latebat, „ & ſuave fiat quod non delectabat, gra- „ tia Dei eſt, quæ hominum adjuvat „ voluntates: in ipſis quidem cauſa eſt, „ non in Deo, ſive damnandi prædeſti- „ nati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ: „ ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judi- „ candi & erudiendi, ſi filii ſint miſe- „ ricordiæ. „ Idem S. Doctor duo ſtatuit lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 23. alterum, gratiam ſufficientem dari a Deo, & ab ipſo bonum juberi: alterum, poſt probationem gratiam iterum efficacem dari: " In Scripturis ſanctis „ a Domino jubetur propter probandum „ liberum arbitrium, quod non inve- „ niatur, vel dari ab ejus bonitate, vel „ poſci propter adjutorium gratiæ demon- „ ſtrandum.

D. Thomas docet Deum eſſe paratum dare peccatori, quem vocat ad pœnitentiam, gratiam uberrimam & efficacem, ſi fidelis ſit, & reſpondeat vocanti: illa vero carere ſua culpa quando non datur, quia reſiſtit & ponit obicem. Hic enim a Domino ordo conſtitutus eſt, ut quamvis ejus gratia cuncta poſſit homo, attamen ſalvetur hominis libertas, ita ut & illam rejicere eique reſiſtere, ſi velit, queat. Hæc explicat fuſo ſermone Angelicus Doctor in lib. ſententiarum diſt. 40. quæſt. 4. art. 2. " Hominem, *inquit*, carere gratia ex duobus contingit: „ tum quia ipſe non vult recipere, tum „ quia Deus non ipſi infundit, vel non „ vult ipſi infundere, horum autem duo- „ rum talis eſt ordo, ut ſecundum non „ ſit niſi ex ſuppoſitione primi.... Hu- „ jus defectus abſolute prima cauſa eſt ex „ parte hominis, quia gratia caret: ſed „ ex parte Dei non eſt cauſa hujus defe- „ ctus, niſi ex ſuppoſitione illius quod „ eſt cauſa ex parte hominis. „

Quid plura proferam? Unum tamen ad præſentis difficultatis & ſubſequentium ſolutionem adjicere juvat. Scilicet Deum opt. max. dare ſingulis poſſe bonum ſalutis per gratiam ſufficientem, offerre vero etiam omnibus efficacem, ut actu bonum operentur, tum ſi fideles non reſiſtant, eam tribuere non dedignatur. Hoc ipſum declarat Concilium Arauſ. II. Can. 25. his verbis: *Hoc etiam ſecundum fidem catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.*

Inſiſtes: Habetur in ſacris Scripturis Deum noſtram in bono faciendo cooperationem exigere, juxta illud Zach. 1. *Convertimini ad me... Et convertar ad vos*. Tum 1. Cor. 15. 10. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Ipſe etiam Propheta decantat Pſal. 87. 14. *Et mane oratio mea præveniet te*. Quibus ſententiis oſtenditur gratiam efficacem noſtras non prævenire voluntates. 2. Illum agere tantum nobiſcum. Igitur gratia non eſt per ſe efficax præveniendo, & independenter a conſenſu.

Reſpondeo 1. Cuncta intelligenda eſſe ſecundum diſtributionem accommodam: Deus igitur prævenit nos gratia ſufficiente; poſtea expectat noſtram huic primæ gratiæ fidelitatem, ut det gratiam efficacem, unde dicit: *Convertimini ad me... Et convertar ad vos*. Et bene Propheta, ait: *Mane oratio mea præveniet te*. Oratione ſiquidem gratiam converſionis debet petere peccator: ſi igitur non reſiſtat, convertitur ad ipſum Deus, ut per Prophetam ipſe teſtatur: *Et convertar ad vos*. Dat gratiam efficacem qua prævenit fortius voluntatem, eam applicando ad actum; ipſa vero cooperatur eliciendo actum tum contritionis, tum fidei, ſpei aliarumque virtutum: ſed prius mota & adjuta, juxta illud Apoſtoli Philipp. 2. *Operatur in nobis & velle & perficere*. Unde bene ſequitur quod idem effatur Apoſtolus: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*.

Reſpondeo 2. diſtinguendo, Deus noſtras non prævenit voluntates motione tollente libertatem, concedo: motione & gratia adjuvante libertatem, nego. Gratia excitante data, Deus expectat donec conſentiamus vocanti: videre vult an peccator conſenſurus ſit invitanti vel non? Non enim dat gratiam efficacem ut rapiat neceſſario conſenſum. In hoc ſenſu dicit Chryſoſtomus homil. 12. in epiſt. ad Hebr. *Non prævenit noſtras voluntates, ne perdat noſtrum liberum arbitrium*.

Inſiſtes: Atqui gratia efficax non prævenit ullo modo noſtras voluntates: Igitur nulla ſolutio. Probatur antecedens. 1. Quia effectus eſt totus a Deo quidem, ſed etiam totus & a creatura: Igitur non du-

datur gratia per ſe efficax & præveniens applicando & determinando voluntatem. 2. Quia voluntas de facto ſeipſam determinat & applicat ad actum, alias mere paſſive ſe haberet, & pure ageretur, quod eſt hæreticum.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: effectus eſt etiam totus a creatura, ſed prius mota per gratiam, concedo: ſecus, nego. Voluntas prævenitur gratia ſufficiente, qui præparatur ad actum: prævenitur oblatione gratiæ efficacis, quam dare Deus paratus eſt, quamque illi offert dum pulſat ad cor ut intret: prævenitur ultimate anima per infuſionem gratiæ efficacis, qua mota ſeipſam movet & applicat ad actum. Et ſic patet ſolutio ad ſecundam probationem. Hinc prius eſt prioritate naturæ, gratiam efficacem, utpote primam cauſam, applicare voluntatem, quam voluntatem ſeipſam applicare & determinare ad opus. Diſcipulus ſcribens agit ſimul & ſcribit cum Magiſtro: ſed prius eſt moveri a præceptore quam ſeipſum movere: Motus igitur etiam ſe movet, etiam ſe determinat & applicat ad opus. Eodem prope modo voluntas operatur: agit quidem Deus, verum etiam ipſa agit, ſe movet, & ſe determinat ad actum. Solutio eſt D. Auguſtini, qui ſerm. 13. de verbis Apoſtoli, cap. 11. ſic loquitur: " Dicit mihi aliquis, ergo agimur, non „ agimus. Reſpondeo, immo agis & „ ageris; & tunc bene agis ſi a bono „ agaris. „ Et cap. 12. " Sine conſenſu „ gratia vacua erit, neque tamen conſen- „ ſus ipſe facit ut non ſit vacua, ſed „ Deus qui efficit conſenſum. „

Repones: Si gratia foret per ſe efficax, maxime propter hanc Apoſtoli ſententiam Rom. 8. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Sed iſta ratio nulla eſt. Et probatur, ex Anſelmo, qui libro de concordia gratiæ cum lib. arb. cap. 5. dicit Deum ſic attemperare gratiam, ut ea homo, *Poſſit uti vel non uti pro libito*. Quibus verbis ſatis deſignat gratiam efficacem pendere a liberi arbitrii conſenſu.

Reſpondeo negando minorem: Ad probationem diſtinguo. Et S. Anſelmus vult ſolum voluntatem humanam cooperari, nec extingui liberum arbitrium, concedo: & excludit gratiam quæ applicet voluntatem ad opus, & producat conſenſum, id eſt, quæ voluntatem excitet & adjuvet ut conſentiat, nego. Quod autem Anſelmus in primo tantum loquatur ſenſu, patet ex ipſius verbis, ibidem enim ait: "Hæc bene conſiderantur non amovere o- „ mnino liberum arbitrium; & cum „ lego, neque volentis, neque currentis, „ ſed miſerentis eſt Dei, non negatur & „ in volente & in concurrente aliquid „ prodeſſe libero arbitrio, ſed ſignifica- „ tur non eſſe imputandum libero arbitrio „ quod vult, quod currit, ſed gratiæ. „

Urgebis: Gratia efficax eſt eadem cum gratia ſufficiente: Igitur ad ſummum efficax eſt ſolum dependenter a conſenſu, & quando vult ille cui datur atque præbetur. Probatur antecedens. Gratia efficax ſicut ſufficiens conſiſtit in illuſtrationibus & piis motionibus. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem nego iterum antecedens. Enimvero gratia efficax ſecundum multos Doctores Pariſienſes, repoſita eſt in motione morali quæ prævenit & applicat voluntatem ad opus, item & in quadam coaptatione genii cum auxilio Dei: ſecundum Thomiſtas in præmotione morali ſimul & phyſica. Secundum alios, in conſenſu prius per ſcientiam mediam explorato. Igitur non in ſolis illuſtrationibus & motionibus ſita eſt gratia efficax. Sed hoc dato & non conceſſo, reſpondeo conſiſtere in illuſtrationibus & motionibus uberioribus, unde non eſt par ratio, nam non eſt eadem intenſive. Plurimi etiam ex Thomiſtis non diffitentur gratiam efficacem eſſe eandem entitative cum ſufficiente, ſed quoad gradum differre, & fieri efficacem per majorem in ſubjecto radicationem contendunt.

Perſiſtes: Si gratia ſit per ſe efficax, ſequitur gratiam efficacem minimam, poſſe convertere magnum peccatorem: Atqui hoc falſum eſt; major quippe requiritur gratia ad convertendum obduratum & impium, quam eum qui ſemel prolapſus eſt in peccatum mortale. Ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo: Gratia efficax minima, ſi ſit in ſubjecto apto & bene diſpoſito, non ponente obicem, poterit magnum actu convertere peccatorem, concedo: ſecus, nego. Voluntas præparatur a Domino per gratiam ſufficientem, & certe uberior requiritur in obdura-

durato, quam in alio. Cum igitur gratia converſionis dicat actum & primum, & ſecundum; ſequitur majorem requiri gratiam ad convertendum obduratum, quam alium. Igitur minima gratia efficax, ſi ſubjectum ſit præparatum, poteſt convertere etiam obduratum: cum quia converſio fit per judicium practicum de bono amplectendo, & ad hoc ſufficit præparatio, & motio per ſe efficax, quæ quidem facit judicare de bono amando. Hæc doctrina fundatur in divo Thoma dicente: " Minima charitas plus diligit Deum quam cupiditas diligit aurum & argentum. "

Reſpondeo 2. majorem in gradu & in efficacia requiri gratiam ad converſionem impii & obcæcati, quam ad converſionem nondum obcæcati, ſed iſte orando poterit tandem aliquando illam advocare: eam autem ſitam eſſe in præmotione morali ſimul & phyſica iterum atque iterum probatum eſt. Sanctus Doctor ſuam circa iſtud momentum prodit mentem 1. 2. q. 111. art.. 2. his verbis: " Si accipiatur gratia pro habituali dono ſic eſt dulpex gratiæ effectus, ſicut & cujuslibet alterius formæ, quorum primus eſt eſſe, ſecundus eſt operatio. Sic igitur habitualis gratia, in quantum animam ſanat, vel juſtificat, ſive gratam Deo facit, dicitur gratia operans; in quantum vero eſt principium operis meritorii, dicitur cooperans. " Cæterum Deus dat gratiam ad menſuram, & ſecundum exigentiam ſubjecti: cum autem gratia converſionis præparationem a Domino & quaſdam diſpoſitiones a pœnitente exhibendas ſupponat, citra dubium eſt gratiam qua convertitur impius, eſſe maximam & robuſtiſſimam.

Solvuntur objectiones eorum qui gratiam per ſe efficacem nocere libertati propugnant.

OPPONUNT: Gratia efficax tollit libertatem: Igitur non eſt admittenda. Probant antecedens. Gratia efficax habet ex ſe & antecedenter ad voluntatis conſenſum neceſſariam cum actu eliciendo connexionem: Igitur tollit libertatem.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem diſtinguo. Gratia efficax in actu primo conſiderata, habet infallibilem moralem cum effectu producendo connexionem, concedo: infallibilem phyſicam, ſubdiſtinguo. Hypotheticam, & in actu ſecundo, concedo: in actu primo, nego. Infallibilitas moralis eſt quæ a motione tam ſuavi, tamque virtuoſa procedit, ut ſequatur, moraliter loquendo, effectus, quia gratia ſuaviter ſimul & fortiter movet voluntatem: Sic menſa parata plurimum movet famelicum ad manducandum, ut prementi ſatisfaciat neceſſitati; & licet poſſit reſiſtere, moraliter tamen loquendo, non reſiſtet. Phyſica vero infallibilitas ea cenſetur quæ abſolute, antecedenter, & independenter a quocumque, immo a libera voluntatis determinatione, infert effectum. Prima quidem eſt a gratia efficaci, quæ ita ſuaviter ſimul & fortiter movet, ut voluntas velit & bonum, & ſeipſam determinet ad illud operandum. Si qua vero alia, eaque abſoluta apparet infallibilitas, oritur ab ipſa voluntatis determinatione & cooperatione; unde eſt pure hypothetica & pro actu ſecundo: ſuppoſito enim quod velit agere, & de facto mota a gratia, actu & realiter agat & operetur, non poteſt non agere.

Inſtant: Ut ſit libertas, requiritur electio, & ut voluntas poſſit agere vel non agere. Atqui poſita gratia per ſe efficaci, voluntas non poteſt non agere: Et probatur: Quia, ut multi volunt, vel inſuperabiliter, quod auctoritate D. Auguſtini probant: Item & ex auctoritate D. Proſperi dicentis de gratia: " Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi ſemper adeſt. " Item ex D. Thoma, qui " q.6. de malo articulo unico ad P. ait: " Deus movet immutabiliter voluntatem propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt. " Si igitur gratia movet inſuperabiliter: ſi ipſa ſuum conſummet opus: immutabiliter in homine agat, & deficere non poſſit, certe non manet potentia ad oppoſitum, alias, ſi maneret, gratiæ motio utique deficere poſſet, & ſuum non ſortiretur effectum. Cæterum nec S. Proſper, nec S. Thomas loquuuntur de gratia perſeverantiæ ſolum, ſed maxime de gratia efficaci ſecundum ſe conſiderata: ne dicam, & de illa ſolum uterque loquitur.

Reſpondeo negando minorem: Ad primam probationem, diſtinguo: gratia perſeverantiæ movet inſuperabiliter, concedo: Et luce clarius oſtendimus Auguſtinum loqui

loqui tantum de ea. Gratia efficax, ſubdiſtinguo: Movet inſuperabiliter in actu ſecundo, & hypothetice quod voluntas ipſa cooperando agat, concedo: in actu primo, & ſecundum ſe, nego. Lutherani & Calviniſtæ propugnant gratiam per ſe efficacem, ſed neceſſitantem. Tridentinum ſeſſ. 6. contra eos inſurgens non dicit gratiam non eſſe per ſe efficacem, ſed tacite iſtam concedens partem, definit ſolum eam gratiam, quæ ab Hæreticis dicebatur per ſe efficax, non neceſſitare: quinimmo definit liberum hominis arbitrium ipſi poſſe diſſentire, ſi velit: " Si „ quis dixerit liberum hominis arbitrium „ a Deo motum & excitatum .... non „ poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit. „ Obſervandum eſt Concilium loqui de gratia efficaci, quia de ea præciſe erat controverſia. Cæterum duo conſideranda ſunt in dono perſeverantiæ, primo quidem auxilium quo quis actum contritionis elicit & juſtificatur; deinde vero providentia exterior quæ ita diſponit cauſas ſecundas ut mortem afferant eo præciſe tempore quo peccator in ea eſt charitate quam modo in juſtificatione accepit, & vel ipſam mortem cum gratia ſanctificante conjungat. Donum perſeverantiæ non habet inſuperabilitatem priori modo ſpectatum, cum omnis juſtificatus, ut definivit Concilium Trident. contra Proteſtantes, non habeat juſtitiam inamiſſibilem, ſed ut dicit utrumque.

Ad ſecundam auctoritatem, diſtinguo. Gratia efficax ex ſancto Proſpero, ipſa ſuum conſummat opus, id eſt, a conſenſu humano efficaciam & efficiendi virtutem non mutuatur, concedo: id eſt, neceſſitat, & independenter a voluntate creata operatur, nego. Quæſtio procedit ſolum de gratia ſecundum ſe ſpectata, quæ quidem ipſa conſummat opus, non libertatem perimendo, ſed adjuvando & ad actum applicando: cum igitur ipſa voluntas creata habeat a gratia, non ſolum inchoare, ſed & perficere opus, eliciendo actum, in hoc ſenſu S. Proſper de gratia diſſerens, ait: " Ipſa ſuum conſummat opus. „ Cæterum ſi ejus verba ad litteram nimis ſcrupuloſe ſumerentur, etiam ipſa voluntatis cooperatio excluderetur, quod eſt a mente D. Proſperi prorſus alienum.

Ad auctoritatem D. Thomæ, diſtinguo. Gratia movet immutabiliter, id eſt, infallibiliter, concedo: id eſt, neceſſario, nego. Sua decreta Deus ſcientia ſua æterna, qua omnia præſcit, dirigit: & ex illo duplici fonte promanat, & efficacia infallibilis & libertas: infallibilitas quidem, quia Deus ſcit quid creatura operatura ſit; libertas vero, quia decretum divinum eſt actus divinæ voluntatis circa creaturas liberrime movenda: unde omnis libertas creata, eſt ab ipſo, ut a primo libero, ita ut quo magis Dei adimplemus voluntatem, eo magis liberi evadamus: deinde decretum Dei eſt, ut homo agat libere & conformiter ſuæ naturæ; unde propter indifferentiam voluntatis non inducitur neceſſitas, *inquit D. Thomas*, ſed manet libertas. Ad id quod dicitur: ſi voluntas poſſet reſiſtere, gratia utique poſſet deficere, diſtinguo, in ſenſu diviſo, concedo: in ſenſu compoſito, nego. Si gratia ſumatur ut ſic, poteſt deficere propter creaturæ libertatem; ſi vero ſumatur cum decreto, & cum ipſa voluntate mota & cooperante, atque actu agente, non poteſt. Quid plura adjiciam? vel in ipſo ſenſu compoſito voluntas poteſt non agere potentia poſſibilitatis quatenus ab actu cœpto ceſſare valet, ſed non potentia futuritionis: ſin minus actum cum non actu ſimul conjungeret.

Hanc eximiam doctrinam tradunt & D. Thomas, & Sanctus Anſelmus. Primus in loco citato, ait: " Deus movet im„ mutabiliter voluntatem propter effica„ ciam virtutis moventis, quæ deficere „ non poteſt: ſed propter naturam vo„ luntatis motæ, quæ indifferenter ſe „ habet ad diverſa, non inducitur neceſ„ ſitas, ſed manet libertas. „ Idem 1. part. quæſt. 19. artic. 8. reſpondens ad illud argumentum: *Illud quod habet neceſſitatem ex priori, eſt neceſſarium abſolute*, ait: " Dicendum, quod poſteriora habent „ neceſſitatem juxta modum priorum: un„ de & ea quæ fiunt a voluntate divina, „ talem neceſſitatem habent, qualem Deus „ vult ea habere, ſcilicet vel abſolutam, „ vel conditionalem, tantum. Et ſic o„ mnia ſunt neceſſaria abſolute. „ Alter vero lib. de concordia c. 3. ait: " Quo„ niam quod Deus vult, non poteſt non „ eſſe: ſi Deus vult voluntatem huma„ nam nulla cogi vel prohiberi neceſſitate „ ad volendum, vel non voledum, & vult „ effectum ſequi voluntatem, tum neceſſe

„ eſt voluntatem eſſe liberam , & eſſe „ quod vult . „

Inſtant : S. Chryſoſtomus homil. 74. in Joan. cap. 14. ait : “ Imploramus ergo „ inſuperabile Spiritus Sancti auxilium . „ Igitur gratia ſaltem per ſe efficax eſt abſolute inſuperabilis.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens , eſt inſuperabilis ſecundum quid , concedo : ſimpliciter & abſolute , nego . Inſuperabilitas duplex ſecernenda , una quæ eſt talis ex natura ſua , ut quum voluntas rapitur ad amandum ab objecto infinite amabili . Talis eſt gratia conſummata Beatorum qui videndo intuitive Deum ſic amabilem ſentiunt , ut torrente voluptatis affecti non poſſint non amare . Altera promanat ex intentione Dei , ex virtute gratiæ , ex ipſa voluntate humana : hinc anima ſub dominio gratiæ efficaciſſime remanet libera . Primo quidem ex parte Dei qui vult voluntatem moveri libere ſecundum ſuæ naturæ exigentiam . 2. Ex parte gratiæ , quæ cum ſit efficacia potentiæ Dei movet ſuaviter ſimul & fortiter . 3. Demum ex parte voluntatis humanæ , quæ facta & prævia electione objecti, vult illud amare.

Urgent : Atqui gratia per ſe efficax eſt ſimpliciter inſuperabilis: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Ubi adeſt illa gratia, ibi abſolute adeſt ſenſus compoſitus : ſed ex omnibus Theologis nullus poteſt reſiſtere gratiæ in ſenſu compoſito : Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum . Ad probationem, diſtinguo : ubi adeſt auxilium per ſe efficax adeſt ſenſus compoſitus gratiæ , concedo : compoſitus actus , ſubdiſtinguo : ſi voluntas conſentire velit, concedo: ſecus, nego. Gratia poteſt conſiderari duplici modo: Primo quidem dum recipitur in ſubjecto, nam prius eſt illam infundi quam agere. Secundo cum voluntatem movet & excitat ad agendum : Tertio quando actu ſimul cum voluntate elicit actum . Voluntas poteſt reſiſtere gratiæ quæ infunditur, & illam abjicere : Poteſt ex Tridentino in inſtanti quo ab ea movetur & excitatur , minime vero tempore quo ipſa cum illa operatur, ſi quidem hoc implicat; alias ſimul eſſet actus & non actus.

Repones : Ut primum gratia recipitur in ſubjecto, jam eſt actus , videlicet conſenſus : Igitur poſita gratia per ſe efficaci, eſt ſemper ſenſus compoſitus etiam actus.

Reſpondeo diſtinguendo : jam eſt actus in eodem temporis inſtanti , tranſeat , namque prius eſt gratiam recipi in anima quam operari , tum quia cauſa præexiſtit effectui : jam eſt actus in eodem naturæ inſtanti , nego . Immo non ſemel contingit voluntatem peccatoris pendulam non nihil hærere antequam conſentiat poſitive , tametſi non diſſentiat gratiæ acceptæ.

Diluuntur objectiones cujuſdam recentioris Theologi adverſus gratiam per ſe efficacem militantes.

NON eſt animus hic texere omnes objectiones quas R. P. N. Affermet Franciſcanus & Doctor Sorbonicus , adverſus gratiam per ſe efficacem in tractatu de gratia anno 1716. Pariſiis in lucem edito, proponit, quippe quæ ſolutæ maneant ex præcedentibus, maxime in tractatu de ſcientia Dei , ubi de decretis per ſe efficacibus, cum ſuavi inter gratiam per ſe efficacem & liberum arbitrium, concordia, multus fuit ad ſatisfactionem Lectorum ſermo . Sed quaſdam tantum propellere querelas , ne dicam & contumelias contra opinionem Theologorum, gratiam per ſe efficacem propugnantium, quam etiam ſicut decet verum Angelici Doctoris diſcipulum, non quidem vi aut minis , ſed ea qua par eſt erga virum alias orthodoxum & eruditum reverentia defendere aggredimur: Et vero Apoſtolus Rom. 12. 21. ait : *Noli vinci a malo , ſed vince in bono malum* . Quoniam igitur non convenit Catholicis, quia, ut habetur Tob. 2. 18. *Filii Sanctorum ſumus* . verbis paululum durioribus in opinando , ubi non periclitatur fides, ſe ſe laceſſere , argumenta auctoris adverſus noſtram angelicam de gratiæ efficacia ſententiam ſimpliciter exponere & ſolvere juvat.

Objicit igitur laudatus auctor tractatu de gratia pag. 809. multa adverſus gratiam per ſe efficacem, quibus incautis ſuadere nititur , fidem de gratia Mediatoris in periculum quodammodo venire, ſi ſemel gratiam eſſe per ſe efficacem admittatur; eo enim loco ſic loquitur : “ Immo ferunt „ plures non infimi ſubſellii , quod ſi „ Clemens VIII. paulo diutius vixiſſet, „ ſpes

„ ſpes affulgebat e Scholis proſcribendæ „ opinionis de gratia per ſe & ex natura ſua efficaci; tum quia nova eſt, „ & a S. Auguſtino prorſus aliena ut in „ prima parte prolixe oſtenſum eſt; tum „ quia eſt inter domeſticas ac familiares „ recentiorum Hæreticorum opiniones; „ tum quia ſub gratiæ per ſe & ex natura ſua efficacis velo Calviniani, „ & Janſeniani ſuam hæreſim occultant, „ eamque in aliorum animos inſinuare nituntur. „.

Quinque potiſſimum argumentis a ſententia gratiæ per ſe efficacis tenenda Lectorem deterrere contendit R. ille Pater: Primo quidem quia fuit Clementi VIII. voluntas proſcribendi de gratia efficaci opinionem. Secundo, quia de facto iſta opinio eſt nova. Tertio, quia a S. Auguſtino prorſus aliena. Quarto, quia eſt familiaris & domeſtica apud Novatores ſententia. Quinto, denique, quia ſub gratię per ſe & ex natura ſua efficacis velo, Calviniani & Janſeniani ſuam hæreſim occultant, eamque in aliorum animos inſinuare nituntur.

Reſpondeo primum argumentum nec quiquam roboris habere adverſus de gratia efficaci opinionem, gratis quippe aliqui afferunt auctores Clementi VIII. dictam opinionem fuiſſe ita exoſam, ut ſpes affulgeret de ejus, ſi ſummus Pontifex diutius vixiſſet, proſcriptione: *contrarium oſtendit* R. P. Thomas Lemos in hiſtoria de auxiliis ab anno 1602. ad annum uſque 1605. Idem probat lib. 3. ubi multis in capitibus Clementi placita de ſententia Thomiſtarum gratiam efficacem per ſe propugnantium refert, cui ita arridet S. Auguſtini & D. Thomæ doctrina, ut eam nedum pro neceſſitate gratiæ, ſed & pro auxilii ad operandum bonum tutiſſimam in praxi exiſtimet: nec uno ſed multiplici argumento idem auctor probat ſummum Pontificem benigne ſemper Theologos Thomiſtas pro gratia per ſe efficaci perorantes, non ſemel audiviſſe. Quia vero utraque opinio graviſſimos habebat Patronos & defenſores, hæſit inter definitionem, & pace inter partes compoſita, permiſit omnibus ſuam viciſſim defendere opinionem; quod quidem expreſſius declaravit Paulus V. Clementis ſucceſſor, tametſi Thomiſtarum opinio magis illi, ut graves contendunt auctores, placeret. Et vero, ſalvo fidei dogmate, in utraque opinione, licet diverſimode, recte tamen explicatur & defenditur adverſus malignantes hæreticos fides & de operatione gratiæ, & de libertatis cum gratia conſociatione.

Revera quidem, rebus æqua lance ponderatis, opinio gratiæ per ſe efficacis ſaltem, & ne dicam magis quam alia ponderat. Si igitur contraria judicio ſummorum Pontificum toleranda eſt, pari & conſimili ratione a fortiori & altera, quæ apud viros omni exceptione majores ſicut gratiſſima ſic & veriſſima, nedum quondam habita eſt, ſed & quotidie habetur: hanc quippe propugnant totius pæne Europæ univerſitates, ut Salmaticenſis & Complutenſis in Hiſpania, Paduenſis in Italia, Lovanienſis & Duacenſis in Belgia, & Pariſienſis in Gallia: hanc eamdem tametſi ſecluſa præmotione Phyſica, fortiter propugnant Iſambertus, Habertus Epiſcopus Vabrenſis, Grandinus, Gaſto Chamillart in ſuis manu-ſcriptis, & alii pæne innumeri Theologi: Igitur ulla abſque cauſa hæc opinio veluti Clementi VIII. exoſa exploditur, cum potius videatur eſſe ad mentem Concilii Tridentini; quod quidem proſcribit Proteſtantes non præciſe, quia gratiam per ſe efficacem propugnarent, hoc quippe intactum reliquit; ſed quoniam gratiam neceſſitantem defendebant, verum quod tacite annuit Thomiſtis Tridentinum, expreſſus declarat ejuſdem Concilii Catechiſmus, dum dicit voluntatem humanam præveniri occultiſſima vi, quæ tametſi voluntatis conatum non præpediat, præveniat tamen efficaciter, cum ad ſingula pertingat: Ergo &c. Expl. 1. artic. ſid. ſymb.

Quod autem Clemens octavus opinionem Thomiſtarum, ut putat auctor, non abnuerit, quin potius in votis habuerit, ut ſola in ſcholis audiretur, patet ex Cardinali Baronio qui hæc de hoc momento dicit in ſua ad Petrum de Villars Archiepiſcopum Viennenſem Epiſtola: “ Quod ad „ Dominum Papam Clementem attinet, „ hoc ipſi in propoſito eſt, hoc in voto, „ hoc in decreto, ut nec latum unguem „ a veſtigiis Prædeceſſorum recedat, ſed „ iiſdem inſiſtat quam firmiſſime. Scit plane ſanctos tot Pontifices Innocentium, „ Xiſtum, Cæleſtinum, Hormiſdam, ac

Digitized by Google

„ denique Felicem, *cujus ſunt canones* „ *Arauſicani Concilii*, hoc profeſſos ſuis „ ſcriptis eſſe atque teſtatos, Romanam „ Eccleſiam in iis quæ ſpectant gratiam „ & liberum arbitrium ſequi ſemper con- „ ſueviſſe ſanctum Auguſtinum. „ Dubio-procul nemo cordatus dixerit ſanctum doctorem non propugnare gratiam nedum efficacem, ſed & ex ſe efficaciſſimam, adeoque per ſe efficacem. Quid plura adjiciam? Summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. qui contrariam apprime noverant opinionem a multis Theologis ut DD. Auguſtino & Thomæ adverſam abjici, ad duritiam ne dicam cordis eam edoceri permiſerunt, donec Eccleſia iſtud de efficacia gratiæ dogma definierit.

Circa præſens momentum nonnumquam allucinautur adverſarii, exiſtimantes efficientiam actus, puta contritionis eſſe penes gratiam per ſe efficacem, quocirca eam duriori inſectantur ſtylo: Igitur ut veritas eluſceſcat, multa ſecernenda & conſideranda ſunt. Primo quidem, gratia ſecundum ſe: Secundo, conſenſus gratiæ; qui & cauſa actus completi eſt; deinde & ipſa voluntas eliciens actum. Quum quæritur num gratia ſit per ſe efficax, caput controverſiæ non eſt, num actus v. g. amoris Dei ſuper omnia ſit a gratia, & a voluntate; omnes quippe ſcholæ de hoc conveniunt momento, ſed utrum gratia ſecundum ſe tantam habeat energiam, ut habeat infallibilem cum obedientia voluntatis erga ſe ipſam connexionem. Et reſpondemus affirmative, conſenſus enim ille & obedientia, eſt gratiæ actus, ut probatum eſt, a voluntate utique promanans, ſed prius mota & adjuta. Jam vero eadem gratia præmovens, poſito voluntatis conſenſu, ſit adjuvans & cooperans, & ſimul cum voluntate producit effectum. Quid clarius?

Ad ſecundum, ex probationibus liquet, Sententiam de gratia per ſe efficaci non eſſe novam, ſed ſacris conſonam ſcripturis. Quid enim innuunt iſta oracula Jeremiæ 30. *Applicabo eum, & accedet ad me*. Ezechielis 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Philippenſium 2. *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle, & perficere?* Nonne in ſenſu obvio gratiam indicant efficaciſſimam, ita ut, hac ſublata explicatione, genuinus ſcripturæ ſenſus detorqueri videatur; quinimmo Apoſtolus clariſſime ſecernit voluntatis conſenſum, tanquam primarium gratiæ per ſe efficacis prævenientis fœtum, his verbis *operatur in vobis velle*. Et rurſus Roman. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Deinde indigitat alterum ejuſdem gratiæ ut adjuvantis & cooperantis effectum, his vocibus *operatur in vobis .... & perficere*. Quæ quidem œconomia ſi conſideretur, abſque negotio intelliges ſententiam noſtram, ut placet multis, altera longe probabiliorem eſſe, quippe quæ & Scripturæ ſacræ & SS. Auguſtino & Thomæ multo magis conſona videatur, adeoque non abjudicanda.

Eſto quod iſta vocabula, *gratia per ſe efficax* aliquibus ab hinc ſæculis a Theologis ad majorem energiæ gratiæ explicationem inducta ſint; ſed fides realitatis corporis Chriſti in Euchariſtia ab omni exiſtebat Ævo, & tamen Concilium Lateranenſe ſolum decurſu temporum nomine tranſubſtantiationis celebrare cœpit. Revera quidem mos ſemper in ſancta Dei Eccleſia inolevit ad fuſiorem fidei explicationem, quando expoſtulabat credentium utilitas, uti quibuſdam terminis ad captum, & rerum divinarum notitiam ſicut familiaribus, ſic & clarioribus; v. g. divinitas Verbo æterno coæva, quarto tantum ſæculo adverſus Arianam perfidiam, voce *conſubſtantialis* conclamata eſt. Ergone nova & adventitia filio Patris æterni? Abſit vel cogitare. Ne miremini igitur benevoli lectores, ſi gratiæ energia in divinis iterum atque iterum indigitata Scripturis, ab aliquibus tantum ætatibus nomine gratiæ per ſe efficacis a Theologis omni exceptione majoribus celebrata ſit.

Quid plura? Numquid aut in Scriptura, aut in SS. Patribus reperies verbis expreſſis gratiam eſſe tantummodo efficacem expectando voluntatis conſenſum: Nonne ultro Moliniſtæ fatentur ſcientiam mediam novam quidem eſſe quoad nomen, attamen ad res Theologicas circa auxiliorum, materiam explicandas congruam, ſuamque propugnant opinionem tanquam Scripturæ & Patribus affinem: Igitur ea ſimili, & dicam, potiori jure Thomiſtæ laudabiliter ſuam propugnare ſatagunt.

Ad tertium; falſum eſt ſententiam de gratia per ſe efficaci a mente S. Auguſtini alienam cum potius juxta probabiliſſimam opinio-

opinionem genuina ſit ejus doctrina. Primo hoc claret ex probationibus, & hoc ipſum fuſiori calamo jam oſtendimus. Secundo hoc etiam patet ex fuſis textibus librorum Polemicorum S. Auguſtini quos ſupra retulimus. Ibi enim Pelagianam debellans hæreſim, duo ſtatuit, videlicet neceſſitatem gratiæ efficaciſſimę, deinde vero humani liberi arbitrii cum gratia quantumvis efficaci conſociationem. Aliquid de libro cui titulus de gratia & libero arbitrio, & de libro qui inſcribitur de correptione & gratia impræſentiarum delibare juvat. Utrumque librum direxit S. Doctor ad Valentinum Præſulem Adrumetini Monaſterii, in quo quidam Monachi ut humanam voluntatem facerent liberam ad Semipelagianiſmum declinabant: alii vero doctrinam Sancti Auguſtini de energia gratiæ in pravum detorquentes ſenſum in errorem Prædeſtinatianorum impingebant.

In primo libro primæ ſententiæ adhærentes confutat, non quidem vel detrahendo aliquid de efficacia gratiæ quam prædicaverat, vel admittendo gratiam verſatilem quæ initium haberet in fucatis naturæ meritis, vel etiam recurrendo ad conſenſum voluntatis adjutæ, quæ ſimul cum gratia inciperet opus, ſed duo pro more propugnando capita: nimirum humanæ libertatis jura, & gratiæ efficaciſſimæ ad opus tum inchoandum, tum perficiendum neceſſitatem. Et vero capite 2. infinitis prope utriuſque teſtamenti auctoritatibus demonſtrat libertatem ineſſe homini lapſo, tum capite 4. plurimis rationibus probat gratiæ neceſſitatem & efficaciam. Iſtam numero 10. maxime demonſtrat iis Scripturæ teſtimoniis Pſalmo 79. 8. *Deus virtutum converte nos*. Pſal. 84. 7. *Deus tu convertens vivificabis nos*, *& converte nos Deus ſanitatum noſtrarum*. Subdit vero. Nam & venire ad Chriſtum quid eſt, niſi ad eum credendo converti? Et tamen ait: *Nemo poteſt venire ad me*, *niſi datum fuerit ei a Patre meo*. Quibus verbis gratiam per ſe efficacem indigitat Sanctus Auguſtinus. Loquitur enim de gratia quæ dat credere, hoc eſt, quæ producit in nobis fidei aſſenſum: Igitur illa gratia ex mente S. Doctoris non expectat humanæ voluntatis conſenſum, ut ſit efficax, ſed eſt ipſa conſenſus cauſa. Pergit in reliquo libro S. Præſul, & vana naturæ merita in lege & humano arbitrio fundata explodit.

In altero libro revincit inquietos a capite 1. uſque ad 6. non aliquid de efficacia gratiæ minuendo, ſed illam iterum atque iterum proclamando efficaciſſimam, ita tamen quod numquam libero noceat arbitrio; refert quoque objectiones, & perverſus, quas ex efficacia gratiæ deducebant quidam Monachi concluſiones, ſtatuitque hominem quantumvis malum, quandiu in hac vita ſuperſtes eſt, corrigi debere. Cap. 1. num. 2. ait: " Initium „ gratiæ eſt de quo ait ille: & dixi nunc „ cæpi, hæc eſt mutatio dexteræ excel„ ſi. „ Ibidem ſubjungit hominem eatenus eſſe liberum, quatenus gratia eum a malo liberat. Cap. 2. dicit gratiam qua homines liberantur, eam eſſe quæ inſpirat bonum, & facit illud operari. Cap. 6. eamdem prædicat gratuitam & merum Dei donum iſto Apoſtoli oraculo 1. Cor. 7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?* Igitur gratia non accipit a conſenſu ut ſit efficax, ſed potius voluntas habet a gratia quod operetur: Igitur nec contemnenda, nec parvi facienda opinio quæ gratiam per ſe efficacem propugnat.

Reponis auctor ſupra laudatus gratiam efficaciſſimam quam S. Auguſtinus vocat auxilium quo eſſe perſeverantiæ donum quod mortem cum charitate conjungit, & de facto S. Doctor poſita diſtinctione auxilii quo & ſine quo, loquendo de illo gratiam perſeverantiæ continuo commemorat. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: S. Auguſtinus vocat donum perſeverantiæ adjutorium quo non excludendo adjutorium quo pro bonis operibus eliciendis, concedo; excludendo, nego. Omnis gratia quæ facit facere eſt auxilium quo, & ideo per ſe efficax; neque enim magnam efficaciam auxilii quo abnegat adverſarius. Thomiſtæ iſtud auxilium de quo agimus non ſolum pro ſtatu naturæ lapſæ, ſed & innocentis, admittunt: quæ quidem doctrina Angelica funditus convellit fucatum de gratia Mediatoris Janſenii ſyſtema. Quod autem S. Auguſtinus omnem gratiam qua actu operamur bonum vocet auxilium quo, ipſe eſt ſui ipſius interpres libro de correptione & gratia capitulo 12. numero 34. his verbis: " Ipſa adjutoria diſtin„ guen-

Digitized by Google

„ guenda ſunt, aliud eſt adjutorium ſine „ quo aliquid non fit, & aliud eſt adjuto- „ rium quo aliquid fit. „ Porro S. Doctor ut efficaciam gratiæ Mediatoris & excellentiam celebret, aſſumit pro exemplo ſupremum gratiæ efficacis effectum, videlicet perſeverantiam in bono, ut oſtendat adverſus obſtrepentes nihil de Mediatoris gratia eſſe detrahendum, gratiam Chriſti eſſe gratia primi hominis valde efficaciorem, quippe quæ det viatoribus non ſolum poſſe perſeverare, ſicut gratia Adami præbebat, ſed & actu perſeverare; quo quidem argumento probatur gratiam Chriſti eſſe per ſe efficacem, nedum cum dat actu perſeverare, ſed & cum dat operari bonum quo electi ad finalem perveniunt perſeverantiam.

Quod ut magis eluceſcat, obſervandum eſt perſeverantiam incipere a prima gratia quæ eſt in nobis ſine nobis; continuari per ſeriem gratiarum quæ neceſſariæ ſunt & perutiles, tum ad vincendas graves tentationes occurrentes, tum ad præcepta Dei adimplenda; terminari vero per providentiam extraordinariam quæ mortem cum charitate conjungit. De illo felici termino loquitur ibidem S. Auguſtinus, & gratiæ tribuit perſeverantiam. Tum num. 35. ait: Auxilium quo requiri ad vincendas tentationes ut electus ad promiſſam perveniat beatitudinem, aitque magnam libertatem manere ſub dominio talis gratiæ quæ vere, ipſis non diffitentibus adverſariis, ſupra modum efficax eſt: Hinc tota objectio convertitur in probationem gratiæ per ſe efficacis. Audiendus eſt S. Auguſtinus qui in eo potiſſimum auxilio fortitudinem animæ reponit, ut etiam ſæviente mundo, electi tali adjuti gratia eligant carceres & tormenta ut Chriſto & complaceant & aſſimilentur: ſic loquitur cap. 12. num. 35. “ Major quippe libertas eſt neceſſaria adverſus tot & tan- „ tas tentationes, quæ in paradiſo non fue- „ runt, dono perſeverantiæ munita atque „ firmata, ut cum omnibus amoribus, „ terroribus, erroribus ſuis vincatur hic „ mundus; hoc ſanctorum martyria do- „ cuerunt. Denique ille Adam & ter- „ rente nullo, & inſuper contra Dei ter- „ rentis imperium, libero uſus arbitrio, „ non ſtetit in tanta felicitate, in „ tanta non peccandi facilitate. Iſti au- „ tem non dico terrente mundo, ſed „ ſæviente ne ſtarent, ſteterunt in fi- „ de. Cum videret ille bona præſen- „ tia quæ fuerat relicturus; iſti futura „ quæ accepturi fuerant, non viderent: „ Unde hoc, niſi donante illo a quo mi- „ ſericordiam conſecuti ſunt, ut fideles „ eſſent? „ Igitur Sancti antequam ultimum clauderent diem habuerunt gratiam per ſe efficacem ut mundi amores alternatis vicibus ſuperarent.

Quartum argumentum quo utitur Theologus ad confutandam ſententiam gratiæ per ſe efficacis, eſt quod ſit familiaris Novatorum opinio. At vel nihil probat, vel nimis probat. Et vero ſi per illam ſententiam intelligit eam quæ propugnatur a Thomiſtis & ab Univerſitatibus laudatis, certe non eſt una Novatorum opinio, quandoquidem eſt Catholica. Novatores autem utpote Heterodoxi non niſi erroneam defendunt de gratia ſententiam, ideo quippe Novatores nuncupantur, quia gratiam docent neceſſitantem. Si nomine cujuſcumque opinionis de gratia per ſe efficaci intelligit gratiam neceſſitantem, ullo abſque fundamento auctor improperat Theologis Catholicis, & hoc contra præceptum Pauli V. qui diſtricte prohibuit ne quis inter ſcribendum opinioni Catholicorum de gratiæ energia erroris, aut hæreſeos labem inurere auderet.

Nec magis proficit Theologus ſupra laudatus quum ſubjungit, ſub velo gratiæ per ſe efficacis Janſeniani & Calviniſtæ gratiam neceſſitantem propugnare. Nonne iſti pro eodem momento in pravum detorquent ſenſum ſacras Scripturas? nonne ad hunc aſſequendum finem, Calvinus, illa Auguſtini de gratia verba, *movet indeclinabiliter*, prodit in medium? ergone Scripturæ ſacræ falſæ? Ergo ne exceſſus S. Auguſtinus? Abſit. Igitur nec contemnenda de gratia per ſe efficaci ſententia, tametſi nonnulli ea abutantur, ut in errorem ducant incautos.

Ex his omnibus liquet opinionem de gratia per ſe efficaci multi faciendam, & in praxi tutiſſimam eſſe. Utinam juxta Pauli V. vota omnes Theologi Catholici, ſicut in fidei dogmate, ſic & in charitate conſociati eſſent, tunc enim mille Clypei ab eis, contra heterodoxos maliguantes dubio-procul penderent.

Dices: gratia quæ movet independenter a con-

a conſenſu, libertati adverſatur: Atqui talis eſt gratia efficax præmovens; non enim expectat conſenſum ut efficaciam habeat: Ergo &c.

Reſpondeo primo ad hoc argumentum quod eſt apud adverſarios palmare, diſtinguendo: & voluntas libere conſentit & aſſentitur gratiæ, concedo; & libere non aſſentitur, nego. Dictum eſt gratiæ efficaciam repoſitam eſse in præmotione morali ſimul & phyſica: in morali quidem quæ illuminando, quæ docendo, quæ delectando, quæ flectendo movet, in phyſica vero quæ applicat ad actum: Tametſi motio moralis phyſice & realiter moveat, illam tamen ſolum motionem quæ applicat ad opus, phyſicam appellamus. Profecto nemo non videt voluntatem liberrime conſentire gratiæ, quæ & illuminando, & docendo, & delectando, & flectendo movet; ideo quippe voluntas flecti dicitur a gratia, quia libere & proprio nutu ei conſentit, & vult conſentire, quocirca quamvis poſſit ei reſiſtere, attamen non vult, ſed potius ei aſſentiri ſibi complacet.

Hanc gratiam quæ movet moraliter ſimul & phyſice applicando voluntatem humanam ad actum, paucis, ſed efficaciſſimis verbis explicat S. Thomas 1. 2. quæſt. 77. art. 1. quum loquens de gratia doctoris Apoſtolici prædicantis impium ad meliorem frugem advocantis, ait: " Sic loqui„ tur, quod doceat, ſic loquitur quod au„ ditores delectet . . . . . ſic loquitur, „ quod auditorem flectat, ad quod quidem „ efficiendum Spiritus ſanctus, utitur lin„ gua hominis quaſi quodam inſtrumento, „ ipſe autem eſt qui perficit operationem „ interius. „ Movet dicendo, delectando, & flectendo, ecce motio moralis: perficit operationem interius, ecce motio phyſica applicans & producens actum.

Reſpondeo 2. ad idem argumentum aliter diſtinguendo, gratia movet independenter a conſenſu ut cauſa prima quæ non excludit conſortium cauſæ ſecundæ, concedo: quæ excludat hujuſmodi conſortium, nego. Duplex ab omnibus admittitur actus liberi ſupernaturalis cauſa, una prima quę eſt gratia præmovens, altera ſecunda quæ eſt liberum hominis arbitrium. Deus per ſuam gratiam præmovet, illuminando, docendo, flectendo ſeu determinando voluntatem ad bonum, eo prope modo quo amicus exhortatione, & conſilio determinaret nos ad aliquod bonum patrandum: Inſuper gratia excitat, ſanat interius & roborat voluntatem. Sicut igitur ultra actionem amici ad bonum nos determinantis, nuſquam fit bonum, niſi & homo ſe ipſum determinet ad actum, eodem conſimili modo præter determinationem a prima cauſa profluentem, requiritur propria liberi arbitrii determinatio. Igitur & gratia movet atque determinat ad bonum, & voluntas mota, ſanata, roborata ſe ipſam ad idem determinat bonum: & homo applicatur phyſice per gratiam ad opus, & ſe ipſum ad actum accingit. Ita ſenſit Doctor Angelicus quæſt. 3. de malo art. 2. " Cum aliquid „ movet ſe ipſum, non excluditur quod „ ab alio moveatur, a quo habet hoc ip„ ſum quod ſe ipſum moveat, & ſic non „ repugnat libertati, quod Deus eſt cau„ ſa liberi arbitrii. Rurſus de potentia „ quæſt. 3. art. 7. ſic ergo Deus eſt cau„ ſa actionis cujuslibet in quantum dat „ virtutem agendi, & in quantum con„ ſervat eam, & in quantum applicat ac„ tioni, & in quantum ejus virtute o„ mnis alia virtus agit . . . . . ſequitur „ quod ipſe in quolibet operante, imme„ diate operetur, non excluſa operatione „ voluntatis & naturæ. „ Et ante ipſum cuncta jamdudum explicaverat Concilium Arauſicanum ſecundum can. 3. his verbis: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur, operatur*.

Reſpondeo 3. ad eamdem propoſitam difficultatem adhuc diſtinguendo. Gratia movet independenter a conſenſu, & voluntas non niſi prævia deliberatione, & electione aſſentitur gratiæ, concedo: Et motio efficax gratiæ, tum deliberationem, tum electionem voluntatis excludit, nego. De fide eſt voluntatem eſſe ſub dominio gratiæ etiam efficaciſſimæ liberam, adeoque actum ſuum non niſi prævia deliberatione & electione elicere; quocirca deliberatio prioritate vel temporis, vel ſaltem naturæ præit & antecedit conſenſum in actum, a fortiori & ipſum actum. Hanc œconomiam explicant Complutenſes in moralibus, & cæteri noſtri Thomiſtæ aſſerendo varia ad actum eliciendum prærequiri. Primo quidem eſt cognitio finis: Secundo, intentio & volitio finis ſeu boni faciendi. Tertio loco electio

Digitized by Google

mediorum, priuſquam enim peccator actu ſe convertat, eligit ad hunc finem requiſita media. Quarto, uſus activus, ſeu conſenſus & actus; Denique uſus paſſivus, hoc eſt ipſa converſio. Igitur juxta doctrinam D. Thomæ Angelicam, præmotio phyſica quę ad actum applicat, & illum habet ſibi conjunctum, ſupponit voluntatis & deliberationem ad bonum operandum, & ejuſdem boni electionem. Ex quibus liquet gratiam præmoventem, vel minimum quidem humanam non offendere libertatem.

His omnibus ſubjicio argumentum pro gratia per ſe efficaci jam jam delibatum. Petitur ex auctoritate D. Auguſtini, qui lib. 12. de civ. Dei art. 6. ait ex duobus æqualiter circa pulchritudinem mulieris affectis, unum cedere tentationi, alterum vero minime; quam difficultatem ut ſolvat, dicit non eſſe confugiendum aut ad genium; quia, inquit, ſunt æqualiter affecti, aut ad loci temporiſve circumſtantias, quippequi ſimul & eodem tempore tententur; aut ad objectum, nam ſub utriuſque aſpectibus, ait, pulchritudo mulieris eodem modo cadit: bene vero ad voluntatem a Domino præparatam: quæ ita adjuta eſt, ut nolit in uno tentationi obedire. Quod oraculum, ſi æqua & debita lance ponderaſſet noſter in efficacia gratiæ æmulus, per ſe efficacem ſaltem ex mente S. Auguſtini ultro fuiſſet confeſſus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur gratia per ſe efficax.

PRIMO: Hoc innuit Scriptura Ezech. 17. *Faciam ut in praceptis meis ambuletis*, Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* Hoc Concilia, inprimis Arauſicanum II. Cant. 9. quoties bona agimus Deus in nobis, atque nobiſcum operatur. Hoc Patrum cœtus, ut Auguſt. lib. de corrept. & 9. cap. 11. & 14. ubi docet gratiam Mediatoris robuſtiorem eſſe gratia Adami tum Enchirid. cap. 98. dicens gratiæ efficacia impios converti: quæ & ſimilia arguunt magnam ineſſe gratiæ virtutem.

Secundo: Homo indiget ſpecialiter a Deo moveri in iis quæ ſunt ad ſalutem. Igitur gratia ex ſe & intrinſece efficax eſt: quia voluntas elevari & ſanari debet. Hęc ratio eſt D. Th. 1. 2. q. 109. art. 2. & 6.

Tertio: Ad gratiam potiſſimum ſpectat movere fortiter ſimul & ſuaviter. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametſi gratia per ſe efficax infallibilem habeat cum conſenſu voluntatis connexionem, non inde ſequitur libertatem aut lædi, aut prorſus interire, cum voluntas nonniſi prævia electione & deliberatione cedat gratiæ & ei obediat.

Secundo: Non negamus hominem gratię energia ad Patrem trahi, ſed ex Auguſt. trahitur peccator volens & non coactus aut neceſſitatus, dicitur etiam in opinione congruiſtarum hominem trahi gratia, habent eamdem nobis & illis communem ex Scriptura depromptam difficultatem explicandam, hinc & eamdem nobiſcum adhibent ſolutionem.

Tertio: Gratia per ſe efficax eſto a creatura independens, non tamen excludit voluntatis cooperationem: ſi quando vero dicatur movere inſuperabiliter, hoc nonniſi de inſuperabilitate ſecundum quid, & late ſumpta aſſeritur.

§. II.

Num gratia per ſe efficax conſiſtat formaliter in præmotione?

CONCLUSIO.

Gratia per ſe efficax ſita eſt, 1. In præmotione morali, 2. Simul & in phyſica. 3. Tum & probabiliter in protectione Dei removentis prohibentia.

Probatur in genere hanc gratiam conſiſtere in prȩmotione morali ſimul & phyſica.

Prima probatio, ex Scriptura deſumitur.

LEGITUR Jerem. 30. *Applicabo eos & accedent ad me*. Et Ezech. 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Et Philipp.

lipp. 2. *Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere*. Sed iſte & ſimiles Scripturarum ſententiæ ſonant efficientiam phyſicam & pluſquam moralem, non enim aliis terminis explicatur agentis operatio, quam applicatione quam factione, quam ipſius operationis nomine: quas quidem dotes cauſæ tantum morali numquam tribuunt niſi cum addito, puta dicendo cauſam operari illuminando, ſuadendo, inſpirando: Igitur cum Deus ſimpliciter & abſolute dicat per Prophetam: *Applicabo eum & accedet ad me, faciam ut in præceptis meis ambuletis*: Cum Apoſtolus de operatione Dei loquens etiam dicat: *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere*: Citra dubium eſt, hæc omnia Deum operari per gratiam non ſolum moraliter ſed & phyſice præmoventem.

Confirmatur. Deus per gratiam ſuam operatur & efficit totum actum qui certe non partim ſed totus ab ipſo procedit, inquiunt Patres; inprimis S. Chryſoſt. lib. de Virg. cap. 36. "Non partim ſuum „ non partim Dei cenſet Apoſtolus, ſed to„ tum Dei. „ Atqui actus non ſolum eſt moralis, verum etiam realiter & intrinſece phyſicus, ſiquidem eſt actus vitalis: ſed ratio phyſica inſeparabilis eſt a ratione morali; quinimmo quod phyſicum eſt in actu, eſt moralitatis fundamentum, vehiculum & ſubjectum: eodem utique inſtanti atque momento indiviſe producitur actus ſecundum quod eſt actus phyſicus & moralis, & quidem ab iiſdem cauſis. Igitur eo ipſo quo Deus operatur in nobis velle & perficere, actus eſt a gratia phyſice & moraliter: ſicque gratia per ſe efficax non ſolum præmotionem moralem dicit, ſed importat utique phyſicam.

Secunda probatio, ex Conciliis.

ARAUSICANUM II. primo occurrit illa Synodus Can. 9. ſic definit: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur, operatur*. Quo poſito ſequitur iſtud demonſtrativum argumentum. In eodem genere cauſæ & eodem modo operatur & efficit actum ſalutis Deus, quo nos ipſi operamur; nam effectus eſt ſimul a cauſa prima & a ſecunda: quinimmo cauſa ſecunda non agit neque efficit opus, niſi ut prius mota & adjuta a cauſa prima: ſed operamur moraliter ſimul & phyſice actum ſalutis: Igitur & Deus per ſuam gratiam: Igitur cum ad hunc requiratur præmotio moralis, ut in ſuperiori puncto oſtenſum eſt: etiam dicendum requiri inſuper præmotionem phyſicam.

Tridentinum pro hac opinione ſtare videtur. Et vero ſeſſ. 6. Can. 4. ait, contra Lutherum & Calvinum qui gratiam efficacem in præmotione phyſica neceſſitante reponebant: *Si quis dixerit liberum arbitrium motum a Deo non poſſe diſſentire ſi velit; anathema ſit*. Notanda ſunt verba: Concilium propoſitionem hæreticorum reſumit & corrigit. 1. Dicit ſicut ipſi dicebant liberum arbitrium a gratia motum: illi propugnabant prius ſeu prævie & phyſice motum, hoc non redarguit ſacra Synodus, ſed veluti concedendo hanc partem, ait: *Si quis dixerit liberum arbitrium motum &c.* Tum anathemate percellit & corrigit errorem, in eo maxime ſolum, quod Lutherus & Calvinus præmotionem gratiæ phyſicam neceſſitare aſſererent, unde ſubdit poſt prima illa verba: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum ... non poſſe diſſentire ſi velit; anathema ſit*. In qua definitione duo dicere videtur Concilium, aut potius unum concedere, nempe gratiam efficacem importare præmotionem moralem & phyſicam; alterum vero definire, nempe voluntatem humanam manere ſub dominio iſtius gratiæ liberrimam, eamdem poſſe præmotioni morali & phyſicæ, ſi velit, diſſentire.

Quod autem hic ſit genuinus Concilii ſenſus patet ex magnis Doctoribus Ordinis ſancti Dominici qui ipſi Concilio Tridentino tanquam Theologi adfuere, quique tanquam teſtes omni exceptione majores Concilii mentem non ſolum aſſequi, ſed & prodere poterant, & de facto in doctiſſimis Theologiæ tractatibus explicavere; gratiam ſcilicet & eſſe per ſe efficacem, & præmotionem importare phyſicam. Unus inſtar omnium ſit ille qui juſſu ſummi Pontificis Catechiſmum ad mentem Concilii compoſuit. Quam quidem provinciam ſuſceptam ita feliciter adimplevit, ut velut ipſos Syncedicos Patres in ſingulis articulis loqui diceres: germanam hoc opus Concilii Doctrinam continere nullus diffitetur: iſte vero Theologus in explicatione primi arti-

articuli fidei ſic effatur : *Non ſolum Deus univerſa quæ moventur & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita compellit, ut quamvis cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultiſſima vis ad ſingula pertingat*. Ecce quomodo loquitur percelebris ille Theologus de cauſalitate gratiæ ac de cauſalitate creaturæ liberæ cooperantis : Ecce Catechiſmus omni munitus approbatione, omni celebratus honore & laude & ab univerſali Eccleſia tanquam genuinam Concilii Tridentini mentem, exponens & complectens. Auctor dicit Deum non impedire quidem cauſarum ſecundarum efficientiam, quis autem dicet cauſarum iſtarum efficientiam eſſe tantum moralem & non phyſicam? dicit inquam, Deum abſque libertatis humanæ diſpendio prævenire cauſarum ſecundarum efficientiam : prævenire nedum moraliter, ſed intelligas velim & phyſice, quia ſubdit Deum intima virtute ad motum atque ad actionem bonam impellere cauſas ſecundas : occultiſſimam gratiæ vim ad ſingula pertingere. Igitur gratia efficax de qua hic eſt apertus ſermo, importat præmotionem moralem & phyſicam.

Confirmatur : Catechiſmus loquitur de cauſalitate primæ cauſæ : Atqui Deus non ſolum eſt prima cauſa actus in eſſe morali, ſed & in eſſe phyſico: Igitur ad eum præmovet ſimul & phyſice.

Tertia probatio, ex S. Auguſtino.

MAGNUS gratiæ Doctor Auguſtinus, in hac materia certe audiendus eſt. Non in uno autem aut altero loco, ſed in pluribus gratiam efficacem importare præmotionem phyſicam ſatis inſinuat.

Primo, lib. 3. de Trinit. cap. 4. ſic loquitur: *Deus operatur omnia, movens prius, ſive animos hominum, ſive cunctorum ſpirituum ſibi ſubditas virtutes*. Obſerves velim doctiſſime Lector ſanctum Aug. loqui de Deo ut eſt rerum omnium cauſa : Porro eſt cauſa maxime phyſica & cuncta operatur non ſolum per moralem, ſed & phyſicum influxum : Atqui ex S. Doctore Deus cuncta operatur cum cauſis ſecundis prius movens animos : prius movens agentium virtutes, quæ non mere morales, ſed vere phyſicæ ſunt : Igitur ex mente & principiis S. Auguſtini, gratia efficax importat præmotionem phyſicam & ſincere loquendo, iſta ſublata, non ſine vi, & abſque, ne dicam, pace tua, æquiſſime Lector, violentia explicantur Scripturæ, Concilia, & Patres.

Secundo, idem S. Doctor lib. de gr. & lib. arb. cap. 16. ait : " Certum eſt nos „ facere cum facimus, ſed ille facit ut „ faciamus præbendo vires efficaciſſimas „ voluntati. „ Igitur præmovet phyſice Deus cauſam ſecundam : præmovet quidem, quia dat creaturæ & ut poſſit agere, & ut agat : antea non habebat niſi vires innatas ad opus ſupernaturale haud ſufficientes: phyſice vero & non ſolum moraliter : non enim tantum excitat voluntatem ad bonum per gratiam ſufficientem, ſed & vires præbet efficaciſſimas quas antea vere & phyſice non habebat: " Facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati. „ Igitur ex Auguſt. Deus præ„ movet phyſice per gratiam.

Tertio, S. Aug. lib. de gr. & lib. arb. cap. 20. ait : " Scriptura divina ſi dili„ genter inſpiciatur, non ſolum bonas ho„ minum voluntates quas ipſe facit ex ma„ lis & a ſe factas bonas, in actus bonos, & „ in æternum dirigit vitam, verum etiam „ ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quo „ voluerit, quando voluerit, faciat incli„ nare.„ Et lib. 1. retract. cap. 9. " Quia „ omnia bona & magna, & media, & mi„ nima a Deo ſunt, ſequitur ut ex Deo „ ſit etiam bonus uſus liberæ voluntatis.„ Tria obſervanda ſunt in his textibus. Primo, S. Aug. loqui de gratia efficaci, & operis. Secundo, docere Deum eſſe bonorum omnium non ſolum moralem, ſed phyſicam, ſed potentiſſimam cauſam quæ facit ut faciamus, quæ inclinat cor quocumque voluerit inclinare. Tertio, eſſe cauſam ipſius boni uſus voluntatis humanæ, adeoque cauſam præviam, quia eo ipſo quo voluntas a Dei gratia & virtutem & vires recipere debet, prius eſt a Deo & elevari, & roborari, & recipere vires, quam agere. Igitur ex inconcuſſis S. Aug. principiis gratia efficax importat etiam præmotionem phyſicam : quia S. Doctor gratiæ efficaciam repetit a cauſalitate primæ cauſæ quæ eſt phyſica ſimul & moralis: ab omnipotenti virtute cui cuncta ſubduntur in eſſe morali & phyſico; ab occultiſſima & fortiſſima vi : a viribus magnis quas voluntas recipe-

cipere debet priuſquam agat & operetur. Ergo &c.

Quarta probatio, ex S. Thoma.

PRIMO, S. Doctor 1. 2. quæſt. 109. art. 2. ad 1. ſic loquitur: " Homo eſt ,, dominus ſuorum actuum volendi & non ,, volendi propter deliberationem rationis ,, quæ poteſt flecti ad unam partem vel ,, aliam: ſed quod deliberet vel non delibe-,, ret, & ſi hujuſmodi etiam ſit dominus, ,, oportet quod hoc ſit per deliberatio-,, nem præcedentem & cum hoc non pro-,, cedat in infinitum, oportet quod finali-,, ter deveniatur ad hoc quod liberum ho-,, minis arbitrium moveatur, ab aliquo ,, exteriori principio quod eſt ſupra men-,, tem humanam. ,, Tum 1. contra gen-,, tes cap. 68. Dominium quod habet vo-,, luntas ſupra ſuos actus, per quod in ,, ejus poteſtate eſt velle & nolle, non ,, excludit influentiam ſuperioris cauſæ ,, a qua eſt eſſe & operari: & ſic rema-,, net cauſalitas in cauſa prima quæ eſt ,, Deus reſpectu actuum voluntatis. ,, Rurſus in 2. ſentent. diſt. 37. quæſt. 2. ,, art. 2. " Dicendum, *inquit*, quod actus ,, in quantum actus, a Deo eſt. ,, Ex divo Thoma, eo modo Deus eſt cauſa actus voluntatis quo homo, id eſt, in eodem ordine cauſæ, adeoque in genere cauſæ moralis & phyſicæ, licet creatura ſit ſui actus domina, cum non detur proceſſus in infinitum, " Oportet quod finaliter de-,, veniatur ad hoc quod liberum hominis ,, arbitrium moveatur ab aliquo exteriori ,, principio quod eſt ſupra mentem huma-,, nam. ,, Ex D. Thoma liberum arbitrium debet prius moveri moraliter & phyſice antequam agat, quia debet reduci de potentia ad actum per id quod eſt ſemper in actu. Ex eodem dominium quod cauſa ſecunda habet in ſuum actum non excludit influentiam cauſæ primæ a qua habet non ſolum eſſe, ſed & operari. Operatur autem moraliter & phyſice: Igitur cum hæc habeat a Deo maxime in ordine ſupernaturali, gratia efficax dicit præmotionem moralem & phyſicam. Demum ex D. Thoma Deus eſt cauſa actus ut actus eſt, ut ens eſt. Igitur ejus cauſalitas eſt tum moralis tum phyſica, & quidem vera & immediata.

Secundo: Ille ponit gratiam efficacem in præmotione morali & phyſica qui dicit hominem lapſum indigere gratia ut ſanetur & ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur, qui dicit eumdem hominem nullum poſſe producere ſalutis actum niſi virtute, eaque ſpeciali divinæ motionis adjuvetur: qui dicit gratiam illam ipſi eſſe neceſſariam ne cadat: Atqui hæc omnia propugnat D. Thomas. Igitur ex ipſo gratia efficax importat etiam præmotionem phyſicam. Major clara eſt; virtus enim tenens hominem ne cadat profecto eſt maxime phyſica: non enim aliis terminis virtus phyſica definitur. Probatur igitur minor quoad ſingulas partes. S. Do-,, ctor 1. 2. quæſt. 109. art. 2. ait: " Sic ,, igitur virtute gratuita ſuperaddita vir-,, tuti naturæ indiget homo in ſtatu na-,, turæ integræ, quantum ad unum, ſci-,, licet operandum & volendum bonum ,, ſupernaturale; ſed in ſtatu naturæ cor-,, ruptæ quantum ad duo, ſcilicet ut ſane-,, tur, & ulterius ut bonum ſupernaturalis ,, virtutis operetur, quod eſt meritorium: ,, ulterius autem in utroque ſtatu indi-,, get homo auxilio divino ut ab ipſo mo-,, veatur ad agendum. ,, Igitur ex D. Thoma homo indiget virtute ſuperaddita qua moveatur a Deo ad bonum: quid magis phyſicum quam virtus ſuperaddita? Ibidem art. 9. dicit: " Sicut ſupra ,, dictum eſt nulla res creata poteſt in ,, quemcumque actum prodire, niſi virtu-,, te motionis divinæ. Secundo, ratione ,, ſpeciali propter conditionem ſtatus hu-,, manæ naturæ: quæ quidem licet per ,, gratiam ſanetur quantum ad mentem, ,, remanet tamen in ea corruptio quantum ,, ad carnem per quam ſervit legi pecca-,, ti: ut dicitur Rom. 7. ,, Ex D. Thoma in quemcumque actum ſive moralem, ſive phyſicum prodire non valet homo niſi præveniatur motione virtutis Dei: niſi ab ea moveatur. Hanc autem efficaciam & talis præmotionis neceſſitatem repetit ex infirmitate & corruptione creaturæ quæ in hoc infelici ſtatu non ſolum moraliter, ſed & phyſice vergit ad malum: Igitur debet moveri utrque phyſice, ut relictis bonis corruptibilibus, ad ſuperna atque immutabilia tendat. Igitur per præmotionem phyſicam, quia niſi natura præveniatur a gratia, manebit incurvata ad terram & peccatum: ex D. Thoma indiget homo lapſus auxilio ne cadat,

dat, ſed auxilium tenens hominem infirmum ne proprio pondere cadat eſt maxime phyſicum. Ergo &c.

Tertio: Qui gratiæ efficaciam atque energiam repetit a decreto ſuavi & præmovente quo Deus ſtatuit & producere res atque operationes, & eas producere conformiter cujuslibet entis naturæ ponit gratiæ efficaciam etiam in præmotione phyſica, nam Deus eſt cauſa phyſica & non mere moralis: qui dicit Deum movere ſpeciali modo hominem in rebus ſupernaturalibus, exiſtimat illum movere etiam phyſice: Atqui ſic docet divus Thomas. Et probatur, quoad utramque partem. S. Doctor lib. 1. ad Anibaldum 47. quæſt. unica art. 4. ait: " Voluntate Dei non „ ſolum res in eſſe producuntur, ſed et- „ iam in rebus producendis modum quo „ producuntur prædeterminavit, un- „ de cum voluntas efficaciter implica- „ tur, oportet quod res fiant, & eo mo- „ do fiant ſicut voluntas divina diſpo- „ ſuit. „ Duo dicit D. Thomas in iſto textu: primum res produci a Deo: productio autem dicit efficientiam phyſicam: alterum, res produci ſecundum modum ſibi ipſis convenientem, nimirum libere; ſi hoc exigat cauſa ſecunda cooperans: Igitur datur præmotio moralis & phyſica; in ordine quidem naturali motio moralis per propoſitionem finis, & phyſica per virtutem applicantem cauſam ſecundam ad actum: in ordine vero ſupernaturali, moralis primo per gratiam excitantem & prævenientem ſeu ſufficientem, altera uberior per gratiam efficacem quæ illuminat & excitat fortius: phyſica etiam per impreſſionem virtutis ejuſdem gratiæ voluntatem creatam applicantem ad bonum ſalutis. Ergo &c.

Idem S. Doctor, alteram partem minoris argumenti in probationem propoſiti confirmat 1. 2. quæſt. 3, art. 6. ad 3. his verbis: " Ad tertium dicendum, quod „ Deus movet voluntatem hominis, ſi- „ cut univerſalis motor, ad univerſale „ objectum voluntatis quod eſt bonum: „ & ſine hac univerſali motione homo „ non poteſt aliquid velle. Sed homo per „ rationem determinat ſe ad volendum „ hoc vel illud; quod eſt vere bonum „ vel apparens bonum. Sed tamen inter- „ dum ſpecialiter Deus movet aliquos „ ad aliquid determinate volendum, quod „ eſt bonum. Sicut in his quos movet „ per gratiam. „ Ibi comparat cauſalitatem gratiæ cum cauſalitate primi & univerſalis moventis, quod certe præmovet moraliter & phyſice cauſas ſecundas. Immo addit Deum adhuc ſpecialius homines movere per gratiam ad bonum: Igitur & phyſice.

Celeberrimus eſt D. Thomæ pro gratia per ſe efficaci locus ex ſecunda ſecundæ quæſt. 177. art. 1. excerptus, ubi agens de gratia donorum quibus anima facile & prompte a Spiritu ſancto movetur ad bonum, maxime de dono ſcientiæ quo Doctor Apoſtolicus adornatus convertit auditorum animas, ait: " Sic loquitur quod „ doceat . . . . Sic loquitur quod audi- „ tores delectet. . . . Sic loquitur quod „ auditorem flectat. Ad quod quidem ef- „ ficiendum Spiritus ſanctus utitur lin- „ gua hominis, quaſi inſtrumento: ipſe „ autem eſt qui perficit operationem in- „ terius: unde Greg. dicit Hom. Pente- „ coſtes, niſi corda auditorum Spiritus ſan- „ ctus repleat, ad aures corporis vox docen- „ tium incaſſum ſonat. „ Profecto ecce gratia a circumſtantiis congruis independens in ſua efficacia; cum ipſe Spiritus ſanctus & doceat & delectet interius atque corda demulceat, ut credant. Gratia quæ non expectat voluntatis conſenſum ut operetur, nam ipſa ita perficit operationem interius, ut niſi fortiter moveat, vox docentis ad aures incaſſum ſonat: ſed & gratia illa admodum ſuavis eſt & libertatis amica. Et vero movet illuminando & docendo, quis illuminationi & documento reſiſtere non queat? movet delectando, igitur neque cogit, neque neceſſitat, ſed potius inclinationem liberam ad bonum aut vertit aut ipſa dat atque producit. Movet flectendo, qui autem ad aliquid faciendum flectitur, haud dubie liberrime operatur; eatenus quippe flectitur, quatenus elective & proprio liberi arbitrii conatu cedit vocanti & aſſentitur. Ergo &c.

Quinta probatio ex rationibus.

PRIMA ſic exponitur ex D. Thoma 3. contra gentes cap. 149. " Motio moventis præcedit motum mobilis cauſalitate & natura. „ Ex eodem in 2. diſt. 37. „ q. 2. art. 1. " Non poſſet vitari quin vo-

lun-

„ luntas humana eſſet primum agens ſi „ ejus actio in aliquod prius agens non „ reduceretur ſicut in cauſam. „ Igitur Deus movens efficaciter voluntatem per gratiam ad bonum ſalutis, movet prævie & phyſice: quod autem divus Thomas loquatur de cauſalitate phyſica, patet ex eo quod ſtatuat iſtud diſcrimen inter Deum & creaturam, quod Angelus & homo moveant ſolum moraliter, & per modum ſuadentis, & ideo non tam efficaciter: Deus vero e contra efficaciter adeoque phyſice: " Solus Deus, *inquit*, po„ teſt efficaciter movere voluntatem, An„ gelus autem & homo per modum ſua„ dentis. „

Secunda: Gratia congrua non ſufficit voluntati ad actum hic & nunc eliciendum: Igitur præter motionem moralem a circumſtantiis congruis promanantem, requiritur præmotio phyſica. Primo, quia quandoque non adeſt congruitas: legitur enim Act. 17. quod multi Athenienſes audientes Paulum de Reſurrectione prædicantem, irriderent; quod multi penduli hærentes & nondum credentes dixerint, audiemus te de hoc iterum, quod quidam crediderint, inter quos erat Dionyſius Areopagita & mulier nomine Damaris. Certe non propter gratiam congruam adhæſerunt Paulo, alias cum eadem eſſet & prædicatio, & locus, & tempus, adeoque opportunitas & congruitas, debuiſſent omnes credere & de facto credidiſſent: Igitur illi ſolum motione morali & phyſica interiori impulſi crediderunt.

Idipſum confirmatur, nempe gratiam congruam non ſufficere, duplici S. Aug. teſtimonio, primum depromitur ex lib. 12. de civ. Dei c. 6. ubi dicit ex duobus æqualiter tentatis unum cedere tentationi, quia vult, alterum vero non, quia non vult cedere. Certe non eſt hic congruitas, vel ſi adſit, utrique eſt æqualis & cum unus cedat tentationi quamvis in eadem circumſtantia poſitus, non poſſumus gratiæ congruæ tribuere quod alter tentationi reſtiterit: Igitur tribuendum motioni fortiori gratiæ, adeoque motioni phyſicæ: Si eadem, *inquit*, ten„ tatione ambo tenentur, & unus ei ce„ dat, atque conniveat, alter idem qui fue„ rat, perſeveret, quid aliud apparet, niſi „ unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate „ deficere? „ Alibi dicit ipſam congruitatem loci, temporis ſi quæ opportuna occurrat, ab ipſa gratia procedere & eſſe ejus effectum: Sic loquitur l. 1. ad Simp. q. 2. pag. 275. col. 1. " Cum ergo non ea „ delectant quibus proficiamus ad Deum, „ inſpiratur hoc & præbetur gratia Dei, „ non nutu noſtro & induſtria, aut operum „ meritis comparatur: Quia ut ſit nutus „ voluntatis, ut ſit induſtria ſtudii, ut „ ſint opera charitate ferventia, ille tri„ buit, ille largitur. „

Tertia: Si quæ eſſet ratio non admittendi præmotionem phyſicam pro gratia efficaci, maxime quia timendum foret pro libertate: Atqui nihil timendum eſt pro libertate: Igitur præmotio phyſica non eſt removenda a gratia efficaci. Probatur minor. Primo, quia præmotio eſt efficacia divinæ voluntatis quæ eſt omnis libertatis prima cauſa, & per ordinem ad quam cætera ſunt libera. 2. Quia eſt virtus omnipotentiæ quæ movet cauſas ſecundas conformiter earum naturæ: neceſſarias neceſſario movet, liberas vero libere. 3. Quia remanet deliberationis locus & indifferentia activa ſub dominio præmotionis. Et vero res ſic ſe habet. Deus præmovet moraliter cauſam ſecundam, ipſa vero, propoſito & cognito bono, ipſa ſic mota deliberat, eligit vel conſentire vel diſſentire. Si ponat obicem, nullus ſequitur effectus: ſi non ponat, ſe determinat moraliter & conſentit: Deus autem videns cauſam ſecundam expeditam & determinatam ad agendum eam præmovet phyſice ad actum: ipſa vero ſic mota ſeipſam phyſice determinat ad actum & ſe ſe accingit ad agendum atque operatur: præmotio igitur moralis cum ſit illuminatio, inſpiratio & impulſus eſt cauſa formalis actus moralis: ipſi vero poteſt voluntas reſiſtere vel obedire: experientia quippe quotidiana comprobatur hominem eſſe perfecte liberum in amando objectum quod proponitur, & poſſe conſentire vel diſſentire inſpirationi: Et certe prius eſt voluntatem conſentire & non reſiſtere quam producere hic & nunc actum in individuo: mota igitur moraliter eligit: poſtea movetur phyſice a Deo: deinde ſeipſam phyſice movet & producit actum: & ſic præmotio phyſica ſe habet ſolum materialiter & ad ſummum quaſi ſecundario ad actum moralem; quia cum ſit phyſica reſpi-

ſpicit ſolum id quod eſt ens in actu: Igitur gratia efficax in recto dicit præmotionem moralem, in obliquo vero & connotative phyſicam.

Iſta doctrina qua perfecte conciliatur libertas humana cum gratia, eſt D. Thomæ: nam 1. p. q. 63. art. 1. ad 3. Liberum arbitrium, inquit, " ſeipſum movet ad " agendum. " Rurſus in 2. ſent. diſt. 39. q. 1. " Sed quod determinatio exeat in " hunc vel illum actum non eſt ab alio " determinante, ſed ab ipſa voluntate: determinatio actus relinquitur in poteſtate " rationis & voluntatis. " Et 1. 2. q. 9. art. 3. in corp. " Manifeſtum eſt autem " quod intellectus per hoc quod cognoſcit principium, reducit ſeipſum de potentia in actum, quantum ad cognitionem concluſionum, & hoc modo movet ſeipſum & ſimiliter voluntas per " hoc quod vult finem, movet ſeipſam ad " volendum ea quæ ſunt ad finem. " Denique ad 3. ſubdit: " Non eodem modo " voluntas movetur ab intellectu & a ſeipſa: ſed ab intellectu quidem movetur ſecundum rationem objecti, a ſeipſa vero quantum ad exercitium actus " ſecundum rationem finis. " Prius igitur cauſa ſecunda mota moraliter tum ab objecto, tum a gratia præveniente eaque excitante ſeipſam utique movet moraliter tum eligendo, tum volendo bonum: Sic determinata movetur phyſice & ſeipſam movet etiam phyſice ad exercitium & actum. Igitur excitata & mota a gratia poteſt diſſentire ſi velit: Eligit ergo bonum & ad illud ſeipſam determinat: unde Tridentinum non dicit liberum arbitrium determinatum, ſed motum poſſe diſſentire ſi velit. Poſtquam vero determinata eſt, applicatur per præmotionem phyſicam & ſeſe applicat mota prius phyſice ad actum in individuo.

Si quis reponat Theologos quam plures e Schola Thomiſtica contendere præmotionem phyſicam antecedenter ſe habere & ad deliberationem rationis, & ad moralem voluntatis determinationem, attendat quæſo, hoc eſſe D. Thomæ manifeſte contrarium: iſti autem adhærere nobis bonum eſt & opportunum: quinimmo & omni præventione depoſita, glorioſum.

Probatur in ſpeciali prima pars, videlicet præmotionem moralem principaliter ad actus ſupernaturales requiri. Talis debet eſſe cauſa, qualis eſt effectus qui ab ea denominatur: Sed agitur de actu morali: Igitur cauſa ejus formalis debet etiam eſſe moralis. Hoc non levius ſubindigitat ſacra Synodus Tridentina quæ tria dicit: 1. Dari gratiam prævenientem qua præparatur rite voluntas a Domino: 2. Iſtam gratiam movere illuminando, ſuadendo & inſpirando: 3. Hoc idem facere excitando: Sic habetur ſeſſ. 7. can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium motum & excitatum a Deo . . . non poſſe diſſentire, ſi velit; anathema ſit*. Eſt motum, adeoque præmotum, quia gratia prævenienti motum; & ut ait D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. ſpecialiter motum; addo, ut docet ipſe Concilii Catechiſmus de gratia efficaci: *Et quamvis cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, prævenit tamen*. Eſt motum excitando: Igitur moraliter; hæc enim per modum excitationis motio non convenit præmotioni phyſicæ, quæ applicando & jungendo actum cum potentia movet.

Probatur in ſpeciali altera pars, nimirum gratiam movere etiam phyſice. Cauſa debet proportionari effectui producendo, & ſuam extendere efficaciam ad omnes actus rationes: Sed actus ſupernaturalis v. g. amoris perfecti erga Deum non ſolum moralis eſt, quatenus eſt regulis morum conſonus, ſed & phyſicus, cum promanet a potentia vitali: Igitur & præmotionem phyſicam habet pro cauſa, quæ potentiam phyſice applicet ad actum.

Probatur denique tertia pars, nempe quod ſecundum multos & probabiliſſime requiratur protectio. Dei qua removeantur impedimenta, quibus poſitis, citra miraculum ut contigit in Saulo adhuc ſpirante minas in Diſcipulos Domini, non fieret converſio.

Obſerves velim hac propoſitione, noſtrum ſenſum non collimare cum ſcientia media, eam ut inutilem iterum atque iterum rejicimus: non utique cum congruitate quæ fit a genio, aliiſve circumſtantiis loci, vel temporis, quæ gratiam aut adjuvent, aut cum ea effectum attingant, iſtam quippe non admittimus, ut ſupra oſtenſum eſt, ſed loquimur de diſpoſitionibus quæ ſunt a decreto præmovente, de protectione qua, teſte Apoſtolo, Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum omnia* coo-

cooperantur in bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti. Jam adducendæ ſunt propoſitionis rationes.

Primo: Dum imminent pericula & circumſtantiæ bono operando plurimum adverſæ, Eccleſia exigit gratiam miraculoſam, qualis admittitur pro converſione Magdalenæ, boni latronis, Sauli perſecutoris; vel ſaltem extraordinariam, qualem agnoſcit in Martyribus, qui, ſæviente mundo, finaliter in fide perſeveraverunt: ſed non ſunt multiplicanda miracula ſine neceſſitate: Igitur ut ſuum gratia ſortiatur effectum requiritur protectio Dei quæ removeat impedimenta: Si nulla adeſſent, a ſola gratia efficaci interiori totum fieri nihil impedit.

Secundo: Talis eſt S. Aug. mens, qui homil. 23. inter 50. introducit Deum peccatorem converſum ſic alloquentem: " Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit.... locus & tempus defuit, & ut hæc deeſſent, ego feci.

Tertio: Gratia eſt ſapientia quæ attingit omnia a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter: Si a fine uſque ad finem fortiter attingat, debet adjunctam habere Dei protectionem quæ cuncta propellat impedimenta, quæ humano modo loquendo frangerent peccatoris animum ne converteretur, ſin minus multiplicanda forent in infinitum miracula, & quælibet gratia convertens obduratum, miraculum diceretur: ſi ſuaviter, eadem removenda ſunt per protectionem Dei impedimenta, ut homo proprio nutu & libere agendo ad Dominum convertatur. Ergo &c.

Ex his ſequitur gratiam per ſe efficacem fundatam eſſe potiſſimum in tribus: videlicet in intentione Dei qui eo illam dat ſcopo ut habeat effectum: in virtute ſibi intrinſeca quæ cor hominum quocumque voluerit convertendi vim habet: Demum in protectione divina qua removentur prohibentia.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: illud non eſt admittendum pro gratia efficaci quod tollit libertatem: Atqui præmotio phyſica tollit libertatem: Igitur non debet habere in gratia efficaci locum. Probatur minor 1. Præmotio phyſica eſt effectus decreti prædeterminantis cui nihil poteſt reſiſtere. 2. Antecedit voluntatis conſenſum, ſiquidem ad hunc requiritur præmotio. 3. Non poteſt dici quod attingat modum agendi rerum, quia antecedit omnem deliberationem.

Reſpondeo 1. Iſtas & ſimiles contra præmotionem phyſicam objectiones manere ſolutas ex his quæ diximus in tractatu de præſcientia Dei decretis præmoventibus innixa, & ex aliis quæ ex profeſſo propugnamus, tract. de Deo præmotore.

Reſpondeo 2. negando minorem. Ad primam probationem diſtinguo. Præmotio eſt effectus decreti quo Deus ſtatuit & voluit creaturas liberas agere libere, per deliberationem rationis, & determinationem ab ipſa voluntate humana promanantem, concedo: ſecus, nego. Deus ab æterno voluit hominem eſſe liberum: ab æterno voluit voluntate antecedenti omnem hominem lapſum reparatum ſalvare. Voluit omni homini intuitu meritorum dilecti Filii ſui dare gratias ſufficientes & poſſe ſalvari: voluit omni homini offerre gratias efficaces: ſed voluit omnem hominem agere libere per deliberationem rationis & eligere bonum: voluit voluntatem humanam motam & excitatam per gratiam, ſeipſam libere movere circa finem: voluit ſuppoſita ipſius electione & determinatione, illam phyſice movere, ut ſic phyſice mota ſeipſam applicaret ad actum & illum produceret. Unde nulla ſequitur violentia, nulla neceſſitas: ſic enim præmovet creaturam modo libertati conſono. Ita D. Thomas in primum ad Anibaldum diſt. 44. q. unica art. 4. his verbis: " Voluntate Dei non ſolum res in eſſe producuntur, ſed etiam rebus producendis modum quo producuntur prædeterminavit. " Id eſt, decrevit, ordinavit, & ſic decretum divinum præmovens libertatem non perimit, ſed ſovet & facit. Enimvero libertas conſiſtit in indifferentia actus, niſi autem creatura adjuvaretur a Deo, immota permaneret: gratia igitur efficax dat libertatem juxta illud Chriſti Joan. 8. 36. *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis*.

Hoc ipſum declarat Aug. l. de corr. & gr. c. 8. n. 17. " Ecce quemadmodum ſecundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate conſe-

qui-

„ quitur gratiam, ſed gratia potius liber-„ tatem: & ut perſeveret delectabilem „ perpetuitatem & inſuperabilem forti-„ tudinem. „ Unde D. Thomas 1. 2. q. 10. art. 4. ad 1. ſic loquitur: “ Volun-„ tas divina non tantum ſe extendit ut ali-„ quid fiat per rem quam movet, ſed ut „ etiam eo modo fiat quo congruit ip-„ ſius naturæ. „

Ad id quod dicitur neminem poſſe reſiſtere decreto præmoventi, diſtinguo: decreto præmoventi neceſſario, concedo: præmoventi libere & conditionate, nego. Duplex eſt decretum, aliud abſolutum quo res talis independenter ab iſta ſtatuitur & decernitur: ſic Deus ab æterno decrevit ſolem lucere: aliud liberum quo decrevit movere libere hominem ad actum, ſuppoſito quod ipſe velit & prius eligat bonum, quo decrevit hominem motum & moraliter & phyſice ſeipſum applicare ad opus: ſicut diſcipulus licet motus moraliter & phyſice a magiſtro, ad ſcribendum, nullus tamen ſequitur actus niſi ſeipſum phyſice appplicet ad opus; unde proprie loquendo, præmotio gratiæ phyſicæ non applicat ad actum: ſed homo ab ea phyſice motus ſeipſum applicat ad actum: quæ doctrina conformis admodum apparet & Tridentino & D. Thomæ, & rationi. Tridentino quidem, non enim dicit liberum arbitrium applicatum, ſed motum a gratia, poſſe diſſentire, adeoque ſeipſum applicare, D. Thomæ dicenti: “ Sed quod determina-„ tio exeat in hunc vel illum actum, non „ eſt ab alio determinante ſed ab ipſa vo-„ luntate: determinatio actus relinquitur „ in poteſtate rationis & voluntatis. „ Rationi denique, quia ſi voluntas eſſet applicata phyſice ad actum, jam voluntas paſſive ſe haberet, quippe quæ non inveniret ſeipſam determinandi & applicandi locum: unde nulla foret, quod abſit dicere, libertas. Legitur quidem Jeremiæ 30. v. 21. Deum dicere: *Applicabo eum & accedet ad me*; Sed hoc intelligitur de applicatione morali qua nos excitat & movet ad bonum: ſi vis etiam de applicatione phyſica intelligi, dicendum hoc prædicari de gratia adjuvante & concomitante. Deus enim & creatura eundem ſimul producunt effectum. Deus ut prima cauſa & adjuvans, creatura ut cooperans. Denique illa applicatio ſumitur etiam pro ipſa motione: cum enim creatura non poſſit ſeipſam determinare & applicare ad actum niſi moveatur a Deo, dicitur in hoc ſenſu applicata a Deo, quia niſi mota foret, non ageret: ſed non eſt per gratiam applicata phyſice in eo ſenſu quod jam ſit actus independenter ab ipſius & determinatione & applicatione & cooperatione.

Ad ſecundam probationem diſtinguo. Præmotio phyſica antecedit conſenſum ad quem prius voluntas ſe determinaverat per deliberationem rationis & per ſuiipſius motionem, concedo: ſecus, nego. Dictum eſt præmotionem phyſicam non dari niſi prius voluntas ſeipſam determinaverit, tum eligendo, tum volendo bonum. Quid enim eſt aliud præmotio phyſica, niſi nexus quo voluntas mota & moraliter determinata jungitur ſuo actui ut eſt quid phyſicum & vitale? omne autem phyſicum in actibus moralibus ſupponit ſemper morale, ſupponit electionem & deliberationem agentis: alias nihil eſſet morale, ſed mere phyſicum & neceſſarium.

Ad tertium reſpondent communiter Doctores Thomiſtæ præmotionem phyſicam non eſſe virtutem ſimilem virtuti creaturarum, motionem creaturæ neceſſitare, quia ipſa creatura eſt ad unum determinata; motionem vero Dei minime, quia ipſe eſt ens infinite perfectum & omnipotens, attingens modum agendi verum, tum & diſponens omnia fortiter & ſuaviter: *Ut quamvis*, inquit Catechiſmus Concilii Tridentini 1. p. ſymb. n. 23. *cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultiſſima vis ad ſingula pertingat*. Sed addo præmotionem phyſicam ſupponere præmotionem Dei moralem libertati nullo modo adverſam: ſupponere ipſius voluntatis creatæ deliberationem & determinationem moralem, adeoque præviam eſſe ſolum ad actum ut actus eſt ens & quid phyſicum, & ſic ſe habere tantum veluti materialiter ad actum moralem: quibus ſic ordinatis & ad mentem D. Thomæ compoſitis, affulget undequaque ſub dominio gratiæ præmoventis humana libertas. Cæterum ſolum prioritate naturæ & dependentiæ, & non prioritate temporis antecedit actum præmotio phyſica,

In-

Inſtabis: Calvinus & Lutherus admittebant in gratia efficaci præmotionem phyſicam, quam utique antecedere tempore actum non dicebant, et tamen proſcripti ſunt. Igitur præmotio phyſica rejicienda eſt omnimode tanquam adverſa libertati, & Tridentino contraria.

Reſpondeo diſtinguendo, Calvinus & Lutherus admittebant præmotionem neceſſitantem, & propter hoc damnati ſunt, concedo: admittebant præmotionem phyſicam libertatis amicam & voluntatis deliberationem ſubſequentem, nego. Magnum eſt inter nos & Proteſtantes diſcrimen, Calvinus & Lutherus dicebant liberum hominis arbitrium granditate peccati Adæ amiſſum, adeoque voluntatem a gratia efficaci trahi ut inanime quoddam: hujus gratiæ energiam repetebant a decreto neceſſitante, a decreto prædeſtinante neceſſario & abſolute alios ad vitam, alios ad mortem: Igitur eorum præmotio phyſica imponit neceſſitatem, & ſecundum eos non poteſt voluntas ei reſiſtere, neque in ſenſu compoſito, neque etiam in ſenſu diviſo: hinc ſecundum illorum ſyſtema, velit, nolit voluntas, data gratia, neceſſario operatur. Nos vero propugnamus hominem prius eligere antequam præmoveatur phyſice: hominem ſeipſum applicare ut prius a gratia motum & excitatum, ſed nondum phyſice applicatum. Denique præmotionem reſpicere actum moralem ſolum ut ens & actus eſt, minime vero formaliter ut moralem dicimus; ſub iſto quippe reſpectu habet ſolum cauſam, realem quidem, ſed moralem, ſed deliberantem, ſed eligentem.

Inſtabis: Præmotio phyſica quocumque modo conſideretur nocet libertati: Et probatur. 1. quia ipſum præcedit conſenſum, conſenſus quippe eſt actus, & Theologi ipſius patroni tenent ipſam eſſe ad conſenſum dandum neceſſariam: Igitur non datur electioni & deliberationi locus.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad primam probationem diſtinguo, præmotio moralis præcedit conſenſum, concedo. Præmotio phyſica, ſubdiſtinguo, præcedit conſenſum ut actus & ens phyſicum eſt, quod ſupponit creaturę deliberationem & electionem, concedo: ut actus moralis, nego. Multa ſunt diſtinguenda: motio gratiæ ſufficientis ſeu excitantis: deliberatio voluntatis humanæ: oblatio gratiæ efficacis: ejuſdem infuſio, poſtea conſenſus & electio boni: deinde actus qui elicitur & producitur, puta, amor Dei. Antecedenter ad præmotionem phyſicam homo per primam gratiam excitatur ad bonum: motus & excitatus deliberat: ſi non reſiſtit, gratiam habet uberiorem & efficacem: ſuavius & fortius per iſtam motus ſe determinat ad bonum, illud vult et eligit. Sic determinatus recipit præmotionem phyſicam: hac motus phyſice, ſe utique phyſice movet & ſe accingit ad exercitium; ſeu potius, ut non ſemel ſubnotavimus, voluntas ut primum eſt ultimate præparata, præmotio phyſica eam ad actum converſionis applicat, & ſic actum cum potentia conjungit.

Ad id vero quod dicitur prærequiri præmotionem, etiam ad deliberationem, diſtinguo, requiritur præmotio moralis quæ prævenit & excitat, concedo: illa autem eſt in nobis ſine nobis, illuminat, movet, excitat ad bonum: præmotio phyſica, ſubdiſtinguo: ad deliberationem ut actus eſt, & ens, concedo: ut quid morale, iterum ſubdiſtinguo, ſuppoſita volitione & voluntatis determinatione, concedo: non ſuppoſita, nego. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. 1. Gratia præveniens movet & excitat moraliter: Tum voluntas excitata deliberat, & hoc eſt mere morale, ſi vis adhibere præmotionem phyſicam, adhibe ſolum ad actum ut ens eſt, & dic iſtam motionem ſe habere materialiter: 3. Voluntas ſic mota conſentit & ſe determinat, determinata moraliter, movetur phyſice, mota phyſice, ſeipſam determinat ad actum in individuo, illumque producit. Hoc totum illo illuſtratur exemplo. Homo infirmus habet poſſe agere, ſed præ infirmitate ſedet, non poteſt ſe ſolo agere & operari: movetur & excitatur ſive per verba, ſive per objecti propoſitionem: poſtea deliberat, & conſentit operari. Sed licet ſit & determinatus, & ad agendum paratus, niſi tamen phyſice moveatur & erigatur, manebit immobilis: verum erigitur & movetur, ſic motus ſeipſum movet verſus terminum, & ad illum pergit. Similiter in iſto negotio. Homo lapſus infirmus eſt, et jacet in domo paralyticus, ſed illi ſuadetur virtus: tunc interius deliberat, et deliberatione facta, eligit eam et ſe deter-

minat ad tantum bonum aſſequendum: Igitur rurſus indiget moveri, ſed ſuppoſita & data motione phyſica, voluntas ſeipſam movet & applicat ad actus. Et ſic ſalvatur ex integro libertas.

Inſtabis: Præmotio phyſica applicat ad actum, & quidem in individuo, ſiquidem attingit omnes objecti rationes: ſed præmotio applicans ad actum in individuo tollit libertatem: Igitur præmotio phyſica nocet libertati. Confirmatur. Præmotio determinat voluntatem quæ in ordine ſupernaturali non poteſt ſe ſola ſe determinare, tum quia indiget elevari, & illuminari circa objectum ordinem naturæ excedens; tum quia motione ſpeciali indiget pro hoc momento voluntas humana: Unde poſtquam D. Thomas dixit determinationem eſſe a voluntate in rebus naturalibus, excipit ſupernaturales ad quas voluntas debet ſpecialirer determinari per gratiam. Sic enim habet 1. 2. quæſt. 9. artic. 6. ad 3. " Dicendum, quod Deus „ movet voluntatem hominis ſicut uni„ verſalis motor, ad univerſale objectum „ voluntatis, quod eſt bonum; & ſine „ hac univerſali motione homo non po„ teſt aliquid velle: ſed homo per ratio„ nem determinat ſe ad volendum „ hoc vel illud, quod eſt vere, vel ap„ parens bonum. Sed tamen interdum „ ſpecialiter Deus movet aliquos ad ali„ quid determinative volendum, quod eſt „ bonum; ſicut in his quos movet per „ gratiam. „ Sed determinare ſpecialiter eſt phyſice præmovere & non relinquere voluntati ſe ſe determinandi locum: Igitur præmotio phyſica ſi qua admittatur, nocet libertati.

Reſpondeo diſtinguendo, Deus applicat voluntatem ad actum in individuo, ſuppoſita voluntatis deliberatione, concedo: non ſuppoſita, nego. Dictum eſt præmotionem phyſicam ſe habere ſolum veluti materialiter & reſpicere actum, ut actus phyſicus eſt & ens, non vero reduplicative ut moralis, quia ut ſic procedit a cauſa ſecunda eligente, a qua ſpeciem deſumit explicatur.

Primo, gratia ex mente S. Thomæ eſt per ſe efficax; illa enim gratia eſt per ſe efficax quæ virtute propria trahit ad patrem, quæque ſuo numquam fruſtratur effectu, gratia autem efficax talis eſt ſecundum Angelicum Doctorem. Sic enim in c. 8. ad Rom. Lect. 6. loquitur: " Alia „ vero vocatio eſt interior, quæ nihil „ aliud eſt quam quidam mentis inſtinctus, „ quo cor hominis movetur ad aſſentien„ dum his quæ ſunt fidei vel virtutis . . „ . . & etiam hæc vocatio eſt efficax in „ prædeſtinatis, quia hujuſmodi vocationi „ aſsentiunt. Joan. 6. *Omnis qui audivit* „ *a Patre meo & didicit venit ad me*. „ Hanc igitur vocationem diſtinguit ab exteriori quæ eſt per legem in eo quod ſit per ſe efficax. Ibidem enim ait: " Hæc „ autem juſtificatio etſi in aliquibus fru„ ſtretur qui non perſeverant uſque in fi„ nem, in prædeſtinatis tamen non fru„ ſtratur. „

2. Thomas repetit gratiæ efficaciam ex voluntate Dei potentiſſima, quæ ſic ordinet hominis vitam, ut ipſi obediat; unde ex voluntatis divinæ decreto ſuum infallibiliter ſortitur effectum. Ita idem D. Th. 1. 2. q. 112. art. 2. his verbis: " Si ex in„ tentione Dei moventis eſt quod homo „ cujus cor movet, gratiam conſequatur, „ infallibiliter ipſam conſequitur. „ Hujus autem gratiæ efficaciam dicit præcedi præparatione quandoque imperfecta, & quaſi ſucceſſiva, quandoque vero perfecta & inſtantanea, qua poſita cito operatur gratia & infert actum perfectum. Ibidem art. 2. ſic ſe explicat: " Ad ſecun„ dum dicendum, quod cum homo ad gra„ tiam (gratum facientem) ſe præparare „ non poſſit, niſi Deo eum præveniente „ & movente ad bonum, non refert utrum „ ſubito, vel paulatim aliquis ad perfe„ ctam præparationem præveniat. Dici„ tur enim Eccl. 11. facile eſt in oculis „ Dei ſubito honeſtare pauperem, contin„ git autem quandoque quod Deus movet „ hominem ad aliquod bonum, non tamen „ perfectum, et talis præparatio præcedit „ gratiam gratum facientem, ſed quando„ que ſtatim perfecte movet ipſum ad bo„ num, et ſubito gratiam homo accipit; „ ſecundum illud Joan. 6. Omnis qui au„ divit a Patre et didicit, venit ad me; „ et ita contigit Paulo, quia ſubito cum „ eſſet in progreſſu peccati, perfecte mo„ tum eſt cor ejus a Deo, audiendo, et „ addiſcendo, et veniendo, et ideo ſubito „ eſt gratiam conſecutus. „ Quibus verbis compendioſe enarrat S. Doctor ea omnia quę jam ad ſolutionem objectionum protulimus.

3. Deus

3. Deus movet efficienter per gratiam hominis voluntatem: ſic docet idem S. Doctor de malo q. 16. art. 5. " Deus, „ *ait*, mutat voluntatem hominis per gra- „ tiam de malo in bonum, ſecundum il- „ lud Proverb. Cor regum in manu Dei; „ quocumque voluerit, vertet illud. „

4. Deus movet phyſice & non pure moraliter. Hanc enim ponis inter motionem Dei & creaturæ differentiam D. Thomas, quod creatura moveat tantum moraliter, Deus vero etiam efficienter, etiam & phyſice immutando cor. Enimvero immutatio impii & converſio eſt maxime phyſica. Sic igitur habetur in quæſt. diſput. de veritate q. 22. art. 8. " Actio non ſolum eſt a voluntate, ſed „ etiam a Deo ut primo agente, qui ve- „ hementius imprimit. Unde ſicut volun- „ tas poteſt immutare actum ſuum in aliud „ & multo amplius Deus. „ Tum art. 9. " Poteſt intelligi voluntas immuta- „ ri ab aliquo per modum cauſæ efficien- „ tis, & ſic dicimus quod nulla creatu- „ ra.... poteſt directe agere in volunta- „ tem, ut eam immutet neceſſario, vel „ qualitercumque inclinet, quod Deus „ poteſt... Unde ſolus Deus poteſt in- „ clinationem voluntatis, quam ei de- „ dit, transferre de uno in aliud. „

5. *Denique* ex eodem S. Doctore in 1. ad Anibaldum diſt. 44. qu. unica art. 4. " Voluntate Dei, *inquit*, non ſolum res „ in eſſe producuntur, ſed etiam rebus „ producendis modum quo producuntur „ prædeterminavit. „ Rurſus 1. 2. q. 10. art. 4. ad 1. " Voluntas divina non „ tantum ſe extendit ut aliquid fiat per „ rem quam movet; ſed ut etiam eo mo- „ do fiat quo congruit ipſius naturæ. „ Ecce igitur tota & ſuavis ex D. Thoma gratiæ operantis, ſeu efficacis œconomia. 1. Quia eſt per ſe efficax. 2. Eſt efficax propter voluntatem Dei cujus eſt emanatio & virtus. 3. Movet efficienter. 4. Movet phyſice. Et tamen manet ſub ejus dominio libertas, maxime quia ex D. Thoma Deus attingit omnia fortiter ſimul & ſuaviter; ita ut creatura libera agat conformiter ſuæ naturæ, nempe libere, ſiquidem deliberatio cauſæ ſecundæ ſemper actum eliciendum præcedit.

Ad confirmationem diſtinguo, præmotio gratiæ ſufficientis determinat voluntatem moraliter, concedo: phyſice, nego. Tria ex loco D. Thomæ notanda ſunt. 1. Voluntas humana a Deo præmovetur ad bonum univerſale: " Deus movet vo- „ luntatem humanam ſicut univerſalis mo- „ tor, ad univerſale objectum voluntatis „ quod eſt bonum. „ 2. Cauſa ſecunda ſeipſam determinat ad actum in individuo: " Sed homo per rationem determi- „ nat ſe ad volendum hoc vel illud. „ 3. Interdum liberum arbitrium præmovetur ſpecialiter per gratiam: " Sed tamen „ interdum ſpecialiter Deus movet ali- „ quos ad aliquod determinate volendum „ quod eſt bonum; ſicut in his quos mo- „ vet per gratiam. „ Igitur ſolum pro negotio ſalutis evenit motio ſpecialis, & hoc quando moventur homines per gratiam, tunc autem ab ipſa profluit libertas, ut dicit Aug. lib. de corr. & grat. cap. 8.

Inſtabis: Poſita præmotione phyſica non poteſt homo non conſentire: Igitur tollitur libertas. Probatur Ant. præmotio non eſt capax aſſenſus, vel diſſenſus: Igitur ea poſita, non poteſt non conſentire liberum arbitrium. Tum quia ut ſit libertas debet remanere indifferentia activa, id eſt, dum ipſe actus elicitur: certum eſt autem neminem poſſe conjungere non actum cum præmotione phyſica.

Reſpondeo 1. Manere libertatem ſub dominio gratiæ efficacis. 1. Quia oblatam poteſt rejicere voluntas. 2. Data, poteſt eidem diſſentire, quandoquidem ab ea movetur per modum illuminationis & inſpirationis. 3. Conſenſus ſequitur poſt deliberationem. 4. Etiam poſito actu voluntas poteſt diſſentire, nempe ceſſando ab actu & ad alia ſe convertendo.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: poſita præmotione phyſica, voluntas non poteſt reſiſtere in ſenſu compoſito, concedo: in ſenſu diviſo, nego. Senſus compoſitus ille eſt qui jungit actu potentiam cum effectu & ſic in omni opinione homo nequit reſiſtere gratiæ efficaci in ſenſu compoſito. Enimvero jam eſt actus. Senſus diviſus ille cenſetur qui dicit potentiam motam a gratia, & ad actum eliciendum paratam ſeu accinctam; voluntas autem poteſt tunc reſiſtere. Ita Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum .... non poſſe diſſentire ſi velit; anathema ſit*. Solutio eſt omnium antiquorum Scholaſticorum. Traditur ab Hu-

gone a ſancto Victore quæſt. 218. in epiſt. ad Rom. ubi ſibi objicit: " Si Deus ,, præſcivit aliquid futurum: illud non po- ,, teſt non evenire. ,, Reſpondet: " Hæc, ,, & ſimilia poſſunt per conjunctionem & ,, disjunctionem exponi: Senſus conjun- ,, ctionis hic eſt: ſi Deus prævidit, ne- ,, ceſſe eſt evenire, id eſt, non poteſt ſi- ,, mul eſſe utrumque, ut Deus prævideat ,, & non eveniat, & ſic eſt verum. Dis- ,, junctionis ſenſus hic eſt: hoc futurum non ,, poteſt aliter evenire, quam eo modo ,, quo evenit, & quam ſit præviſum, &. ,, hoc eſt falſum. ,, Idem ſuo calculo confirmat Magiſter Sent. lib. 1. diſt. 38. ſed inter omnes D. Thomas qui quæſt. 6. de veritate artic. 8. ad 8. ſic loquitur: " Hæc propoſitio, Deus poteſt non prædeſtinatum prædeſtinare, vel prædeſtinatum non prædeſtinare, in ſenſu compoſito eſt falſa, in diviſo vera. Et ideo ,, omnes locutiones illæ quæ ſenſum compoſitum implicant ſunt falſæ ſimpliciter. ,, Rurſus in 1. ad Anibaldum diſt. 47. quæſt. unica art. 4. ad 2. " Quamvis contrarium ejus quod eſt volitum a ,, Deo non poſſit ſtare cum voluntate divina, poſsibilitas tamen ad contrarium ,, poteſt ſtare cum ea, propter contingentiam cauſæ mediæ, & hoc ſufficit ad ,, hoc ut effectus ſit contingens, & non ,, neceſſarius. ,,

Ad id vero quod dicitur hominem ſpecialiter moveri per gratiam ex ſe efficacem, dico non inde ſequi libertatis humanæ exitium, verum potius majorem in operando virtutem. Namque ſequitur ſolum præveniri voluntatem humanam gratia ſufficiente, quæ illam ad bonum excitat & invitat. Determinari moraliter vehementius, ſeu uberius ad bonum ſupernaturale, ope gratiæ efficacis; ſic vero adjuta ſeipſam movere ad exercitium, & ad actum in individuo. Igitur ſic reſpondeo in forma: Voluntas ſpecialiter moraliter determinatur per gratiam efficacem ad tale ſpecie bonum, puta ad pœnitendum, ad parcendum propter Dei amorem inimicis, concedo: ſpecialiter phyſice, ſubdiſtingu: ſuppoſita libera ſua determinatione ad exercitium, concedo: non ſuppoſita, nego.

Repones: Poſita & admiſſa gratia efficaci per ſe, eaque præmotionem phyſicam importante, peccator qui cedit tentationi videtur excuſabilis: abſurdum conſequens, ergo & antecedens. Probatur ſequela. Ille videtur excuſabilis qui vincere gravem tentationem non poteſt abſque gratia quæ eſt a ſuo conſenſu independens, & voluntatis prævenit ac præcedit motum, ad quam ſe præparare haud valet, quique ex ſuis viribus impedimenta removendi non habet poteſtatem: qui tandem ſine ipſa gratia non poteſt gratiæ efficaci oblatæ non ponere obicem, aut poſitum propellere: Atqui res ſic ſe habebit, maxime vero quia ex divo Thom. 1. 2. q. 109. artic. 6. ad 2. homo non poteſt ſine gratia efficaci vincere obſtacula: " Liberum, *inquit*, arbitrium ad Deum converti non poteſt, niſi Deo convertente. ,, Et comment. in epiſt. ad Heb. cap. 12. explicans Apoſtoli verba: " Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei; ,, ait: " Sed contra: quia ſine gratia non ,, datur ex operibus, ſed tantum ex hoc ,, quod aliquis non ponit obſtaculum, ex ,, gratia procedit: unde ſi aliquis ponat ,, & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc eſt ex dono gratiæ ,, Dei vocantis per miſericordiam ſuam, ,, Gal. 1. quod ergo a quibuſdam removetur iſtud obſtaculum, hoc eſt ex miſericordia Dei, quod autem non removetur, hoc ex juſtitia ejus. ,, Confirmatur. Solum facienti quod in ſe eſt viribus gratiæ datur gratia efficax: Sed eo ipſo quo omnes gratiæ ſunt præmoventes, nihil poteſt liberum arbitrium ut gratiam advocet: Igitur præſente gratia efficaci neceſſitatur ad bonum, abſente vero rapitur in malum: ſicque eatenus in peccato excuſabilis erit, quatenus ſine ſua culpa carebit gratia; ſi enim illum præveniret efficax, non cederet tentationi.

Reſpondeo 1. hominem eſſe culpabilem quando peccat, quia potens bonum facere, tamen neque obedit legi, neque operatur, unde pœna dignus eſt: Igitur nego majorem. Ad probationem, diſtinguo. Et Deus homini non denegat gratiam quando urget præceptum, ut illi ſatisfaciat, concedo: & denegat, nego. Quod per amicos poſſumus, inquit D. Thomas, per nos ipſos poſſumus, unde licet gratia ab homine non pendeat, ipſe tamen poteſt & illam rejicere quando offertur, & ejus impedire effectum quum datur. Quæ quidem doctrina ſic explicatur. 1. Deus

intuitu

intuitu meritorum dilecti filii ſui, dat omnibus gratiam ſufficientem, ut poſſint bonum; & ſimul offert efficacem: ſi illi obediant, attrahunt iſtam, qua obtenta, ſe convertunt peccatores, per contritionem, & hac mediante recipiunt gratiam ſanctificantem.

Quod ut clarius pateat, operæ pretium eſt obſervare duplicem eſſe hominis peccatoris converſionem, alteram imperfectam, alteram vero perfectam: prima fit cogitando de Deo, ipſum timendo, eumdem ut totius juſtitiæ fontem apprehendendo, & volendo. Secunda vero per contritionem. Item duplex eſt gratia gratum faciens: una actualis & eſt gratia efficax, alia habitualis & eſt gratia ſanctificans. Utraque reddit hominem Deo acceptum, illa actualiter, iſta habitualiter. Tamdem gratia ſufficiente præparatur voluntas a Domino. Rurſus duplex eſt ad gratiam præparatio, Altera ad efficacem & habetur per gratiam ſufficientem cooperante humana voluntate: Et vero ſi iſti gratiæ non ponat obicem peccator, attrahit gratiam efficacem & illam recipit. Altera eſt ad gratiam habitualem & fit per gratiam efficacem, & contritionem, qua juſtificatur peccator. Denique duplex utique diſtinguendum eſt gratiæ obſtaculum, unum quod remotum appellari poteſt, & eſt contemptus gratiæ ſufficientis, ſeu negligentia ſupina illam & audiendi, & ſequendi & faciendi bonum quod inſpirat. Aliud proximum, & deliberata & affectata reſiſtentia quæ ineſt peccatori, qui quamvis a Deo fortiter moveatur, non tamen intelligere vult ut bene agat, & eliciat actum, vel fidei, vel ſpei, vel charitatis. Poteſt cooperando gratiæ excitanti removere primum obicem, ſecundum vero per efficacem. Qua ſi careat, ejus culpa eſt; quippequi ſi ſufficienti non reſtitiſſet, efficacem habuiſſet.

Ad D. Thomam dico nomine motionis intelligere & gratiam ſufficientem, & efficacem: ita S. Doctorem interpretatur Conradus Koelin. Quamobrem non intelligit D. Thomas quod gratia per ſe efficax requiratur abſolute loquendo ad removendum obicem. Quis enim non videat hoc fieri poſſe per ſufficientem, qua Deus pulſat ad cordis oſtium? effectus enim debiles, qualis eſt iſte, non reſiſtere gratiæ efficaci oblatæ, producere valet, ut erudite probat & explicat Illuſt. Dom. D'Argentre Epiſcopus Tullenſis, Lib. obſerv. ad quæſt. Theol. Grandini de gr. hominis lapſi artic. 1. 8. 15. 16. 17. ſi tamen impedimentum foret v. g. tentatio graviſſima, quæ nonniſi gratiæ efficaci propelleretur, oret peccator, & eam obtinebit.

D. Thomas in hoc eſt ſui ipſius interpres quæſt. 3. de malo, ubi ſic loquitur: " Ex indiſpoſitione hominis provenit, ut motio primi moventis non ſit perfecta, ita ut perfectam operationem producat; quæ indiſpoſitio vel eſt præcedens peccatum, vel eſt error, vel ignorantia, vel ſaltem inadvertentia propter quorum aliquod motio Dei moventis ſufficienter ad bonum non ſit ita efficax, ut perfectam in homine operationem producat. Quæ omnia relata ex culpa hominis ſunt. „ Et iterum 3. contra gentes c. 15. " Licet aliquis per motum liberi arbitrii, divinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſe ipſum impedire ne eam recipiat.

Ad primam confirmationem diſtinguo minorem, eo ipſo quo gratiæ ſunt præmoventes, non pendet ab homine facere quod in ſe eſt, ut habeat gratiam efficacem, deinde vero habitualem, ſi ſint omnes phyſice tantum præmoventes & non prius præparetur voluntas a Domino, concedo: ſecus, nego. Facienti quod in ſe eſt non ſolis viribus naturæ, ſed & viribus gratiæ, ut docet Marſilius de Inghein in 2. ſent. quæſt. 28. art. 4. facienti quod in ſe eſt ſecundum poteſtatem quæ illi ineſt per gratiam ſufficientem, ut explicat Alenſis in ſecunda parte quæſt. 61. membro 5. art. 3. & D. Thomas de veritate q. 14. art. 11. & in cap. 10. epiſt. ad Rom. lect. 3. & poſt eos auctor obſervationum ad quæſtiones Grandini, Deus non denegat gratiam gratum facientem, concedo: & denegat ſic facienti quod in ſe eſt, nego. Peccator prævenitur gratia, ut poſſit bonum: non igitur offendit, ſed potius adjuvat libertatem gratia excitans. Gratia vero efficax prævenit etiam conſenſum, ſed moraliter tantum, & ejus inſpirationi poſſe reſiſtere nemo diffiteri debet. Eſto etiam quod motio phyſica prior prioritate naturæ ſit motu creaturæ, ſed ſupponit voluntatis humanæ deliberationem: igitur a primo ad ultimum, nec

læditur hominis libertas, nec peccator legitimam habet in peccatis excuſationem.

Quid plura adjiciam? Ad alia momenta dico Doctores ſicut ſcientia ſic & virtute percelebres ab anno 1125. ad noſtra uſque tempora gratiam diviſiſſe in operantem & cooperantem; ab ætate Lutheri in ſufficientem & efficacem: Si qui vero gratiam gratum facientem non partiti ſunt in ſufficientem, & efficacem tanquam in membra oppoſita, cauſa fuit, quod gratiam ſufficientem non diſtinxerint entitative, ſed ſolummodo penes gradum ab efficaci: utramque enim operari & facere quod ſuum eſt, autumarunt. Robertus Pullus Cardinalis in lib. ſent. parte 6. cap. 50. anno 1130. Magiſter Sent. in 2. diſt. 4. Guillielmus Alvernus Pariſienſis Epiſcopus qui florebat anno 1223. lib. de meritis gratiæ gratum facientis, Bannes & Alvarez, Bellarminus & alii diverſarum Academiarum doctiſſimi Theologi hanc gratiæ propugnant diviſionem, eamque ſolidiſſimis & auctoritatibus & rationibus confirmant. Concilium Colonienſe adverſus Lutheri errores anno 1536. adunatum, huic doctrinæ ſuum dat calculum, his verbis: " Jam quamquam nemo convertatur ad Dominum niſi tractus per patrem, attamen nemo hinc excuſationem prætexat quod non trahatur, cum ille ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimirum per internum & externum verbum commonens, *ut convertamur a via peſſima*: " Qua quidem ſententia Patres docent Deum primo pulſare ad cor per gratiam excitantem quam nomine ſufficientis celebramus: Tum peccator, ſi non reſiſtat uberiorem habet, & convertitur: Ex his claret dari gratiam per ſe & entitative efficacem, ut propugnat Grandinus Tom. 2. quæſt. 3. ſect. 3. addo phyſice præmoventem, ut contendit ſchola Angelica, & colligitur ex S. Auguſt. lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. ubi ſic loquitur: " Quid volebat Saulus, niſi ut invaderet & traheret, vinceret & necaret Chriſtianos? Quam rabida voluntas? Quam furioſa? Quam cæca? Qui tamen una voce deſuper proſtratus, occurrente utique tali viſo quo mens illa & voluntas refracta ſævitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem. "

Solvuntur objectiones Janſenii.

OBJICIT 1. Gratia efficax non cogit quidem ſed neceſſitat ſuaviter, quia liberum arbitrium tanta delectatione allicit, ut libenter cedat vocanti. Igitur gratia efficax conſiſtit formaliter in delectatione victrici. Probatur antecedens: Joan. 6. habetur: *Nemo venit ad me, niſi Pater* . . . . . *traxerit eum*. Sed tractio dicit agens compellens & neceſſitans, maxime ſi ſit & omnipotens, & paſſo ſuperius; qui enim trahitur ab agente in virtute fortiori, cedere trahenti neceſſe eſt. Igitur cum gratia efficax trahat homines ad Chriſtum, eos ad illum ſtare & accedere neceſſario compellit.

Reſpondeo 1. Argumentum nimis probare: & vero ſi vox tractionis ſumatur ad litteram, nedum neceſſitatem, ſed & coactionem importat & ſonat, quod cum ſit a mente ipſius Janſenii alienum, ſequitur ex illa loquendi formula nomen tractionis in ſenſu duntaxat morali & congruo eſſe ſumendum.

Reſpondeo 2. negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo: nemo poteſt venire ad Chriſtum, niſi Pater traxerit eum tractione morali & invitativa quæ fit per amorem, concedo: tractione neceſſitante, nego. Tractio duplex diſtinguitur, altera phyſica, & eſt ab agente extrinſeco nihil conferente paſſo: altera moralis, ſuadens, invitans, inſpirans, pulſans & emolliens cor; & eſt a gratia quæ movet hominem ad bonum. Prima, importat neceſſitatem, & abjicienda eſt tanquam fidei contraria. Secunda e contra relinquit hominem in manu conſilii ſui ut agat vel non agat: non perimit ſed adjuvat libertatem, nos quippe ſolvit a vinculis tum paſſionum, tum peccatorum. Hanc ſuavem & libertati amicam tractionem mellifluis explicat verbis ſponſus dilectus, hominem ſic alloquens Prov. 23. 26. *Præbe fili mi cor tuum mihi*. Per hanc, inquit Concilium Senonenſe, pulſat ad cor Deus ut ipſi aperiatur & intret. Per hanc, ait Arauſicanum II. Deus operatur in nobis atque nobiſcum ut operemur bonum. Cæterum liberum arbitrium ſic a gratia efficaci tractum & motum poteſt reſiſtere ſi velit, unde ſalvum & incolume manet ſub gratiæ præpotenti dominio.

Deni-

Denique hanc tractionem fieri per amorem ex Auguſt. conſtat, adeoque mere moraliter & per electionem. Sanctus enim Doctor explicans verba Joan. tract. 26. " Ego dico, parum eſt voluntate, etiam ,, voluptate traheris. Quid voluptate? ,, Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis cui panis dulcis eſt ille cæleſtis. Porro ſi Poetæ dicere licuit: ,, Trahit ſua quemque voluptas: non ,, neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio. ,, Tum in tract. 7. cap. 4. in epiſt. Joan. " Breve præceptum... Dilige & quod vis fac. ,, Porro amor creaturæ erga Deum Creatorem, in hoc maxime collucet, quod potens pro innata libertate operari malum, ab eo propter Deum abſtineat: quod amans bona creata eaque caduca, & poteſtatem habens ea ad nutum ſemper amare, ea abneget, & convertatur ad bonum incommutabile, illudque præ cæteris ut ſolum & verum amare ſeligat. In hac optione amor, in hac electione charitas, in hoc judicio meritum & ſumma felicitas, juxta illam Scripturæ ſententiam Eccl. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit; ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*.

Inſtat: Ex Auguſt. in cap. 5. epiſtolæ ad Gal. " Quod amplius nos delectat, ,, ſecundum id operemur neceſſe eſt. ,, Sed poſita gratia efficaci magis placet bonum incommutabile quam terrenum, & commutabile: Igitur voluntas tunc fertur in objectum ſi non neceſſitate abſoluta, ſaltem relativa: major patet, quia voluntas non poteſt amare malum qua malum. Jam vero ſi diligeret quod minus placet, amaret malum qua malum; minus namque bonum reſpectu majoris, eſt quoddam malum. De minore non eſt difficultas, cum enim gratia efficax ſit ex Auguſtino & potentiſſima, & delectatio victrix, ubi eſt, tunc bonum verum multo magis placet quam bonum fucatum & apparens.

Ante reſponſionem quædam obſervanda ſunt. 1. Hic haberi ſermonem de actione libera quæ ſit per electionem; certum eſt enim libertatem ſitam eſſe in indifferentia activa, eamque ſub dominio gratiæ integram remanere: utrumque momentum de fide definitum eſt in Concilio Tridentino.

2. *Annotes* velim delectationem aliam eſſe ſenſibilem, aliam vero inſenſibilem & pure ſpiritualem. Prima afficit ſenſus & in eis reſidet; inducitur autem vel ex perceptione & viſione objecti ſenſibilis, vel ex immutatione humorum: altera vero eſt vel gaudium de veritate cognita, vel complacentia in objecto. Sic qui virtutem charitatis erga pauperem propter Deum exercet, ſuavitatem quamdam ex hoc actu interius percipit, qua quidem arctius Deo conjungitur anima & ipſo perfruitur.

3. *Delectatio* iterum duplex diſtinguitur, una indeliberata & quæ eſt in nobis ſine nobis ex ſola & prima objecti perceptione: altera deliberata quæ pertinet ad judicium practicum quo intellectus perceptis & ponderatis objectis unum judicat præ alio magis bonum, quod judicium ſequitur electio unius, relicto alio: & hic voluntatis actus vocatur amor præferentiæ ſeu prædilectio, quia appretiative unum præ alio diligit & ſuo amore proſequitur objectum, eo quod ab intellectu appretiatum, in ſtatera judicii appenſum, inventum eſt ſecundum judicium magis habens.

4. *Quoties* aliquid operandum incumbit, res amanda ſemper ſub duplici facie objicitur, v. g. pœnitentia parti quidem inferiori ut amara, videtur, parti vero ſuperiori ut bona & ſalutaris. 1. Apprehenditur ut malum & bonum ſub diverſo reſpectu, deinde, omnibus æqua lance penſatis, intellectus judicat majus bonum pœnitentiam quam vitam mollem. Sequitur poſtea electio voluntatis, amor complacentiæ & prædilectionis pœnitentiæ, qui amor dicitur delectatio major practica, quique eſt ipſa in Deo quies. Igitur eſt delectatio indeliberata voluptatis terrenæ ex apprehenſione vitæ mollis reſultans & complacentia. Fit & delectatio ſimiliter indeliberata ex apprehenſione pœnitentiæ ut ſalutaris. Sed in hoc temporis intervallo, nullum adhuc tunc aut bonum & malum fit: hunc animæ ſtatum paucis deſcribit Apoſtolus dicens Gal. 5. 17. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem*. Igitur requiritur electio, ut experientia comprobat quotidiana. Igitur requiritur prædilectio, & hæc vocatur major delectatio; ideo enim uno objecto

relicto, proſequimur aliud, quia magis nobis placet: magis vero placet, quia judicavimus majus bonum.

Reſpondeo, jam ad argumentum, primo quidem Janſenium perperam repetere efficaciam gratiæ ſuæ neceſſitantis a delectatione indeliberata; nemo quippe non videt hominem non agere ex inſtinctu, & trahi ubi eſt delectationis impetus, ſicut agunt belluæ, ſed electione procedere, & aliquod deliberatione prævia amplecti objectum. Nemo non ſcit electionem & prædilectionem unius objecti & eſſe id quod amplius delectat, quia judicat intellectus ex duobus objectis propoſitis unum eſſe altero majus bonum, & hanc delectationem ſeu complacentiam liberam ex judicio practico emanantem eſſe rationem & proximum atque ultimatum noſtræ operationis motivum; ideo enim uno objecto relicto, aliud amore proſequimur, quia prius intellectus judicavit magis amabile, hunc eſſe genuinum Auguſt. axiomatis ſenſum: " Quod nos magis delectat „ ſecundum id operari neceſſe eſt, „ Nullus ante Janſenium inficiatus eſt; & patet ex S. Doctoris ſententiis, maxime ex tribus. Ex una quidem in qua ex duobus in eodem tentationis gradu conſtitutis, unus tentationi cedit ſimpliciter quia vult: alter vero reſiſtit quia non vult cedere. In altera dicit hominem majori delectatione indeliberata, & primo-prima boni occupatum, nihilominus quandoque eam nec ſequi, nec ſecundum ipſam operari; adeo verum eſt Auguſtinum per majorem delectationem quæ infallibiliter infert operationem, non aliam quam eam quæ ad judicium practicum conſequitur, intelligere. In tertia denique verbis claris exprimit illam delectationem per judicium quo eligendo unum alteri anteponimus.

Primus locus depromitur ex lib. 12. de civ. Dei cap. 6. & ſic ſe habet: " Quo„ modo, inquam, bonum eſt cauſa ma„ li? Cum enim ſe voluntas relicto ſu„ periore ad inferiora convertit, effici„ tur mala: non quia malum eſt, quo ſe „ convertit: ſed quia perverſa eſt ipſa „ converſio, idcirco non res inferior vo„ luntatem malam fecit, ſed rem infe„ riorem prave atque inordinate, ipſa quę „ facta eſt, appetivit. Si enim aliqui duo „ æqualiter affecti animo & corpore vi„ deant unius corporis pulchritudinem, „ qua viſa unus eorum ad illicite per„ fruendum moveatur, alter in voluntate „ pudica ſtabilis perſeveret, quid puta„ mus eſſe cauſæ, ut in illo fiat, in il„ lo non fiat voluntas mala? Quæ illam „ rem fecit, in quo facta eſt? Neque e„ nim pulchritudo illa corporis, nam eam „ non facit in ambobus: quando quidem „ amborum non diſpariliter occurrit aſpe„ ctibus. An caro intuentis in cauſa eſt? „ Cur non & illius? An vero animus? „ Cur non utriuſque? Ambos enim & a„ nimo, & corpore æqualiter affectos fuiſ„ ſe prædiximus. An dicendum eſt, al„ terum eorum occulta maligni ſpiritus „ ſuggeſtione tentatum, quaſi non eidem „ ſuggeſtioni & qualicumque ſuaſioni pro„ pria voluntate conſenſerit? Hanc igitur „ conſenſionem, hanc malam quam male „ ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in „ eo res fecerit, quærimus. Nam ut hoc „ quoque impedimentum ab iſta quæſtio„ ne tollatur, ſi eadem tentatione ambo „ tententur & unus ei cedat atque con„ ſentiat, alter idem qui fuerat, perſe„ veret; quid aliud apparet, niſi unum „ voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate de„ ficere? „

Certe funditus evertitur hac ſententia Janſenii ſyſtema de delectatione primo-prima, & prævia exuberante & neceſſitante. Namque Auguſtinus ſupponit voluntatem neceſſario quidem appetere bonum in communi, ſed non in particulari. 2. Perverſam fieri non bono quod appetit, ſed quia inordinate & illicite appetit. 3. Majorem in exemplo amborum æqualiter circa corporis pulchritudinem affectorum non eſſe delectationem, unde manifeſte falſum eſt ſecundum Auguſtin. hominem operari ſecundum delectationem majorem præviam & voluntatis tum electionem, tum conſenſum antecedentem; ab hac non vult Auguſt. repeti victoriam unius, & caſum alterius, immo nec ab extrinſeca dæmonis tentatione, ſed tantum a judicio practico: " Quid aliud ap„ paret, niſi unum voluiſſe, alterum no„ luiſſe a caſtitate deficere? „ Igitur præelectio & prædilectio unius objecti, eſt id quod magis placet, id quod infert actum, non quidem neceſſario, cum prius eligatur ex duobus objectis propoſitis unum amandum, ſed libere; & neceſſario

ſolam

ſolum neceſſitate conſequente & hypothetica conſequente quidem, quia hæc neceſſitas ab ipſa voluntatis electione procedit: hypothetica vero, quia ſuppoſito quod voluntas elegerit objectum, convenit operari vel amore, illud amplectendo objectum, vel odio illud ipſum rejiciendo & procul faciendo. Quod electionem exigat Aug. non ſemel legitur in ejus operibus, maxime in libro de gratia & lib. arb. in lib. de ſpiritu & litt. cap. 33. ubi dicit vocationem eſſe a Deo, poſtea ſubdit: " Sed conſentire, vel diſſentire propriæ ,, voluntatis eſt. ,, Præterea Auguſtinus ſæpius dicit in lib. de corr. & gr. a capite octavo uſque ad decimum quintum, Adamum ſub dominio gratiæ fuiſſe liberum libertate actus, libertate electionis & indifferentiæ. Hoc ultro concedit Janſenius lib. de gratia primi hominis cap. 6. 7. 8. & 9. Atqui eamdem, ut patet, eligendi poteſtatem ſub dominio gratiæ tribuit Aug. homini lapſo: Igitur, ſi & Janſenius & ſui velint audire Aug. omnem eliminent a voluntate humana operante ſive bonum, ſive malum, neceſſitatem.

Secundus ejuſdem S. Doctoris locus habetur lib. 8. Confeſſ. cap. 8. his verbis quæ de ſemetipſo adhuc peccatorum & vitiorum vinculis conſtricto profert: " Non ,, faciebam quod & incomparabili affectu ,, amplius mihi placebat. ,, Igitur falſiſſimum eſt placitum Janſenii dicentis hominem neceſſario operari ſecundum majorem delectationem præviam & indeliberatam: Ecce enim ipſe Auguſtinus pœnitens interpres ſui qui ſe fatetur reum in eo quod in vita ante acta non operatus ſit bonum quod illi magis placebat, quod fortius invitabat, quod ſuadebat vehementius. Quare? niſi quia adhærere Deo nondum elegerat: quia nondum practice judicaverat bonum incommutabile commutabili anteponendum: nondum placebat lex divina practice: & quia minor erat amor & complacentia libera, ideo nondum legi mentis ſerviebat. Poterat quidem eligere, poterat ſic complacere: " Et mox, *inquit*, ut vellem, ,, poſſem. ,, Quare? quia liber erat in judicando & eligendo: " Quia mox ut vellem, ,, utique vellem. ,, Vides, benevole Lector, Auguſtinum non intelligere voluntatem operari ſecundum majorem delectationem præviam & complacentiam indeliberatam; ſed ſecundum complacentiam ab electione & judicio practico conſequentem; & ſecundum iſtam intelligi illud ſancti Doctoris axioma commeut. in cap. 5. epiſt. ad Gal. " Quod ,, amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt. ,,

Tertius locus deſumitur ex Serm. 17. de verb. Apoſt. cap. 4. " Interroget, *inquit* Aug. & reſpondeat, quid dicturus ,, ſum. Utrum ſic delectetur juſtitia, ut ,, eam cæteris ad hos ſenſus corporis pertinentibus delectationibus anteponat .... ,, Delectat te aurum tuum.... Decertant ,, in te duæ delectationes: modo interrogo ,, quid præponas. ,, Ecce quæſtio ex integro propoſita. Auguſtinus quippe duas primo enarrat delectationes prævias, alteram ex creatura & bono commutabili promanantem, alteram vero a gratia & bono incommutabili fluentem: neutram dicit determinare, ſed mediam exigit quæ ad electionem conſequitur; ſed poſtulat judicium quo anteponat voluntas unum alteri: exigit complacentiam prædilectionis; & ſecundum hanc majorem complacentiam liberam dicit operandum eſſe: " Decertant in te duæ delectationes. ,, Modo interrogo te quid præponas, ,, id eſt, quid eligas. ,, Quod talis ſit Aug. ſenſus, etiam cum hoc axioma: *Quod enim nos amplius delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*, protulit, patet, nam ibidem enarrat fructus carnis & ſpiritus, dicitque neminem carnis deſideriis obedire debere, dicit eum qui illis non ſervit liberum eſſe a peccato: deinde loquens de iis qui legis præcepta loquuntur, & adimplent, ait: " In quibus hæc regnant ,, ipſi lege legitime utuntur, quia non ,, eſt illis lex ad coercendum poſita, major ,, enim & præpollentior delectatio eorum ,, juſtitia eſt, regnant autem iſta bona, ,, ſi tantum delectant, ut ipſi teneant animum ,, in tentationibus ne in peccati conſenſionem ,, ruant. ,, Multa in his verbis obſervanda ſunt. 1. Auguſtinus dicit juſtos ideo bene uti lege, quia non coarctantur, non neceſſitantur, ſed libere & elective amore proſequuntur bonum. 2. Exigit majorem delectationem quæ ſit prædilectionis motivum, ſed eam majorem delectationem dicit eſſe ipſam juſtitiam; quænam, quæſo eſt iſta juſtitia niſi

actus

actus quo eligit bonum incommutabile voluntas, niſi ipſa prædilectio, niſi judicium quo anima anteponit bonum cæleſte terreno. 3. Ait, bona Dei regnare in homine: ſed quando? ipſe Aug. declarat: "Regnant autem iſta bona, ſi „ tantum delectant, ut ipſa teneant ani- „ mum in tentationibus ne in peccati con- „ ſenſionem ruat. „ Ne eligat malum. Et ſic ubique Auguſt. repetit bonum & malum a judicio practico intellectus.

Rurſus S. Doctor ſuam circa iſtud momentum aperit mentem. Namque ibidem, commentario ſcilicet in cap. 5. epiſt. ad Gal. ſic loquitur: " Manifeſtum eſt cer- „ te ſecundum id nos vivere quod ſecta- „ ti fuerimus; ſectabimur autem quod „ dilexerimus: itaque ſi ex adverſo exi- „ ſtunt duo, præceptum juſtitiæ & con- „ ſuetudo carnalis, & utrumque diligi- „ tur, ſectabimur quod amplius dilexeri- „ mus. „ Videas velim, æquiſſime Lector, S. Auguſtinum totam actuum humanorum œconomiam repetere a prædilectione: agimus ſecundum quod unum præ alio eligimus; & eligimus quia magis amamus; & amamus, quia intellectus judicavit eſſe magis amabile.

Ex his ſequitur falſiſſimum eſſe quod tanquam inconcuſſum principium habet Janſenius, nempe, hominem vehementiori delectatione carnis impetitum, neceſſario peccare & ſuccumbere, tum quia Aug. non repetit efficaciam tentationis a delectatione prævia & involuntaria, ſed ab electione, ſed a judicio practico: tum quia experientia comprobat quotidiana viros probos non cedere tentationi, ſed cum minima gratia illam propellere. Angelus ſatanæ colaphizat quidem, ſed minima charitas teſte D. Thoma plus diligit Deum: *Sufficit*, inquiebat Deus Paulo 2. Cor. 12. *tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*. Id eſt, exardeſcente concupiſcentia, humiliatur quidem, ſed gratia quælibet, ſi homo attendat ad Deum, facit cum tentatione proventum.

Jam Reſpondeo 1. Ad argumentum in forma, diſtinguo: quod magis placet, ſecundum id ut operemur neceſſe eſt, id eſt, conveniens, concedo: neceſſe ſimpliciter ſubdiſtinguo: neceſſitate hypothetica & conſequente, concedo: neceſſitate abſoluta & antecedente, nego. Prima neceſſitas procedit a voluntate eligente, unde non eſt neceſſitas niſi hypothetica; altera vero ab agente extrinſeco non conſerente paſſo emanat, & libertatem perimit. De prima tantum loquitur Aug. unde dicit quidem neceſſe eſſe operari, id eſt conveniens, ſed non neceſſe eſt operari neceſſario, quæ duo plurimum diſcrepant. Primum enim importat ſolum neceſſitatem hypotheticam, alterum abſolutam: ita reſpondet & explicat doctiſſimus Pater Daniel Societatis Jeſu, in ſua ad ſententiam Aug. diſſertatione anno 1715. Pariſiis edita.

Reſpondeo 2. Aliter diſtinguendo. Neceſſe eſt operari ſecundum id quod magis placet, complacentia nata ex judicio practico, & prædilectione, concedo: complacentia orta ex delectatione prævia & indeliberata, nego. Solutio patet ex dictis.

Reſpondeo 3. Iterum aliter diſtinguendo, ſecundum id quod magis placet, operari neceſſe eſt in belluis, concedo: in hominibus, nego. Agentia ſunt in duplici differentia, alia quæ ab inſtinctu erumpente impetu naturæ ad bonum aliquod particulare tendunt: alia quæ ex electione prævia operantur & habent pro objecto bonum univerſale. Prima, utpote limitata & ad unum determinata, ſi ex duobus bonis propoſitis unum magis allicit, ex impetu in illud prorumpunt. Secunda vero non ſic, & quidem propter duo. 1. Quia agunt libere, hinc majori bono relicto, poſſunt eligere minus bonum; nec inde ſequitur voluntatem amare malum qua malum, quia quod eſt in ſe minus bonum, appretiative judicat intellectus majus bonum. 2. Quia agentia libera reſpiciunt bonum univerſale, & ex hoc ſequitur nuſquam rapi ab objectis particularibus. Immo, quia voluntas habet pro objecto bonum univerſale, numquam aliquid hic & nunc amat, niſi prævie eligat & mens illud majus eſſe bonum definierit. Gratia quidem ſuavis eſt, immo & potenter ſuavis, ſed voluntas libera manet ſub ejus dominio, hinc flante paſſione ſæpe fit majus in ſe bonum, minus tamen placere juxta illud Job. 24. de impiis: *Si ſubito apparuerit aurora, nempe pœnitentia, arbitrantur umbram mortis*. Tunc, inquit Propheta, egreditur judicium perverſum & fit peccatum. Nul-

ſa igitur adeſt neceſſitas, nequidem relativa; quia ex duobus bonis propoſitis altero apparente, altero vero, eligit quod vult homo & quod magis illi arridet. Ita D. Aug. lib. 12. de civ. cap. 16.

Urges: Voluntas ex dictis reſpicit bonum univerſale, ſed ex hoc quod reſpiciat bonum univerſale, ſequitur eam non eſſe ſub dominio gratiæ liberam. Et probatur: Gratia proponit ſummum bonum, Deum ſcilicet, totis viribus amandum: Igitur neceſſario movet voluntatem ad amorem, quandoquidem ipſa voluntas per talem actum jam ipſo ſummo bono perfruitur. Confirmatur: Ideo beati neceſſario diligunt Deum, quia & vident in ipſo ſummum bonum, & ſummum bonum diligendo, Deum poſſident, ſed per gratiam viator utique cognoſcit Deum ut ſummum bonum, illa quippe illuminatur: immo per eandem quodammodo poſſidet tantum & tam ineffabile bonum, ſcilicet in quadam ſuavitate mentis quæ veritati congaudet: in delectatione interiori qua Deus ſe veluti ſenſibilem reddit cordi, juxta illud 1. Petri 2. 3. *Si tamen guſtatis quoniam dulcis eſt Dominus*. Hanc efficaciæ gratiæ notionem noſtris ſubjicit oculis Propheta Regius cum ait ad Dominum Pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*,

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo. Gratia proponit ſummum bonum amandum, & intellectus non ſemper practice judicat eſſe ſummum bonum, concedo: & judicat ſemper, nego. Videmus nunc per ſpeciem & in ænigmate Deum, propterea mens variis laceſſita & aucta paſſionibus non ſemper judicat eſſe amandum quod vere amabile eſt. Enim vero ignorantia, inquit D. Thomas, reſidet in intellectu, malitia in voluntate: caro concupiſcit adverſus ſpiritum; ſicque egreditur ex homine judicium perverſum & de fine & de mediis ad finem conducentibus. Donec igitur intellectus judicet Deum eſſe ſummum bonum, neque voluntas illum eliget præ cæteris bonis particularibus amandum, neque in ipſo ut in fine ultimo conquieſcet.

Ad confirmationem, nego paritatem. Diſparitas non modica reperitur inter Beatos & viatores: illi vident Deum ut ſummum bonum in ſe & ſicuti eſt; nulla paſſio ligat eorum intellectum ut male de Deo judicent: immo illum poſſident, & ideo mirabiliter & continuo Deo intuitive & ut in ſe eſt viſo, rapiuntur ad ejus amorem: ipſum amant, & ſine fine volunt amare: Iſti vero, ii ſcilicet qui adhuc peregrinantur a Domino, obſcure admodum Deum cognoſcunt: attracti & illecti modo a concupiſcentia carnis, modo a concupiſcentia oculorum, modo etiam a ſuperbia vitæ tentationi cedunt. Quid plura? Illuſi a creaturis, infelices, ad ſpiritus erroris attenduut, nec ſentiunt de Deo in bonitate: Igitur liberum ſemper eſt eligere bonum. Utinam eligant, & in Domino quieſcentes, unuſquiſque cum Propheta Regio ad Deum toto mentis affectu exclamet Pſ. 7. 25. *A te quid volui ſuper terram?*

Solvitur objectio momentoſa Janſeniana.

REPONIT Novator: Illa gratia eſt neceſſitans, qua habita, quiſque eſt de numero Prædeſtinatorum, qua ſecluſa, nullus ſalvari poteſt: Atqui talis eſt gratia per ſe efficax: Et probatur ex ſancto Auguſtino: Sic enim loquitur lib. de corr. & grat. cap. 9. n. 20. " Nam ſi fuiſſent ex „ nobis, veram, non fictam juſtitiam te„ nuiſſent utique nobiſcum: ſed *ſi fuiſſent*, „ inquit, *ex nobis, permanſiſſent utique no„ biſcum*. „ 1. Joan. c. 19. probat auctoritate S. Joannis Deum velle ſalutem tantum Electorum, cæteros vero ad Deum non venire, quia nec ſunt præſciti ut veniant, nec Electi ut permaneant. Sic loquitur S. Doctor ibid. ſupra: " Sunt enim filii Dei, qui nondum ſunt no„ bis, & ſunt jam Deo; de quibus ait „ Evangeliſta Joannes, 11. 51. *Quia Je„ ſus moriturus erat pro gente, nec tantum „ pro gente, ſed etiam ut filios Dei diſper„ ſos congregaret in unum*: quod utique cre„ dendo futuri erant per Evangelii præ„ dicationem; & tamen antequam eſſet „ factum, jam filii Dei erant in memo„ riali Patris ſui inconcuſſa ſtabilitate „ conſcripti. „ Eo loci oſtendit S. Auguſtinus gratiam prædeſtinationis ita firmam eſſe ut nullus ei reſiſtere queat: non aliis certe gratia neceſſitans delineatur terminis & verbis: Ergo &c.

Reſpondeo 1. Deum omnes homines ad redemptionem vocare, ſiquidem Chriſtus

eos

eos proprio redemit ſanguine, & ideo vult ſalvos facere, ſpecialiter vero Electos qui redemptionis fructum propria cooperatione percipiunt: & hoc ultimum tantummodo vult Auguſtinus; nuſquam vero excludit primum.

Reſpondeo: 2. diſtinguendo verba Joannis, qui non permanent non ſunt de Chriſto, quia propria voluntate a gratia filiorum Dei excidunt, concedo: quia datur prædeſtinatio neceſſitans ad mortem, nego: contrarium enim tanquam erroneum damnat Concilium Cariſiacum: quia vero Deus in ſcientia viſionis omnia cognoſcit futura, præſcit quid ſit ipſe per gratiam in homine facturus; quid vero homo, adjuvante gratia, etiam facturus eſt; & ex hac præſcientia, prædeſtinatio SS. ſuam ſortitur infallibilitatem, quæ nullo modo, ut patet, adverſatur libertati hominis, cum ſub præſcientia Dei libere agat; ut ſuo loco, ubi de præſcientia Dei, oſtenſum eſt.

Reſpondeo 3. Et eo loci Auguſtinus loquitur de gratia perſeverantiæ finalis, quæ inſuperabiliter movet, quatenus ordinante providentia ſpeciali, gratia conjungitur cum morte, concedo: & loquitur de gratia ut ſic, nego. Juvat ipſum audire Auguſtinum qui ibid. n. 20. ſic loquitur: " Erant itaque in bono, ſed quia ,, in eo non permanſerunt, id eſt, non ,, uſque in finem perſeverarunt, non erant, ,, *inquit*, ex nobis, & quando erant nobiſ- ,, cum; hoc eſt, non erant ex numero filio- ,, rum: & quando erant in fide filiorum: ,, quoniam qui vere filii ſunt, præſci- ,, ti, & prædeſtinati, ſunt conformes ,, imaginis filii ejus, & ſecundum propo- ,, ſitum vocati ſunt electi eſſent. Non ,, enim perit filius promiſſionis, ſed fi- ,, lius perditionis: fuerunt ergo iſti in ,, multitudine vocatorum: ex electorum ,, autem paucitate non fuerunt. Non igi- ,, tur filiis ſuis prædeſtinatis Deus per- ,, ſeverantiam non dedit; haberent e- ,, nim eam, ſi in filiorum numero eſ- ,, ſent, & quid haberent, quod non ac- ,, cepiſſent? ,,

Porro, qui tantum vocati non accipiunt perſeverantiam, neque ad vitam eliguntur æternam, ideo fit ut propria voluntate reprobi fiant, quod certe ab æterno præſcit Deus.

Reſpondeo 4. S. Auguſtinum in libris de corr. & gr. de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ debellare Semipelagianos, qui initium fidei a natura ducebant, qui gratiam verſatilem, & naturæ pediſſequam faciebant, qui donum perſeverantiæ non ſpeciali Dei auxilio, ſed gratiæ indifferenti a natura determinabili tribuebant. Primum impugnat S. Doctor oſtendendo omne opus bonum a gratia ut a primigenio fonte oriri: ſecundum demonſtrando gratiam dari efficaciſſimam a qua homo habet operari bonum. Tertium denique probando gratiam perſeverantiæ eſſe ſpecialiſſimum Dei donum, eamque ſupra modum efficacem; quandoquidem Adamus, qui gratiam tantummdo ſufficientem habebat ad perſeverandum, non actu perſeveravit; tametſi nemo ad perſeverandum illum deterreret: Sancti vero e contra per gratiam Mediatoris ita ſanantur, & roborantur, ut etiam ſæviente mundo, habeant non ſolum quo poſſint perſeverare, ſed & quo actu finaliter perſeverent in bono.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Gratia per ſe efficax conſiſtit in præmotione morali ſimul & phyſica.

PRIMO, Id conſtat ex omnibus argumentis quibus probatum eſt dari præmotionem, maxime ex illo Dei oraculo Jerem. 30. *Applicabo eos & accedent ad me*. Concinunt Concilia, in primis Arauſicanum II. can. 9. Trid. ſeſſ. 6. can. 4. dicens liberum arbitrium excitari & moveri a Deo: quæ voces *motum & excitatum* denotant præmotionem moralem quæ excitat, phyſicam vero quæ applicat ad opus. Sic enim habetur: *Si quis dixerit liberum arbitrium motum a Deo & excitatum ... non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit*. Quod vero Concilium loquatur de præmotione, ex Catechiſmo ejus fideli interprete liquet: habetur enim in explicatione primi articuli fidei de primo motore: *Et quamvis cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, prævenit tamen &c.*

Secundo: Suffragatur S. Aug. lib. de Trin. cap. 4. ubi expreſſe ait, Deum prius movere animos hominum & cunctorum ſpirituum ſibi ſubditas ſervitutes. Tum S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. Rurſus 1. contra gent. cap. 68.

Tertio : Agitur de actu morali ſimul & phyſico ſeu vitali : cum igitur effectus aſſimiletur cauſæ, dubio-procul cauſa principalis debet eſſe moralis, quod ſatis innuit Synodus Tridentina, dicendo gratiam movere illuminando, ſuadendo & excitando. Quia vero actus eſt etiam phyſicus & vitalis, quippe qui a potentia phyſica & vitali procedat, exigit utique præmotionem phyſicam, qua cauſa ſecunda applicetur ad actum & ipſi conjungatur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametſi præmotio ſit effectus decreti infallibilis & immutabilis, non inde ſequitur eam libertati oppoſitam, quia Deus tametſi omnipotens ipſa ſua utitur omnipotentia ut faciat cauſas ſecundas agere modo ſibi congruo, videlicet liberas libere. Fruſtra igitur ex omnipotentia Dei facientis quod vult, repetunt motionem neceſſitantem, cum omnipotens reliquerit hominem in manu conſilii ſui : Sic enim habetur Eccli. 31. 10. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus*. Unde S. Thomas ex efficacia omnipotentiæ Dei concludit Dei motionem liberum non perimere arbitrium, quod motio extrinſeca creaturæ nequit facere, eo quod propter ſuam limitationem non poſſit præmovendo ſemper attingere modum agendi rerum.

Secundo. Fruſtra Iprenſis recurrit ad verba Chriſti Joan. 6. *Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum* : ut propugnet gratiam neceſſitantem, nam vel ipſo teſte Auguſt. tract. 26. in Joan. „ Trahit ſua quemque voluptas: non neceſſitas, ſed voluntas : non obligatio, ſed delectatio. „

Tertio : Incaſſum quoque Janſenius reponit gratiæ efficaciam in delectatione victrici, cum non ſemel ſicut bonum, ſic & malum abſque delectatione operemur. Primum patet ex S. Aug. quum lib. 12. de civ. cap. 6. ait ex duobus æqualiter tentatis unum cedere tentationi, alterum vero non; bonam enim actionem non a delectatione, ſed a judicio practico repetit : " Quid aliud apparet, *inquit*, „ niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe „ caſtitate deficere. „ Tum lib. 8. Confeſ. cap. 8. aſſerit bonum quod magis placebat non patraſſe : " Non faciebam quod & „ incomparabili affectu amplius mihi place- „ bat. „ Quibus verbis funditus ſubvertitur ſyſtema Janſenianum, cum falſiſſimum ſit neceſſe eſſe operari ſecundum quod magis delectat.

§. III.

Utrum voluntas humana ſub dominio gratiæ per ſe efficacis cooperetur ad actus ſupernaturales eliciendos.

NON eſt inſtituti longam hic texere diſputationem, cum ex ſupra dictis conſtet voluntatem humanam active ſe habere in ſingulis actibus humanis. Quia tamen Lutherus & Calvinus contendunt mere paſſive in his ſe habere, operæ-pretium eſt ad defenſionem & fidei, & libertatis ſub dominio gratiæ, ſpecialem de cooperatione activa, eaque liberrima inſtituere quæſtionem. Unde ſit

CONCLUSIO.

Voluntas humana cooperatur gratiæ, neque mere paſſive ſe habet ut inanime quoddam.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo quidem auctoritate.

1. INITIUM ſumimus a divinis Scripturis in quibus paſſim legitur Deum noſtram exigere cooperationem, ex quo emanavit iſtud Auguſtini adagium : *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*. Celebris eſt locus ex 1. Cor. 3. deſumptus : *Dei adjutores ſumus*, hoc eſt, cooperatores, ut vertit græcum συνεργοί, quam ſententiam explanans B. Auguſtinus lib. de nat. & grat. ait : " Operamur & nos, „ ſed eo operante cooperamur. „ Unde & Marci ultimo habetur : *Domino cooperante*. Igitur Scriptor Canonicus noſtram ſupponit & cooperationem, quod quidem clariſſimis verbis declarat Apoſtolus 1. Cor. 15. 10. *Laboravi cæteris abundantius, non ego, ſed gratia Dei mecum*. Nec prætereunda ſunt pro iſto momento illa Salomonis Sap. 9. verba : *Mitte Domine ſapientiam tuam de cælis*

ſan-

*ſanctis tuis, a ſede magnitudinis tuæ, ut me-
cum ſit, & mecum laboret.*

2. *A* Scriptura ſacra gradum facimus ad Concilia. Unum ſufficiat Tridentinum, quippe quod rem de fide definiat, immo anathemate percellat Proteſtantes, eo quod liberum arbitrium ſub dominio gratiæ ſe habere ut inanime quoddam auſu temerario docuiſſent & prædicaſſent. Sic igitur intonat ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere; anathema ſit.*

3. *Ex* Patribus; primas in hac controverſia dirimenda partes habet S. Aug. ait enim l. de grat. & lib. arb. c. 17. " Ut
,, velimus ſine nobis operatur: cum au-
,, tem volumus & ſic volumus ut facia-
,, mus, nobiſcum cooperatur: ſine illo vel
,, operante ut velimus, vel cooperante,
,, cum volumus, ad bona pietatis opera
,, nihil valemus s ,, Rurſus l. de natura
& grat. cap. 32. " Operamur & nos, ſed
,, illo operante cooperamur. ,, Et iterum
de grat. Chr. cap. 25. " Non ſolum Deus
,, poſſe noſtrum donat atque adjuvat, ſed
,, etiam velle & operari operatur in
,, nobis, non quia nos non volumus,
,, aut nos non agimus: ſed quia ſine ip-
,, ſius adjutorio nec volumus aliquid boni,
,, nec agimus. ,, Quibus omnibus ſententiis luce clarius patet Lutherum & Calvinum perperam ſuas in partes trahere Auguſtinum, dum aſſerunt liberum arbitrium ſe habere ut inanime quoddam ad actiones humanas ſub dominio gratiæ. Totum hoc definit S. Doctor ſerm. 3. de verbis Apoſtoli, in quo quidem perſtringit Pelagianos dicentes gratiam actualem liberum perimere arbitrium: " Dicet mi-
, hi aliquis: Ergo agimur, non agimus.
,, Reſpondeo, immo & agis, & age-
,, ris & tunc bene agis ſi a bono agaris;
,, ſpiritus enim Dei qui te agit, agenti-
,, bus adjutor eſt: ipſum nomen adjuto-
,, ris, præſcribit tibi, quia & ut ipſe
,, aliquid agis: Agnoſce quid poſcas, a-
,, gnoſce quid confitearis quando dicis: *Ad-
,, jutor meus eſto, ne derelinquas me*. Nemo
,, adjuvatur ſi ab illo nihil agatur. Quot-
,, quot enim ſpiritu Dei aguntur, hi
,, filii Dei ſunt, non littera, ſed ſpiritu;
,, non lege præcipiente, minante, pro-
,, mittente, ſed ſpiritu exhortante, illu-
,, minante, adjuvante. Scimus, inquit idem
,, Apoſtolus, quia diligentibus Deum om-
,, nia cooperantur in bonum, ſi non eſſet
,, operaror, non eſſet cooperator. ,,

Concinunt cæteri Patres: Chryſoſtomus hom. 3. 4. 13. Cyrillus Alexandrinus l. 4. in Joannem ſed præ cæteris eminet D. Bernardus de grat. & lib. arb. in fine his verbis: " Deus tria hæc in nobis ope-
,, ratur: cogitare, velle, perficere. Pri-
,, mum ſine nobis: ſecundum per nos:
,, tertium nobiſcum. ,,

D. Thomas Patrum veſtigiis inſiſtit. Hic q. 3. art. 2. " Operatio, *inquit*, ali-
,, cujus effectus non attribuitur mobili,
,, ſed moventi. In illo ergo effectu in quo
,, mens noſtra eſt mota & non movens,
,, ſolus autem Deus movens, operatio Deo
,, attribuitur, & ſecundum hoc dicitur
,, gratia operans. In illo autem effectu in
,, quo mens noſtra & movet & movetur,
,, operatio non ſolum tribuitur Deo, ſed
,, etiam animæ, & ſecundum hoc dici-
,, tur gratia cooperans. ,,

Quia vero ex determinatione phyſica, eaque prævia, quam ſecundum D. Thomæ mentem propugnamus, quidam vim voluntati inferri ita ut paſſive ſe habeat in ſuis viciſſim operationibus, autumant, tanti Doctoris mentem iterum atque iterum circa hoc controverſiæ caput aperire non injucundum erit.

Primo quidem 1. 2. q. 10. art. 4. ſic lo-
,, quitur: Quia voluntas eſt activum prin-
,, cipium non determinatum ad unum,
,, ſed indifferenter ſe habens ad multa: Sic
,, Deus ipſam movet, quod non ex ne-
,, ceſſitate ad unum determinat, ſed re-
,, manet motus ejus contingens, & non
,, neceſſarius. Voluntas enim divina non
,, ſolum ſe extendit, ut aliquid fiat per
,, rem quam movet, ſed ut etiam eo
,, modo fiat quo congruit naturæ ipſius. ,,

Rurſus in 2. ſent. diſt. 25. q. 1. art. 2. ſic pronuntiat: " Voluntas neque ſub-
,, jecto ut potentiæ organicæ cogi po-
,, teſt, cum non ſit organo affixa, neque
,, objecto, ut intellectus: quantumcumque
,, enim aliquid oſtendatur eſſe bonum, in
,, poteſtate remanet illud eligere vel non
,, eligere. ,,

Rurſus 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. loquens

de

Digitized by Google

de motione Dei per gratiam ait : " Interdum Deus ſpecialiter movet aliquos ad „ aliquid determinate volendum quod eſt „ bonum, ſicut in his quos movet per „ gratiam. „ Quod autem ibi non excludat electionem præviam voluntatis quæ ſeipſam ad exercitium determinat, patet ex præcedentibus, ubi dicit Deum movere creaturam ejus conformiter naturæ, hoc eſt, libere. S. Doctor eſt ſui ipſius non in uno aut altero loco interpres, maxime 1. 2. q. 109. art. 6. Ibi enim probat hominem vere ſe præparare ad gratiam, idque in poteſtate ſua vere habere, & ad id ſeſe movere, ſed cum auxilio Dei moventis. Item 1. p. q. 25. art. 1. & 2. Denique quodlibeto 1. art. 7. ad 2.

Rationi quam ab initio attulit ex Dionyſio de divin. nomin. cap. 4. immotus inſiſtit: " Deus movet omnia ſecundum „ motum eorum : & ideo divina motio „ a quibuſdam participatur cum neceſſita„te, a natura autem rationali cum libertate. „ Propter hoc quod virtus rationalis ſe „ habet ad oppoſita, & ideo ſic movet „ Deus mentem humanam ad bonum, „ quod tamen poteſt huic motioni reſiſte„re. Ex D. Thoma Deus movet creaturam rationalem ut illi congruit, hoc eſt, libere, ita ut & eligat, & reſiſtat ſi velit, & ſeſe determinet ad actum in individuo. Movetur quidem ſpecialiter ad bonum ſupernaturale per gratiam, ſed ſeipſam determinat ad exercitium: cujus rei iſtud accipe exemplum. Amicus conſulit & ſuadet amico tale bonum, puta eleemoſynam Petro erogandam; at ſeipſum determinat ad exercitium. Idem proportione ſervata, dicendum de his qui moventur per gratiam maxime cum teſte Aug. ſupra laudato Deus moveat, illuminando, ſuadendo, & excitando: Igitur manet in voluntate ſub dominio gratiæ electionis & propriæ determinationis locus: adeoque gratiæ cooperatur conſentiendo, & nuſquam neceſſitatur.

Idem probatur rationibus Theologicis.

PRIMA ſic exponitur. Qui eo creatus eſt fine ut operaretur tum in ordine naturali ad congruam exercitationem, tum in ordine ſupernaturali ut ſuam aſſequeretur ſalutem, profecto debet cooperari & cum Creatore & cum Redemptore: Atqui homo eo prorſus fine & creatus, & redemptus eſt. Scriptum eſt enim Gen. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo ut operaretur, & cuſtodiret illum*. Item & Joan. cap. 15. Chriſtus ait: *Poſui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*. Igitur homo in omni ſtatu Deo moventi cooperari debet.

Secunda: Ille Deo moventi ad bonum cooperari & poteſt, & debet, cui multa imponuntur præcepta, ut illa ad nutum & libitum adimpleat: Atqui res ſic ſe habet juxta illud Deut. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua*. Et iſtud ejuſdem Dei ad Cain Geneſ. 4. *Nonne ſi bene egeris, recipies, ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus ejus & tu dominaberis illius*. Hanc rationem urget S. Auguſtinus contra Pelagianos lib. 3. de libero arbitrio l. de prædeſt. SS. & de dono perſ. ut illis probet liberum hominis arbitrium manere ſub dominio gratiæ: Sic effatur lib. de grat. & lib. arbit. c. 2. n. 24. " Quid illud quod tam mul„tis locis omnia mandata ſua cuſtodiri & „ fieri jubet Deus, quomodo jubet, ſi non „ eſt liberum arbitrium? &c. „

Tertia: Qui eſt correctionis & exhortationis capax, certe & utique cooperationis: Atqui homo lapſus etiam ſub dominio gratiæ correctionis & exhortationis capax eſt: Sic enim habetur Ezec. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodieris omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet, & non morietur*. Et iſtud Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro in jejunio & fletu & planctu & ſcindite corda veſtra*. Eamdem rationem explanat B. Auguſtinus in libris mox laudatis, & ex profeſſo in l. de corr. & grat. ſic loquitur c. 6. n. 9. " Corripiatur er„go origo damnabilis ut ex dolore corre„ptionis: voluntas regenerationis oria„tur . . . qui ſi correptione compun„ctus ſalubriter ingemit, & ad ſimilia bo„na opera, vel etiam meliora revertitur: „ nempe hic apertiſſime utilitas correptio„nis apparet. „

Quarta: Ille Deo moventi cooperatur qui relinquitur in manu conſilii ſui ut illi ſoli ſerviat: Atqui res ita eſt. Hoc ipſum varia Scripturæ oracula confirmant, namque

que Eccli. 15. 14. habetur*: Deus ab initio conſtituit hominem & reliquit illum in manu conſilii ſui* . Quibus verbis poteſtas liberi arbitrii laudatur. Rurſus Prov. vero 23. 26. idem Dominus ait: *Præbe fili mi cor tuum mihi* . Et Zach. 1. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum , & convertar ad vos*. Ergo &c.

Quinta : Qui eſt modo laude, modo vituperio , & poſtea præmio vel pœna dignus, haud dubie Deo moventi cooperari debet & poteſt : Atqui talis eſt hominis conditio, dicente Scriptura Eccle. 31. 10. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus , facere mala & non fecit , ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino* . Et Matth. 25. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis ejus . Eſurivi enim , & non dediſtis mihi manducare ; Sitivi , & non dediſtis mihi potum* . Qua de cauſa Apoſtolus ait 1. Cor. 9. *Sic currite ut comprehendatis*. Ergo &c.

Sexta : Qui debent Chriſto patienti cooperari, certe ut inanime quoddam non ſe habent in actionibus humanis : Atqui omnes homines Chriſto patienti cooperari debent ut ſuam aſſequantur ſalutem . Audiamus S. Paulum dicentem Col. 1. 24. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea* . Audiamus & Petrum Theologorum apicem 1. 4. 13. *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete , ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes* . Rurſus 2. Petr. 1. 10. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis* . Ergo &c.

Septima: Cooperari gratiæ præcipit nobis Deus: Ita definit Trid. ſeſſ. 6. c. 11. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis , & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis* . Igitur homo mere paſſive non ſe habet reſpectu gratiæ, ſed ei libere cooperatur.

Octava: Actus morales etiam ſupernaturales ſunt vitales, hoc eſt, procedunt vitaliter a voluntate humana: Igitur voluntas cooperatur gratiæ . Probatur conſequentia . Quod procedit a cauſa prima & a cauſa ſecunda ſane eſt a creatura ut cooperante ; ſed eo ipſo quo actus morales quicumque procedunt vitaliter a voluntate, ſunt ab ipſa ut a cauſa ſecunda*: Igi*tur & ut a cauſa cooperante.

Nona : Illud eſt a cauſa ſecunda cooperante quod ab ea per electionem profluit, quod ab eadem denominatur & ſpecificatur , quod ab ea dependet in eſſe & ab ea immediate emanat : Atqui actus moralis tum ordinis naturalis , tum ordinis ſupernaturalis ſic ſe habet : Et probatur . Primo quidem fit per electionem , juxta illud : *Qui potuit tranſgredi , & non eſt tranſgreſſus* . Secundo ab ea denominatur & ſpecificatur , namque dicitur actus humanus , quinimmo & ab intellectu practico ſpeciem habet, juxta illud axioma : *Quidquid faciant homines , intentio judicat omnes* . Denique a voluntate immediate procedit , ſiquidem iſta eſt cauſa proxima actus . Ergo &c.

Solvuntur objectiones Proteſtantium.

Objiciunt: Si voluntas cooperari gratiæ dicatur, maxime propter illam Pauli ſententiam 1. Cor. 15. 11. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum* . Atqui inquit Calvinus lib. 2. inſtit. c. 3. S. Paulus non dicit gratiam fuiſſe ſibi cooperatricem, ſed omnium effectricem: Igitur voluntas ſe habet ut inanime quoddam ſub dominio gratiæ.

Reſpondeo diſtinguendo, & ſupponit cooperationem , concedo *:* & non ſupponit, nego. Quod Apoſtolus non excludat cooperationem , patet ex antecedentibus & conſequentibus, ait enim : *Laboravi cæteris abundantius , non ego autem , ſed gratia Dei mecum* . Dicit ſe laboraſſe , ecce cooperatio : ſed gratiſſime gloriam Deo tribuit, addendo , *Non ego*. Ne quis vero exiſtimet ſuam excludere cooperationem, adjicit, *gratia Dei mecum*.

Inſtant : Iſa. 26. 12. habetur *: Domine .... omnia enim opera noſtra operatus es nobis*. Igitur, inquit Calvinus, totum abſque creatura Deus facit.

Reſpondeo Auguſtinum ſerm. 2. de verbis Apoſtoli aliter referre Scripturæ textum , ait enim *: Domine Deus noſter pacem da nobis, omnia enim reddidiſti nobis* . Quæ quidem verba ſecundum Septuaginta ne quidem vel leviter favent Proteſtantibus , aliud quippe eſt reddere , aliud facere : Primum dicit adjutorium nobis in omnibus adeſſe , nuſquam vero Deum ſe ſolo totum facere. Sed neque alius eſt Vulgatæ ſenſus ; unde & textui citato inſiſtentes, ſic diſtinguimus : Deum omnia operari, dicit Scriptura, hoc eſt , cuncta ab ipſo

ipſo ut a primigenio totius boni fonte promanat, concedo: cuncta operatur excludendo cauſam ſecundam, nego. Hanc ſolutionem Auguſtini auctoritate illuſtrare juvat; namque l. 2. contra Petilianum cap. 84. ſtrenue propugnat voluntatem humanam non ſe habere ut inanime quoddam, etiam in actionibus ſupernaturalibus, verum electione ſicut in ceteris procedere: Sic loquitur: " Si tibi proponam ,, quæſtionem, quomodo Deus Pater at- ,, trahat ad Filium homines quos in li- ,, bero dimiſit arbitrio, fortaſſis eam dif- ,, ficile ſoluturus es. Quomodo enim at- ,, trahit, ſi dimittit, ut quis quod vo- ,, luerit eligat? Et tamen utrumque ve- ,, rum eſt. Sed intellectu hoc pene- ,, trare pauci valent. Si ergo fieri poteſt ,, ut quos in libero dimiſit arbitrio, at- ,, trahat tamen ad Filium Pater: Sic fieri ,, poteſt ut quæ legum coercitionibus ad- ,, monentur non auferant liberum arbi- ,, trium. ,,

Inſtant: Atqui totum ex ſenſu Scripturę eſt a Deo ſimpliciter, & excluſive a creatura: Ergo &c. Probatur antecedens ex variis Patrum ſententiis. S. Cypr. l. de Oratione Dominica apud Auguſt. l. 4. ad Bonifacium c. 9. ait: " Datur totum Deo ,, ut quicquid ſuppliciter cum timore & ,, honore Dei petitur, ipſius pietate præ- ,, ſtetur. ,, Item apud Quirinum: " In ,, nullo gloriandum quando noſtrum nihil ,, ſit. ,, Igitur ex Patribus totum a Deo excluſive a creatura procedit.

Reſpondeo ſicut prius: Et Patres his & ſimilibus loquelis ſolum intendunt totum ex gratitudine in Deum ut in primam cauſam refundendum eſſe, concedo: & cooperationem liberi arbitrii excludere ſatagunt, nego. Ita Hieronym. l. 13. comment. in Iſa. cap. 49. ubi ſic loquitur: " Dei enim ,, vocare eſt, & noſtrum credere: nec ,, ſtatim ſi nos non credimus, impoſſibi- ,, lis eſt, ſed potentiam ſuam, noſtro ar- ,, bitrio dereliquit, ut juſte voluntas præ- ,, mium conſequatur. ,, Comitem habet ille Pater ſuæ interpretationis S. Auguſtinum qui l. 1. ad Simplic. quæſt. 2. hæc pronuntiat: " Deus ut velimus & ſuum ,, voluit eſſe, & noſtrum; ſuum vocan- ,, do, noſtrum ſequendo. ,,

Urgent: D. Thomas hanc ponit diſcrepantiam inter actiones naturales & ſupernaturales, quod in primis Deus moveat ſolum ut univerſalis motor ad univerſale bonum, ita ut creatura rationalis ſeipſam moveat ad tale vel tale bonum: in ſecundis vero ſpecialiter moveatur a Deo ad bonum determinate volendum. Igitur in actionibus ſupernaturalibus mere paſſive ſe habet, namque a Deo movetur ad bonum determinate volendum; unde non remanet electionis, & cooperationis ſaltem voluntariæ locus. Sic loquitur D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. " Dicen- ,, dum, quod Deus movet voluntatem ho- ,, minis ſicut univerſalis motor ad univer- ,, ſale objectum voluntatis quod eſt bonum: ,, & ſine hac univerſali motione homo ,, non poteſt aliquid velle, ſed homo per ,, rationem determinat ſe ad volendum ,, hoc vel illud; quod eſt vere bonum vel ,, apparens bonum, ſed tamen interdum ,, ſpecialiter Deus movet aliquos ad ali- ,, quid determinate volendum quod eſt bo- ,, num, ſicut in his quos movet per gra- ,, tiam. ,,

Reſpondet Iſaacus Habertus Vabrenſis Epiſcopus lib. 2. Theologiæ Patrum Græcorum cap. 18. num. 2. " Accurate & ,, proprie loquendo voluntas ſeipſam de- ,, terminat ad actus ſupernaturales libe- ,, ros, prius tamen excitata a gratia ope- ,, rante efficaci, quæ determinare morali- ,, ter dici poteſt; tum demum adjuta a ,, gratia cooperante, quæ phyſice, pro ut ,, eſt concurſus Dei ſupernaturalis, ſimul ,, cum voluntate concurrit, ut ſeipſam ,, determinet, & effectus ſimul produ- ,, cat. ,,

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Deus ſpecialiter movet per gratiam, quia non ſolum in genere, verum etiam in particulari & quoad ſpecificationem, hoc eſt, ad tale bonum movet, ſed ſuppoſita electione, ut habetur in locis in probationibus citatis, voluntas ſe movet & determinat ad exercitium, concedo: determinatur & mere paſive ſe habet, nego. Omnes ſolutionis numeri delineantur in loco D. Thomæ pro objectione allata. Ibi enim S. Doctor diſtinguit ordinem naturæ & gratiæ. In primo Deus movet ut univerſalis motor ad bonum univerſale; voluntas vero per lumen rationis ſe ipſam determinat & quoad ſpecificationem, hoc eſt, ad tale vel tale bonum; & quoad actum in individuo: at vero in ordine ſuperiori cum bonum excedat intelligentiam

humanam, de illo edocetur per illuminationem, & ad illud proſequendum movetur per excitationem: ſicut enim bonum ſalutis excedit rationem, ita & voluntatem, dicam & voluntatis inclinationem, voluntas vero illuminata, mota & excitata, ſeipſam determinat, electione facta, ad exercitium. Unde, ut apprime obſervat Habertus, D. Thomas non dicit Deum determinare voluntatem, ſed eam movere: *Ad aliquid determinate volendum*, Quæ duo multum inter ſe diſcrepant. Aliud enim eſt movere & excitare ad bonum: Aliud determinari & applicari ad illud actu amandum. Primum eſt a gratia independenter a nobis, ſecundum vero a nobis ut a gratia adiutis.

Inſiſtunt: Thomiſtæ qui tanquam fideles divi Thomæ mentis interpretes habentur, aiunt Deum præmovere phyſice & immediate quoad ſpecificationem & individuum, determinare ſimul & applicare: Sed, his admiſſis & poſitis, nihil ſupereſt voluntati faciendum, quandoquidem poſita determinatione ad exercitium, non datur ulterior applicatio & motio. Igitur ex mente divi Thomæ per eius diſcipulos explanata, voluntas humana ſe habet ut inanime quoddam ſub dominio gratiæ.

Reſpondeo diſtinguendo, præmotio moralis determinat ad individuum, hoc eſt, ad tale vel tale bonum, immo movet, excitat ad actum, concedo: præmotio phyſica, ſubdiſtinguo: ſuppoſita deliberatione & electione, concedo: non ſuppoſita, nego. Iterum atque iterum huic difficultati ſecimus ſatis. Gratia efficax conſiſtit in motione morali & in motione phyſica. Primum quidem voluntas movetur moraliter, mota vero & excitata deliberat, eligit, ſe determinat & accingit ſe ad opus, poſita vero motione morali, & propriæ voluntatis determinatione atque electione, præmovetur phyſice, mota tandem phyſice ſeipſam, illa mediante motione, applicat ad opus: quæ quidem duo non ſemel inculcat D. Thomas. Enimvero paſſim dicit voluntatis eſſe eligere, deinde & reſiſtere; porro utrumque foret falſum, ſi immediate applicaretur ad actum independenter a ſua cooperatione. Alias mitto difficultates quæ ex ſuperioribus ſolutæ manent.

Juvat totam hanc claudere materiam uno divi Thomæ oraculo 1. 2. q: 109. art. 2. ad 1. *Homo eſt Dominus ſuorum actuum volendi & non volendi propter deliberationem rationis quæ poteſt flecti ad unam partem vel aliam.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Voluntas humana ſub dominio gratiæ per ſe efficacis actui eliciendo cooperatur.

PRIMO: Omnes fere ſacrorum librorum paginæ iſtam annuntiant veritatem, cum ibi adſint præcepta declinandi a malo & faciendi bonum: ad quid autem hæc, ſi nihil in negotio ſalutis ageremus?

Secundo: Inſigne eſt quod pro iſto momento pronuntiat Concilium Arauſicanum II. can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur, operatur.*

Tertio: Ratio in promptu eſt: homo ſicut exhortationis ſic & correptionis capax, eſt utique laude & præmio dignus, ſi bene agat, e contra vero ſi male, ſupplicio: Sed iſtæ regulæ manifeſtam indicant gratiæ quantumvis efficacis cooperationem, hinc ſacra Synodus Trid. ſeſſ. 6. Anathemate percutit Proteſtantes, eo quod dixerint liberum arbitrium ſe habere ut inanime quoddam.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Quando Apoſtolus ait, *Non ego*: minime cooperationem humanæ voluntatis excludit, cum addat, *ſed gratia Dei mecum:* voces igitur *non ego*, unum dumtaxat annuntiant, videlicet hominem non niſi gratia adjutum ſuam operari ſalutem.

Secundo: In eodem ſimiliter ſenſu explanatur iſte Iſa. 26. textus: *Omnia enim opera noſtra operatus es Domine*: hoc eſt, ut prima cauſa, quæ dubio-procul non excludit cauſæ ſecundæ operationem: ſic abſque negotio explicantur Patres dum aſſerunt totum eſſe Deo tribuendum, maxime cum effectus, ut plurimum non interiorem, ſed primam & principalem cauſam denominet.

Tertio: Eſto quod præmotio nedum rationes univerſales & ſpecificas, ſed & in-

individuales effectus attingat, quia tamen deliberatione prævia fit actus, non impeditur per concurſum Dei prævium cauſalitas creaturæ, ſed potius adjuvatur, cum præmotio non alio detur fine & ſcopo.

ARTICULUS QUINTUS.

De natura & eſſentia gratiæ ſanctificantis.

SUPPONO gratiam ſanctificantem & habitualem non eſſe Spiritum Sanctum, ut quidam, teſte D. Thoma, dicere auſi ſunt, ſed quid creatum & finitum, ſeu ipſius divini Spiritus donum, ſiquidem gratia reſidet in anima, animam autem doni infiniti incapacem eſſe nemo non videt. Suppono utique gratiam eſſe accidens, quandoquidem abeſt & adeſt ſine ſubjecti phyſica deſtructione. Vulgo nuncupatur qualitas, quia qualificat & perficit ſubjectum: qualificat quidem, namque illud ipſum denominat & juſtum, & ſanctum: perficit vero quatenus illud intrinſece immutat ad bonum. Tota igitur difficultas eſt in quo eſſentialiter conſiſtat mirabilis illa gratia.

CONCLUSIO.

Gratia ſanctificans eſt formaliter divinæ naturæ participatio.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

2. PETR. 1. habetur: *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*, Atqui hoc intelligitur de gratia habituali, quæ dat eſſe ſupernaturale habitualiter & permanenter: illud enim donum ſolum poteſt intelligi eſſe naturæ divinæ participatio; ſiquidem gratia actualis cito tranſit, virtutes vero ſunt attributorum & non naturæ emanationes: Igitur gratia ſanctificans eſt formaliter natura Dei per participationem.

Rurſus Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Quæ quidem filiatio habetur per gratiam ſanctificantem, qua ad imaginem vivam Dei transformamur. Ergo &c.

Secundo, ex Conciliis.

CONCIL. Trident. ſeſſione 6. can. 11. dicit: *Si quis dixerit homines juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa gratia & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut gratiam qua juſtificamur eſſe tantum favorem Dei; Anathema ſit*. Ibi Concilium de fide definit juſtitiam eſſe juſto intrinſecam, illique permanenter inhærentem; & hoc per gratiam & charitatem: Igitur gratia ſanctificans eſt participatio naturæ divinæ, quia eſt participatio juſtitiæ & ſanctitatis eſſentialis, quæ eſt ipſa natura divina, juxta illud Iſaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth* . . . . Item Concilium Viennenſe ait tam parvulis, quam adultis per Baptiſmum conferri gratiam, qua ſunt habitualiter filii Dei adoptivi juxta illud Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*: Sed filiatio fundatur in natura: Igitur ex Concilio gratia habitualis eſt formaliter participatio naturæ divinæ.

Tertio, ex Sanctis Doctoribus.

SANCTUS AUGUSTINUS lib. de dono perſ. cap. 16. num. 1. ait gratiam non eſſe charitatem. Quia eam præveuit ut eſſentia, quæ ſuas antecedit & potentias & proprietates. Sic loquitur contra Pelagianos: " Prævenit ergo fidem & gratia:
" alioquin ſi fides eam prævenit, pro-
" cul-dubio prævenit & voluntas quoniam
" fides ſine voluntate non poteſt eſſe.
" Si autem gratia prævenit fidem, quoniam
" prævenit voluntatem; profecto præve-
" nit omnem obedientiam; prævenit et-
" iam charitatem, qua uno Deo veraci-
" ter, & ſuaviter obeditur; & hæc o-
" mnia gratia in eo cui datur, & cujus
" hæc omnia prævenit, operatur."

Duo momentoſa in hoc S. Aug. textu obſervanda ſunt. Primum quidem falſiſſimum eſſe quod Janſenius dicit, fidem eſſe primam gratiam, ut auxilium ſufficiens ab infidelibus & obcæcatis excludat, cum S. Doctor eo loci propugnet contra Pelagianos, qui cuncta ſalutis opera naturæ tribuebant, gratiam actualem eſſe omnibus & ſingulis hominibus ad bona opera

facienda utilem, eo innixus principio, quod gratia præcedat voluntatem, vel ipſam adeoque fidem, & virtutes quibus Deo ſervitur, immo, & charitatem. Alterum momentum ex hac gratiæ actualis neceſſitate S. Thomas hic quæſt. 110. art. 3. infert gratiam habitualem antecedere ſaltem in inſtanti naturæ, charitatem, quatenus peccator juſtificatur vi contritionis per gratiam actualem elicitæ, & juſtificatio primario conſiſtat in infuſione gratiæ ſanctificantis quæ ipſa juſtificationis cauſa formalis eſt.

Concinit S. Th. qui ibid. art. 1. docet gratiam habitualem ſubjectari in anima: Artic. 2. eſſe qualitatem animæ inhærentem: tum art. 3. eſse naturæ divinæ participationem, quia non eſt fides, aut ſpes, quippe quæ, amiſſa gratia, remaneant: nec ipſa charitas, eo quod illam præcedat; Auguſtinus enim mox laudatus infert contra Semipelagianos initium fidei non eſse a natura, eo quod gratia nedum voluntatem, ſed ipſam fidem antecedat: hinc adverſus eos rurſus concludit fidei initium non eſſe ex naturæ viribus, quia gratia vel ipſam fidem præcedit, a fortiori naturam.

“ *Dicendum*, quod quidam poſuerunt,
,, ait D. Thom. id eſse gratiam & vir-
,, tutem ſecundum eſſentiam, ſed differ-
,, re ſolum ſecundum rationem; ut gratia
,, dicatur ſecundum quod facit hominem
,, Deo gratum, vel ſecundum quod gra-
,, tis datur: virtus autem, ſecundum quod
,, perficit ad recte operandum. Et hoc
,, videtur ſenſiſſe Magiſter in 2. ſent. diſt.
,, 26. Sed ſi quis recte conſideret rationem
,, virtutis, hoc ſtare non poteſt; quia ut
,, Philoſophus dicit in 7. Phyſ. virtus
,, eſt quædam diſpoſitio perfecti: dico au-
,, tem perfectum, quod eſt diſpoſitum ſe-
,, cundum naturam. Ex quo patet, quod
,, virtus uniuſcujuſque rei dicitur in or-
,, dine ad aliquam naturam præexiſten-
,, tem; quando ſcilicet unumquodque ſic
,, eſt diſpoſitum, ſecundum quod congruit
,, ſuæ naturæ. Manifeſtum eſt autem,
,, quod virtutes acquiſitæ per actus hu-
,, manos, de quibus ſupra dictum eſt,
,, ſunt diſpoſitiones quibus homo conve-
,, nienter diſponitur in ordine ad na-
,, turam qua homo eſt. Virtutes autem
,, infuſæ diſponunt hominem, altiori
,, modo, & ad altiorem finem. Unde
,, etiam oportet, quod in ordine ad ali-
,, quam altiorem naturam, hoc eſt, in
,, ordine ad naturam divinam participa-
,, tam, quæ dicitur lumen gratiæ, ſecun-
,, dum quod dicitur 2. Petr. 1. maxima,
,, & pretioſa vobis promiſſa donavit, ut
,, per hæc efficiamini divinæ conſortes
,, naturæ, & ſecundum acceptionem hu-
,, juſmodi naturæ dicimur regenerari in
,, filios Dei. Sicut igitur lumen natura-
,, le rationis, eſt aliquid præter virtutes
,, acquiſitas, quæ dicuntur in ordine ad
,, ipſum lumen naturale: ita etiam ipſum
,, lumen gratiæ, quod eſt participatio di-
,, vinæ naturæ, eſt aliquid præter virtu-
,, tes infuſas, quæ a lumine illo derivan-
,, tur, & ad illud lumen ordinantur. ,,

Quarto, ex rationibus Theologicis.

Prima: Natura, ait D. Thomas poſt Philoſophum, eſt principium motus & quietis, quod maxime convenit ei qui immotus omnia movet: Atqui hoc ipſum gratiæ ſanctificanti proprium eſt; eſt enim eatenus motus principium, quatenus omnes virtutes, quæ ſunt bonorum operum cauſæ, in ipſa radicantur; quietis vero, cum det jus ad gloriam in quo omnis appetitus quieſcit. Igitur hæc gratia eſt divinæ naturæ participatio.

Secunda: Illa gratia eſt divinæ naturæ participatio, qua dii nominamur & ſumus: Atqui propter gratiam qua juſti & ſancti evadimus, vel ipſe Chriſtus nos vocat Deos: ſic enim habetur Joan. 16. 32. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis. Reſponderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum. Reſpondit eis Jeſus: Non ne ſcriptum eſt in lege veſtra: quia ego dixi, dii eſtis?* &c.

Tertia: Juſtus eſt imago Dei viva: Sed hanc egregiam dotem a gratia ſanctificante accipit: probatur duplici S. Joannis auctoritate. Prima habetur 1. Epiſtola 3. 1. his verbis: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus*. Non ipſam charitatem vocat participationem naturæ divinæ, ſed motivum quo pulſus hanc nobis dedit dignitatem; non enim naturæ divinæ proprietas, ſed ipſa natura facit filios Dei, cum filius ſit Patris expreſſio. Alter

locus

locus ibidem legitur v. 9. his verbis: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet*. Quodnam quæſo ſemen? Niſi gratia ſanctificans, quia juxta Evangeliſtam per eam ex Deo naſcimur? Quis autem cordatus nativitatem alteri rei quam naturæ productæ tribuerit: Igitur luce pomeridiana clarius apparet, gratiam ſanctificantem eſſe divinæ naturæ participationem; quandoquidem per eam ex Deo eatenus naſcimur, quatenus eſt hujuſmodi participatio, & veluti ſemen, ſeu natura deificans quæ in nobis remanet: hine mirabundus exclamat S. Leo ferm. 1. de Nativ. Domini: "Agnoſce, o chriſtiane, dignitatem tuam: "Et divinæ conſors factus naturæ, noli "in veterem vilitatem degeneri converſatione redire." Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

Objicies: Ideo gratia ſanctificans eſt participatio naturæ divinæ quia facit hominem filium Dei adoptivum: Atqui hæc ratio nulla eſt: Et probatur 1. Matth. 12. Chriſtus vocat fratres ſuos eos qui faciunt voluntatem Patris: homo etiam dicitur: *Filius Dei per fidem juxta illud* Galat. 3: *vos eſtis filii Dei per fidem*. Item & per charitatem; ſcriptum eſt enim 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus*. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, & virtutes denominant hominem filium Dei ratione gratiæ ſanctificantis a qua fluunt, ut proprietates ab eſſentia, concedo: ratione ſui, nego. Quia igitur virtutes in ſtatu perfecto neceſſariam habent cum gratia ſanctificante connexionem, & illam comitantur, ideo denominant hominem filium Dei adoptivum: ſic qui facit perfecte voluntatem Patris, cenſetur eſſe in gratia, & propter hoc Chriſtus vocat Apoſtolos fratres ſuos, quia erant juſti & Deo grati.

Inſtabis: Eſſe a ſe eſt naturæ Dei formaliter: ſed gratia non participat ens a ſe, cum ſit quid ex natura ſua finitum. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, gratia non participat ens a ſe adæquate & in ratione entis infiniti, concedo: inadæquate & ut ſic, nego: cum gratia ſit participatio ſolum analoga, non requiritur quod participet naturam Dei adæquate, alias eſſet ipſe Deus; ſed ſufficit quod participet in ratione entis ſanctis a quo fluunt omnes perfectiones ſupernaturales.

Urgebis: Non eſt verum dicere quod homo ſit Deus, quod participet omnipotentiam, & infinitatem; non enim poteſt dici omnipotens & infinitus: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo, homo per gratiam non denominatur Deus, ſimpliciter & per eſſentiam, concedo: ſecundum quid & per participationem, nego. Scriptum eſt enim Pſalmorum: *Ego dixi: dii eſtis & filii excelſi omnes*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Gratia ſanctificans eſt participatio naturæ divinæ.

PRIMO: Sic legitur 2. Petri 1. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*.

Secundo: Hoc ipſum colligitur ex Concilio Tridentino, quod ſeſſ. 6. Can. 11. de fide definit juſtificationem fieri per infuſionem gratiæ quæ in cordibus noſtris infunditur: quæ quidem verba de gratia quæ eſt participatio naturæ divinæ intelliguntur; loquitur enim ſacra Synodus de gratia quæ nos filios Dei adoptivos conſtituit, filiatio autem fundatur in ſimilitudine naturæ. Ergo &c.

Tertio: Ex D. Thoma hic quæſt. 110. art. 3. gratia habitualis non eſt fides aut ſpes, quippe quæ, amiſſa gratia, perſeverent: non utique charitas, ab ea enim entitative diſtinguitur, cum teſte Auguſt. lib. de dono perſ. c. p. 16. gratia hanc prævenit virtutem. Et vero prius eſt habere naturam quam amare, immo quam poſſe amare, quandoquidem potentia ſequitur ad naturam.

SYNOPSIS ARGUMENTORUM IN CONTRARIUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Nullus dicitur Filius Dei & Chriſti frater, niſi per fidem vivam & charitatem quæ in ipſa gratia ſanctificante radicantur, unde illam ſupponunt.

Secundo: Non opus eſt ad hoc, ut juſtus dicatur Deus per participationem ut ſit ens a ſe, alias eſſet ipſe Deus, ſed ſatis eſt

quod habeat gratiam ex qua virtutes, quę ſunt attributorum emanationes, fluunt ut proprietates ab eſſentia: hoc ipſum ſonat vox, *participare*, qui enim ſolum naturam participat, tantummodo partem habet, & hoc ad menſuram & analogice, quod ſane Scriptura notat, Verbum divinum a Filiis adoptivis ſecernendo, dicens Pater æternus: *Non ad menſuram dat filio*.

Tertio: Neque vero requiritur, ut filius adoptivus habeat omnipotentiam & infinitatem adæquate, ut Filius Dei æternus, ſed ſolum objective, quatenus per gratiam jus habet ad hæreditatem, quæ in viſione & poſſeſſione Dei omnipotentis & infiniti ſita eſt.

ARTICULUS SEXTUS.

De natura gratiæ perſeverantiæ.

PERSEVERANTIA ſumitur tripliciter: Primo quidem, pro virtute morali movente & inclinante animam ad bonum ubique & ſemper faciendum. 2. Pro ipſa in bono per aliquot aut menſes, aut annos perpetuitate. 3. Pro finali tum in virtute, tum in gratia & charitate conſtantia. De ea in tertio iſto ſenſu impræſentiarum agimus. Donum Dei eſſe inficiati ſunt audaces Pelagiani, eſſe vero ſpeciale abnegabant Semipelagiani. Contra quos ſit

CONCLUSIO.

Perſeverantia finalis, eſt donum Dei, & quidem ſpecialiſſimum.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

NON in uno aut altero loco, ſed in multis Scripturæ divinæ noſtram innuunt aſſertionem. Enimvero Sapientiæ 4. habetur de juſto: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*. Tum Pſalm. 120. *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum*. Rurſus Pſalm. 62. *Et Domini Domini exitus mortis*. Quæ quidem reduplicatio, ſicut raptus, & oratio pro exitu felici vitæ denotant perſeverantiam & eſſe donum ſpecialiſſimum & a miſericordia Dei ſolum expectandum juxta illud Rom. 9. *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei*. Quod ſane innuitur Matth. 24. his verbis: *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non ſalva fieret omnis caro, ſed propter electos breviabuntur dies illi*. Ergo &c.

Juvat tria alia proferre loca quibus utitur B. Auguſtinus ad probandum perſeverantiam finalem eſſe donum Dei ſpeciale, immo & ſpecialiſſimum. Primus habetur Philipp. 2. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut credatis in eum, verum etiam ut pro illo patiamini*. Quæ quidem verba ponderans S. Doctor lib. de dono perſev. cap. 2. num. 2. ait: "Quo „ conſtituto videamus utrum hæc perſeve„ rantia de qua dictum eſt: *Qui perſeve„ raverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. „ Quod ſi non ſit, quomodo verum eſt „ quod Apoſtolus ait: *Vobis donatum eſt „ pro Chriſto, non ſolum ut credatis in eum, „ verum etiam ut pro illo patiamini*. Horum „ quippe unum pertinet ad initium, al„ terum ad finem.... Quod enim eſt „ initium verius Chriſtiano, quam eum „ credere in Chriſtum? Quis finis melior, „ quam pati pro Chriſto. „

S. Auguſtinus ibidem iſtum alterum pro eodem momento celebrat locum Jerem. 32. 40. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant*. "Multo quippe dif„ ficilius, *inquit*, perſeveratur, ubi hoc „ agit qui perſequitur ne perſeveretur, „ & propterea uſque ad mortem ſuſtine„ tur, ut perſeveretur. Illam proinde „ difficilius perſeverantiam, iſtam facilius „ habere: ſed cui nihil difficile eſt, fa„ cile eſt utramque donare. Hanc enim „ promiſit Deus dicens: *Timorem meum „ dabo in cor eorum, ut a me non recedant*. „ Quod quid eſt aliud, quam talis ac tan„ tus erit timor meus, quem dabo in „ cor eorum, ut mihi perſeveranter adhæ„ reant? „

Tertium inſignem locum ſubtexit Doctorum aquila ibidem cap. 7. num. 14. ad eandem veritatem confirmandam: hunc ex Epheſ. 1. 11. deſumpſit, ſic enim loquitur: "Hanc gratiam poſuit: *In illo „ in quo ſortem conſecuti ſumus prædeſtinati „ ſecundum propoſitum ejus qui univerſa operatur*. Ac per hoc ſicut operatur ut „ accedamus, ſic operatur ne diſcedamus, „ pro-

„ propter quod ei per Prophetam dictum eſt. „ *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ*, „ *& ſuper Filium hominis quem confirmaſti* „ *tibi*, *& non diſcedimus a te*. „ Pſalm. 79. 18. Ex his ſequitur iſtud argumentum: illud eſt bonum ſpeciale quod ipſum fidei initium, quamvis a gratia, promanans multum excedit: Atqui ex B. Aug. tale eſt perſeverantiæ donum, bonum quidem initium ſed melior, ait, finis: a Deo donatur ut credamus in eum, ſed major gratia ut pro eo patiamini, hoc quippe difficilius eſt, quia inſtat perſecutor ne perſeveretur, unde facit Dominus potentiam in brachio ſuo dicens: *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant*. Sed magna & ſpecialis gratia eſt quæ confirmat hominem in bono etiam adverſantibus & renitentibus paſſionibus: hinc ſubjungit Auguſt. illud Prophetæ: *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ*, *& ſuper Filium hominis quem confirmaſti tibi*, *& non diſcedimus a te*. Ergo &c.

Secundo, ex Conciliis.

ARAUSICANUM ſecundum Can. 10. gratiam perſeverantiæ finalis tanquam ſpeciale donum delineat, his verbis: *Adjutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono opere poſſint perdurare*. Qua quidem ſententia Patres oſtendunt præter gratiam habitualem & auxilia conſueta quę Deus concedit omnibus juſtis, & ad quæ jus habent ratione Sacramenti & Pœnitentiæ & Euchariſtiæ quæ ſuſceperunt, alia requiri ad perſeverandum finaliter in bono ſpecialiora, unde vult Concilium, immo præcipit ut juſti ſemper orent, perpetua autem & continuata oratio reſpicit donum quoddam ſpeciale obtinendum. Igitur perſeverantia finalis eſt donum ſpeciale; ſiquidem eſt gratiæ ſpecialis effectus. Porro cauſa ſibi aſſimilat effectum, qui certe eandem cum illa ſortitur naturam, eaſdem habet proprietates & dotes. Divus Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 2. num. 3. rationem, quæ petitur ex orationibus continuis, plurimum urget contra Pelagianos & Semipelagianos ut eis probet perſeverantiam finalem eſſe donum Dei ſpeciale: " An vero, *ait*, quiſquam eorum „ eſt, qui non ſibi poſcat a Deo ut perſeveret in eo; cum ipſa oratione quæ „ Dominica nuncupatur .... Quando „ oratur a Sanctis, nihil pæne aliud quam „ perſeverantia poſci intelligatur. „

Tridentinum, totam dirimit et definit quæſtionem, his verbis ſeſſ. 6. Can. 22. *Si quis dixerit juſtificatum ſine ſpeciali Dei auxilio perſeverare poſſe*; *anathema ſit*. Rurſus, Can. 16. vocat perſeverantiam magnum Dei donum.

Tertio, ex Patribus, & Sanctis Doctoribus.

PRIMUS, occurrit Seraphicus Cyprianus egregius Chriſti Martyr qui hanc ſuſcipit provinciam probandam variis argumentis, ſeu potius ſententiis ex Orationis Dominicę petitionibus depromptis, quæ quidem Cypriani oracula fuſe explanat D. Auguſt. lib. de dono perſev. cap. 2. 3. 4. 5. de perſeverantia finali: ſic autem loquitur Beatus Chriſti Agonothetes lib. de Oratione Dominica: " *Dicimus ſanctificetur nomen tuum* .... A „ quo Deus ſanctificatur, qui ipſe ſanctificat? Sed quia ipſe dixit, ſancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum, id „ petimus & rogamus, ut qui Baptiſmo „ ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus, perſeveremus. „ Et infra: " Hanc continuis orationibus precem ſacimus, hoc diebus & noctibus poſtulamus, ut ſanctificatio & vivificatio quæ „ de Dei gratia ſumitur, ipſius protectione ſervetur. „ Subdit Auguſt. hic n. 4. ponderans illa verba: " In ſanctificatione igitur perſeverantiam, hoc eſt, ut „ in ſanctificatione perſeveremus, nos ab „ eo petere iſte Doctor intelligit, cum ſanctificati dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*. Quid eſt enim aliud petere quod „ accepimus, niſi ut id quoque nobis præſtetur, ne habere deſinamus. „

Proſequitur Cyprianus: explicans enim illam Chriſti ſententiam: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Ait: " Hunc autem „ panem dari nobis quotidie poſtulamus, „ ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti & non communicantes a cæleſti pane prohibemur, a „ Chriſti corpore ſeparemur. „ Subjun-

git Auguſt. hic cap. 4. num. 7. " Hæc „ verba ſancti hominis Dei perſeverantiam prorſus a Domino ſanctos indicant „ poſcere, quando hac intentione dicunt: „ *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Ne a Chriſti corpore ſeparentur, „ ſed in ea ſanctitate permaneant, qua „ nullum, quo inde ſeparari mereantur, „ crimen admittant, &c. „

D. Ambroſius eidem ſuffragatur veritati, namque lib. de fuga. ſæc. cap. 1. ait: " Frequens nobis de fugiendo ſæculo iſto „ ſermo; atque utinam quam facilis ſer„ mo, tam cautus & ſollicitus affectus: „ ſed quod pejus eſt, frequenter irrepit „ terrenarum illecebra cupiditatum, & „ vanitatum offuſio mentem occupat; ut „ quod ſtudeas vitare, hoc cogites animo„ que volvas. Quod cavere difficile eſt „ homini, exuere autem impoſſibile. De„ nique voti magis eam eſſe rem quam „ effectus, teſtatur Propheta dicendo: „ *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & „ non in avaritiam*. Non enim in poteſta„ te noſtra cor noſtrum & cogitationes „ noſtræ, quæ improviſo offuſæ mentem „ animumque confundunt, atque alio „ trahunt quam tu propoſueris: ad ſæcu„ laria revocant, mundana inſerunt, vo„ luptuaria ingerunt, illecebroſa intexunt, „ ipſoque in tempore quo elevare mentem „ paramus, inſerti inanibus cogitationi„ bus ad terrena plerumque dejicimur. „ Ex hac & infirmitatis humanæ & periculorum undequaque nos circumſtantium deſcriptione oſtendit Ambroſius opus eſſe gratia ſpeciali ad perſeverandum, maxime vero quia gratia communis & ordinaria tantummodo ad tempus, ſed non uſque in finem liberat a tentationibus; unde victoriam de inimicis ſalutis completam dicit: *Voti magis eam eſſe rem, quam effectus*. Quibus verbis definit pluſquam ſufficienter perſeverantiam finalem eſſe donum Dei ſpeciale, quin immo & ſpecialiſſimum.

S. Auguſtinus hanc veritatem ex profeſſo propugnat adverſus Pelagianos & Semipelagianos in libro toto perſ. cap. 1. num. 1. ubi pronuntiat: " Aſſerimus er„ go donum Dei eſſe perſeverantiam „ qua uſque in finem perſeveratur in „ Chriſto. „ Hanc probat concluſionem S. Doctor ibidem. 1. Ex definitione perſeverantiæ finalis quæ figit hominem in bono. 2. Cap. 2. ex orationibus quas ad hoc obtinendum ſine intermiſſione fundit Eccleſia. 3. Cap. 4. ex petitionibus quas in oratione Dominica fieri præcipit Chriſtus. 4. Ex aliis permultis quæ per ordinem referre non injucundum erit.

Quarto, rationes ſpeciales quibus S. Auguſtinus probat perſeverantiam eſſe ſpeciale Dei donum.

PRIMA ſic exponitur: Illud eſt ſpeciale donum quod non unam aut alteram gratiam, ſed multarum gratiarum ſeriem exigit tum ad tentationes occurrentes ſuperandas, tum ad præcepta uſque in finem adimplenda, tum ad vitam pro Chriſto Domino ſpe bonorum inviſibilium ſacrificandam; in qua quidem oblatione omnium tentationum maximam devincendam habemus, quatenus bona inviſibilia & nuſquam adhuc aut viſa, aut poſſeſſa, ſpretis ſenſibilibus, ſeligere propter Dei amorem noſtrum eſt: Atqui hæc omnia exigit & poſtulat perſeverantia finalis: ita Aug. qui lib. de prædeſt. SS. ipſam Sanctorum prædeſtinationem quæ perſeverantia finali clauditur, ſic definit donum perſ. cap. 14. num. 35. " Hæc eſt prædeſtina„ tio Sanctorum, nihil aliud: præſcien„ tia ſcilicet & præparatio beneficiorum „ Dei, quibus certiſſime liberantur, qui„ cumque liberantur. „

Secunda hæc ſuccedit alteri: Illud donum eſt ſpeciale, quod non eſt omnibus commune, immo quod & multis juſtis negatur, prædilectis vero ſolum conceditur: Atqui tale eſt perſeverantiæ finalis donum: Igitur eſt donum ſpeciale, iſtam affert rationem D. Auguſt. lib. de dono perſ. cap. 9. num. 21. his verbis: " Ex „ duobus itaque parvulis originali pecca„ to pariter obſtrictis, cur iſte aſſumatur, „ ille relinquatur; & ex duobus ætate „ jam grandibus impiis, cur iſte vocetur, „ ut vocantem ſequatur, ille autem non „ vocetur, aut non ita vocetur; inſcru„ tabilia ſunt Dei judicia. Ex duobus au„ tem piis, cur huic donetur perſeve„ rantia uſque in finem, illi non done„ tur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. „

Tertia: Illud donum eſt ſpeciale quod eſt effectus orationis ſpecialis & amicabilis ab ipſo Chriſto fuſæ, addo & beneficentiſſimæ.

tiſſimæ voluntatis: Atqui perſeverantia finalis eſt effectus talis orationis & voluntatis: ita Aug. lib. de corrept. & gr. cap. 8. num. 17. qui ponderans illa Chriſti ad Petrum directa verba Luc. 22. 32. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; Ait: “Ideo pro illo Chriſti non poſſet eſſe inanis ,, oratio. Quando rogavit ergo ne fi- ,, des ejus deficeret, quid aliud roga- ,, vit, niſi ut haberet in fide liberrimam, ,, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeveran- ,, tiſſimam voluntatem? ,, Ergo &c. Quod autem oratio illa fuerit ſpecialis & amicabilis, patet tum ex antecedentibus, tum ex conſequentibus: ex antecedentibus quidem: *Ecce ſatanas expetivit*, inquit, *vos ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, non hic orat pro aliis, verum pro Petro. Ex conſequentibus vero; ſic enim ſubjungit Chriſtus eundem alloquens Petrum: *Sed tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*. Toto mentis affectu & conatu petit Salvator a patre pro Petro in fide perſeverantiam, ut ipſe confirmet in eadem fide cæteros. Rurſus Aug. lib. de dono perſ. cap. 13. num. 33. “Un- ,, de ſatis dilucide oſtenditur, & incho- ,, andi, & uſque in finem perſeverandi ,, gratiam Dei, non ſecundum merita ,, noſtra dari; ſed dari ſecundum ipſius ,, ſecretiſſimam, eandem juſtiſſimam, ,, ſapientiſſimam, beneficentiſſimam vo- ,, luntatem. ,,

Quarta ſic procedit: Illud donum eſt ſpecialiſſimum quod tantas complectitur gratias, ut omnia & ipſum peccatum cedant in bonum electorum per pœnitentiam: Atqui perſeverantia finalis tales complectitur gratias: Eundem audiamus pro iſto momento Aug. qui lib. de corrept. & gr. cap. 7. num. 13. ait: “Qui- ,, cumque ergo ab illa originali damna- ,, tione iſta divinæ gratiæ largitate diſ- ,, creti ſunt, non eſt dubium quod & pro- ,, curatur eis audiendum Evangelium; & ,, cum audiunt, credunt; & in fide quæ ,, per dilectionem operatur, uſque in fi- ,, nem perſeverant; etſi quando exorbitant, ,, correpti emendantur, & quidam eo- ,, rum etſi ab hominibus non corripian- ,, tur, in viam quam reliquerant, redeunt; ,, & nonnulli accepta gratia, in qualibet ,, ætate, periculis hujus vitæ mortis cele- ,, ritate ſubtrahuntur: hæc enim omnia ,, operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ ,, operatus eſt eos, & qui elegit eos in fi- ,, lio ſuo. ,, Vides ineffabilem eſſe perſeverantiam, teſte Auguſtino, & miſericordiæ ac prædilectionis effectum, unde ibidem num. 14. ſubjicit: de talibus dicit Apoſtolus: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*.

Quinta eaque efficaciſſima: Gratia quæ in immenſum excedit gratiam Adami, ſpecialiſſima eſt: Atqui talis eſt perſeverantiæ donum. Igitur eſt donum ſpecialiſſimum: major patet, gratia quippe Adami & gratiam habitualem & dona ſancti Spiritus ad eam conſequentia, immo & gratias actuales ad præcepta fidei, ſpei & charitatis adimplenda complectebatur. Probatur igitur minor ex D. Aug. qui ibid. cap. 12. num. 35. ſic oſtendit gratiam novi Adæ gratiæ primi ſuperemineere, in eo maxime, quod det, etiam ſæviente & furente mundo, perſeverantiam in bono finalem: “Major quippe, *inquit S. Doctor*, libertas eſt neceſſaria adverſus ,, tot & tantas tentationes quæ in para- ,, diſo non fuerunt, dono perſeverantiæ ,, munita atque firmata, ut cum omnibus ,, amoribus, terroribus, erroribus ſuis ,, vincatur hic mundus: hoc ſanctorum ,, Martyria docuerunt. Denique ille, ,, & terrente nullo, & inſuper contra Dei ,, terrentis imperium libero uſus arbitrio ,, non ſtetit in tanta felicitate, in tanta ,, non peccandi facilitate: illi autem non ,, dico, terrente mundo, ſed ſæviente ,, ne ſtarent, ſteterunt in fide; cum vi- ,, deret ille bona præſentia quæ fuerat re- ,, licturus, iſti futura quæ accepturi fuerant ,, non viderent. Unde hoc, niſi donante illo ,, a quo miſericordiam conſecuti ſunt ut ,, fideles eſſent, a quo acceperunt ſpiri- ,, tum, non timoris, quo perſequentibus ,, cederent, ſed virtutis & charitatis ,, & continentiæ quo cuncta minantia, ,, cuncta invitantia, cuncta cruciantia ſu- ,, perarent? ,,

D. Thomas eidem ſubſcribit veritati hic quæſt. 109. art. 10. & triplicem affert pro aſſertione noſtra rationem. Prima petitur ex obligatione ingraveſcentes propellendi uſque in finem tentationes, quæ in toto vitæ curriculo, ſed maxime in articulo mortis urgent. Quanta enim, quæſo, requiritur gratia ut aliquis ſuam det

pro amore bonorum inviſibilium vitam ! Secunda, ex volubilitate cordis & mentis humanæ quæ tunc debet figi in bono, quod certe gratia ordinaria tum habitualis, tum actualis non præſtat; quot quippe juſti alias devoti, in bono uſque in finem non perſeverant? Tertia, ex corruptione naturæ quæ naturaliter magis ad malum quam ad bonum proprio pondere verſatur & propendit. Alteram ſubjicit rationem S. Doctor in corpore articuli. Juſtus inquit quamvis juſtus debet a Deo petere perſeverantiam, ex quo ſequitur eſſe donum Dei ſpeciale: " Perſeverantia, *ait*, tripliciter dicitur: quando-" que enim ſignificat habitum mentis, " per quem homo firmiter ſtat, ne remo-" veatur ab eo quod eſt ſecundum virtu-" tem per triſtitias irruentes ..... Alio " modo poteſt dici perſeverantia habitus " quidam, ſecundum quem homo habet " propoſitum perſeverandi in bono uſ-" que in finem. Et utroque iſtorum mo-" dorum perſeverantia ſimul cum gratia " infunditur, ſicut & continentia & " cæteræ virtutes. Alio modo dicitur " perſeverantia continuatio quædam bo-" ni uſque ad finem vitæ. Et ad talem " perſeverantiam habendam homo in gra-" tia conſtitutus non quidem indiget alia " aliqua habituali gratia, ſed divino au-" xilio ipſum dirigente & protegente con-" tra tentationum impulſus .... Et ideo " poſtquam aliquis juſtificatus eſt per gra-" tiam, neceſſe habet a Deo petere præ-" dictum perſeverantiæ donum, ut ſcili-" cet cuſtodiatur a malo uſque ad finem " vitæ, multis enim datur gratia, qui-" bus non datur perſeverare in gratia. "

Quinto, ex ulterioribus rationibus.

PRIMA, illud eſt Dei ſpeciale donum ad quod habendum non ſufficiunt gratia habitualis & actualis: Atqui ad perſeverantiam finalem obtinendam non ſufficiunt gratia habitualis & actualis: Igitur perſeverantia eſt donum Dei ſpeciale. Probatur minor, perſeverantia eſt conjunctio mortis cum gratia: Sed ad hoc præter gratiam & habitualem & actualem requiritur Providentia ſpecialiſſima, quæ ita diſponat cauſas tum univerſales cæleſtes, tum particulares & ſublunares, & mors immineat & adveniat in tempore quo adeſt copia confeſſoris, quo homo de peccatis conteritur, & eſt in charitate. Igitur ad perſeverantiam finalem non ſufficiunt gratia habitualis & actualis.

Secunda ad primam ſequitur: Quod non cadit ſub meritum eſt donum ſpecialiſſimum, excedit enim conatus gratiæ communis: Atqui perſeverantia finalis non cadit ſub meritum, quandoquidem incipit a prima gratia quæ eſt in nobis ſine nobis; & terminatur per providentiam extrinſecam & occultiſſimam quæ conjungit mortem cum charitate, quod certe eſt extra gratiæ ordinariæ metam: Ergo &c.

Tertia: Ideo homo non poteſt ſine privilegio omnia vitare per totum vitæ curſum peccata venialia, quia ad hoc requiritur ut homo contra inconſtantiam firmetur in bono: eamdem propter rationem per gratiam ſpecialiſſimam data eſt atque conceſſa & Beatiſſimæ Virgini, & ſanctis Apoſtolis in die Pentecoſtes impeccabilitas: Sed ad perſeverantiam finalem opus eſt ut juſtus firmetur immobiliter & pro ſemper, etiam adverſantibus & carne & mundo, in charitate: Igitur abſque ſpeciali admodum gratia nullus uſque in finem perſeverabit in bono, adeoque perſeverantia finalis eſt donum Dei ſpecialiſſimum, & omnium gratiarum maxima.

Fit ſatis objectionibus.

OBJICIES: Adamus per gratiam ſibi in creatione datam poterat perſeverare in bono: Sed gratia Chriſti non ſolum poſſe ſed & actu perſeverare tribuit: plus enim per Chriſtum reſtitutum eſt, quam ablatum juxta illud Rom. 5. *Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit. Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.* Igitur abſque gratia ſpeciali, ſed cum ea quæ dicitur communis, quiſque poterit perſeverare finaliter in bono: immo & quandoque actu perſeverabit. Unde perſeverantia finalis non dicenda eſt ſpeciale donum.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, gratia Chri-

Chriſti adæquate ſumpta non ſolum poſſe, ſed & actu perſeverare finaliter in bono tribuit, concedo : gratia inadæquate ſumpta, nego. Gratia Chriſti poteſt ſumi dupliciter, primo quidem inadæquate & ſic complectitur gratiam habitualem & aliquas actuales gratias : Secundo vero adæquate ; & ſub iſto reſpectu nedum gratiam ſanctificantem, charitatem & virtutes dicit, atque aliqua auxilia ſeu adjutoria, ſed & ſeriem gratiarum quæ omni tempore, tum ad propellendas tentationes irruentes, tum ad præcepta adimplenda neceſſariæ ſunt : immo importat & gratias extrinſecas, puta providentiam ſpecialem quæ mortem conjungat cum charitate, quæ quidem gratia multis conceditur, unde verum eſt gratiam Chriſti ſuperabundare ubi regnavit delictum, & gratiam Adami excedere. Solutio eſt D. Thomæ qui hic 1. 2. q. 109. art. 1. ad 3. ſic reſpondet ad argumentum : " Dicendum, quod „ ſicut Auguſtinus dicit in l. de natura „ & gratia, homo in primo ſtatu accepit „ donum per quod perſeverare poſſet, non „ autem accepit, ut perſeveraret : nunc „ autem gratiam Chriſti multi accipiunt „ & donum gratiæ quo perſeverare poſ„ ſunt, & ulterius eis datur, quod per„ ſeverent ; & ſic donum Chriſti eſt ma„ jus quam delictum Adæ. „

Inſtabis : Illud non eſt donum ſpeciale quod eſt effectus gratiæ communis omnibus juſtis : Atqui tale eſt perſeverantia finalis : Et probatur : Juſtus illam promereri poteſt, juxta illud Aug. l. de dono perſ. cap. 6. n. 10. " Neque enim me„ tuendum eſt, ne forte cum perſevera„ verit homo uſque in finem aliqua in eo „ mala voluntas oriatur, ne perſeveret „ uſque in finem. Hoc ergo Dei donum „ ſuppliciter emereri poteſt. „ Confirmatur. Juſtus eo ipſo quo in charitate manet, cum uno aut altero auxilio poteſt vitam æternam promereri : Igitur & abſque gratia ulteriori ſpeciali perſeverantiam finalem ; qui enim poteſt habere finem, a fortiori & medium poterit obtinere, cum fine ſit anterius.

Reſpondeo negando minorem : Ad probationem diſtinguo, ex Auguſtino hoc donum emereri poteſt, id eſt, orationibus impetrari, concedo : hoc enim ſonat iſta ſancti Doctoris particula, *ſuppliciter*, maxime cum in capite 2. 3. 4. & 5. probaverit perſeverantiam Oratione Dominica expoſtulandam eſſe ; unde ſubdit poſtea cap. 6. n. 10. " Sed nolunt, ut ſcribitis, iſti „ fratres ita hanc perſeverantiam præ„ dicari, ut non vel ſuppliciter emere„ ri, vel amitti contumaciter poſſit. „ Emereri poteſt, ſubdiſtinguo, merito de congruo, concedo : merito de condigno, nego. Meritum de congruo in quadam fundatur decentia : Meritum vero de condigno in juſtitia. Cum igitur juſti faciant Dei in omnibus voluntatem, conveniens videtur ut & Deus concedendo perſeverantiam, eorum adimpleat vota ; ſed hanc ex juſtitia non debet, tum quia incipit a prima gratia quæ eſt in nobis ſine nobis, tum quia terminatur & conſummatur per providentiam ſpecialem quæ jungit mortem cum gratia & figit hominem immobiliter in bono, quod certe gratia omnibus juſtis communis non operatur, alias omnes finaliter in bono cœpto perſeverarent, cujus tamen contrarium non ſemel apparet. Igitur perſeverantia finalis eſt donum ſpeciale, nec ſine gratia admodum ſpeciali comparari poteſt.

Ad confirmationem, nego paritatem, qui enim promiſit coronam vincentibus, non promiſit victoriam, militis eſt legitime certare, ut poſſit, ſi non via meriti, ſaltem via impetrationis obtinere præmium. Ad id vero quod ſubjicitur in objectione, qui poteſt habere finem, poteſt habere & media, diſtinguo : aliqua, concedo : omnia ſubdiſtinguo, ſi ſint debita, concedo : ſi non ſint, nego. Multa ſunt media quibus homo pervenit ad vitam æternam, videlicet gratia habitualis, auxilia actualia, perſeverantia finalis : juſtus poteſt quidem promereri augmentum gratiæ ſanctificantis, auxilia actualia, eaque intrinſeca, conſequenter & vitam æternam, quandoquidem bona opera in charitate facta, nedum ad auxilia, ſed & ad gloriam conſtituunt & dant jus, ipſique ſunt proportionata, ſed non habent jus ad primam gratiam, quippe ſit totius meriti principium : non ad providentiam ſpecialem & extrinſecam quæ cuncta diſponit, ut mors cum gratia conjungatur ; hoc beneficium nemini ex juſtitia debet Deus, unde ſi perſeverantiam finalem concedat, beneficium magnum eſt, quod innuit Jeremias Thr. 3. dicens tam pro peccatoribus quam pro juſtis :

Miſe-

Miſericordia Domini quia non ſumus conſumpti ..

Inſiſtes : Juſtus poteſt perſeverare finaliter cum ſolo gratiæ habitualis & actualis auxilio ad quod jus habet: Igitur & ſine ſpeciali gratia actu perſeverabit : Probatur conſequentia : 1. Poſſibili poſito in actu , non ſequitur abſurdum . 2. Juſtus in juſtificatione , nedum virtutes & dono Spiritus ſancti recipit , ſed & ipſam perſeverantiam . Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad primam probationem, diſtinguo : poſſibili poſito in actu non ſequitur abſurdum ſi potentia ſit completa & in actu primo & in actu ſecundo , concedo : ſi ſit completa tantum in actu primo, nego. Voluntas humana poteſt ſpectari in triplici ſtatu. 1. Cum gratia præveniente . 2. Cum gratia habituali & auxiliis ad quæ iſta gratia dat jus. 3. Cum ipſa providentia dirigente, cuſtodiente & protegente . Per gratiam prævenientem habet poſſe perſeverare per habitualem & auxilia ordinaria, habet magis proximum; per providentiam adjuvantem habet ipſum actuale perſeverare. Ad aliam probationem ſeu confirmationem, diſtinguo utique , juſtus in juſtificatione accipit perſeverantiam virtutem, concedo : perſeverantiam finalem , nego: Accipit quidem perſeverantiam primam quæ eſt habitus inclinans tum mentem , tum voluntatem ad perſeverandum in bono , ſed non alteram quæ eſt conjunctio mortis cum gratia.

Repones : Atqui per gratiam habitualem, per auxilia ordinaria & ipſam perſeverantiam virtutem juſtus poteſt actu habere perſeverantiam finalem: ergo nulla ſolutio . Probatur ſubſumptum , per hunc gratiarum apparatum juſtus perſeverare poteſt in gratia & in juſtificatione accepta, per unum aut alterum menſem, & hoc multoties compertum habemus : ſed quandoque peccator pœnitens poſt octo a confeſſione & juſtificatione dies , obiit in Domino , quot enim juſti apoplexia correpti quieſcunt in pace? Igitur abſque ſpeciali gratia juſtus non ſemel etiam actu perſeverat finaliter in bono.

Reſpondeo negando ſubſumptum : Ad probationem diſtinguo , juſtificatus poteſt perſeverare ut ſic in bono per menſem , vel etiam per annum cum gratia habituali , cum auxiliis illam ſubſequentibus & cum perſeverantia virtute, concedo : poteſt perſeverare actu finaliter, hoc eſt , actu uſque ad mortem incluſive perſeverabit ſine ſpeciali auxilio , nego. Quinimmo mortem coniungi cum gratia eſt beneficium omnium maximum : Quis enim abſque Deo ſpecialiter protegente & figetur immobiliter in bono, & vitam pro bonis ſpiritualibus abnegando & abiiciendo præſentia, offeret Deo in ſacrificium, maxime vero cum ſola fide teneat bona æterna; ſenſibilia vero ſint præſentia .

Perſiſtes : Mors ſpecialem non inducit difficultatem : Igitur cum gratiis ordinariis & juſtis communibus aliquis hic & nunc poterit perſeverare, immo & perſeverabit. Probatur antecedens : Primo quidem quia ſtatutum eſt omnes ſemel mori : quid dicam? Ipſi languentes ut plurimum cupiunt diſſolvi . 2. Multi etiam inter Paganos abſque gratia inſpirante , pro patria vitam dederunt. Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens . Mors enim terribilis eſt , unde & tentationum maxima eam comitatur . Et vero quomodo abſque ſpecialis gratiæ auxilio aliquis poterit pro Deo quem non vidit, & ſola bonorum inviſibilium innixus ſpe mori . Ad primam probationem diſtinguo , ſtatutum eſt in pœnam peccati omnes ſemel mori , ſed arduum & difficile admodum eſt mori in gratia & propter Deum, concedo : dum enim mens ad bona attendit inviſibilia, ad alia cito, reclamantibus paſſionibus & tentatore , rapitur : & non eſt arduum atque difficile, nego. Ad ulteriorem probationem dico languides ut plurimum tædio dolorum confectos & victos mortem, ut a præſentibus malis exuantur, deſiderare : ſed quæſtio præſens movetur de bona & pretioſa morte, ad quam certe ſpecialis requiritur gratia . Ad aliud exemplum ſimiliter diſtinguo : multi motivo ſuperbiæ, vitam pro patria dederunt, concedo : motivo ſupernaturali, ſubdiſtinguo, gratia ſpecialiſſima adjuti , ut Machabæi, qui, furente Antiocho, vitam pro patriis & ſanctis legibus ultro dederunt , concedo : abſque gratia ſpecialiſſima , nego. Quod autem Pagani in ſubeunda pro patria morte, ſuperbiæ motivo ducti ſint, aſſerit Conc. Arauſicanum II. can. 17. his verbis : " Fortitudinem Gentilium ,, mundana cupiditas, Chriſtianorum divina ,, facit charitas. ,,

Di-

Dices: Ergo ex Concilio charitas ſufficit ad perſeverandum finaliter in bono, quando quidem dat fortitudinem neceſſariam ad propellendas inſurgentes in articulo mortis tentationes; nam Concilium loquitur de martyrio. Confirmatur: Charitas augetur per bona opera: Igitur uſque ad perfectam diem & prætioſam mortem cum gratiis conſuetis poteſt creſcere & de facto crevit in ſanctis Martyribus.

Reſpondeo diſtinguendo ſequelam: Charitas ſufficit pro motivo perſeverantiæ finalis, concedo: ſufficit pro ipſo perſeverantiæ actu, ſeu potius pro perſeverantia conſummata, nego. Norunt omnes multas cauſas ad eumdem concurrere actum: primoquidem, eſt cauſa moralis & motiva; deinde vero eſt cauſa efficiens & phyſica. Charitatem eſſe bonæ mortis motivum ſufficiens nemo non videt, cum cuncta ad Deum dirigat & promoveat: & de hac cauſa motiva loquitur Arauſicanum; inſtituens enim inter mortem Martyrum religionis, & Paganorum tormenta perpeſſa uſque ad mortem pro patria comparationem, illorum pretioſam dicit, quia pro amore Chriſti eam haud impigre ſubierunt Chriſtiani permulti: mortem vero Gentilium pro patria abominabilem, aſſerit, quia ortum duxit a vanitate & eamdem pro fine habuit; ſed cum de aliis bonæ mortis cauſis ſermonem habet Concilium, exigit gratiarum multarum ſeriem, immo orationem continuam ad obtinendam perſeverantiam finalem, ſeu providentiam ſpecialem quæ mortem cum gratia in æternum conjungat. Et opus Dei donum eſſe teſtatur can. 10. *Adjutorium Dei etiam renatis, ac ſanctis*, inquit, *ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono opere poſſint perdurare*.

Ad confirmationem diſtinguo: Bona opera merentur augumentum charitatis ut ſic, concedo: charitatis conſummatæ & immobilis, nego. Hanc quippe & conſummationem, & immobilitatem non habet niſi per conjunctionem mortis cum ſeipſa, unde ſine providentia ſpeciali non creſcet actu uſque ad perfectam diem ſeu gloriam.

Inſtabis: Abſque ulteriori cauſa vanitas operata eſt in Paganis ſufficienter ut actu mortem ſubirent: Igitur & cum gratiis ordinariis ſcilicet habituali & actuali charitas Dei fortitudinem illam, quæ mortem conjungat cum gratia, operabitur; maxime vero quia Concilium comparat utramque fortitudinem, Gentilium ſcilicet & Chriſtianorum ad invicem.

Reſpondeo negando paritatem, nam ut non in uno, ſed in pluribus locis diſſerit Auguſtinus, præcipue vero in libris de corr. & gr. de præd. SS. voluntas humana de ſe ſufficiens eſt ad malum, ad bonum vero non niſi adjuta a Deo: ad perſeverandum autem non niſi maxime confortata & ſpecialiter corroborata tum adverſus inimici in articulo mortis rugientis inſidias, tum contra propriam & innatam fragilitatem.

Replicabis: Si perſeverantia finalis eſt donum ſpecialiſſimum, non eſt in hominis poteſtate perſeverare finaliter in bono: ſed abſurdum conſequens, ſic enim induceretur fatum in vitam humanam, quando quidem nulli homini foret liberum ſalvari: Ergo & antecedens.

Reſpondeo diſtinguendo: Non eſt in hominis poteſtate phyſice perſeverare finaliter, concedo: moraliter & viribus gratiæ, nego. Non eſt in hominis poteſtate abſque gratiæ actualis auxilio perſeverare finaliter in charitate, ut contendebant Pelagiani, quorum errorem perſtringit Auguſtinus in toto libro de dono perſeverantiæ; ſed eſt moraliter, & per gratiam ſpecialem quam Deus non denegat ſuppliciter & perſeveranter petentibus: Hinc Patres Concilii Arauſicani adhortantur renatos & Sanctos, ut adjutorium Dei ad hunc effectum ſemper & ſine intermiſſione implorent: hoc ipſum conſulit Auguſtinus l. de dono perſeverantiæ cap. 2. 3. & 4. Igitur juſti per gratiam habitualem, & auxilia actualia poſſunt perſeverare: per gratiam vero ſpecialem qualem iterum atque iterum delineavimus, actu perſeverant; quæ quidem gratia tameſi maxima, cenſetur tamen eſſe moraliter in noſtra poteſtate, quatenus Deus exaudire vult ſupplicantium vota, juxta illud Pſalmiſtæ Pſal. 144. 19. *Voluntatem timentium ſe faciet*.

SYNOPSIS PROBATIONUM,

Perſeverantia finalis eſt magnum Dei donum.

PRIMO: Hoc ipſum indigitat Scriptura ſa-

ſacra non in uno aut altero, ſed in multiplici loco, maxime in libro Sapientiæ cap. 4. ubi de juſto ſic loquitur: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*. Cui concinit illud Pſal. 62. *Et Domini Domini exitus mortis*.

Secundo: Hoc ex profeſſo probat S. Auguſtinus contra Pelagianos & Semipelagianos in toto libro de dono perſeverantiæ. Juvat unam ex iſto tractatu depromere ſententiam. Cap. 7. n. 14. ſanctus Doctor ſic loquitur: " Hanc gratiam in „ illo ex quo ſortem conſecuti ſumus, „ prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus „ qui univerſa operatur, ac per hoc ſi- „ cut operatur ut accedamus, ſic operatur „ ne diſcedamus, propter quod ei per „ Prophetam dictum eſt: *Fiat manus tua* „ *ſuper virum dexteræ tuæ & ſuper Filium* „ *hominis, quem confirmaſti tibi, & non diſ-* „ *cedimus a te*. „ Pſal. 79. 18.

Tertio; Ratio a priori ea cenſetur: Perſeverantia finalis duo potiſſimum importat & exigit, videlicet multarum gratiarum ſeriem, deinde vero providentiam ſpecialem cujus diſpoſitione cuncta ſic ordinentur, ut cedant in bonum hominis in finem uſque, & mors cum charitate conjungatur; quod quidem donum eſt ſpeciale, & eo majus, quo paucioribus conceditur. Sane non fecit taliter omni nationi Dominus, cum multi etiam inter juſtos finaliter in bono nec perſeveraverint, nec etiam perſeverent.

Synopſis reſponſionum quibus abſque negotio diluuntur objectiones.

PRIMO: Fruſtra obiicitur Adam cum ſola gratia in creatione accepta potuiſſe perſeverare: quandoquidem actu non perſeveravit: nunc autem gratia Chriſti robuſtior eſt, inquit Auguſtinus, ea quippe datur multis juſtis, non ſolum ut poſſint perſeverare, ſed ut actu de facto perſeverent.

Tertio: Perperam utique dicitur in contrarium perſeverantiam finalem, ipſo teſte Auguſtino, iuſtos mereri poſſe, adeoque non eſſe ſpecialem gratiam; loquitur enim S. Doctor tantum de merito improprie dicto, id eſt, perſeverantia precibus advocari poteſt.

Tertio: Nec inde ſequitur non eſſe in hominis poteſtate perſverantiam habere, ſeu in bono finaliter perſeverare: enimvero oret, ieiunet, crucem ferat, pœnitentiam agat in cilicio, & cinere, & tantam habebit gratiam: Sic enim intonat B. Petrus 1. epiſt. 1. 20. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*.

DIS-

DISSERTATIO QUARTA DE NECESSITATE GRATIÆ.

PELAGIUS, ut jamjam dictum eſt, negavit omnem gratiam, & conſequenter ejus abnegavit neceſſitatem. Calvinus in alterum prolapſus eſt exceſſum: non enim ut prior hominem naſci innocentem, ſed potius ita inquinatum voluit, ut vel ipſa juſtorum opera dixerit propter Adæ peccatum penitus corrupta. Joannes Hus in tranſverſum raptus, voluit gratiam eſſe abſolute neceſſariam ad opera non ſolum ſupernaturalis, ſed & naturalis ordinis: Janſenii ſententia iſti affinis eſt, quippequi exigat fidem ad opera omnis ordinis, cujus defectu cuncta infidelium opera eſſe peccata contendit. Singulos debellare animus eſt, ſed maxime Pelagium, contra quem propugnamus & dicimus, gratiam actualem eſſe neceſſariam ad opera ſupernaturalis ordinis facienda, juxta illud Chriſti Joan. 6. *Sine me nihil poteſtis facere*.

Dogma de neceſſitate gratiæ quatuor præcipue momentis oſtenditur & ſtabilitur.

PRIMO: Quia gratia eſt neceſſaria ad verum ſupernaturale cognoſcendum.
Secundo: Ad bonum faciendum.
Tertio: Ad vitandum peccatum.
Quarto: Ad perſeverandum in bono.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum gratia actualis ſit neceſſaria ad cognoſcendum verum?

VERUM duplex diſtinguitur; unum ordinis naturalis, qualis eſt cognitio rerum, de quibus tractant Philoſophi, & Mathematici: alterum ſupernaturalis gradus, complectens fidei veritates & myſteria. Certum eſt hominem innatis viribus poſſe cognoſcere veritates naturales, dicente Apoſtolo, Rom. 1. *Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* Quocirca quum idem dicit 2. Cor. 3. *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt;* intelligit res ſupernaturales ad ſalutem operandam conducentes. Et vero experientia probatur quotidiana, multos proprio marte naturales ſcientias comparare: Quinimmo ea ratione dicuntur naturales, quia ſunt potentiæ cognoſcitivæ hominis commenſuratæ & proportionatæ. Non diffitemur tamen cum S. Thoma hic quæſt. 109. art. 1. omnes veritates naturales collective ſumptas citra gratiæ opem ab homine non cognoſci; nomine autem gratiæ ſanctus Doctor intelligit aut ſcientiam infuſam, aut Prophetiæ, vel ſapientiæ donum, qua donatus eſt Salomon, qui præclare diſſeruit de rebus omnibus naturalibus ab hyſſopo ad cedros uſque Libani. Dixi hominem veritates omnes naturales collective, ſecluſo ſpeciali Dei auxilio, non poſſe cognoſcere, quandoquidem vita ad tantam ſcientiam aſſequendam brevior eſt, terrena quippe inhabitatio, teſte Apoſtolo, deprimit ſenſum multa cogitantem. Quid plura adjiciam? Multa ſunt abſcondita in elementis, tum plantis & mineralibus, quæ ſi objicerentur oculis, ea abſque negotio diſcuteret & cognoſceret Philoſophus: Sed Deus, cujus viæ veritas & juſtitia, in pœnam peccati ad humiliandum hominem, vel etiam ad ejus excitandam ſocordiam abſcondit; juxta illud Eccli. 3. *Mundum tradi-*

Digitized by Google

tradidit diſputationi eorum. His prælibatis atque ſuppoſitis ſit

CONCLUSIO.

Nemo abſque gratia veritates ſupernaturales cognoſcere non valet.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura ſacra.

MATTH. 11. habetur: *Nemo novit filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit niſi filius, & cui voluerit filius revelare*. Sed eodem modo ratiocinandum eſt de omnibus myſteriis & veritatibus ſupernaturalibus: Ergo &c. Probatur minor: Myſteria, vel ſunt ipſe Deus, ut ſanctiſſima Trinitas; vel aliquid Dei, qualis eſt incarnatio Dominica; vel aliquid ad ipſum Deum pertinens, & ab ipſo dependens, ut prædeſtinatio Sanctorum, & gratia: Sed hæc omnia humanam prorſus fugiunt mentis aciem: Ergo &c.

Secundo, ex Conciliis.

VARIA adunata ſunt in Africa contra Pelagianos, quæ quidem illos anathemate percutiunt hæreticos, eo quod dicerent intellectum creatum cum Lege ſufficere ad omne verum cognoſcendum, & bonum omne operandum. Concinit generale Viennenſe, in quo damnantur Beguardi & Beguinæ qui ſibi tribuebant cognitionem Dei, ut auctoris gratiæ, connaturalem; ſuo quoque perſtringunt ſtylo cenſorio Patres qui ſcripſere contra Anomæos, eo quod tantam ſibi tribuerent ſanctiſſimæ Trinitatis cognitionem, quantam vel ipſæ perſonæ de ſe ipſis habent.

Tertio, ex divo Thoma.

S. DOCTOR hic q. 109. art. 1. probat ex profeſſo concluſionem, cujus ratio ſic proponitur. Nihil poteſt agere contra virtutem ſibi innatam, niſi per aliquam formam extrinſecus ſuperadditam, adjuvetur: Atqui veritates ſupernaturales ſunt ſupra connaturalem intellectus creati virtutem: ſi quidem pertinent ad Deum, ut ipſius gratiæ auctorem, ſeu ut in ſe videndum & poſſidendum: Ergo &c.

Juvat hic texere verba S. Doctoris: " Sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, ſcilicet ipſum intelligibile lumen, quod eſt de ſe ſufficiens ad quædam intelligibilia cognoſcenda; ad ea ſcilicet in quorum notitiam per ſenſibilia poſſumus devenire: Altiora vero intelligibilia intellectus humanus cognoſcere non poteſt, niſi fortiori lumine perficiatur: ſicut lumine fidei, vel prophetiæ; quod dicitur lumen gratiæ, in quantum eſt naturæ ſuperadditum. Sic igitur dicendum eſt, quod ad cognitionem cujuſcumque veri, homo indiget auxilio divino, ut intellectus a Deo moveatur ad ſuum actum: non autem indiget ad cognoſcendam veritatem in omnibus nova illuſtratione ſuperaddita naturali illuſtrationi; ſed in quibuſdam, quæ excedunt naturalem cognitionem: & tamen quandoque Deus miraculoſe per ſuam gratiam aliquos inſtruit de his quæ per naturalem rationem cognoſci poſſunt: ſicut & quandoque miraculoſe facit quædam quæ natura facere poteſt. "

Hæc ratio ulterior additur præcedentibus. Homo non cognoſcit naturaliter abſcondita cordis alterius hominis, tametſi ſint quid naturale, ſed liberum: Igitur a fortiori, ſecluſa gratia, nequit cognoſcere veritates ſupernaturales, quippe quæ in ipſo Deo ſint abſconditæ; unde dicit Apoſtolus Heb. 11. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*. Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: Iſaiæ 65. habetur: *Invenerunt qui non quæſierunt me*: Sed qui invenit Deum non quærens, invenit & cognoſcit abſque auxilio gratiæ: & probatur. Invenit ſine labore ſaltem arduo, ad quem ſolum exigitur gratia: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Invenerunt qui non quæſierunt me, eo quod eos gratia mea prævenerit, concedo: citra gratiæ opem, nego: Et ſic &c. Eo loci Iſaias de vocatione gentium loquitur, quæ dubio-procul eſt magna gratia; quæ certe prævenit Gentiles, nam teſte Concilio Arauſicano II. can. 9. eſt in nobis ſine nobis: Igitur non ſine magnis exanthlatis laboribus gentiles ad fidem acceſſerunt, quandoquidem juxta Apoſtolum

lum Rom. 1. inter illos multi cognoverunt Deum, ſed non ex mentis hebetudine, & cordis ſecordia, ſicut Deum glorificaverunt: *Invenerunt qui non quæſierunt me*, hoc eſt gratia mea illos prævenit, ut bonis inſudarent operibus, & ab idolis ad me ſe ſe converterent: quod autem propheta loquatur de vocatione gentium qui loco infidelium Judæorum ſubſtituti ſunt, expreſse enarrat Iſaias his verbis: *Quæſierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæſierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego: ad gentem quæ non invocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*. Et ſic patet ſolutio ad probationem.

Inſtabis: Quod eſt homini connaturale, fieri poteſt abſque gratiæ auxilio; Atqui cognitio Dei, qui eſt ſumma veritas, eſt homini connaturalis: Et probatur. Juſtinus martyr aſserit hanc cognitionem eſſe homini a natura inſitam; ſic loquitur Apol. prima quæ eſt ſecunda; „ Dei ap„ pellatio nomen non eſt, ſed rei inenar„ rabilis naturæ omnium indita opinio. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Cognitio Dei ut auctoris naturæ eſt naturalis, concedo; ut auctoris gratiæ, nego. Ad probationem S. Juſtinus loquitur in primo ſenſu, & unum tantummodo intendit, ſcilicet dari ideam ingenitam Dei ut auctoris naturæ; in quo utique ſenſu Tertullianus ait, animam eſse naturaliter Chriſtianam.

Perſiſtes: Atqui Deum etiam ut gratiæ auctorem, homo viribus innatis poteſt cognoſcere: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Deus ut auctor gratiæ, tametſi ſuperioris naturæ ordinis, manet ſemper objectum intellectus, quod in tota ſua latitudine verum naturale ſimul & ſupernaturale complectitur: Sed intellectus creatus vi ſua ingenita ſuum poteſt attingere objectum: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: Deus ut auctor gratiæ manet ſemper objectum intellectus creati, ſed ſuperioris ordinis, concedo; naturalis ordinis, nego. Quocirca verum ſupernaturale, nonniſi objectum extenſivum intellectus creati nuncupatur; hoc eſt, iſta facultas ope gratiæ poteſt ſe ſe extendere ad illud objectum, eo quod ſit quid verum.

Perges: Supernaturalitas non extrahit Deum, ut auctorem gratiæ, extra objectum ſpecificativum intellectus creati, adeoque extra ſphæram activitatis potentię; Igitur vi innata intellectus creatus poteſt cognoſcere verum etiam ſupernaturale.

Reſpondeo diſtinguendo: Supernaturalitas non extrahit Deum extra objectum extenſivum, concedo; connaturale, nego. Ultro fatemur, verum in tota ſua latitudine complecti verum creatum, & increatum; adeoque & eſse objectum mentis creatæ; at ſuperioritas ordinis illud extrahit e linea obiecti connaturalis; ex quo fit potentiam in actu exercito non poſse abſque gratia actum elicere circa Deum cognoſcendum, ut auctorem gratiæ.

Replicabis: Potentia fertur ad id quod eſt in ſuo obiecto perfectius, cum eo ſolum ſcopo ad illud tendat, ut ex eius unione perficiatur; Sed nemo non novit Deum ut auctorem gratiæ eſse obiectum omnium perfectiſſimum: Ergo &c.

Reſpondeo diſt. maiorem: Si fieri poteſt concedo; ſin minus, nego; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Deus ut auctor gratiæ eſt obiectum quidem perfectiſſimum, ſed vires excedens naturæ, quæ nonniſi adiuta per gratiam illud attingere valet. Quinimmo hoc ipſum exigit conatus, cum ſit ad obiectum ſupra naturam.

Perſiſtes: Atqui verum ſupernaturale, non excedit naturæ vires: Ergo &c. Probatur ſubſumptum a paritate. Tametſi ſcientiæ naturales excedant captum pueri trium annorum, manent tamen ſemper intellectus creati connaturale obiectum; Igitur & verum ſupernaturale, quamvis ſit ordinis ſuperioris.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probationem, nego paritatem, quandoquidem ſcientiæ naturales ſunt commenſuratæ cum innata mentis acie, & eſt per accidens ac defectu organorum nondum ſufficienter elaboratorum, quod excedant captum pueri: Sed Deus ut auctor gratiæ eſt obiectum intrinſece ſupernaturale. Jam vero ſi ſupernaturale, dubio-procul excedit, alias non eſset ſuperioris ordinis obiectum; Igitur, ſecluſa gratia, nequit ab homine cognoſci.

Inſurges: Suppoſita elevatione, homo naturaliter habet ad beatitudinem æter-

nam appetitum : Igitur & illam naturaliter cognoſcit.

Reſpondeo diſtinguendo : Habet appetitum ad beatitudinem in communi, concedo : ad hanc vel talem in individuo, ſubdiſtinguo : ad beatitudinem naturalem, concedo : ſupernaturalem, nego. Homo quidem eſt ordinatus ad finem ſupernaturalem; Deus eum illi manifeſtat vel per fidem, vel per gratiam interius illuminantem, unde appetitus naturalis ſolum ut elevatus tendit ad finem illum admirabilem.

Inſtabis : Beatitudo ſupernaturalis debetur juſto, maxime ſi longo tempore ſeſe in charitate exercuerit : Igitur verum ſupernaturale poteſt attingi viribus naturæ ab intellectu creato.

Reſpondeo, argumentum Beguardorum implicare in terminis : ſi enim homo eſt juſtus & ſanctus, quid mirum ſi cognoſcat finem ſupernaturalem, cum fide fulgeat. Beatitudo igitur non debetur naturæ, ſed ſoli gratiæ, adeoque ſine eadem cognoſci nequit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo ſecluſo Dei auxilio non poteſt cognoſcere veritates ſupernaturales.

PRIMO : Hoc colligitur ex Scriptura ; Matth. 11. habetur : *Nemo novit filium, niſi Pater : neque Patrem quis novit, niſi filius, & cui voluerit filius revelare* : Sed eadem eſt ratio de cæteris rebus ſupernaturalibus : Ergo &c.

Secundo : Concilium Viennenſe damnavit Beguardos & Beguinas, eo quod viſionem Dei intuitivam ſibi connaturalem crederent : Ergo &c.

Tertio : Ratio in promptu eſt : Quod omnem naturæ ordinem tranſcendit, ſine gratia non poteſt cognoſci : ſed veritates ſupernaturales ſunt hujuſmodi : Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO : Quum Deus ait per Iſaiam, *invenerunt qui non quærebant me*; non argumentum eſt Deum ut auctorem gratiæ cognoſci naturaliter, ſed potius ſolum per gratiam, quæ eſt in nobis ſine nobis, & prævenit mentem ſuis illuſtrationibus.

Secundo : Nec refragantur Patres quando aſſerunt cognitionem Dei eſſe homini a natura inſitam, quippequi loquantur de Deo creatore, nuſquam vero de eo ut eſt remunerator & auctor gratiæ.

Tertio : Non negamus Deum ut auctorem gratiæ contineri intra objecti extenſivi noſtræ mentis ſphæram : non tamen intra objecti proportionati limites, unde ſecluſo Dei auxilio ſub hoc reſpectu nequit attingi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum homo ſine gratia poſſit bonum aliquod facere.

BONUM morale duplex diſtinguitur ; alterum ordinis naturalis, quod regulatur per virtutes morales, maxime per Cardinales, quæ finem præſcribunt honeſtum ; alterum ordinis ſupernaturalis, quod fit per virtutes infuſas, & potiſſimum Theologicas, quæ Deum ut auctorem gratiæ & finem ultimum pro objecto habent. Ut autem quæſtio propoſita perfecte explicetur, quinque impræſentiarum inveſtigare juvat. Primo-quidem an gratia actualis ſit ita neceſſaria, ut homo ſine fide aliquod bonum opus ſaltem ordinis naturalis poſſit facere ? Secundo an ſine charitate peccator poſſit bene operari ? Tertio, an gratia abſolute requiratur, ut homo adimpleat legem naturalem ? Quarto, an ita ſit neceſſaria ad opera ſupernaturalia, ut nequidem fidei initium poſſit eſſe a natura ſecundum proprium ejus conatum ? Quinto, an etiam gratia requiratur ut homo ſe diſponat ad gratiam ? Unde ſit

SECTIO PRIMA.

Utrum gratia fidei ſit neceſſaria ad bonum morale naturalis ordinis operandum ?

QUÆSTIO inſtituitur præcipue de infidelibus, qui nihil de Chriſto, aut audierunt, aut potuerunt audire, qui a Theologis idcirco dicuntur infideles negative.

Duo potiſſimum conſiderari poſſunt in infidelibus circa morum depravationem, alterum de ignorantia quæ ita craſſa & ſupi-

ſupina cenſetur, ut quædam juris etiam naturalis præcepta, v. g. circa iſtud *non concupiſces* invincibiliter ignorare multi autument: alterum de fidei defectu & privatione. Porro ſcriptum eſt *accedentem ad Deum oportet credere*: rurſus *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Hinc quæſtio duplex a Theologis inſtituitur, videlicet utrum ignorantia invincibilis & quæ omni adhibita diligentia vinci non poteſt, excuſet a peccato. Deinde vero an omnia infidelium opera ſint peccata. Num etiam ita ſenſerit & propugnaverit S. Auguſt. quas quidem quæſtiones fuſo calamo diſcutere contra Janſenium de utroque momento male ſentientem diſcutere neceſſe eſt. Unde ſit

§. I.

Utrum ignorantia invincibilis excuſet a peccato?

QUÆSTIO circumfertur de ignorantia juris naturalis. Fidenter aſſerit Janſenius lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ c. 2. 3. 4. 5. 6. & hoc ex profeſſo, illam non excuſare a peccato, immo ipſam eſſe peccatum. Controverſiæ ſtatum ſic exponit c. 5.

1. " Jam vero operæ pretium eſt ex-
,, ponere utrum quævis ignorantia invin-
,, cibilis talis ſit, ut quod inde ſequitur
,, peccatum, veri peccati rationem ha-
,, beat. Nam quantum ad præſens inſtitu-
,, tum pertinet, duplex ignorantia eſt,
,, alia juris, alia facti. Rurſus ignorantia
,, juris, alia eſt juris divini poſitivi, alia
,, naturalis. De ignorantia facti non eſſe
,, doctrinam iſtam intelligendam, ſatis
,, perſpicuum eſt; Illam enim ex diver-
,, ſis locis Auguſtini conſtat reddere actum
,, excuſabilem.... Ignorantia quoque ju-
,, ris divini invincibilem a peccato im-
,, munem reddere juxta doctrinam Augu-
,, ſtini, veriſimilius eſt: nam illum locum
,, Evangelii tractans: *Si non veniſſem, &*
,, *locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.*
,, *Nunc autem excuſationem non habent de*
,, *peccato ſuo*; ,, ſæpe docet, non de quolibet, ſed de illo peccato magno infidelitatis eum accipiendum eſſe, quo, Chriſto ad ſe non veniente, caruiſſent. Ignorantiam facti utique excuſare a peccato ultro concedit; quia, inquit, facta in particulari ad nutum ſæpius mutantur, ita ut ſæpius ſit error omne voluntarium excludens, ut qui die Veneris manducaret carnem putans eſſe piſcem.

2. " Qua propter, *ait ibidem Iprenſis*, non videtur Auguſtini doctrina ſupra tra-
,, dita de alia ignorantia intelligi poſſe,
,, quam de illa, quæ dicitur eſse juris na-
,, turalis, quod naturæ dicimus, quia in-
,, timis conſcientiç & rationis penetrali-
,, bus, nullo humano magiſterio, ſed ip-
,, ſius Dei creantis beneficio inſculpitur:
,, & propter peccatum, in quo natura
,, naſcitur, & quod peccandi conſuetudi-
,, ne poſtea adjicitur & roboratur, ita
,, ſubinde lumen illud divinitus infixum
,, hebeſcit & obtunditur, ut jus iſtud vel-
,, ut altiſſima quadam oblivione ſubmer-
,, ſum ſit. ,,

3. *Pergit* Janſenius: " Diſtinguere nam-
,, que ſolet Auguſtinus duplicem, immo
,, ſubinde quadruplicem ſtatum, non tan-
,, tum humani generis totius, ſed etiam
,, ſingularis cujuſque hominis, ante le-
,, gem, ſub lege, ſub gratia, in pace.
,, Ante legem homo in ignorantia rerum
,, agendarum, cavendarumque inſtar cæ-
,, ci vivit, concupiſcentias carnales non
,, tantum libenter ſequens, ſed etiam bo-
,, nas putans; in quo ſtatu homo pecca-
,, tor verius eſt, quam prævaricator;
,, quia legem, ſine qua non eſt prævari-
,, catio, prorſus ignorat. Sub lege vivi-
,, tur, cum homini præceptum, *non con-*
,, *cupiſces*, innoteſcit; ſed victus infirmi-
,, tate ſua legem etiam cognitam præva-
,, ricatur; iſte non habet excuſationem de
,, ignorantia.... Hic agi de ignoran-
,, tia juris naturalis, evidentiſſimum eſt:
,, naturali quippe jure carnalium terre-
,, narumque rerum concupiſcentiæ, cum
,, quibus naſcimur, prohibentur. Nam il-
,, lud præceptum, *non concupiſces*, ex ſe-
,, cundæ tabulæ præceptis unum eſt: Quod
,, eſse naturalis juris apud omnes in con-
,, feſso eſt; & in ſua latitudine acceptum,
,, ſicut Auguſt. immo Apoſtolus accipit,
,, omnes omnino facinorum atque flagi-
,, tiorum cupiditates amputat, quibus jus
,, naturæ violatur. ,,

Igitur ſtatus quæſtionis ipſo teſte Janſenio eſt, num detur ignorantia invincibilis de jure naturali? Videlicet de peccatis concupiſcentiæ, quæ quidem ex innata honeſtate ſunt adverſus naturam, quatenus ſinguli homines ad finem honeſtum,

ſcilicet Deum, creati ſunt: attamen non ſemel fit, multa obſcęna quia naturalia, reputari ut licita ſive ex innata & ingenita malitia, ſive ex concupiſcentia & corruptione, ſive ex conſuetudine peccandi quæ ea cum ætate ſic adoleſcit, ut iniquitatem veluti aquam mundam juvenes ebibant: hinc Theologi fatentur infideles, eos maxime qui in ſylvis & naſcuntur & enutriuntur, fornicationem, mollitiem, aliaque ejuſmodi credere licita, quocirca ignorantiam invincibilem de iis peccatis contra jus naturæ ineſse eis conſtat, & quæritur utrum ejuſmodi ignorantia tametſi invincibilis, excuſet a peccato. Quod enim ignorantia iuris poſitivi, & ignorantia facti excuſet, ultro fatetur Janſenius hic c. 5. & 6. ex profeſſo. Jam vero

4. *Iprenſis* aſſerit hic lib. 2. de ſtatu naturæ lap. cap. 2. pag. 118. eſse errorem Pelagianorum credere ignorantiam juris naturæ excuſare a peccato: " Ex quo,
,, *inquit*, aperte ſequitur, ignorantiam il-
,, lam quæ non evenit ſecundum neceſſi-
,, tatem, ſed ſecundum voluntatem, hoc
,, eſt eam, cujus non neceſſitas, ſed vo-
,, luntas cauſa eſt, qua videlicet vinci poſ-
,, tuit, Pelagianorum judicio, ſubjacere
,, peccato. Hoc ergo ſolenne dogma,
,, quo Pelagiani dicebant, ignorantiam
,, quæ non ſecundum voluntatem evenit,
,, ſed ſecundum neceſſitatem, non ſub-
,, jacere peccato, de ignorantia invinci-
,, bili intelligebant. ,, Cap. 5. fuſius ſuam explicat mentem, & variis in pravum ſenſum, tum Apoſtoli, tum B. Auguſt. detortis auctoritatibus probare enititur ignorantiam juris naturalis eſse invincibilem, eo fucato & falſo innixus principio, actum eſse liberum eo ipſo quo eſt voluntarius, tametſi abſque cognitione rei & electione fiat. Hinc adulterium credit actum liberum, & conſequenter vitioſum in infideli, qui invincibiliter ignorat eſse malum, eo quod voluntarie vult actum, cumque & eliciat, & faciat; ſic ex multis falſis ſtabilitis principiis loquens de B. Aug. ibidem cap. 5. pag. 126. ſic concludit: " Ex quibus, & aliis, quæ in
,, iſtius rei declaratione adduci poſſent,
,, duo patent. Primum Auguſt. hauſiſse do-
,, ctrinam illam de ignorantia, prævari-
,, cationem quidem, non tamen peccatum
,, excuſante, ex Apoſtolo ...: Alterum
,, eſt Auguſt. cum toties docet, hominem
,, peccare per ignorantiam, qua non ſo-
,, lum peccare non videt, ſed etiam vi-
,, dere non poteſt, de illa ignorantia lo-
,, qui qua quis ignorat ea, quæ lege De-
,, calogi, hoc eſt lege naturæ prohiben-
,, tur & .... Hujus igitur legis naturalis
,, ignorantia, ſive ſit vincibilis, ut in
,, gravioribus delictis, præſertim quibus
,, proximus læditur, contingere ſolet, ſi-
,, ve ſit invincibilis, ut in iis forſan quæ
,, magis a principiis diſtant concluſionibus
,, naturalibus, & in variarum occurſu ſu-
,, bito circumſtantiarum plerumque acci-
,, dit, non excuſat a peccato delioquen-
,, tes. ,, Idem fuſe ſed incaſsum probare conatur c. 6. unde ſit contra Janſenium

CONCLUSIO.

Ignorantia invincibilis juris naturalis circa ſecundam Decalogi tabulam, non concupiſces *excuſat a peccato*.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

IN utriuſque teſtamenti paginis nullus actus dicitur peccatum niſi ſit formaliter & voluntarium, & liberum, juxta illud Gen. 4. *Dixitque Dominus ad eum*, ſcilicet Cainum, *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*. Ipſe vero Propheta mali delineans naturam, exprobrat peccatori quod contra conſcientiæ dictamen, & propriam de bono & malo ſcientiam operetur, Pſal. 35. 4. *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Hinc Apoſtolus Gentiles inexcuſabiles in eo potiſſimum eſse prædicat, quod Deum cognoſcentes, ſicut Deum glorificare abnuerint, Rom. 1. *Qui cum cognoviſſent Deum*, inquit, *non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor inſipiens eorum ..... Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam ..... in reprobum ſenſum*. Sed ubi eſt ignorantia invincibilis, neque eſt cognitio de malo, ut malum eſt; ſuponimus enim infidelem credere v. g. fornicationem a peccato immunem,

ita

ita ut ſi ſciret malam eſſe, illam patrare nullatenus vellet: neque actus utique eſt in poteſtate hominis, namque non proponitur ſub ratione boni & mali, ſed tantummodo ſub ratione boni quod non poteſt non velle voluntas; nemo quippe poteſt appetere malum qua malum. Igitur ignorantia invincibilis juris naturalis excuſat a peccato.

Celeberrimus eſt Apoſtoli pro hoc momento locus Rom. 7. ubi ſic loquitur S. Paulus: *Peccatum non cognovi niſi per legem; nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces; occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: ſine lege enim peccatum mortuum erat.* Ecce quæſtionis ſtatus. Ibi loquitur Apoſtolus de concupiſcentia quam vocat peccatum, ſed materialiter ſolum ante legem ſeu legis ſcientiam; ante illam dicit eſſe mortuum, hoc eſt, peccatum tantummodo materialiter; reviviſcit dumtaxat per mandatum, hoc eſt, ignorantia invincibilis quę excuſabat ante legem a peccato, data lege, amplius non excuſat. Igitur ex Apoſtolo ignorantia invincibilis juris naturæ a peccato excuſat.

Secundo, ex Concilio Tridentino.

CONCILIUM iſtud non obſcure hanc dirimit controverſiam, Seſſ. 6. can. 6. his verbis; *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema ſit.* Ibidem cap. 11. docet Deum impoſſibilia non jubere. Sed ſi ignorantia invincibilis juris naturæ ſit peccatum, & viæ hominis non ſunt in ejus poteſtate, quandoquidem peccat in eo quod vitare non poteſt, & Deus impoſſibilia jubet, nam jubet abſtinere a peccato, ſed ignorans invincibilter, aut furtum, aut fornicationem, non poteſt utrumque vitare peccatum; ſi quidem peccat in eo quod vitare non poteſt. Vult vitare peccatum, iſta vero peccata invincibiliter ignorat, illa tamen patrat & facit, ſed putans bona, aut ſaltem licita; Ergo &c.

Tertio, ex decretis ſummorum Pontificum.

1. S. PIUS V. & Gregorius XIII. hanc damnant propoſitionem, quæ eſt ſexageſima ſeptima inter ceteros Baji articulos: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit.* Sed iſta propoſitio, Homo peccat in eo quod invincibiliter ignorat, alteri non eſt abſimilis, quandoquidem peccat damnabiliter in eo quod neceſſario facit, namque facit rem malam neceſſario, & non libere ſeu elective: Tum quia ignorat invincibiliter eam eſse malam, tum quia illam non faceret, ſi ut malam cognoſceret. Igitur cum ab omni errore abſtinendum ſit, ſequitur hominem non peccare in eo quod invincibiliter ignorat.

2. *Propoſitio* 39. ejuſdem Baji proſcripta hæc eſt: *Quod voluntarie fit, etiam ſi neceſſario fiat peccatum eſt.* Ratio inſulſa hujus doctoris eſt, quia actio eſt voluntaria, quatenus omnium hominum voluntas erat in voluntate Adami concluſa, & quia ſufficit actum elici a voluntate, tametſi ignoret legem prohibentem: Sed Janſenius pro peccato ignorantiæ invincibilis juris naturalis eodem tenetur cenſuræ vinculo, quia eodem prope modo ſe ſe explicat: Ergo &c.

3. *Iſta* propoſitio inter Bajanas anathemate percuſſa ſexageſima octava ponitur: *Infidelitas pure negativa in iis, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* Sed eadem eſt ratio pro propoſitione Janſenii; ideo enim propoſitio Baji reiicitur, quia infidelitas ſubiacet ignorantiæ invincibili: Igitur licet Janſenius concedat infidelitatem circa Chriſtum negativam, non eſſe peccatum, eadem tamen cenſura inuritur, quandoquidem ſicut Bajus dicit infidelitatem negativam Chriſti peccatum, ita Ipreuſis ait infidelitatem iuris naturalis negativam peccato ſubeſſe.

Quarto, ex divo Auguſtino.

S. DOCTOR lib. 3. de lib. arb. cap. 18. ait: " Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt. " Rurſus: " non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras. " Sed qui ius naturale circa ſecundam Decalogi tabulam invincibiliter

ignorat, quod in ſe malum eſt, ut concupiſcere, fornicari, furari cavere non poteſt, quippequi ea omnia non cognoſcit eſſe mala; ea vero peccata utique invitus patrat, quandoquidem ſi ſciret eſſe peccata, nulla committeret: Igitur ex Auguſtino ignorantia invincibilis juris naturalis excuſat a peccato.

S. Praſul eamdem confirmat veritatem epiſt. 10. his verbis; " In illis qui non „ audierunt, neque potuerunt, pœna pec„ cati eſt non credere, non autem pec„ catum. „ Ex D. Aug. illorum qui legem nec audierunt, nec potuerunt audire, ignorantia, eſt quidem pœna & effectus peccati originalis, at non peccatum; Sed qui invincibiliter ignorat legem naturalem circa ſecundam Decalogi tabulam, nec legem & bonum præcipientem, v. g. abſtinere a fornicatione, & malum prohibentem audivit, aut potuit audire; Igitur non peccat in eo quod de hoc momento invincibiliter ignorat.

Iterum atque iterum idem prædicat B. Auguſtinus ibidem; " Non enim, *inquit*, „ quod naturaliter neſcit & naturaliter „ non poteſt, hoc animæ deputatur in „ reatu; ſed quod ſcire non ſtuduit, & „ quod dignam facultati comparandæ ad „ recte faciendum operam non dedit. „ Ibi omnem dubitandi locum de hoc momento abſtulit S. Doctor; quippequi ex profeſſo loquatur de eo quod naturaliter neſcit aliquis, nec poteſt naturaliter cognoſcere, adeoque de ignorantia iuris nedum poſitivi, ſed & naturalis loquitur. Sed tamen eam ſtatuit diſcrepantiam inter ignorantiam invincibilem et vincibilem, quod iſta non excuſat a peccato, bene vero altera: Ergo &c.

Quinto, ex D. Thoma.

HANC quæſtionem ex profeſſo tractat divus Thomas 1. 2. quæſt. 76. artic. 3. quæritque utrum ignorantia excuſet a peccato? In corpore articuli duplicem diſtinguit ignorantiam; alteram vincibilem, hoc eſt, quæ ſtudio & labore ſuperari poteſt; alteram invincibilem, & eam, quæcumque ſit, ſive de iure poſitivo, ſive de iure naturali, aſſeruit excuſare a peccato, ea potiſſimum ductus ratione, quia omnis ignorantia invincibilis tollit voluntarium, omnem quippe prævenit rationem, & cognitionem, nullam concomitantem habet, alias non foret ignorantia, quia immo, ita involuntaria eſt, ut qui aut fornicatur, aut furatur, utrumque fortaſſis non faceret ſi peccatum eſſe fornicari & furari præcognoſceret.

Sic igitur reſpondet ad quæſitum S. Doctor; " Dicendum, quod ignorantia de ſe „ habet quod faciat actum quem ſcientia „ oppoſita prohibebat, et ita talis actus, „ ſi ſcientia adeſſet, eſſet contrarius vo„ luntati, quod importat nomen invo„ luntarii; ſi vero ſcientia quæ per igno„ rantiam privatur, non prohiberet „ actum propter inclinationem voluntatis „ in ipſum, ignorantia huius ſcientiæ non „ facit hominem involuntarium, ſed non „ volentem, ut dicitur in 3. Ethic. et „ talis ignorantia quæ non eſt cauſa actus „ peccati, ut dictum eſt, quia non cau„ ſat involuntarium, non excuſat a pecca„ to. Et eadem ratio eſt de quacumque „ ignorantia non cauſante, ſed conſequen„ te, vel concomitante actum peccati: ſed „ ignorantia quæ eſt cauſa actus, quia cau„ ſat involuntarium, de ſe habet quod „ excuſet a peccato, eo quod voluntarium „ eſt de ratione peccati. „ Quibus verbis triplicem diſtinguit S. Thomas ignorantiam, antecedentem ſcilicet, concomitantem & conſequentem: primam dicit non eſſe cauſam actus, quia facit involuntarium, quandoquidem ſi homo ſcientiam de natura rei haberet, illam non faceret, alias vero e contra, homo quippe vult ignorare, ne ſcientia rei illum ab actu parando impediat, & ideo utraque ignorantia eſt actus peccati cauſa, juxta illud Pſalm. 18. *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Hoc autem ſtatuit Angelicus Doctor inter ignorantiam antecedentem & cæteras diſcrimen, quod excuſet a peccato, quia facit actum eſſe involuntarium, e contra vero concomitans & conſequens: Ibidem enim ſic concludit: " Si vero ſit „ talis ignorantia, quæ omnino ſit invo„ luntaria, ſive quia eſt Invincibilis, ſi„ ve quia eſt ejus, quod quis ſcire non „ tenetur, talis ignorantia omnino excu„ ſat a peccato. „ Ergo &c.

Sexto, ex ratione, eaque multiplici.

PRIMA: Illud non eſt peccatum, quod non eſt volitum: Atqui talis eſt actus qui

ex

Digitized by Google

ex ignorantia invincibili procedit; ita enim involuntarius eſt, ut ſi adeſſet ſcientia mali, agens non operaretur: ſic enim ſupponitur affectus, ut ſi ſcientiam de peccato haberet, profecto illud non committeret. Igitur ignorantia invincibilis juris naturalis excuſat a peccato.

Secunda: Ut aliquid ad peccatum imputetur, non ſufficit eſſe in Adamo volitum, juxta illud Ezech. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris*. Quod maxime intelligitur de peccatis particularibus; hoc eſt enim inter peccatum originale & actuale diſcrimen, quod ad illud contrahendum ſufficiat eſſe in Adamo voluntarium: ut iſtud vero imputetur, debet eſſe propria voluntate factum, videlicet libere & cum electione: ſed ipſo non diffitente Janſenio lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ c. 4. 5. 6. quod fit ex ignorantia invincibili juris naturalis non eſt volitum in ſe, ſed ad ſummum in Adamo: Igitur non eſt formaliter peccatum.

Tertia ſic procedit: Actus primo primi concupiſcentiæ ſunt in Adamo voliti, quatenus ſunt peccati originalis & effectus & pœna: Atqui tamen ait D. Thomas comment. in cap. 7. epiſt. ad Rom. lect. 3. non ſunt peccata, quia rationis judicium præveniunt, & ex Tridentino, ſicut in peccatoribus, ſic & in juſtis manent uſque ad agonem: Sed ignorantia invincibilis ſimiliter eſt ſolum peccati originalis pœna; prævenit judicium rationis, immo ne quidem concomitans & conſequens admittit: Igitur excuſat a peccato.

Quarta, ſic exponitur: Nemo ſanæ mentis dixerit actus quoſcumque concupiſcentiæ, alteriuſve paſſionis phreneticis imputari ad peccatum, quia ſui nullomodo ſunt compotes: Igitur nec ſimiliter ad reatum culpæ imputari debent ubi adeſt ignorantia invincibilis: qui enim ignorat invincibiliter malum aliquod, non cenſetur circa iſtud momentum ſui compos, cum ratio & ſcientia in actum non magis influant in illo quam in phrenetico: Ille quippe ſolus dicitur ſui compos, qui ſciens eligit & vult aliquid: Porro qui invincibiliter ignorat malum a lege naturali prohibitum, neque novit illud, neque vult & facit qua malum etiam ſpeculative: Igitur in hoc momento non peccat.

Quinta: Opinio contraria a ſolis hæreticis adinventa eſt, qui & Romanæ Eccleſiæ adverſam eſſe fatentur: Igitur procul facienda eſt, nec citra hæreſim defendi poteſt ignorantiam invincibilem, de qua eſt caput controverſiæ, a peccato non excuſare. Probatur antecedens: Lutherus in Geneſ. cap. 22. tom. 6. edit Witemb. anni 1560. pag. 153. ſic loquitur: *Scholaſtici invincibilem ignorantiam dixerunt inexcuſabilem, quæ ſimpliciter a toto excuſat, id eſt, peccatum prorſus tollat*. Cui ſententiæ illud Epiphonema quaſi aculeum adjungit: *Tanta eſt cæcitas in Papæ Scholis & Eccleſiis*. Subdit: *Quiſquis invincibilem hanc ignorantiam excuſationem mereri ſtatuis, evertis Scripturam ſacram, & tollis e medio Chriſtum juſtitiæ ſolem*. Alter hujus peſſimi dogmatis parens eſt Hieronymus Zanchius lib. 1. Tract. Theol. cap. 12. de ignoratione Dei theſ. illudque a Luthero mutuatus eſt.

Sexta: Theologi catholici, ne ullo quidem excepto, debellant Calvinum, dum dicit illam Auguſtini ſententiam: " Non „ tibi deputatur ad culpam quod invitus „ ignoras. „ pertinere ſolummodo ad „ ſtatum naturæ integræ & non lapſæ. Debellant Latomus in art. 1. Lov. pag. 23. Bellarminus lib. 3. de gratia & lib. arb. cap. 27. Pennotus lib. 2. cap. 8. 9. Vega in opuſc. quæſt. 13. Bannes in 1. pag. quæſt. 23. dub. 3. concl. 3. Ledeſma 3. tract. de aux. quæſt. unica art. 16. Igitur nulli niſi hæretici docent ignorantiam invincibilem non excuſare a peccato, quandoquidem nemo peccat, teſte Auguſtino, in eo quod præcavere non poteſt.

Dices: Eſtius in 2. diſt. 22. §. 14. expreſſe docet ignorantiam invincibilem ſolius juris poſitivi excuſare a peccato, nuſquam vero eam quæ eſt juris naturalis, eo quod verſetur circa ea quæ ſunt mala ex ſe & non mala quia prohibita: *Exempli cauſa*, inquit, *qui mentitur officioſe, putans tale mendacium eſſe licitum, is quidem neſcit tale mendacium pertinere ad genus peccati, ideoque putat non eſſe peccatum; ſcit tamen ſe mentiri, & proinde actum, qui eſſentialiter malus eſt, voluntarie committit*. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Eſtius exiſtimat ignorantiam invincibilem non excuſare totaliter a peccato, quia omne voluntarium non tollit, concedo: ſecus, nego. Duo quippe diſtinguit in peccato contra jus naturæ quę ſubſunt ignorantiæ, videlicet ratio-

tionem peccati & rationem mali: Ratio peccati ignorari poteſt, ut in exemplo illius qui officioſe mentitur ab ipſo in medium adducto: ratio vero mali minime, eo quod ſit malum ex ſe & eſſentialiter, & non ſolum quia prohibitum; hinc, inquit, peccans facit malum qua malum, tametſi non qua peccatum, & ideo non plene excuſatur delinquens. Hoc ipſum extendit ad utrumque ſtatum, naturæ ſcilicet integræ & vitioſæ. Hinc inquit, ſi Adamus innocens peccaſſet peccato ignorantiæ invincibilis contra jus naturæ, profecto non ex toto excuſationem habuiſſet, quia actus ex parte fuiſſet voluntarius. Ex quo liquet Janſenium perperam in ſuas trahere partes Eſtium. Primo quidem, quia Eſtius aliam ſtatuit hypotheſim, nimirum ignorantiam non eſſe ex omni parte plenam. Secundo, quia actum nedum in Adamo, ſed & propria voluntate liberum & voluntarium eſſe contendit. Tertio, quæſtionem extendit ad utrumque ſtatum. Janſenius vero ſolummodo ad ſtatum naturæ vitiatæ, in quo dicit ignorantiam invincibilem juris naturalis non excuſare a peccato.

Explicatur mens Eſtii.

Certum eſt Eſtium loqui de ignorantia ſolummodo ex parte invincibili, quæque aut quodammodo voluntaria eſt, aut poſſe quoad unam partem vinci, quatenus ante legem, tametſi homines non cognoſcerent fornicationem v. g. ut prævaricationem, & ut malum quia prohibitum, attamen quatenus malum ex ſe vel cognoſcebant, vel aliqua adhibita diligentia cognoſcere poterant; unde non erat ignorantia invincibilis de malo fornicationis, ut eſt ex ſe quoddam malum, ſed dumtaxat ut eſt malum quia prohibitum. Et vero nuſquam, ut Janſenius, ille Doctor id quod ex neceſſitate fit, eſſe peccatum propugnat, ſed ſolum quod ſit libere & elective; illudque eſſe de fide aſſerit. Sic enim ibidem in 2. diſt. 22. §. 14. peccatum cum B. Auguſtino definit: " Ut intelligatur, quæ ignorantia vel in ,, totum, vel ex parte peccatum excu- ,, ſet meminiſſe oportet ad peccati defi- ,, nitionem pertinere voluntarium, dicente ,, Auguſtino lib. de vera relig. cap. 14. ,, uſque adeo peccatum omne eſſe volun- ,, tarium, & nullomodo ſit peccatum, ſi ,, non ſit voluntarium. Unde ſequitur, ,, quod in quantum ignorantia tollit vo- ,, luntarium, in tantum excuſat a pecca- ,, to. „ Tum diſt. 24. §. 9. 10. 11. probat auctoritate Sancti Auguſt. ex lib. de duab. anim. cap. 11. 12. libertatem relictam eſſe in homine lapſo, & omnem ſimplicem neceſſitatem excludere. Iſtud S. Auguſtini in probationem affert teſtimonium quo S. Doctor definit peccatum: " Id unde liberum eſt abſtinere, ſtatuit- ,, que peccati reum teneri quemquam, ,, quia non fecit, quod facere non po- ,, tuit, ſummæ iniquitatis eſſe ac inſa- ,, niæ. „ Igitur Eſtius contra propriam mentem loqueretur, ſi ignorantiam invincibilem juris naturalis, ut peccatum ha- ,, beret. Enim vero dogma catholicum quo ſtatuitur peccatum eſſe quid liberum, totis viribus defendit. Deinde incaſſum vult Janſenius illum dicere ignorantiam invincibilem juris naturalis, tametſi neceſſitantem, ſimplicem peccandi voluntatem involvere; tale quippe peccatum ſolum involuntarium & non liberum libertate indifferentiæ actus propugnat Janſenius. Igitur non ſibi cohæreret Eſtius, ſi iſtam doceret opinionem, cum ad libertatem exigat, & quidem apprime indifferentiam actus, & conſequenter ad peccatum.

Inſtabis: Eſtius ſuam defendit de ignorantia invincibili opinionem auctoritate Adriani ſexti, & Cajetani: Igitur non eſt procul facienda.

Reſpondeo, diſtinguo: Et illam ignorantiam ex parte voluntariam, & vincibilem eſſe credit, concedo: & illam exiſtimat penitus involuntariam, nego. Hoc patet ex auctoritate Adriani & Cajetani, qua ſuam firmat ſententiam, quandoquidem uterque loquitur de ignorantia vincibili. Infidelis quippe tametſi defectu legis ſcriptæ ignoret fornicationem ut peccatum, non tamen ut malum eſt; modo enim ad conſcientiæ dictamen attendat, cognoſcet eſſe malum, cuius rei argumentum illud eſt, quod omnis homo erubeſcat de turpibus.

R. P. Deſcamps de hær. Janſ. lib. 2. diſp. 5. cap. 6. ſic reſpondet ad inſtantiam num. 6. " Nec Janſenii cauſſam ,, ſublevant Adrianus VI. & Cardinalis ,, Cajetanus, quos in opinionis ſuæ pa- troci-

,, trocinium Eſtius advocat. Nam Adrianus quidem diſerte quod lib. 4. aſſerit: (Lege naturæ tenemur nos non occidere, & vitam nobis ſervare &c. Nec ignotantia illius, niſi invincibilis, excuſat a peccato.) Cajetanus vero in 1. 2. quæſt. 76. art. 3. & 4. approbat ſententiam ſancti Thomæ aſſirmantis: (Ignorantiam quæ omnino ſit involuntaria quia eſt invincibilis, omnino excuſare a peccato.) Nec contrarium ſignificant hæc verba, quæ ex articulo ſequenti Eſtius producit: (Gentiles neſcientes ſimplicem fornicationem eſſe peccatum, voluntarie conſentiebant in actum cognitionis mulieris, non ſuæ, unde ſumitur fornicationis ſpecies: quamvis forte aliqui eorum ſi ſciviſſent eſſe peccatum, non feciſſent.) Diſputat enim eo loco, an peccatum quod fit ex ignorantia voluntaria (Sit ejuſdem ſpeciei in qua eſſet, ſi fieret ſcienter.) Et paulo ante hæc verba ab adverſariis producta, ait: (Ad evidentiam hujus dubii ſciendum eſt, quod duplex eſt ignorantia voluntaria.) Loquitur ergo de Gentilibus, qui ex voluntaria ignorantia neſciant ſimplicem fornicationem eſſe peccatum, pugnatque illos ejuſdem ſpeciei peccatum committere, ac ſi agerent (ſcienter.) Nam ut paulo mox addit, (hic actus eſt contrarius virtuti ex parte ignorantiæ voluntariæ, quia in ipſa volita, ſunt voliti omnes ejus effectus.) Quamobrem eo loco ita colligit: (Conſtat autem quod inter fornicationem committentem ex ignorantia, quæ ſit peccatum, & ſcienter, hæc eſt differentia.) Vides hic agi de ignorantia, quæ ſit peccatum, ac proinde nonniſi de voluntaria, quia idem Cajetanus art. 3. dixerat, (ignorantiam, peccati rationem in tantum habere, in quantum ſub negligentia cadit.) Manifeſtum eſt igitur nihil illum Janſeniano dogmati ſuffragari: quos igitur tam inſolentis ſententiæ auctores adverſarius habet? Nullos plane niſi hæreticos: qui nuper hanc opinionem & excogitarunt primi, & iiſdem rationibus atque argumentis confirmarunt. ,,

Urgebis: Nulla eſt definitio tum a ſummis Pontificibus, tum a Conciliis contra opinionem Janſenianam: Igitur neque hæretica eſt, neque omnino improbanda.

Reſpondeo diſtinguendo: Nulla eſt definitio immediata, concedo: mediata, nego. Concilia definierunt, in primis Tridentinum hominem eſſe liberum, vias hominis eſſe in manu ejus, neminem peccare invitum & in eo quod præcavere non poteſt, nullum eſſe neceſſitate ſimplici ad aliquid compulſum: Igitur conſequenter & mediate opinionem Janſenii proſcripſerunt, quandoquidem tenet ignorantiam invincibilem non excuſare a peccato, tametſi tollat voluntarium ab electione & cognitione promanans, immo & neceſſitatem ſimplicem in actus humanos inducat: Igitur prorſus erronea eſt illa ſententia, & mediate ſaltem fidei prorſus adverſa.

Repones: Janſenius non abſimili modo ab Eſtio ſuam delineat ſententiam: ſed Eſtius habetur in hoc momento tamquam Orthodoxus: Igitur opinio Janſenii non eſt proſcribenda.

Reſpondeo 1. Dato & non conceſſo eamdem eſſe cum opinione Janſeniana Eſtii ſententiam, iſte profecto non ideo ſequendus foret, cum opinio Janſenii & Scripturæ, & Patribus, & Theologis omni exceptione majoribus, quibus fidei adhibenda eſt, adverſetur.

Reſpondeo 2. Prorſus diſſimilem eſſe ab opinione Janſenii Eſtii ſententiam: Primoquidem, ad peccatum exigit Eſtius ab omni neceſſitate exemptionem, e contra vero ſimplicem neceſſitatem ubique inducit Iprenſis. 2. Ille ignorantiam non dicit ex omni parte invincibilem, bene vero Janſenius, eamque talem ſupponit; argumento vero oppreſſus iſto, nullus peccat niſi poſſit & velit, reſpondet illam ignorantiam eſſe in protoparente voluntariam. 3. Primus ignorantiam invincibilem quam dicit culpabilem, utique extendit ad ſtatum naturæ integræ, ex quo manifeſte patet Eſtium loqui de ignorantia non ex omni parte invincibili. At Janſenſus ignorantiam invincibilem juris naturæ, quam culpabilem prædicat, ad ſtatum naturæ lapſæ reſtringit. Quia vero Novator Auguſtinum in omnibus ſequi gloriatur, ponderandum eſt quænam ſint tanti Doctoris ſententiæ, quibus ſuam Iprenſis firmat doctrinam.

Di-

Digitized by Google

Diluuntur argumenta Janſenii, ex auctoritate D. Aug. deſumpta.

Objicit: Ignorantia invincibilis juris naturalis eſt peccatum, ſi illi qui ea tenentur a peccato excuſari non debeant: Atqui ſic propugnat B. Auguſtinus, quandoquidem ejuſmodi homines propter hanc ignorantiam damnari aſſerit: Ergo &c. Probatur antecedens: Sic loquitur S. Doctor epiſt. 105. " Per hoc inexcuſabilis „ eſt omnis peccator vel reatu originis, „ vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, „ ſive qui judicat, ſive qui non judicat. „ Quia & ipſa ignorantia in his qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in his autem qui non potuerunt, pœna peccati eſt. Ergo in utriuſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio. „

Ad ſolutionem iſtius argumenti & ſimilium quædam præmittenda & obſervanda ſunt. Primoquidem ignorantiam unam eſſe invincibilem, vincibilem vero alteram, ut prælibatum eſt: Prima ea cenſetur quæ, omni adhibita diligentia, vinci non poteſt, ut quum quis in Sylvis & natus & enutritus nihil audivit de Chriſto, nec potuit audire, cum hominem qui illum inſtrueret, non habuerit; vincibilis, quæ adhibita ſufficienti diligentia, vinci poteſt. Aliquis v. g. ignorat an ſit in hebdomada aliquod jejunium, hanc conſulendo Sacerdotes poteſt vincere. Rurſus duplex diſtinguitur ignorantia tum vincibilis, tum invincibilis, videlicet juris & facti; juris quidem quum aliquis legem ignorat, puta qui neſcit num abſtinendum ſit a carnibus die Veneris: facti vero quando aliquid facimus ignorantes illud ipſum adverſari præcepto, ut ſi carnem aliquis manducet, credens piſcem. Rurſus ignorantia juris utique dividitur in ignorantiam juris naturalis & ignorantiam juris poſitivi. Nomine juris naturalis intelligimus dictamen rationis qua bonum a malo ſecernimus; juris vero poſitivi legem a Deo datam, vel ab hominibus qui ab eo leges condendi habent poteſtatem. Novatores ultro fatentur ignorantiam invincibilem facti, immo, & juris poſitivi ſive divini, ſive humani a peccato excuſare, non tamen juris naturalis, eam quippe dicunt voluntariam in Adamo & ejus peccati effectum. Sed in hoc plurimum hallucinantur; inde quippe manifeſte ſequeretur omnem omnino ignorantiam etiam facti, etiam iuris poſitivi eſſe peccatum, quandoquidem omnis ignorantia a peccato originali ut a primo fonte promanat. His prælibatis,

Reſpondeo, diſtinguendo ſecundam partem antecedentis: Ignorautia invincibilis iuris naturalis non excuſat a peccato, hoc eſt, ipſa eſt peccatum materialiter, quatenus eſt effectus peccati originalis, efficienter etiam quia inducit in peccatum, concedo: formaliter & in ſe, ſubdiſtinguo: ſi propria voluntate voluntaria evadat, concedo: ſin minus, nego. Solutionis explicatio patet ex ſupra dictis: quod ſi quis in Sylvis enutritus qui invincibiliter ignoravit Chriſtum, ſciret aliquem miſſionarium veniſſe, & eum convenire ad inſtructionem ſuſcipiendam, negligeret, profecto inexcuſabilis tunc foret de infidelitate. Cæterum non datur ignorantia invincibilis juris naturalis, quæ ſit peccatum, unde per omnia cæcutit Iprenſis cum ſuis: quod ſi ignorantiam de fide Chriſti invincibilem, peccatum proclament, certe non eſt cum eis Auguſtinus.

S. Doctor, eſt ſui ipſius interpres lib. 3. de lib. arb. cap. 20. ubi ſic loquitur: " Hanc enim ignorantiam & difficultatem „ ſtudioſis & benevolis evincendam ad „ coronam gloriæ valere præſtaret; negligentibus autem & peccata ſua de „ infirmitate defendere volentibus, non „ ipſam ignorantiam difficultatem quæ „ pro crimine objiceret; ſed quia in eis „ potius permanere, quam ſtudio quærendi & orandi ad veritatem & facilitatem pervenire, voluerunt, juſto ſupplicio „ vindicaret. „ Igitur ex Auguſtino ignorantia innata juris, non eſt peccatum in ſe formaliter; ſed quatenus volita, ſed ratione negligentiæ ad media quibus vinci poſſit quærenda, & præſentia executioni mandanda, ut orare: & ideo etiam in hoc puncto inexcuſabilis homo: etiam propter hoc momentum æternas luet pœnas, non tantas tamen, quantas ſolvet qui ſciens Chriſtum non glorificavit, inquit alibi S. Doctor: mitius erit pro eo qui de hac infidelitate reus obiit, quam pro eo qui præſentia habebat media, ſed voluntaria excæcatione, ut Judæus, rejecit.

San-

Senſus S. Auguſtini ubique patet, nam in loco qui objicitur, ignorantiam invincibilem & involuntariam non dicit peccatum, ſed pœnam peccati originalis: " Ipſa i„ gnorantia, in his qui intelligere no„ luerunt, ſine dubitatione peccatum „ eſt; in his autem qui non potuerunt, „ pœna peccati eſt. „ Diſcrimen ibi ſtatuit inter vincibilem & invincibilem, quod illa ſit peccatum, iſta vero non peccatum, ſed pœna peccati, primi ſcilicet parentis; ſubdit tamen: " In utriſque non „ eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio. „ Quare? quia etiam qui habent ignorantiam invincibilem damnabuntur, & propter peccatum originale quod contraxerunt, & propter nova quæ propria malitia addiderunt: immo ipſam propter infidelitatem, ſi ad ignorantiam de Myſteriis ſuperandam media neglexerunt: " Per „ hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, „ vel reatu originis, vel additamento „ etiam propriæ voluntatis. „

Eo loci ſcopus S. Auguſtini eſt revincere Pelagianos, qui negantes peccatum originale, volebant & pueros abſque Baptiſmo e vita migrantes non excludi a regno, & ipſos Paganos ab eodem non abjici, tametſi in Chriſtum non crediderint, quia reſpondere poterant, ideo non credidimus, quia non audivimus: e contra vero S. Doctor propugnat peccatum originale in omnes diffuſum, eoque potiſſimum utitur argumento, quia & pueri iſti excluduntur a regno propter peccatum originale, & ipſi Pagani mittuntur utique foras: Igitur & ii qui intelligere noluerunt, & hi qui non potuerunt, illi propter peccatum originale & actuale, iſti propter peccatum originale, quatenus damnatio eſt talis peccati pœna juſta. Quod autem Infideles non damnandi ſint propter ignorantiam invincibilem de Chriſto, ſed propter peccatum originale tantum, ſuppoſito quod actuale non haberent, dicit S. Aug. ibidem ſcilicet epiſt. 105. ubi reſpondet ad objectionem Pelagianorum petitam ab excuſatione Infidelium qui Chriſtum nec audierunt, nec potuerunt audire: " Non audivimus, ideo non credidi„ mus. Dei tamen judicium nec illis par„ cit, qui non audierunt: quicumque „ enim ſine lege peccaverunt, ſine lege „ peribunt; & quemvis ſe ipſi excuſa„ re videantur, non admittit hanc excuſa„ tionem, qui ſcit ſe feciſſe hominem „ rectum, eique obedientiæ dediſſe præ„ ceptum; nec niſi ejus quo male uſus eſt li„ bero arbitrio, etiam quod tranſiret in po„ ſteros, manaſſe peccatum. Neque enim „ damnantur, qui non peccaverunt; „ quandoquidem illud ex uno in omnes „ pertranſiit, in quo ante propria in ſin„ gulis quibuſque peccata omnes communi„ ter peccaverunt. „ Probat S. Præſul Pelagianis Paganos non habere excuſationem juſtæ damnationis, quippe qui peccato originali maculentur, quod ſufficit ad damnationis juſtam ſententiam: cæterum iſta objectio & aliæ ſimiles non procedunt de jure naturali, ſed poſitivo, de iis ſcilicet qui ignorant Chriſtum, nec de illo quicquam audire potuerunt.

Inſiſtis: S. Auguſtinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 3. ſic loquitur: " Illa igno„ rantia, quæ non eſt eorum qui ſcire „ nolunt; ſed eorum qui tamquam ſimpli„ citer neſciunt, neminem ſic excuſat, ut „ ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea „ non credidit, quia non audivit omnino „ quod crederet; ſed fortaſſis ut mitius „ ardeat. Non enim ſine cauſa dictum „ eſt: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt*. „ Quibus poſitis ſic arguitur ex S. Aug. Ignorantia Chriſti tametſi invincibilis, non tamen excuſat a peccato omni, quia nec a damnatione & inferis ubi mitius quidem erit, eo quod peccatum non fuerit tantum, quantum eſt in iis qui cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificant, liberantur: Igitur infidelitas, ſeu ignorantia etiam invincibilis de Chriſto peccatum eſt, non ſolum in radice, videlicet in peccato originali, verum & in ſeipſa; namque Auguſtinus vult eos propter eam puniri; & in probationem affert illud Scripturæ: *Effunde iram in gentes quæ te non noverunt*. Ira effunditur quia Deum non noverunt: Igitur præciſe propter infidelitatem.

Reſpondeo 1. opponendo Auguſtinum Auguſtino trac. 84. in Joan. ait " Quid „ eſt? *Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*. Numquid ſine peccato erant Judæi, antequam „ Chriſtus ad eos in carne veniſſet? Quis „ hoc vel ſtultiſſimus dixerit? Reſpon„ deo, habere illos excuſationem non de „ omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, „ quo in Chriſtum non crediderunt, ad

quos

„ quos non venit, & quibus non eſt „ locutus. „ Igitur ex Auguſtino ignorantia invincibilis de Chriſto non eſt peccatum, quod luculenter probat illo ipſius Chriſti oraculo: " Si non veniſſem & „ locutus eis fuiſſem, peccatum non habe- „ rent. „ Quibus verbis Salvator ideò Judæos inexcuſabiles dicit, quia & venit ad eos, & ipſum audierunt, non tamen crediderunt.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Ignorantia vincibilis eſt peccatum, concedo: invincibilis, ſubdiſtinguo; radicaliter ſeu in radice & in peccato originali, cujus eſt effectus, concedo: formaliter & in ſe, nego. Propter primam damnantur homines: propter ſecundam utique, ſed mediate & ratione peccati originalis cujus eſt fœtus; unde tametſi excuſet a tanto peccato, non tamen a toto, quia non excuſat a peccato originali, ut contendit Auguſtinus adverſus Pelagianos obſtrepentes quos inſectatur; mitius tamen erit pro Infidelibus circa hoc momentum, quia ignorantia illa non eſt peccatum in ſe, ſed ſolum in radice. Et ſic redditur genuinus Auguſtini ſenſus, ſive explicetur de prima, ſive etiam de ſecunda ignorantia. Quidam non ſine fundamento autumant S. Doctorem loqui de ignorantia vincibili ſed craſſa & ſupina, quæ magis a negligentia & incuria, quam a malitia promanat. Quod enim non loquatur aperte de ignorantia invincibili, ex eo potiſſimum patet, quia dicit ejuſmodi homines non ſimpliciter, ſed tamquam ſimpliciter neſcire, quod mitius erit in inferno pro eis: quæ quidem locutiones non leviter indigitant ignorantiam ſupinam vincibilem mox delineatam.

Inſtat: Ignorantia peccati orignalis fœtus inducit actu peccandi neceſſitatem: Igitur eſt formaliter peccatum. Probatur ex D. Aug. qui lib. 1. oper. imperf. c. 106. ait: " Neceſſe eſt ut peccet, qui ne- „ ſciendo quid facere debeat, quod non „ debeat facere, facit. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Ignorantia vincibilis inducit peccandi neceſſitatem, hoc eſt, in ſe eſt peccatum, non quidem neceſſitate abſoluta, & antecedenti, ſed hypothetica, quatenus qui cum poteſt ſcire legem, non vult ſcire ut paſſioni indulgeat, concedo; invincibilis, ſubdiſtinguo, inducit peccandi neceſſitatem materialiter, concedo: formaliter, nego. Infidelis qui non colit Chriſtum ſed irridet, profecto malum facit, ſed non imputatur illi ad peccatum, quia non audivit. Ita Auguſt. iterum atque iterum laudatus, Epiſt. 10. ſic fatur: " In illis qui non au- „ dierunt neque potuerunt, pœna peccati „ eſt, ſcilicet originalis, non credere, non „ autem PECCATUM. Quid plura ſcenties S. Doctor dicit nullum eſſe peccatum ubi nulla affulget eligendi poteſtas. Sic lib. de vera relig. cap. 14. ait: " Uſque adeo peccatum voluntarium eſt ma- „ lum, ut nullomodo ſit peccatum, ſi „ non ſit voluntarium. „ Rurſus lib. 3. de lib. arb. cap. 18. " Quis enim pec- „ cat in eo, quod nullu modo caveri poteſt. „ Peccatur autem, caveri igitur poteſt. „

Reſpondeo 2. iterum diſtinguendo: Ex S. Auguſtino ignorantia inducit peccandi neceſſitatem, & S. Præſul loquitur in ſenſu oppoſito Pelagianis, qui quidem putabant homines cuncta poſſe præcepta & jura ſervare viribus innatis, concedo: & vult inducere neceſſitatem abſolutam, nego. Eo loci impugnat Auguſtinus Julianum, qui contendebat homines cuncta poſſe abſque gratiæ auxilio, ipſos Infideles viribus innatis ad fidem Chriſti pervenire poſſe, excuſabiles eſſe ab infidelitate circa Chriſtum, eo ipſo quo non audierunt, tametſi potuerint audire; eoſdem nec teneri aut orare, & aliis mediis advocare gratiam ad fidem in Chiſtum habendam. Suo igitur illum perſtringit ſtylo cenſorio contendendo hominem abſque gratia non poſſe habere fidem; ignorantiam circa iſtud momentum inducere peccandi neceſſitatem, hoc eſt, peccatum eſſe eo ipſo quo vel credere poſſe abſque gratia putat homo, vel oratione ad hoc non advocat gratiam. Uno verbo, etiam ſine gratia ignorantia Chriſti voluntaria eſt peccatum, quia abſque gratia non poteſt vinci, & de facto non ſuperatur: Tum quia homo de ſuis viribus fatue præſumens non vult adhibere media quibus ad fidem & gratiam Chriſti patet aditus.

S. Auguſtinus iterum atque iterum ſuam clare aperit circa iſtud momentum mentem lib. 1. retr. & cap. 15. ſic ſcribit: " Nam & qui neſciens, peccavit, non in- „ congruenter nolens peccaſſe dici po- „ teſt. Quamvis & ipſe quod neſciens fecit, „ volens tamen fecit: ita nec ipſius eſſe po-

„ potuit ſine voluntate peccatum.... Sed „ voluntate facti non voluntate peccati. „ Ecce quomodo excuſat ignorantiam invincibilem, deinde errorem Pelagianum circa excuſationem infidelium inſectatur: " Sed quod non vultis audire: a peccatis omnibus ſive originalibus, ſive „ moralibus, vel quæ facta ſunt, vel ne „ fiant, non liberat niſi gratia Dei per „ Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in „ quo regenerati ſumus, & a quo didicimus orando dicere, non ſolum di„ mitte nobis debita noſtra; id eſt, quia „ peccavimus: verum etiam, ne nos in„ feras in tentationem; id eſt, ne pecce„ mus. „ His diſtinctionibus & ſolutionibus diluuntur cætera ex ignorantia inducta per peccatum argumenta.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ignorantia invincibilis juris naturalis circa iſtud præceptum, non concupiſces, *excuſat a peccato*.

PRIMO: Nihil in Scriptura habetur ut peccatum, niſi ſit formaliter voluntarium & liberum. Sic Rom. 1. Philoſophi traditi ſunt in reprobum ſenſum, eo quod Deum cognoſcentes, non ſicut Deum glorificaverunt.

Secundo: Ex SS. Pontificibus S. Pio V. Greg. XIII. qui hanc 67. Baji propoſitionem: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit*; proſcripſerunt.

Tertio: Ex S. Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. dicente: " Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras. „ Ratio eſt, quia ut actus ſit malus, debet fieri libere, ad quod prærequiritur cognitio objecti ut malum eſt, ſin minus non eſt peccatum; quocirca qui occidit hominem putans occidere aprum, non peccat. Ergo. &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametſi S. Auguſtinus dicat infidelem damnari, propter reatum originis & ignorantiam, non inde ſequitur damnari propter ignorantiam invincibilem juris naturalis, niſi mediate, & ratione ipſius peccati originalis cujus eſt effectus: Quod ſi foret vincibilis, jam dicenda eſſet formaliter peccatum, quod utique reatum pœnæ æternæ induceret; ſolutio eſt D. Aug. lib. 3. de liber. arb. cap. 20.

Secundo: Nec magis proficit Janſenius dicendo ignorantiam invincibilem neceſſario compellere ad peccatum juxta S. Auguſtinum lib. 1. op. imp. cap. 106. S. enim Doctor non eam in ſe dicit peccatum, ſed ſolum peccandi occaſionem, niſi omni adhibita diligentia ſuperetur.

Tertio: Quod ſi juris naturalis ignorantia etiam invincibilis quandoque, vel in ſeipſa dicatur peccatum, hoc intelligi debet radicaliter, quatenus a radice per peccatum originale ſauciata procedit: ſed non formaliter, & ratione ſui.

§ II.

Num de facto omnia Infidelium opera ſint peccata?

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur auctoritate, & ratione.

Prima probatio, ex Scriptura ſacra.

PRIMO: Quod præcipitur a Deo in ordine morali naturalis ordinis, ſecluſa gratia, fieri poteſt: Atqui hujuſmodi opus præcipitur Nabuchodonoſori Pagano, Danielis 4. his verbis: *Conſilium meum*, inquit Propheta, *placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime*. Porro eleemoſyna motivo honeſtatis conferri poteſt, & ea præcipitur, ut gradatim Nabuchodonoſor ad fidem perveniat; non quod opus ordinis naturalis ſit diſpoſitio poſitiva ad gratiam, ſed ea ratione quod quædam duritiei tollat impedimenta. Tum quia etiam homo reſtituendo ablata, ſatisfacit juſtitiæ: Ergo &c.

Secundo: Deus peccata non remunerat: Atqui tamen non ſemel remuneravit bonis temporalibus opera honeſta Infidelium, v. g. obſtetricum Ægypti, quibus ædificavit domos, eo quod, adverſante Pharaone, maſculos Hebræorum ſervaſſent incolumes. Tum & Rahab, cui Joſue pepercit in obſidione Jericho, quippe quæ exploratoribus Iſraelitarum terram promiſſionis invadentium præſtiterit gratiam: de-

deinde & Cyri, cui Deus ſubjecit dorſa Regum terræ, quia populum ſuum e captivitate relaxaverat: Ergo &c.

De obſtetricibus habetur Exod. 1. *Quidnam eſt hoc quod facere voluiſtis ut pueros ſervaretis? Quæ responderunt: Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres: Ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt. Bene ergo fecit Deus obſtetricibus, & crevit populus, confortatusque eſt nimis. Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos.*

De Rahab Joſue 6. legitur: *Urbem autem & omnia quæ erant in ea ſuccenderunt, abſque auro & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt. Rahab vero meretricem, & domum patris ejus, & omnia quæ habebat, fecit Joſue vivere, &c.*

De Cyro Eſdr. lib. 1. cap. 1. ita ſcribit Eſdras: *In anno primo Cyri Regis Perſarum ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum: & traduxit vocem in omni Regno ſuo, etiam per Scripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipſe præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jeruſalem quæ eſt in Judæa: quis eſt in vobis de univerſo populo ejus &c.* Ergo &c.

Novum Teſtamentum non obſcure eamdem indicat veritatem. Chriſtus ipſe Matth. 5. ait: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Supponit igitur Dominus diligere amicos eſſe bonum morale ordinis naturalis. Tum ad majorem perfectionem ſuos conducit diſcipulos, nimirum, ut vel ipſos inimicos diligant, quod ſane eſt bonum ſuperioris ordinis. Rurſus Rom. 2. *Gentes*, inquit Apoſtolus, *quæ legem non habent, ea quæ legis ſunt naturaliter faciunt*. Quibus verbis tota dirimitur controverſia; adimpletio quippe legis naturalis inter ea, quæ bona ſunt, annumeratur; & tamen Gentiles, teſte S. Paulo, *Ea quæ legis ſunt, naturaliter faciunt*. Ergo &c.

Probatio ex ſummis Pontificibus.

QUÆ de fide determinata ſunt, citra errorem non abnegantur: Atqui S. Pius V. tum & Gregorius XIII. in ſuis viciſſim adverſus Baji propoſitiones diplomatibus, quæ annexum habent totius Eccleſiæ conſenſum, varias damnant propoſitiones rectitudini quorumdam Infidelium adverſantes: Igitur, ſecluſo erroris nævo, non poteſt dici omnia Infidelium opera eſſe peccata. Probatur minor.

Propoſitio 22. Baji, hæc eſt: *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos 2. gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt; intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*: Cujus hæc eſt contradictoria: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, intelliguntur etiam de gentibus fidei gratiam non habentibus*. Obſerves velim ad cautelam, ſanctum Auguſtinum verba Apoſtoli intelligere quidem de gentibus gratiam fidei habentibus; ſed & de non habentibus, ut dicetur infra: quocirca error propoſitionis in eo ſitus eſt, quod Bajus ea intelligi vellet tantum de gentibus gratia Dei præpollentibus.

Propoſitio 28. ſic ſe habet: *Liberum arbitrium ſine Dei gratiæ adjutorio non niſi ad peccandum valet*: Contradictoria vero: *Abſque gratia liberum arbitrium aliquod poteſt operari bonum ordinis naturalis.*

Propoſitio quæ inter cæteras 38. numeratur his concipitur terminis: *Omnis amor creaturæ naturalis, aut vitioſa eſt cupiditas qua mundus diligitur; aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum ſanctum in corde diffuſa Deus amatur*. Contradictoria: *Datur amor honeſtus ordinis naturalis, qui nec eſt vitioſa cupiditas, nec etiam ſupernaturalis Dei charitas, ſed quid medium*: Ergo &c.

Probatio, ex ſanctis Doctoribus.

INSIGNE eſt pro hoc momento Origenis teſtimonium lib. 2. in Epiſt. ad Rom. cap. 2. ea Apoſtoli verba interpretans: *Gloria & honor & pax omni operanti bonum; Judæo primum & Græco*, ait: “Sed & Græcus, id eſt, Gentilis, qui cum legem non habeat, ipſe ſibi eſt lex, oſtendens opus legis in corde ſuo & naturali ratione immotus: ſicut videmus nonnullos in gentibus vel juſtitiam teneat, vel caſtitatem ſervet, vel prudentiam, temperantiam, modeſtiamque cuſtodiat: iſte licet alienus a vita videatur æterna, quia non credit Chriſto; & intrare

» non

,, non poſſit in regnum cœlorum , quia
,, renatus non eſt ex aqua & ſpiritu , vide-
,, turque per ea , quæ dicuntur ab Apo-
,, ſtolo bonorum operum gloriam & ho-
,, norem , & pacem perdere penitus non
,, poſſe . ,,

Subſcribit S. Hieronymus comment. in
c. 1. ad Gal. Eo loci iſta Apoſtoli verba:
Ut revelaret Filium ſuum in me ; ponderans,
ait : " Perſpicuum fit natura , omnibus
,, Dei ineſſe noticiam , nec quemquam
,, ſine Chriſto naſci & non habere ſe-
,, mina in ſe ſapientiæ & juſtitiæ reliqua-
,, rumque virtutum . Unde multi abſque
,, fide & Evangelio Chriſti , vel ſapien-
,, ter faciunt aliqua vel ſancte : ut paren-
,, tibus obſequantur , &c. ,, Rurſus epiſt.
ad Demetriadem apud eumdem ſanctum
Doctorem verſus initium , ait : " quam
,, multos enim Philoſophorum & audivi-
,, mus , & legimus , & ipſi vidimus ca-
,, ſtos , patientes , modeſtos , liberales , abſ-
,, tinentes , benignos , & honores mundi
,, ſimul , & delicias reſpuentes , & amatores
,, juſtitiæ non minus quam ſcientiæ . ,,

S. Auguſtinus, epiſt. 144. olim 130. ſuum
addit calculum ; namque Polemonis Gen-
tilis ita delineat continentiam : " Polemo
ergo ſi ex luxurioſo continens factus ita
,, ſciret , cujus eſſet hoc donum , ut eum
,, abjectis ſuperſtitionibus gentium pie
,, coleret ; non ſolum continens ; ſed et-
,, iam veraciter ſapiens & ſalubriter re-
,, ligioſus exiſteret : quod ei non tantum
,, ad præſentis vitæ honeſtatem , verum
,, & ad futuræ immortalitem valeret . ,,

Rurſus libro de patientia cap. 26. eum-
dem tenet ſermonem : " Si quis , inquit .
. . . in aliquo ſchiſmate conſtitutus , ne
,, Chriſtum neget , patitur tribulatio-
,, nes , anguſtias , famem , nuditatem ,
,, perſecutionem , pericula , carceres , vincu-
,, la , tormenta , gladium , vel flammas ,
,, vel beſtias , vel ipſam crucem timore ge-
,, hennarum , & ignis æterni , nullo modo
,, iſta culpanda ſunt ; immo vero & hæc
,, laudanda patientia eſt . ,, Id docet li-
bro de ſpiritu & littera cap. 27. & 28.
idem lib. 1. de peccatorum meritis cap. 22.

S. Joannes Chryſoſtomus non omittendus
eſt ; eamdem quippe celebrat veritatem
homil. 37. in Matth. in primis homil. 5.
in cap. 2. epiſt. ad Rom. his verbis : "
Per hæc rurſus oſtendit Deum ſic homi-
,, nem finxiſſe , ut poſſit per ſe virtutem
,, eligere , ac vitium declinare . ,, Et ito-
rum hom. 67. ad populum Antioch. ſic
,, loquitur : " Nemo eſt uſque adeo ma-
,, lus , qui non habeat aliquid boni , cu-
,, jus ratione mereatur aliquod bonum tem-
,, porale . ,,

Concinit S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. ubi
noſtram ex profeſſo docet concluſionem ;
auctoritate quidem , adducendo exemplum
Cornelii Gentilis , cujus eleemoſynæ e-
rant Deo acceptæ , ut habetur Actuum
10. ratione vero , quia , inquit , Infide-
les non agunt ſemper ut Infideles , & ex
infidelitatis motivo , ſed quandoque etiam
ex motivo honeſtatis ; unde ſic conclu-
dit : " Tametſi Infideles divina gratia
,, careant , quia tamen ex infidelitate
,, non corrumpitur totum naturæ bo-
,, num , poſſunt aliquid boni operari ;
,, quamquam id non ſit meritorium vitæ
,, æternæ . ,, Igitur omnia Infidelium ope-
pera non ſunt peccata ; cum ex ſanctis Do-
ctoribus quædam ſint laudabilia , quæ et-
iam quandoque Deus remunerat bonis tem-
poralibus .

Probatio , ex rationibus Theologicis .

PRIMA ſic proponitur : Actio ſpecifica-
tur ab objecto , & a modo tendendi in
illud : Sed multa dantur objecta , eaque
optima ordinis naturalis , ut dare eleemo-
ſynam motu compaſſionis ad ſublevandam
miſerorum egeſtatem : ſed non ſemel le-
gitur hæc & ſimilia ex bono motivo ope-
ratos fuiſſe Infideles , vel ipſa ſacra te-
ſtante Scriptura ; quod & Patres , non in
uno referunt loco : Ergo &c.

Secunda : Peccatum non corrumpit to-
tum naturæ bonum , alias , inquit S. Tho-
mas , ipſum deſtrueret hominem : ſed ho-
mo eo ipſo quo eſt rationalis habet
virtutem intrinſecam faciendi bona ordi-
nis naturalis : Igitur Infideles ſaltem ali-
quando poſſunt aliqua facere , quæ ſint
bona non ſolum ex objecto , ſed intrinſe-
ce , & ex fine operantis ; cum ut homi-
nes agere queant , & non ſemper redu-
plicative ut corrupti & Infideles operentur.

Tertia hæc eſt : Corruptio naturæ per
peccatum attenditur maxime per ordinem
ad ſupernaturalia , nam ex S. Thoma na-
turalia permanſere etiam in dæmonibus :
Igitur Infidelis aliquod bonum honeſtum ,
tametſi infirmus operari poteſt.

Quarta : Lapſus Adami & ipſa naturæ

per

per peccatum defloratio non extrahunt bonum morale naturale extra hominis activitatis ſphæram, nec adeo attrita eſt Dei imago per peccatum, ſicut & bona inclinatio, quin aliquid boni facere poſſit, præſertim vero cum bonum ſenſibile & naturale maneat ſemper potentiæ naturali proportionatum: Ergo &c.

Quinta: Abſurdum eſt dicere, ne dicam & blaſphemia eſt, opera Infidelium a Deo bonis temporalibus remunerata, quæque teſtibus Scripturis Deo placuerunt, quinimmo quæ ipſo ordinante operati ſunt, eſſe peccata; quandoquidem ut habetur Habac. 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum; & reſpicere ad inquitatem non poteris*.

De hoc momento audiendus eſt Origenes, qui in Philocalia cap. 23. aſſerit opera bona Cyri Imperatoris erga Iſraelitas fuiſſe per Iſaiam prædicta, & a Deo compenſata, qui & ipſe illum anteibat: quinimmo Chaldæi alias Pagani dicuntur in Scripturis gens ſancta, eo quod Nabuchodonoſor Imperator juſſu Dei vindicis adimpleverit voluntatem, tum expugnando Jeruſalem, tum Hebræos Babyloniam captivos ducendo: Ecce verba Iſaiæ de Cyro: *Ego anteibo & montes humiliabo; portas æreas conteram, aperiam ante eum januas, ego vocabo te nomine meo, ſuſcipiam te*. Quibus verbis dilucide ſignificatur propter beneficia Judæis præſtita Cyrum multa gentium regna ſuo aſciviſſe Imperio, &c. De Chaldæis vere Habac. 1. *Omnes ad prædam venient*, &c.

Solvuntur objectiones ex Scriptura ſacra prodeuntes.

OBJICIES: Roman. 14. habetur: *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*. Quæ verba gloſſa ordinaria interpretans ſic habet: " Omnis Infidelium vita peccatum „ eſt. „ Non abſimilia ſcribit S. Proſper carmine de ingratis cap. 17. Atqui opera Infidelium omnia fiunt abſque fide, cum ea careant: Ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo majorem: Quod non eſt ex fide agendi peccatum eſt, concedo: ex fide credendi, nego. Fides credendi eſt agere motivo ſupernaturali, & propter Deum; fides vero agendi, eſt agere ſecundum conſcientiam, & motivo honeſto: de iſta loquitur Apoſtolus, quippe qui agat contra quoſdam Judæos, qui licet ad Chriſti fidem converſi, putabant tamen Legem Moſaicam adhuc obligare, & nihilominus manducabant de quibuſdam cibis a lege prohibitis: unde in hoc peccabant, non quia fuiſſet malum, ſed quia contra conſcientiam faciebant: peccat autem qui agit contra conſcientiam tametſi erroneam: ſenſus igitur eſt, qui operatur contra fidem agendi peccat, ſecus vero ſi non agat contra conſcientiam: unde ad Tit. 1. idem Apoſtolus dicit: *Omnia munda mundis*, id eſt, qui non credunt Legem Moſaicam obligare, non peccant manducando carnes a lege prohibitas: quia tamen ſanctus Proſper & S. Fulgentius locum Apoſtoli extendunt etiam ad fidem credendi,

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo: Quod non eſt ex fide peccatum eſt, vel quia fit ex motivo incredibilitatis, vel quia peccatum actuale infidelitatis comitatur actum; vel quia denique quod fit, non eſt meritorium vitæ æternæ, concedo: peccatum eſt ratione ſui, tametſi fiat propter bonum motivum, nego; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Sic reſpondet D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. ad 1. his verbis: " Dicendum, quod verbum „ illud eſt intelligendum, vel quia vita „ Infidelium non poteſt eſſe ſine peccato; „ cum peccata ſine fide non tollantur: „ vel quia quicquid agant ex infidelita- „ te, peccatum eſt. Unde ibidem ſubditur, *videlicet in gloſſa*: " Quia omnis in- „ fideliter vivens vel agens, vehementer „ peccat. „

Inſtabis: Infidelibus nihil eſt mundum omnino, juxta illud ad Titum 1. *Omnia munda mundis, inquinatis autem & Infidelibus nihil eſt mundum*: Igitur Infideles aliquod opus bonum ne quidem ordinis naturalis fidei defectu operari queunt.

Reſpondeo diſtinguendo: Nihil eſt mundum Infidelibus, qui infidelitatis motivo operantur, puta vel propter ſuperbiam, vel etiam propter falſi numinis honorem, concedo: agentibus motivo honeſtatis, ſubdiſtinguo, hoc eſt, nihil vitæ æternæ meritorium, concedo: quandoquidem opera moralia honeſta ſine fide ſunt mortua: nihil eſt bonum bonitate morali naturali, nego. Cæterum Apoſtolus eo loci lo-

loquitur de Judæis ad finem Chriſti converſis, de quibus ſupra: ita ejus interpretantur auctoritatem Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus: inprimis vero Auguſtinus lib. 3. contra Julianum cap. 4. ibi enim aſſerit opera iſtorum Judæorum eſſe ſecundum quid immunda, eo quod legem adhuc obligare autumarent.

Inſiſtes: Idem Apoſtolus Heb. 11. ſic pronuntiat: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Ejuſdem eſt labii S. Auguſtinus lib. 4. contra Julianum cap. 3. ſed qui dicit ſimpliciter: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo;* nihil excipit: Ergo &c.

Reſpondeo, diſtinguendo ut ſupra: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, hoc eſt, æternam promereri vitam, concedo; ſine fide nullum poteſt fieri bonum etiam ordinis naturalis, nego. Quia vero amicitia inter Deum & hominem non niſi fide viva & charitate formata contrahitur, ideo S. Paulus abſque reſtrictione loquitur; maxime vero cum in hoc capite inſtituat Hebræorum mores ad vitam æternam aſſequendam. Solutio colligitur ex S. Thoma, qui 2. 2. qu. 10. art. 4. ait, fidem quidem abſolute requiri ad dirigendas actiones ad finem ſupernaturalem, non tamen mere naturalem honeſtum, ſed ad hoc rationem ſufficere.

Perſiſtes: Arbor mala, ipſo Chriſto teſte, non poteſt fructus bonos facere: Sed Infideles ſunt arbores malæ: Ergo &c.

Reſpondeo, diſtinguendo majorem: Arbor mala, reduplicative ut mala, non poteſt fructus bonos facere, concedo: arbor ut ſic, & ſecundum ſe ſpectata, nego. Infidelis duplici modo operari poteſt, nimirum ut Infidelis, hoc eſt, infidelitatis motivo; deinde vero ut homo, qui ſequitur ductum rationis in appetitu boni & fuga mali: priori modo operans, eſt arbor mala; poſteriori vero e contra; ita D. Thomas qui aſſerit peccatum humanam penitus non deſtruxiſſe naturam. Et vero ſi homo bonum ne quidem ordinis naturalis operari valeret, dubio-procul quaſdam malorum parentum actiones, bonas Chriſtus non appellaret, & tamen hoc nomine ea celebrat opera parentum motivo compaſſionis facta; ait enim: *Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris; quanto magis Pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe*. Matth. 7. 11.

Difficultates ex SS. Patribus proponuntur.

OPPONES: S. Leo ſerm. 3. de jejunio duplicem dumtaxat agnoſcit amorem, ſcilicet Dei & creaturæ; priorem tribuit charitati; poſteriorem vero cupiditati vitioſæ. Similia profert S. Auguſtinus lib. 9. de Trin. cap. 8. ſed ſi daretur bonum honeſtum ordinis naturalis, jam amor naturalis mediaret inter amorem Dei ſupernaturalem, & amorem creaturæ vitioſum, quod eſt contra auctoritatem utriuſque patris; Ergo &c.

Reſpondeo I. dari amorem medium, videlicet naturalem honeſtum; & hæc diviſio amoris in ſupernaturalem, in naturalem honeſtum, & amorem vitioſum fundatur in auctoritate SS. Pontificum, S. Pii V. & Gregorii XIII. qui duplicem articulum ſequentem Baji perſtrinxerunt; quippe qui contrarium doceret. Trigeſimusquartus, talis eſt; " Diſtinctio illa duplicis amoris naturalis, quo Deus amatur ut Auctor naturæ; & gratuiti quo Deus ut beatificator, vana eſt & commentitia, ad illudendum ſacris Litteris excogitata. ,, Alter eſt trigeſimus-octavus his verbis expreſſus; " Omnis amor creaturæ naturalis aut vitioſa cupiditas, qua mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, qua per ſpiritum in corde diffuſa Deus diligitur. ,,

Reſpondeo 2. diſtinguendo majorem: Patres quandoque commemorant ſolummodo amorem ſupernaturalem & vitioſum, quum ſermonem inſtituunt de vita æterna comparanda, concedo; in quo ſenſu, ait Auguſtinus, non dari medium inter eſſe cum Chriſto, aut cum diabolo; namque amor honeſtus eo ipſo quo eſt ordinis tantum naturalis, non eſt vitæ æternæ meritorius; quocirca Sancti Patres potuerunt in hoc ſenſu dicere nihil inter amorem ſupernaturalem, & cupiditatem mediare; & numquam loquuntur de amore naturali honeſto, nego. Contrarium ex probationibus liquet.

Replicabis: Quod univerſim & ſine reſtrictione a ſanctis Patribus aſſeritur, abſque explicatione utique ſic propugnari debet; Atqui ex SS. aliis Patribus opera Infidelium non ſunt bona; Ergo &c. Probatur minor. S. Ambroſius in pſalmum primum ait: " Virtutes ſine fide folia

„ ſunt, videntur vivere, ſed prodeſſe non „ poſsunt; agitantur vento, quia non ha„ bent fundamentum. „

S. Hieronymus in cap. 3. epiſt. ad Galatas: " Sententiam, *inquit*, proferamus „ adverſum eos qui in Chriſtum non cre„ dentes, fortes & ſapientes, temperan„ tes ſe putant eſſe vel juſtos, ut ſciant „ nullum abſque Chriſto vivere; ſine quo „ omnis virtus in vitio eſt. „

S. Proſper eadem proſus loquitur epiſt. ad Rufinum cap. 7. " Ut ſunt, *ait*, „ intelligat juſtitiam Infidelium non eſ„ ſe juſtitiam, quia ſordet natura ſine „ gratia. „

S. Fulgentius lib. 2. de veritate prædeſtinationis cap. 5. eumdem habet ſermonem his verbis: " Deo igitur non pla„ cemus, niſi velimus, ſed ab nobis tri„ buitur, ut velimus, a quo niſi voluntas „ hominis mutetur, ut bona ſit, aut ſem„ per appetit malum; aut numquam bene „ appetit bonum. „ His adde Bedam qui in cap. 14. epiſtol. ad Rom. hæc ſcribit: " Omnis Infidelium vita peccatum „ eſt, ut nihil bonum ſine ſummo bono; „ ubi enim deeſt agnitio æternæ & in„ commutabilis veritatis falſa virtus eſt „ etiam in optimis moribus. „

Subſcribunt Primaſius in eumdem Apoſtoli locum, Prudentius adverſus Joan. Scotum cap. 4. Lupus Servatus lib. de tribus quæſtionibus, q. 1. Remigius & cum ipſo Eccleſia Lugdunenſis libro de tribus epiſtolis cap. 22. Bernardus ſerm. 1. de Annuntiatione, & alii non pauci: Ergo &c. His prælibatis, ſequitur iſtud argumentum. Si quid boni quandoque operarentur Infideles, citra dubium haberent veras virtutes morales, ſaltem ordinis naturalis: Atqui ex Ambroſio eorum virtus non niſi ſolium eſt: ex Hieronymo vitium eſt: ex Proſpero non eſt juſtitia; ex Fulgentio, ſecluſa gratia, homo ſemper appetit malum, & numquam bonum: demum ex Beda, virtus Pagani peccatum eſt: Ergo &c.

Reſpondeo 1. opponendo Patres Patribus, ut ex probationibus liquet.

Reſpondeo 2. ut ſupra; namque allatæ & ſimiles auctoritates unum tantummodo probant, hominem, ſecluſa gratia, nihil quod ad ſalutem conducit, operari poſſe; Infidelium facta propter peccatum originale eſse vitia, hoc eſt, inutilia: quinimmo, eorum virtutes defectu fidei appenſas in ſtatera inveniri minus habentes, juxta illud Matth. 16. *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, anima vero ſuæ detrimentum patiatur*. Qua quidem ſententia ſubindigitat Chriſtus ea quæ non ſunt ad ſalutem, aut nihil, aut parum eſſe, nec veræ virtutis nomine celebranda eſſe. Addo ſanctos Patres innuere opera Infidelium, ut plurimum eſſe peccata, & ex malo fieri motivo; juxta illum Concilii Arauſ. canonem 17. adverſus Pelagianos & Semipelagianos factum: " Fortitudinem „ Gentilium mundana cupiditas, Chri„ ſtianorum divina facit charitas. „

Quod autem laudati Patres ſolum intelligant opera Infidelium honeſta ad ſalutem non conducere, & non eſse intrinſece peccata; inſtar omnium de hoc momento audiendus eſt S. Fulgentius, qui libro de Incarnatione & gratia cap. 26. ſic loquitur: " Quod ſi quibuſdam cognoſcenti„ bus Deum, nec tamen ſicut Deum „ glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad ſalutem; quomodo hi potuerunt juſti eſse apud Deum, qui ſic in ſuis mo„ ribus, atque operibus bonitatis aliquid „ ſervant, ut hoc ad finem Chriſtianæ „ fidei charitatiſque non referant? Qui„ bus aliqua quidem bona quæ ad ſocie„ tatis humanæ pertinent æquitatem ineſse „ poſsunt; ſed quia non fide & charitate „ Dei fiunt, prodeſſe non poſſunt. „ Rurſus ibidem cap. 27. ait: " Juſtitiam quæ „ ex lege eſt, eſſe ex homine; juſtitiam „ vero quæ ex fide Chriſti eſt, non eſ„ ſe niſi ex Deo. „ Quibus verbis hanc ponit inter opera ſupernaturalia, & cætera quæ naturalem ſpectant legem, diſcrepantiam, quod priora fiant abſque gratia, quæ tamen vere bona ſunt, cum ſint de lege naturali; alia vero, eaque vitæ æternæ meritoria, a gratia profluant.

Inſiſtes: S. Auguſtinus paſſim docet liberum arbitrium ſecundum ſe ſpectatum non niſi ad peccandum valere. Adſtipulantur Zoſimus Papa epiſt. ad Epiſcopos Galliæ apud Cæleſtinum cap. 9. Ipſe Cæleſtinus in eadem apiſtola cap. 7. & 8. Leo Magnus ſerm. 5. de jejunio ſeptimi menſis cap. 3. Gregorius Magnus homil. 9. in Ezech. Nicolaus I. epiſt. 24. ad Egilonem conſcripta: Arauſicanum II. can. 22. his verbis: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum*. Ejuſdem ſunt labii

bii Valentinum III. can. 6. Lingonenſe ubi canones Valentini approbati leguntur: ac tandem Tullenſe in quo Lingonenſis Concilii canones relecti ſunt: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Liberum arbitrium non niſi ad peccatum valet; hoc eſt, ad vitam æternam obtinendam, ſecluſo divinæ gratiæ auxilio, nihil poteſt, concedo; ad peccandum valet, abſolute, nego. Hoc unum intendunt ſummi Pontifices, recenſita Concilia, & omnia Africana, ſcilicet liberum arbitrium ſine gratia nihil poſſe pro ſalute operari; quandoquidem perſtringunt Pelagianos & Semipelagianos contrarium ſentientes & propugnantes. Neque vero negant aliquid poſſe liberum arbitrium in ordine naturali, ſed parum. Solutio eſt D. Aug. cujus mens fuſiori calamo infra explanabimus. Sic loquitur libro de perfectione juſtitiæ cap. 2. " Parum eſt ad non peccandum libe- ,, rum voluntatis arbitrium. ,, Rurſus lib. de corr. & gr. cap. 11. " Arbitrium ,, ad malum ſufficit, ad bonum autem pa- ,, rum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti ,, bono. ,,

Objectiones ex ratione diſcutiuntur.

Oppones: Qui eſt averſus a Deo nihil boni poteſt facere: Atqui Infideiis eſt averſus a Deo: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Qui eſt averſus habitualiter & actualiter, concedo; habitualiter tantum, nego. Infidelis habitualiter quidem propter infidelitatis vitium eſt a Deo averſus; non tamen ſemper actualiter, quippe qui non agat ubique propter creaturam, a qua ſeſe abſtrahere poteſt, operando propter motivum honeſtum, alias ſi neceſſario ſemper peccaret, fruſtra darentur Infidelibus legis naturæ præcepta.

Inſtabis: Atqui Infidelis non poteſt propter bonum finem operari: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Qui eſt habitualiter a fine ultimo averſus, non poteſt agere propter finem bonum; alias duos fines ultimos ſimul haberet; alterum ſcilicet bonum, perverſum vero alterum, quod dubio-procul implicat: Ergo &c.

Reſpondeo: Gentilem operantem propter finem honeſtum, unicum habere finem ultimum, illumque malum in quo quieſcit, nec finem bonum habere, niſi intermedium, qui quidem vocatur finis operis potius quam operantis; dico operis, quatenus opus de ſe eſt legi conſonum; quod iſto quidem poteſt illuſtrari exemplo. Chriſtianus v. g. qui peccati mortalis habitu detentus, dat motu compaſſionis vel etiam implicite propter Deum eleemoſynam, tametſi a peccato recedere nondum velit, citra dubium operatur bonum opus, quippe qui habeat in ſua actione finem proximum, ſeu motivum agendi optimum, non tamen finem ultimum, quandoquidem non in Deo, ſed in creatura ultimate quieſcit. Quis autem cordatus dixerit actu peccare, cum propter Deum eleemoſynam elargiatur?

Inſtabis: Inde ſequeretur infidelem ſimul eſſe ad creaturam converſum, & non converſum: abſurdum conſequens: Ergo & antecedens.

Reſpondeo diſtinguendo ſequelam: Sub diverſo reſpectu, concedo: ſub eodem, nego; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Eſſet habitualiter ad creaturam converſus, actualiter vero minime, cum juxta juſtitiæ regulas operaretur.

Inſiſtes: Infidelis agit tantummodo propter creaturam; Igitur & actu eſt in omni opere ad illam converſus. Probatur antecedens: Non agit propter Deum; namque illum ignorat: Igitur propter creaturam.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Non agit propter Deum, explicite & corde perfecto, concedo: & hoc unum probat confirmatio; non agit implicite, nego. Eatenus dicitur propter Deum operari, & ex natura operis, quia de facto ad illum refertur, & ex intentione operantis, quia adimplet legem Dei naturalem, qua dilectio proximi injungitur: tum quia etiam intendendo agere ſecundum juſtitiæ regulas, ſaltem implicite intendit voluntatem ſupremi numinis quodcumque ſit, adimplere.

Perſiſtes: Opera propter creaturam facta, ſunt peccata; Sed infidelis propter craturam agit: Et probatur: Primoquidem intendit ſolum ſublevare pauperis miſeriam: Igitur actu propter creaturam operatur. Secundo habitualiter quieſcit veluti in fine ultimo in creatura: Sed nemini licitum eſt ponere finem ultimum in creatura: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Opera propter creaturam facta contra juſtitiæ regulas, ſunt peccata, concedo: ſin minus, nego. Lex dilectionem fratris præcipit, quocirca, ſi quis agat propter creaturam, ut illam a miſeria ſublevet, bonum opus operatur, modo adſit honeſtatis motivum: quod ſi motivo ſuperbiæ operetur, jam actio de ſe bona peccatum evadet: cæterum ſi bono ducatur motivo infidelis, jam non agit ſimpliciter propter creaturam, ut propter finem ultimum, ſed propter beatitudinem in communi quæcumque ſit, adeoque & implicite propter Deum.

Ad primam probationem diſtinguo: Agit propter creaturam ſecundum juſtitiæ regulas, concedo: citra juſtitiæ regulas, nego.

Ad alteram ſimiliter diſtinguo: Infidelis quieſcit habitualiter in creatura, nam a peccato originali & infidelitatis non recedit, ſed ex illo abſtrahit, concedo: quieſcit actualiter, ſubſtinguo; ſi operetur ex malo motivo, concedo: ſi e contra, bono, nego. Qui eleemoſynam motu compaſſionis largitur, præſcindit a malo fine ultimo, & agit implicite propter bonum.

Replicabis: Omnis actio quæ non eſt propter Deum explicite, peccatum eſt: Atqui infidelis non agit propter Deum explicite: Ergo &c. Probatur major: 1. Cor. 10. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis . . . omnia in gloriam Dei facite*. Quæ verba ponderans Auguſtinus ait, omnes actiones noſtras, ad Deum dirigendas eſſe, ſin minus evadere peccata. Confirmatur: Qui peccat venialiter non agit propter creaturam, ut propter finem ultimum, & tamen peccat, ex eo quod explicite propter Deum non operetur: Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem: Ad primam probationem diſtinguo: Omnis actio eſt peccatum eo ipſo quo ad Deum nequidem implicite refertur, concedo: Si ad eum referatur ſaltem implicite, & ut ad naturæ auctorem, nego. Apoſtolus eo loci vitam Chriſtianam conſiliis ſalutaribus inſtituit, & Chriſtianis loquitur, qui certe cuncta ſua ad Deum, ut auctorem gratiæ referre debent opera; quod ſi ex contemptu non faciant, in peccatum prolabuntur, ſecluſo vero contemptu, minime. . . . S. Auguſtinus vult ſolum Chriſtianos, ut plurimum peccare, ſi ad Deum explicite non attendant; non tamen ſemper, ut ex multiplici ejus allata auctoritate claret.

Ad alteram probationem, nego conſequentiam: Latum eſt enim diſcrimen inter infidelem & Chriſtianum: iſte habet multo plura præcepta, & ideo peccat venialiter, cum ea & omittit, & tranſgreditur in levioribus; mortaliter vero ſi in gravioribus. Qui mentitur v. g. ut excuſationem habeat alicujus defectus, & citra proximi injuriam, dubio-procul legem prohibentem mendacium trangreditur: at vero infidelis non habet niſi legem naturalem, quam certe adimplet dando eleemoſynam motu compaſſionis.

Urgebis: Sequeretur ex dictis infidelem, qui dat eleemoſynam motu compaſſionis, agere propter Deum, tamquam propter ultimum finem: Atqui hoc dici non poteſt; alias juſtificaretur propter amorem Dei naturalem etiam implicitum, quod Pelagianiſmum prorſus ſpirat.

Reſpondeo diſtinguendo: Sequeretur infidelem agere propter Deum, ut auctorem naturæ, & hoc ſolummodo implicite, & veluti propter finem dumtaxat intermedium, concedo: propter Deum ut auctorem gratiæ, in illo tamquam in fine ultimo quieſcendo: nego. Infidelis in hypotheſi non avertitur a creatura, in qua habitualiter quieſcit; ſic nec Chriſtianus peccatorum pondere detentus dando eleemoſynam motivo honeſto: eſto quod a creatura mala tunc abſtrahat, ſed non prorſus eam abjicit, quocirca eleemoſyna eum quidem ad converſionem negative præparat, ſed nondum operatur, donec accedat contritio perfecta, & ad Deum ut auctorem gratiæ explicita converſio. Quid plura? Infidelis nonniſi implicite, vel ad ipſum Deum ut auctorem naturæ, convertitur, & hoc etiam imperfecte: Et ſic patet ſolutio ad confirmationem.

Sententia Patrum de Infidelium ſalute.

NON audemus de hoc aliquod ferre judicium; ſed pro gravitate juvat aliquorum Patrum hic texere teſtimonia, ut quiſquis Dei bonitatem, vel ipſos erga Paganos ſuſpicari queat.

Sanctus Gregorius Naz. orat. 19. verſus ini-

initium de hoc momento ſic loquitur: " Ut enim multi ex noſtris nobiſcum non „ ſunt, quos ſcilicet a communi corpo- „ re vita removet, ſic contra multi ex- „ terorum ad nos ſpectant, quicumque „ nimirum fidem moribus antevertunt, „ ac ſolo nomine careant, cum rem ipſam „ teneant. Quo in numero, meus quo- „ que Pater erat, ramus quidem ille alie- „ nus, cæterum vita & moribus ad nos „ propendens. „

S. Hieronymus in cap. 22. Matth. hæc profert: " Inter ipſos quoque Ethnicos „ eſt diverſitas infinita: cum ſciamus quoſ- „ dam eſſe proclives ad vitia, & rnen- „ tes ad mala: alios ad honeſtatem mo- „ rum virtutibus deditos. „

S. Chryſoſtomus Homil. 37. in Matth. expreſſius loquitur: " Quod autem qui an- „ te Chriſtum obierunt, ac ideo ipſum „ non cognoverunt, ſi ab idolorum cultu „ receſſerunt, ac Deum ſolum adorarunt; „ ſi præterea honeſte vitam peregerunt; „ æterna bona, & beatitudinem adipiſcen- „ tur. Audi quid dicat Paulus Rom. 2. „ 6. gloria autem & honor & pax omni „ operanti bonum. „

S. Auguſtinus lib. 18. de civit. c. 47. non abſimilia loquitur his verbis: " Di- „ vinitus autem proviſum fuiſſe non du- „ bito, ut ex hoc uno ſciremus, etiam „ per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſe- „ cundum Deum vixerunt, eique placue- „ runt, pertinentes ad ſpiritualem Jeru- „ ſalem. „

D. Thomas aſſerit, quod ſi homo in ſylvis nutritus ſequatur rationem in appetitu boni, & fuga mali, Deum illuminaturum eſſe, vel interius & immediate, vel exterius & mediate, per Angelos, aut aliquem fidei prædicatorem, qualem ad Cornelium miſit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Omnia infidelium opera non ſunt peccata.

PRIMO: Deus non approbat peccata: Et tamen obſtetricum Ægypti erga Hebræorum maſculos miſericordiam laudavit, immo & compenſavit, ut habetur Exod. 1.

Secundo: S. Pius V. & Greg. XIII. damnarunt propoſitionem 22. 28. & 38. Baji in quibus contrarium docet.

Tertio: Comment. in cap. 1. epiſt. ad Gal. ait in omnibus hominibus eſſe quædam virtutum moralium ſemina, quibus recte non ſemel vivitur. Ratio eſt, quia quandoque actio infidelis eſt bona ex objecto, ex intentione & fine, ut motivo compaſſionis ſublevare pauperis miſeriam: Sed nihil aliud requiritur ut actio ſit bona: Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Incaſſum objicitur iſtud Apoſt. effatum Rom. 14. *Quod non eſt ex fide peccatum eſt*; ſenſus enim eſt, non eſſe vitæ æternæ meritorium, vel etiam peccatum eſſe ſolum concomitanter, quatenus actio tametſi bona moraliter, non tamen, ſecluſa gratia, delet peccatum ſive originale, ſive etiam actuale; ea de cauſa actiones Infidelium ſunt nigredine plenæ, cum enim per eas non juſtificentur, nec utique placent Deo uſque ad vitæ æternæ meritum.

Secundo: Eſto quod Patres quandoque dicant non dari medium inter amorem Dei & amorem Babylonis, hoc intelligendum eſt reſpectu vitæ æternæ meriti; namque omnis amor, vel eſt gloriæ, vel gehennę meritorius: gloriæ quidem ſi ſit bonus, inferni vero, ſi malus: Sed ſi amor ſecundum ſe ſpectetur, datur medius, qui nec eſt meritorius, nec etiam pœna dignus, videlicet moralis & honeſtus, quo infideles proximum diligunt.

Tertio: Tametſi Paganus ſit habitualiter a Deo averſus, non tamen ſemper actu, ut quum compaſſionis motivo dat eleemoſynam.

§. III.

An S. Auguſtinus omnia Infidelium opera peccata eſſe propugnaverit?

CONCLUSIO.

S. Auguſtinus omnia Infidelium opera peccata eſſe, nec docuit, nec credidit.

Probatur multiplici ratione.

PRIMA ſic proponitur. Ille omnia Infidelium

lium opera, peccata eſſe non propugnavit, qui ait multa in eis eſſe, quæ nedum vituperanda, ſed & laudanda ſunt: Atqui ſic docuit, ſic dicit & ſcripſit S. Auguſtinus: Igitur nec credidit, nec propugnavit omnia Infidelium opera eſſe peccata. Probatur minor: S. Doctor lib. de ſpir. & litt. cap. 27. num. 48. ait: " Si ,, autem hi qui naturaliter quæ legis ſunt ,, faciunt, nondum ſunt habendi in nu- ,, mero eorum quos Chriſti juſtificat gra- ,, tia; ſed in eorum potius, quorum et- ,, iam impiorum, nec Deum verum ve- ,, raciter juſteque colentium, quædam ta- ,, men facta, vel legimus, vel novimus, ,, vel audimus, quæ ſecundum juſtitiæ ,, regulam non ſolum vituperare non poſ- ,, ſumus, verum etiam merito recteque ,, laudamus. ,, Ergo &c.

Secunda: Ille non putavit omnia Infidelium opera eſſe peccata, qui ſcripſit Creatoris imaginem non ita detritam eſſe in Infidelibus, ut leviora legis naturæ mandata facere non queant: Atqui ſic propugnavit S. Præſul: Et probatur. Ibidem ait: " Non uſque adeo in anima ,, humana imago Dei terrenorum affe- ,, ctuum labe detrita eſt, ut nulla in ea ,, velut lineamenta extrema remanſerint, ,, unde merito dici poſſit etiam in im- ,, pietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ,, ſapere; ſi hoc eſt quod dictum eſt: quia ,, *gentes quæ legem non habent*, hoc eſt, ,, legem Dei, *naturaliter quæ legis ſunt fa-* ,, *ciunt*, & quia hujuſmodi homines, *ipſi* ,, *ſibi ſunt lex*, & *ſcriptum opus legis habent* ,, *in cordibus ſuis*, id eſt, non omni mo- ,, do deletum eſt, quod ibi per imagi- ,, nem Dei, cum crearentur impreſſum ,, eſt. ,, Ergo &c.

Tertia: Ille omnia Infidelium opera non arbitratus eſt mala, qui ea ſolummodo dicit peccata, quæ ex mala voluntate, & motivo prorſus vitioſo fiunt, puta propter vanam gloriam: Atqui ſic pronuntiavit S. Auguſtinus: Igitur ab ejus mente profecto alienum eſt, omnia Infidelium opera eſſe mala. Probatur minor ex S. Præſule, qui contendit adverſus Julianum opera ex officio bona, ſed mala ex motivo, dicenda eſſe peccata. Sic loquitur lib. 4. contra Julianum cap. 3. n. 30. " Quis infidelis ita infideliter ſapiat? ,, Non itaque, in quantum homo eſt, ,, quod eſt opus Dei; ſed in quantum ma- ,, læ voluntatis eſt, quiſque arbor mala ,, eſt, & bonos fructus facere non po- ,, teſt. ,, Quibus verbis S. Præſul diſtinguit Duplex opus: alterum quod procedit ab homine, ut homo, ut Dei factura eſt: alterum quod ab eo promanat quatenus infidelis eſt, & perverſa fit voluntate: iſtud tantummodo opus dicit malum, nuſquam vero primum, eo inconcuſſo innixus principio, quod non ita deleta ſit imago Dei in creatione impreſſa, ut aliqua non remaneant lineamenta, & virtutes, quibus aliquod bonum, ſaltem naturalis ordinis & legis, ille facere non queat. S. Doctor Ep. 144. lib. de patientia cap. 26. eamdem docet concluſionem. Poſt illum S. Fulgentius lib. de incarn. & gr. cap. 26. Ergo &c.

Solvuntur objectiones ex auctoritate D. Auguſtini prodeuntes.

OBJICIES: Servare fidem conjugalem eſt bonum opus morale: Atqui nullus hoc opus bonum & aliud ſimile abſque fide in Chriſtum poteſt recte adimplere: Igitur Infideles nullum opus bonum etiam naturalis ordinis facere queunt, quippequi abſque fide & ſint & vivant. Probatur minor ex S. Auguſtino. Hoc ex profeſſo probat lib. 4. contra Julianum, maxime cap. 3. num. 14. ubi alloquens Julianum ait: " Conantes evacuare quod ,, dicimus, neminem recte vivere, niſi ,, ex fide per Jeſum Chriſtum, unum Dei ,, & hominum mediatorem, ubi vos ejus ,, adverſarios apertiſſime profitemini. De- ,, nique longe non eamus: ſi forte fal- ,, lor, ad iſta reſponde. Ego dixi, pudi- ,, cum non veraciter dici, qui non propter ,, Deum fidem connubii ſervat uxori. ,,

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Nullus meritorie poteſt abſque fide ſervare fidem connubii, concedo: ſervare motivo naturali, eoque honeſto, ſubdiſtinguo: ſemper, concedo: ad tempus, nego. S. Auguſtinus in primo loquitur ſenſu; & hoc ex multis patet momentis. I. Quidem lib. de ſpir. & litt. cap. 37. num. 48. expreſſe dicit gentes tametſi adhuc in infidelitate viventes, aliqua tamen ordinis naturalis bona poſſe facere, cujus hanc reddit rationem: *Quia non uſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea vel-*

ut

ut lineamenta extrema remanſerint. Profectò non legitur in libris retractationum, ea quæ dixit in libro de ſpiritu & littera revocaſse. II. Caput controverſiæ in libro 3. contra Julianum eſt de operibus ad ſalutem conducentibus: porro actionem diſtinguebat duplicem Julianus, alteram ſteriliter bonam, alteram vero ſecunde optimam. Priorem eam dicebat ex officio & objecto bonam, ex fine vero perverſam, & ideo ſteriliter bonam defectu motivi debiti, ut dare eleemoſynam ad ſublevandum pauperem, quod ex ſe bonum eſt, ſed propter vanam gloriam, & ut quis appareat coram hominibus miſericors: poſteriorem illam autumabat eſſe quæ fit ex motivo honeſto, puta cum quis compaſſionis motu porrigit eleemoſynam pauperi, in hoc ſiſtendo ut faciat alteri, quod ſibi fieri vellet, ſi inops & miſer evaderet. Iſtam proclamabat Heterodoxus juſtam, ſanctam & vitæ æternæ meritoriam, quocirca gratiam Chriſti evacuabat. Julianum revincit S. Auguſt. propugnando actionem juxta ejus ſenſum ſteriliter bonam, eſse abſolute malam: Alteram vero eſſe quoque eatenus malam, quatenus nec meritoria nec ad vitam conducat æternam, eo quod abſque fide & gratia Mediatoris fiat, quo ſecluſo auxilio, aliqua quidem legis naturalis præcepta homo poteſt aliquando facere, non tamen diutius obſervare.

Quod talis ſit genuinus S. Aug. ſenſus, patet. Namque ibidem lib. 4. contra Jul. cap. 3. num. 14. ait gratiam eſſe neceſſariam ad opus ſalutis tum inchoandum, tum perficiendum & conſummandum: " Cum ergo, *ait Juliano*, divinitus adiuvatur homo, non tantum ad capeſ-
„ ſendam perfectionem adiuvatur, quod
„ ipſe poſuiſti, utique volens intelligi eum
„ per ſe incipere ſine gratia, quod perficit
„ gratia: Sed potius quod Apoſtolus loquitur,
„ ut qui in vobis opus bonum cœpit, per-
„ ficiat uſque in finem. In quo enim vis
„ hominem, ſicut loqueris, ad aliquid
„ laudabile generoſi cordis ſtimulis inci-
„ tari: In hoc eum non vis in Domino,
„ ſed in libero arbitrio gloriari. „ Quod etiam bonum aliquod morale etiam naturalis ordinis, Dei ſecluſa gratia, non fieri contendat Auguſtinus, ibidem dicit, eo quod opera infidelium raro admodum abſque malo fiant motivo: Unde in libro de ſpir. & litt. cap. 37. num. 48. concedit quidem aliqua infidelium opera eſſe laudabilia, ſubdit vero: " Quamquam ſi
„ diſcutiantur quo fine fiant, vix inveniun-
„ tur quæ juſtitiæ debitam laudem de-
„ fenſionemve mereantur. „

Inſtabis: Si Infideles bonum quandoque operarentur, haberent virtutes morales: Atqui hoc expreſse abnegat S. Auguſt. ibidem lib. 4. contr. Jul. c. 3. num. 17. his verbis: " Sed abſit ut ſit in aliquo vera
„ virtus, niſi fuerit juſtus. Abſit autem
„ ut ſit juſtus vere, niſi vivat ex fide. „
Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Haberent virtutes morales naturalis ordinis, concedo: ſupernaturalis ordinis, & veras, nego. Virtus moralis duplex diſtinguitur, una quæ regulat hominis vitam ad finem honeſtum a Creatore intentum; altera quæ dirigit ad finem ſupernaturalem, & a Mediatore præſcriptum. Prima eſt vacua, & ideo non omnibus numeris abſoluta, ut dicatur ſimpliciter vera, quinimmo quodam modo mala in Infidelibus eſt, quatenus ad juſtificationem & ſalutem inutilis evadit, & homo habitualiter ſit per infidelitatem averſus a Deo; Altera vero eſt optima, & ſola ut vera proclamanda, quia & fide innititur & charitate, qua & virtus animæ vireſcit & informatur, unde & ſola ſalutis cauſa. S. Auguſtinus ne dimittat adverſarium qui Infidelem & impium virtute naturalis ordinis juſtificari contendebat, ait, virtutem abſque fide & gratia Jeſu Chriſti nullam eſſe. Qui quidem ſenſus ex ſancti Doctoris textu claret. *Abſit ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus. Abſit autem ut ſit juſtus vere niſi vivat ex fide*. Rurſus ibidem num. 16. Julianum ſic alloquitur: " Quid
„ remanſit quod gratiæ reſervemus in
„ tam evidentibus, quibus dixiſti eos
„ abundare virtutibus? Quanto ſatius,
„ ſi te impios ita laudare delectar, ut
„ non audiens dicentem Scripturam, Prov.
„ 24. Qui dicit impium juſtum eſse, ma-
„ ledictus erit in populo . . . . De jugo
„ gravi, quod eſt ſupra filios primi A-
„ dam, nemo liberat, niſi ſecundus A-
„ dam. Quanto ergo tolerabilius illas,
„ quas dicis in impiis eſſe virtutes, divino
„ muneri potius, quam eorum tribueres
„ tantummodo voluntati. „ Quibus verbis S. Præſul ait virtutes veras ineſse poſse Infi-

delibus, ſed virtute gratiæ, quam quidem Deus intuitu dilecti filii ſui concedit etiam impiis, etiam infidelibus.

Rurſus num. 17. " Quomodo in eis eſt „ vera juſtitia, in quibus non eſt vera „ ſapientia? Quam ſi eis tribuerimus, nihil „ erit cauſſæ cur non eos ad illud regnum „ pervenire dicamus, de quo ſcriptum „ eſt, Concupiſcentia ſapientiæ deducit „ ad regnum. Ac per hoc Chriſtus gra- „ tis mortuus eſt. „ His & ſimilibus ſententiis unum tantummodo propugnat Auguſtinus, videlicet virtutes morales ex innatis naturæ viribus promanantes, neque ad juſtificationem, neque ad ſalutem ſufficere, ut volebat Julianus, qui ita humanam extollebat naturam, ut ex ſe cuncta poſſe, etiam ſalvari arbitrabatur: Quod ſi hoc verum foret, inquit S. Auguſtinus, jam Chriſtus gratis mortuus eſſet, hoc eſt, inutilis eſſet ejus & paſſio, inutilis mors.

Urgebis: Qui dicit nullam virtutem appellari poſſe juſtitiam niſi ſoli Deo ſerviat, profecto contendit nullam omnino ineſſe virtutem moralem, quæ ſecluſa in Chriſtum fide nominari debeat vel minimum virtus: Atqui ſic conteſtatur S. Auguſt. ibidem num. 21. " Proinde, *ait*, „ virtutes quæ carnalibus delectationibus, „ vel quibuſcumque commodis & emolu- „ mentis temporalibus ſerviunt, veræ „ prorſus eſſe non poſſunt. Quæ autem „ nulli rei ſervire volunt, nec ipſæ veræ „ ſunt. Veræ quippe virtutes deſerviunt „ in hominibus a quo donantur homini- „ bus. „ Igitur ex Sancto Doctore nulla virtus eſt, præter eam quæ ſoli Deo ſervit. Namque a ratione virtutis eliminat obſequia amicis præſtita, fortitudinem in periculis abſque timore ſuſtinendis, patientiam in perferenda inedia, quæ ſane motivum habent honeſtum. Sic loquitur num. 19. " Nec aliud erit quam „ vera juſtitia Catinilæ, comprehendere „ multos amicitia, tueri obſequio, cum „ omnibus communicare quod habebat: „ Et fortitudo vera erit ejus, quod fri- „ gus, famem, ſitim ferre poterat: & „ vera patientia, quod patiens erat „ inediæ, algoris, vigiliæ, ſupra quam „ cuiquam credibile eſt. Quis hæc ſa- „ piat, niſi deſipiat? „

Reſpondeo diſtinguendo: Nulla virtus eſt præter eam quæ ſervit Deo, vel ut Remuneratori, vel ſaltem ut Creatori, concedo: quæ non ſerviat Remuneratori, ſubdiſtinguo: nulla ſupernaturalis & quæ ad fidem conducit, concedo: nulla moralis & quæ hominis vitam ad honeſte vivendum dirigat, nego. Eodem modo, iiſdemque principiis ſuum inſectatur Auguſtinus adverſarium, propugnando eam virtutem non eſſe veram, quæ tametſi ex officio ſit bona, mala tamen ratione honeſti finis a quo deficit, adeoque virtutes ex objecto bonas, malas vero ex motivo, quas Julianus ſteriles vocat, ne quidem nomine virtutis donandas eſſe contendit S. Præſul, quippe quæ ſint vitia: Unde ut eſſent virtutes Creatori ſaltem referri deberent, quales ſunt virtutes morales, quæ & ex officio, & ex motivo bonæ ſunt: Namque dare eleemoſynam indigenti motu compaſſionis refertur ſaltem implicite ad Creatorem, cujus hæc lex eſt, bona hominibus indigentibus ſuppeditare, qualia nobiſmetipſis in neceſſitate poſitis fieri deſideramus. Alterum quod propugnat S. Doctor illud eſt, nullam virtutem ordinis naturalis, ſecluſa Chriſti fide, ad juſtificationem conducere. Jam audiamus S. Præſulem ſui ipſius interpretem.

In primo loco loquitur de iis, quæ ſunt virtutes tantummodo ex officio, mala vero ex fine: ſupra enim dixerat num. 21. Juliano: " Noveris itaque, non officiis, „ ſed finibus a vitiis diſcernendas eſſe vir- „ tutes. Officium eſt autem quod facien- „ dum eſt: finis vero, propter quod fa- „ ciendum eſt. Cum itaque facit homo „ aliquid ubi peccare non videtur, ſi non „ propter hoc facit, propter quod facere „ debet, peccare convincitur: Quæ tu „ non attendens, fines ab officiis ſepara- „ ſti, & virtutes veras officia ſine finibus „ appellandas eſſe dixiſti. Ex quo te tanta „ abſurditas ſequitur, ut veram cogaris ap- „ pellare juſtitiam, etiam cujus dominam „ reperis avaritiam.... Proinde virtutes „ &c. „ Infra ſimili prope modo ſeſe explicat S. Doctor n. 22. & ait: " Poſſunt ergo „ aliqua bona fieri, non bene facientibus a „ quibus fiunt. Bonum eſt enim ut ſubvenia- „ tur homini periclitanti, præſertim inno- „ centi: ſed ille qui hoc facit, ſi aman- „ do gloriam hominum magis quam Dei „ facit, non bene bonum facit: Quia non „ bonus facit, quod bona voluntate facit. „ Abſit enim ut ſit, vel dicatur voluntas

bona,

„ bona, quæ in aliis, vel in ſeipſa, non
„ in Domino gloriatur. Ac per hoc nec
„ ejus fructus iſte dicendus eſt; arbor enim
„ mala bonos fructus non facit. „ Ibi ut
patet explodit a veritate virtutis eam ſolam quæ ex malo vanæ gloriæ motivo fit, quandoquidem arbor mala bonos non edit fructus, hoc eſt, homo peccator agens reduplicative ut peccator, nempe ex motivo vitioſo, non bene facit: attamen cum motivo honeſto poſſe operari non inficiatur S. Auguſtinus.

In loco poſt conſequentiam argumenti in contrarium propoſiti, mentionem facit ſolummodo de iis quæ virtutis ſimilitudinem exprimunt, & vitiis ſunt affinia, quippe quæ fiant, vel ad oſtentationem, vel propter vitæ commoditatem avaritia regulatam & imperatam. Subdit enim num. 20. “ Sed videlicet homo eruditus, eorum vitiorum veriſimilitudine fal-
„ leris, quæ finitima videntur & pro-
„ pinqua virtutibus, cum abſint ab eis
„ quam longe abſunt a virtutibus vitia. „
Suam proſequitur reſponſionem num. 21. ubi ait allata eſſe virtutes ex officio tantum, ſed non in rei veritate, quia non ex fine: “ Poteſt, *inquit*, videri eſſe ju-
„ ſtitiæ: Sed cum quæritur, quare fiat,
„ & reſpondetur, ne plus pecuniæ litibus
„ pereat &c. „

Inſiſtes: Hanc Juliani refert objectionem S. Aug. ibidem num. 30. “ Si Gentilis,
„ *inquit*, nudum operuerit, numquid quia
„ non ex fide, peccatum eſt? „ Reſpondet Auguſt. & ſubjungit: “ Prorſus in quantum non eſt ex fide, pecca-
„ tum eſt. „ Igitur ex mente S. Aug. actio quæcumque bona videatur, tametſi ſine etiam juſta, peccatum tamen præciſe cenſet S. Præſul, quia ex fide non eſt.

Reſpondeo diſtinguendo: Operire nudum vanæ gloriæ motivo peccatum eſt, concedo: honeſto fine, nego: Namque eo ipſo quo actio finem habet bonum, quodammodo ex fide ſaltem implicite procedit, quatenus ad Deum Creatorem refertur. S. Aug. in primo tantum ſenſu loquitur, ut ex verbis ſubſequentibus claret, ſubdit
„ enim: “ Peccatum eſt; non quia per
„ ſe ipſum factum, quod eſt nudum ope-
„ rire, peccatum eſt: ſed de tali opere
„ non in Domino gloriari, ſolus impius
„ negat eſſe peccatum. Quod in intel-
„ ligas... Quæro abs te, utrum hæc opera
„ bona benefaciat an male? Si enim quam-
„ vis bona, male tamen facit; negare
„ non potes eum peccare, qui male
„ quodlibet facit. Sed quia eum non vis,
„ cum facit iſta peccare; profecto dictu-
„ rus es, & bona facit, & bene. Fru-
„ ctus ergo bonos facit arbor mala: quod
„ fieri non poſſe Veritas dicit. „ Ibi S. Doctor eatenus ſuo perſtringit ſtilo cenſorio Julianum, quatenus volebat hominem qui vel nudum operit, vel periclitantem liberat, vel ægri vulnus fovet, non peccare, tametſi hæc omnia propter vanam gloriam faciat, quippequi non in Domino, ſed in ſe propter hæc bona gloriatur.

Inſtabis: Ideo infidelis aliqua poteſt facere bona, quia non agit ſemper reduplicative ut infidelis, ſed quandoque ut homo, qui bonam a conditore recepit naturam: Atqui etiam ut homo, ſecluſa fide, non poteſt operari bonum, ſed quæcumque facit, peccata ſunt: Et probatur ex D. Aug. qui ibidem num. 30. hanc eamdem a Juliano propoſitam difficultatem & inſtantiam ſolvit, aſſerendo ea quæ procedunt ab infideli etiam ut homine, prorſus eſſe peccata. Sic alloquitur adverſarium: “ Noli præcipitare ſententiam, diligen-
„ ter conſidera quid te reſpondere conve-
„ niat. An dicis hominem infidelem ar-
„ borem bonam? Placet ergo Deo: neque
„ enim bono poteſt non placere quod bo-
„ num eſt. Et ubi erit quod ſcriptum eſt, ſi-
„ ne fide impoſſibile eſt Deo placere? An
„ reſpondebis Non, in quantum infidelis
„ eſt, ſed in quantum homo eſt, arbor
„ bona eſt? De quo ergo Dominus ait,
„ Matth. 7. 18. “ Non poteſt arbor mala
„ bonos fructus facere? Quando quidem
„ quicumque erit, aut homo, aut Angelus
„ erit. Sed ſi homo in quantum homo eſt,
„ arbor bona eſt; profecto & Angelus in
„ quantum Angelus, arbor bona eſt. Hæc
„ enim Dei ſunt opera qui naturarum con-
„ ditor eſt bonarum. Ac per hoc nulla erit
„ arbor mala, de qua dictum eſt, quod non
„ poſſit facere fructus bonos. „

Reſpondeo diſtinguo minorem: Infidelis etiam ut homo ſine fide bonum operari nequit ad juſtificationem & beatitudinem conducens, concedo: bonum honeſtum naturalis ordinis: ſubdiſtinguo: ſi illud ex mala voluntate, maloque operetur motivo, concedo: Sin minus, nego. Semper

ad

ad caput controverſiæ attendendum eſt . Julianus propugnabat actionem hominis infidelis honeſtam , tametſi ex motivo malam , non eſſe peccatum : eam vero , quæ ex objecto & fine bona erat , ad juſtificationem & ſalutem ſufficere , & ſic infideles abſque fide ſalvari contendebat . Utrumque debellat S. Auguſtinus , oſtenditque primum opus eſſe peccatum , quia a mala procedit voluntate : Alterum vero non ſufficere ad ſalutem , quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, hoc eſt , eſſe Dei amicum , arborem bonam, & æternam viribus innatis promereri beatitudinem. Jam audiamus loquentem . Subjungit poſt verba in objectione allata num. 30. " Quis infidelis ita infideliter ſapiat ? Non itaque in quantum „ homo eſt , quod eſt opus Dei ; ſed in „ quantum malæ voluntatis eſt , quiſque „ arbor mala eſt , & bonos fructus facere „ non poteſt . „ Igitur ex Auguſtino ſui ipſius interprete , eatenus ſolum opus hominis infidelis malum eſt , quatenus a mala ſit & profluit voluntate .

Perſiſtes : Etiam opus miſericordiæ ex motivo honeſto & piæ compaſſionis facto juxta mentem S. Aug. peccatum eſt : Igitur opera infidelium nedum ex motivo mala , ſed & ex motivo bona peccata ſunt , quatenus a fide non procedunt . Probatur Antecedens : Ibidem num. 31. „ Julianum loquentem inducit S. Aug. „ Sed forte dicturus es : Miſericors voluntas bona eſt . „ Et ſic reſpondet : „ Recte iſtud diceretur , ſi quemadmodum fides Chriſti, id eſt, fides quæ per „ dilectionem operatur, ſemper eſt bona , „ ita miſericordia ſemper eſſet bona .... „ Quod ſi & ipſa per ſe ipſam naturali „ compaſſione opus eſt bonum; etiam iſto „ bono male utitur qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit qui infideliter facit : qui autem male facit aliquid , profecto peccat . „ Quibus verbis innuit Sanctus Doctor miſericordiam , etiam motivo compaſſionis factam , non eſſe virtutem , ſed potius vitium & peccatum , quatenus ex dilectione erga Creatorem non promanat, quod quidem requirit S. Aug. ut ipſa opera moralia , cujuſcumque ordinis, ſint & bona & laudabilia : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Miſericordia facta ex compaſſione, ſed vanæ gloriæ admixto motivo eſt mala & peccatum , concedo : ſecluſo vanæ gloriæ motivo , ſubdiſtinguo ; eſt peccatum ratione adjuncti , concedo : quatenus , ſcilicet non tollit & peccatum originis & peccatum infidelitatis , quæ in Pagano miſericorde remanent, quæque non niſi fide & amore Dei & per ſanctum regenerationis lavacrum tolluntur : eſt mala ratione ſui , nego. Eo loci S. Auguſtinus loquitur de miſericordia quæ ſolum ex officio & objecto , ſeu etiam ratione operis ex compaſſione ſit , nuſquam vero ratione operantis ; quandoquidem aſſerit ex voluntate infideliter operante profluere . Ibidem ſic ait num. 31. " Porro ſi vitium eſt male miſereri , procul dubio vitium eſt infideliter „ miſereri . Quod ſi & ipſa per ſe ipſam „ naturali compaſſione opus eſt bonum , „ &c. „ Et infra num. 32. ſic concludit . „ Ex quo colligitur , etiam ipſa bona opera „ quæ faciunt infideles , non ipſorum eſſe, „ ſed illius qui bene utitur malis . Ipſorum „ autem eſſe peccata , quibus & bona male faciunt . „ Rurſus num. 33. " Quod „ ad me pertinet hoc ſcio , quia non ea facit „ voluntas bona . „ Cæterum opera , tum ex objecto, tum ex motivo bona non vult abſque fide & Creatoris amore ad ſalutem valere . S. Doctor ſuam aperit mentem ibidem num. 33. & ſic alloquitur Julianum : " Dicantur ſecundum te hujuſmodi voluntates arbores bonæ , ſufficit quod apud Deum ſteriles ſunt , „ ac per hoc non bonæ ; ſint inter homines fructuoſæ , inter quos ſunt & bonæ , „ te auctore , te laudatore , ſi vis etiam „ plantatore : dum tamen illud velis nolis „ obtineam, quod amor mundi , quo quiſque amicus eſt hujus mundi , non eſt a „ Deo ; amorque fruendi quibuſcumque „ creaturis , ſine amore Creatoris , non „ eſt a Deo: amor autem Dei quo pervenitur ad Deum , non eſt niſi a „ Deo Patre per Jeſum Chriſtum cum „ Spiritu ſancto . Per hunc amorem Creatoris, nullis quiſque bene utitur creaturis. Hoc ergo amore opus eſt , ut bonum beatificum ſit & pudicitia conjugalis . „ Si hæc verba ponderentur , patet Auguſtinum loqui principaliter de actionibus ex malo motivo factis , quas ipſe Julianus ſteriliter bonas vocabat . Ipſum per omnia impugnat S. Doctor, præſertim vero in eo quod diceret caſtitatem & pudicitiam

non,

non eſſe dona Dei. Eumdem propter hoc debellat lib. 1. de nupt. & concup. cap. 3.

Repones : S. Aug. ſicut virtutes Catilinæ vitia nominat, ita & Fabricii : iſte tamen utpote vir honeſtus opera ex officio bona, honeſto quoque patrabat fine : non ſic Catilina qui ideo peſſimus habetur apud omnes. Igitur non exiſtimavit S. Præſul opera Infidelium etiam ex honeſto facta motivo bona eſſe. Probatur Antecedens. Ibidem num. 25. " Minus enim Fabricius quam Catilina punietur, non quia „ iſte bonus, ſed quia ille magis malus: „ & minus impius, quam Catilina, Fabri- „ cius, non veras virtutes habendo, ſed „ a veris virtutibus non plurimum de- „ viando. „

Reſpondeo diſtinguendo : Fabricius non habebat veras virtutes, hoc eſt, ſupernaturales, & quæ ad ſalutem neceſſariæ ſunt, concedo: ita ut forent malæ, ſubdiſtinguo: concomitanter, hoc eſt, ratione peccati infidelitatis quod ab anima nuſquam auferunt, concedo: ratione ſui, nego. Loquitur in ſenſu oppoſito Juliano qui contendebat virtutes naturales ſalvare Paganos & Infideles : mens S. Aug. claret ex terminis objectionis, maxime vero ex verbis paulo anterioribus. Sic enim alloquitur Julianum: " Nec per eos potes „ probare quod vis, etiam Infideles veras „ poſſe habere virtutes: ſunt quippe iſti „ fideles. Aut ſi fidem non habent Chri- „ ſti, profecto nec juſti ſunt, nec Deo „ placent, cui ſine fide placere impoſſi- „ bile eſt. Sed ad hoc eos in die judicii „ cogitationes ſuæ defendent, ut tolera- „ bilius puniantur. „

Urgebis : Si S. Auguſtinus, omnia Infidelium opera peccata eſſe non propugnavit, maxime quia explicando illam Apoſtoli Rom. 2. 14. ſententiam: *Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis ſunt faciunt*. Lib. de ſpir. & litt. cap. 27. num. 48. ait hoc poſſe intelligi etiam de Infidelibus quorum, inquit: " Quædam tamen „ facta, vel legimus, vel novimus, vel „ audivimus quæ ſecundum juſtitiæ re- „ gulam non ſolum vituperare non poſ- „ ſumus, verum etiam merito recteque „ laudamus. „ Sed hanc hic retractat explicationem, & ait verba Apoſtoli intelligenda eſſe de gentibus quæ ad fidem erant converſæ. Namque num. 23. refert objectionem Juliani, Apoſtoli ſententia innixam : " Unde, *ais*, & illi quos com- „ memorare voluiſti : *De quibus ait Apo-* „ *ſtolus, gentes legem non habentes ipſi ſibi* „ *ſunt lex, qui habent opus legis ſcriptum* „ *in cordibus ſuis*. „ Sic reſpondet num. 25. " Quid te adjuvent omnino non video „ --- & ſicut legitur in Actibus Apoſtolo- „ rum, in illo, *ſcilicet Chriſto*, Deus de- „ finivit fidem omnibus, ſuſcitans eum a „ mortuis. Ideoque dicuntur ſine lege „ naturaliter quæ legis ſunt facere, quia „ ex gentibus venerunt ad Evangelium, „ non ex Circumciſione, cui Lex data eſt, „ & propterea naturaliter, quia ut cre- „ derent, ipſa in eis eſt per Dei gratiam „ correcta natura. „ Ut igitur reſponſio S. Doctoris ponderet, certe ſenſum ſententiæ Apoſtoli in libro de ſpiritu & littera datum excludi neceſſe eſt: ſin minus, intactum manet Juliani argumentum, Gentes quæ legem non habent, naturaliter viribus innatis legem adimplent, adeoque & ſecluſo gratiæ auxilio ſalvantur, quandoquidem factores legis apud Deum juſti ſunt. Ergo &c.

Reſpondeo 1. S. Auguſt. nullo modo retractaſſe quæ dixit in libro de ſpiritu & littera, in gratiam aliquorum operum quæ a gentibus laudabiliter, hoc eſt, honeſto fiunt motivo; nuſquam enim hæc ſenſus dati revocatio in libris retractationum S. Doctoris reperietur.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Sententiæ Apoſtoli revocat ſenſum a Juliano datum & exhibitum, concedo: abſolute, nego. Julianus contendebat Infideles multa bona opera viribus innatis facere, & iis juſtificari apud Deum, immo & ſalvari, ſicque evacuabat & gratiam & fidem Mediatoris, quocirca illum revincit S. Præſul conteſtando neminem, ſecluſa gratia & fide, poſſe ſalvari, unde ſi gentes aliquæ naturaliter quæ legis ſunt facientes, dicuntur ſalvari, hoc inquit S. Aug. & apprime, intelligi debet de gentibus ad fidem converſis, quæ quidem naturaliter, hoc eſt, natura ſancta & correcta per gratiam, quæ legis erant faciebant. Audiamus S. Doctorem ſui ipſius interpretem.

Sic reſpondet objectioni num. 23. alloquens Julianum: " Quid te adjuvent om- „ nino non video. Per hos enim probare „ conatus es etiam alienos a fide Chriſti, „ veram poſſe habere juſtitiam, eo quod iſti

Digitized by Google

,, iſti , teſte Apoſtolo , naturaliter quæ
,, legis ſunt faciunt . Ubi quidem dogma
,, veſtrum quo eſtis inimici gratiæ Dei , quæ
,, datur per Jeſum Chriſtum Dominum
,, noſtrum , qui tollit peccatum mundi ,
,, evidentius expreſſiſti : introducens ho-
,, minum genus , quod Deo placere poſſit
,, ſine Chriſti fide , lege naturæ . Hoc eſt
,, unde vos maxime Chriſtiana deteſtatur
,, Eccleſia . Sed quid vis eſſe juſtos ? U-
,, trum veras virtutes habent , & ſteriliter
,, boni ſunt , quia non propter Deum ; an
,, etiam Deo ex his placent , atque ab illo
,, vita remunerantur æterna ? Si ſteriles
,, dixeris ; quid ergo eis prodeſt , quod ſe-
,, cundum Apoſtolum defendent eos cogita-
,, tiones ſuæ , in die qua judicabit Deus oc-
,, culta hominum ? Si autem qui defenden-
,, tur cogitationibus ſuis , eo quod natura-
,, liter opera fecerint legis , non ſunt ſte-
,, riliter boni , & ob hoc inveniunt æter-
,, nam mercedem apud Deum ; procul-
,, dubio propterea juſti ſunt , quia ex fide
,, vivunt . ,,

Ergo igitur concludit , gentes quæ ſalvan-
,, tur , gratiam & fidem Mediatoris habe-
re : unde num. 25. iterum urget adverſarium
& proprio ſic confodit gladio : " Iſti ergo
,, qui naturali lege ſunt juſti , aut placent
,, Deo , & ex fide placent ; quia ſine fide
,, impoſſibile eſt placere : & ex qua fide pla-
,, cent , niſi ex fide Chriſti ? Quoniam
,, ſicut legitur in Actibus Apoſtolorum , in
,, illo Deus definivit fidem omnibus , ſuſci-
,, tans eum a mortuis. Ideoque dicuntur ſine
,, lege naturaliter quæ legis ſunt facere ,
,, quia ex gentibus venerunt ad Evange-
,, lium , non ex Circumciſione , cui lex da-
,, ta eſt ; & propterea naturaliter , quia
,, ut crederent , ipſa in eis eſt per Dei gra-
,, tiam correcta natura . Nec per eos po-
,, tes probare quod vis , etiam Infideles ve-
,, ras poſſe habere virtutes : ſunt quippe
,, iſti fideles . Aut ſi fidem non habent Chri-
,, ſti , profecto nec juſti ſunt , nec Deo
,, placent , cui ſine fide placere impoſſibi-
,, le eſt . Sed ad hoc in die judicii cogi-
,, tationes ſuæ defendent , ut tolerabi-
,, lius puniantur . ,, Ex his omnibus liquet quam aliena ſit a mente S. Auguſtini Janſenii ſententia , qui ut fucum faciat legentibus , multas laudat S. Doctoris auctoritates , quas in proprium non ſine contumelia erga S. Præſulem , detorquet ſenſum .

Replicabis : S. Præſul ibidem plura Gentilium præclara recenſet facta , tum de eleemoſynis pauperibus erogatis , tum de caſtitate ſervata , & alia ab his non abſimilia , quę tamen eſſe peccata contendit : Ergo &c.

Reſpondeo 1. S. Auguſtinum ante allata aſſerere quædam Infidelium opera nedum vituperanda , ſed eſſe laudanda : Igitur non in ea verſatur opinione , ut cuncta Gentilium facta promiſcue , & ullo abſque diſcrimine peccata eſſe exiſtimet ; maxime vero cum ipſa Scriptura ſacra miſericordiam obſtetricum Ægypti erga Iſraelitarum maſculos collaudet , & ipſe Deus vocet Chaldæos gentem ſanctam ſuam , quatenus in expugnando Jeruſalem quam pro peccatis punire volebat , ejus adimpleverunt in hoc voluntatem .

Reſpondeo 2. diſtinguendo ut ſupra : Opera ab Auguſtino recenſita erant , ut plurimum peccata , concedo ; perverſo enim fiebant fine , puta ſuperbiæ , vel idololatriæ , motivo , ut legitur de quodam Philoſopho , qui ulteriori faſtu faſtum alterius Philoſophi calcabat , uti quædam feminæ quæ ad colendam deam veſtalem a venereis abſtinebant , ſicut etiam quidam uxorati qui pudicitiam conjugalem ſervabant non accedendo ad alienam , ſed aliis peccatis , inquit Auguſtinus , concupiſcentiam vincebant , quatenus non amore conjugali , ſed ſolum libidinoſo ducti propria utebantur uxore . Opera prædicta erant ſemper in ſe peccata : ſubdiſtinguo , concomitanter , in quantum ab his qui peccato & originali , & infidelitate detenti erant promanabant , concedo : formaliter & ſecundum ſe conſiderata , nego .

Reſpondeo 3. iterum , ſed aliter diſtinguendo : Opera de quibus controverſia procedit , erant peccata , teſte Auguſtino , & S. Doctor in ſenſu oppoſito ſententiæ Juliani loquitur , concedo : in ſe ſpectata , ſubdiſtinguo : ſi motivo perverſo patrata ſint , concedo : ſin minus , nego . Non ſemel dictum eſt Julianum in ea fuiſſe ſententia , ut opera ordinis naturalis bono facta motivo crediderit vitæ æternæ meritoria , & ſic gratiæ evacuabat neceſſitatem : negat hoc conſtanter Auguſtinus , aſſeritque iſta etiam opera eatenus eſſe peccata , quatenus nec infidelitatis peccatum tollunt , nec juſtificare valebant : quocirca ait Juliano non dari medium inter a-

•

mo-

morem babylonicum qui damnat animas, & amorem Dei, ut auctoris gratiæ qui ſalvat; neceſſe eſſe iſtud admittere principium, omnes eſſe; vel cum Chriſto, vel extra Chriſtum, eoſque qui cum illo non ſunt, extra electorum numerum fieri, & ſic exſufflat amorem medium, illumque naturalem, ſed illum ſolum quo Julianus volebat Infideles & juſtificari, & ſalvari.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Auguſtinus non putavit omnia Infidelium opera eſſe peccata.

PRIMO: Expreſſe dicit quædam eſſe nedum vituperanda, ſed potius laudanda. Lib. de ſpir. & litt. cap. 27. num. 48. „ ſic loquitur: " Quædam tamen facta, „ vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ ſecundum juſtitiæ regulam „ non ſolum vituperare non poſſumus, „ verum etiam merito, recteque laudamus. „

Secundo: Ibidem ſcribit, imaginem Dei non eſſe in Infidelibus ita detritam, quin aliqua bona opera poſſint facere; & in probationem laudat iſtum Apoſtoli locum, Rom. 2. 14. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.*

Tertio: Ea ſolum Infidelium opera vult Aug. eſſe peccata, quæ perverſo fiunt motivo, cætera vero minime, ut legere eſt lib. 4. contra Julian. cap. 3. num. 30. " Quis infidelis ita infideliter ſapiat? „ Non itaque in quantum homo eſt, „ quod eſt opus Dei; ſed in quantum malæ voluntatis eſt, quiſque arbor mala „ eſt, & bonos fructus facere non poteſt. „

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Quandoque, & fatemur, S. Auguſtinus ait, omnia Infidelium opera eſſe mala, ſed vox *omnia* idem in eius ſenſu ſonat, ac *ut plurimum*, quia ſæpius motivo, vel ſuperbiæ, vel ſuperſtitionis agunt: ſic quædam mulieres in honorem deæ veſtalis ſervabant caſtitatem.

Secundo: Nec quemquam commovere debet ſi S. Doctor inter diſputandum cum Juliano aſſerat, vel nudum operire eſſe quid malum: loquitur enim tantum in ſenſu oppoſito Hæreſiarchæ, qui ejuſmodi Infidelium opera vitæ æternæ meritoria eſſe contendebat. Opus igitur charitatis erga proximum eatenus malum eſt, quatenus ad gloriam ſine fide non conducit.

Tertio: In eodem ſenſu Auguſtinus propugnat vel ipſas morales Infidelium virtutes non eſſe veras virtutes, hoc eſt, perfectas & ſupernaturales, ſeu vitæ æternæ meritorias.

SECTIO SECUNDA.

Utrum peccator, qui gratia ſanctificante caret, poſſit aliquod bonum morale ſaltem ordinis naturalis facere.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA

Probatur auctoritate, & ratione.

Primoquidem, ex Scriptura ſacra.

CHRISTUS Luc. 11. hortatur peccatores ad Charitatem erga proximum: *Date*, inquit, *eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis*. Igitur peccatores viribus naturæ aliquod bonum, quale eſt erogare pauperibus eleemoſynam, poſſunt facere, quandoquidem omnia munda ſunt eis, hoc eſt, opera miſericordiæ ſunt bona; unde Propheta Daniel Nabuchodonoſori dicebat: *Peccata tua eleemoſynis redime*. Succinit illud Domini præceptum, quod omnes indiſcriminatim etiam Infideles & Paganos obligat, & hoc vel ipſa innuit natura: *Habeas in honore parentes*: Ergo &c.

Secundo, ex Conciliis.

CONSTANTIENSE ſeſſ. 15. adverſus Joan. Hus definit peccatores tametſi gratia ſanctificante ſpoliatos, multa tamen bona operari poſſe. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. idem docet, aſſerendo peccatores tametſi gratia ſanctificante privatos, virtute gratiæ prævenientis ſe præparare ad juſtificationem. Rurſus ſeſſ. 14. cap. 4. His accedunt om-

Digitized by Google

omnes auctoritates quibus oſtenſum eſt Infideles aliqua bona ordinis naturalis poſſe facere.

Tertio, ratione triplici.

PRIMA: Lex naturalis præcipit cuilibet ſuccurrere proximo extrema patienti; hinc omnes in hoc caſu tenentur miſericordiæ opera exercere: ſed actus miſericordiæ juxta præcepti regulam elicitus, nedum objective, ſed & intrinſece bonus eſt: Igitur peccator poteſt aliquod operari bonum.

Altera eſt contra Joannem Hus, qui contendit gratiam ſanctificantem neceſſariam eſſe, ut aliquod opus ſit bonum & non vitioſum. Ex Tridentino ſeſſ. 14. actus fidei & ſpei informes, immo & timor gehennæ ſunt ad juſtificationem debitæ diſpoſitiones, nec peccatori deſunt gratiæ actuales, quibus adjuvetur ad hujuſmodi actus eliciendos: Igitur peccatores aliquod bonum opus, ſecluſa gratia ſanctificante, operari queunt.

Tertia: Præcepta ſunt & bona, & poſſibilia, ut in Concilio Tridentino definitum eſt: Sed dantur de audienda miſſa feſtivis diebus; de abſtinentia a carnibus; maxime vero de converſione ad Deum; & ſicut juſti, ita & peccatores ea adimplere tenentur: nec quiſquam ſanæ mentis dixerit peccatorem qui legi obedit ſalutis motivo, de novo ruere in peccata; immo Synodus Tridentina in multis damnat Proteſtantes, vel in eo etiam quod dicerent timorem gehennæ, quo peccator exagitatus ad meliora redit, facere homines magis peccatores. Ergo &c.

Fit ſatis objectionibus.

OBJICIT multa Joannes Hus ex ſacris excerpta Scripturis. Primoquidem, Pſal. 49. habetur: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum.* Pſalm. 13. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Pſalm. 142. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* 2. Cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Igitur, ſecluſa gratia, peccator nihil boni poteſt facere.

Reſpondeo 1. Hæc & ſimilia unum tantummodo probare, videlicet peccatorem, ſecluſa gratia actuali, nihil ad ſalutem poſſe; ſed neque eſt ſermo de gratia ſanctificante abſolute loquendo; neque etiam de bonis operibus ordinis naturalis: ultro fatemur gratiam ſanctificantem ad vitam æternam de condigno promerendam neceſſariam eſſe, ſed cum actuali poteſt peccator ſe præparare ad juſtificationem: quinimmo vel, iſta ſecluſa, quædam opera honeſta facere.

Quod autem & Scriptura, & Concilia, & Patres gratiam actualem exigant, ſolum ad actus ſupernaturales, ſanctificantem vero ad merendum, ex multis conſtat. Patres Concilii Millevitani Can. 4. ſic definiunt: " Quiſquis dixerit eamdem gratiam
„ Dei, per Jeſum Chriſtum Dominum no-
„ ſtrum, propter hoc tantum nos adjuvare
„ ad non peccandum, quia per ipſam
„ nobis revelatur & aperitur intelligentia
„ mandatorum, ut ſciamus quid appetere,
„ quid vitare debeamus, non autem per
„ illam nobis præſtari, ut quod facien-
„ dum cognoverimus, etiam facere dili-
„ gamus atque valeamus, anathema ſit. „

Concilium Arauſic. II. Can. 7. eodem prorſus modo ſeſe explicat his verbis: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis, ſine me nihil poteſtis facere*: & illud Apoſtoli: *Non quod idonei ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

S. Auguſtinus lib. 1. de gratia Chriſti cap. 26. eamdem tradit Doctrinam: "Ac
„ per hoc, *inquit*, gratiam Dei, qua
„ *charitas Dei diffunditur in cordibus no-*
„ *ſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt*
„ *nobis* ſic confiteatur, qui vult veraci-
„ ter confiteri, ut omnino nihil boni ſi-
„ ne illa, quod ad pietatem pertinet ve-
„ ramque juſtitiam, fieri poſſe non dubi-
„ tet. „ In omnibus loquuutur de actibus ſupernaturalibus, neque vero excludunt etiam iſta abſque gratia habituali fieri poſſe.

Reſpondeo 2. conceſſo antecedente, di-

diſtinguo conſequens : Gratia ſanctificans ad merendum requiritur , concedo : ad alia opera , nego . Sufficit gratia actualis, ſi ſint actus ſupernaturales.

Jam ad ſingula Scripturæ loca deveniendum eſt . Ad primum diſt. peccator increpatur quod per os ſuum aſſumat Teſtamentum Dei, cum affectu ad peccatum , concedo: ſecus, nego. Solutio patet ex ſequentibus : *Tu vero odiſti diſciplinam &c.* Pari & conſimili modo Chriſtus longe facit orationem, & alia Phariſæorum opera objective bona, eo quod motivo ſuperbiæ ea facerent: *Populus* , *hic* , inquit , *labiis me honorat*, *cor autem eorum longe eſt a me* . In iſto ſenſu fatemur peccatorem audientem Miſſam cum affectu actuali ad peccatum in hoc graviter peccare : e contra vero , ſi illam ea intentione audiat, & ut adimpleat præceptum , & ut ſe ſe ad converſionem diſponat ; unde ſtupenda prorſus eſt quorumdam novatorum ne dicam ſeverior , ſed & erronea Doctrina , qui indiſcriminatim omnia peccatorum opera etiam audire Miſſam, eſſe mala, aſſerere non dubitant.

Ad aliam auctoritatem ſimiliter diſtinguo: Non eſt qui faciat bonum, ut plurimum, concedo : ſemper, nego. Nec mirum quod ab omni labe defæcatus non creditur vel ipſe juſtus , hinc ſepties in die cadet , Proverb. 24. 1. Pſal. 9. de Deo dicitur : *Sediſti ſuper thronum qui judicas juſtitiam* .

Ad tertiam probationem etiam diſtinguo : Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens , id eſt , juſtitia noſtra ad juſtitiam Dei comparata aut nihil , aut parum eſt, concedo : eſt mala abſolute , nego. Ad ulteriores probationes patet ſolutio ex dictis.

Inſtabis : Patres indiſcriminatim aſſerunt abſque gratia voluntatem nonniſi ad peccandum valere, juxta illud Auguſtini lib. 3. ad Bonifacium cap. 8. " Liberum ar-,, bitrium captivatum nonniſi ad peccan-,, dum valet. ,, Tum Concilium Arauſic. II.Can. 22. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum* .

Reſpondeo, & Patres, & Concilia perſtringere Pelagianos , qui attendentes ad ſpiritum erroris exiſtimabant opera honeſta tametſi ordinis naturalis , ad juſtificandum homini ſufficere ; hinc non diſtinxere opera bona media , ſcilicet honeſta , inter actus ſupernaturales & vitioſos , ſed in ſenſu oppoſito univerſim prædicarunt liberum arbitrium de ſe ad peccandum tantummodo valere , quod veriſſimum eſt , ad ſalutem vero nonniſi adjutum a gratia.

Perſiſtes : Quod eſt contra charitatem peccatum eſt : Sed opera peccatoris talia ſunt : Et probatur. Non ſunt ex charitate Dei , ſed potius ex amore creaturæ : Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem , diſtinguo: Non ſunt ex charitate Dei poſitive , concedo : negative , nego . Non quidem poſitive , cum actu & explicite opera peccatoris ad Deum non referantur : attamen non ſunt contra charitatem Dei, quippe quæ non ſint contra Deum: Igitur ex amore Dei quodammodo , ſeu negative ſunt , nempe ex ratione operis honeſti quod de ſe bonum habet finem, & ex intentione operantis, qui eo ipſo quo motivum honeſtum ſibi proponit, implicite ſaltem propter Deum ut auctorem naturæ operatur.

Inſurges : Ergo peccator placet Deo : Sed hoc fieri non poteſt . Et probatur . Eo ipſo quo eſt Chriſtianus , debet agere propter Deum ut auctorem gratiæ , alias peccat non adimplendo præceptum : Ergo &c.

Reſpondeo, diſtinguendo ſequelam : Placet Deo ſecundum quid , quatenus naturalem adimplet legem , concedo : nam bonum honeſtum ab hac præcipitur lege : placet Deo ſimpliciter , nego . Namque non avertitur a creatura ; ſed ab ea ſolum abſtrahit ; quocirca non juſtificatur.

Ad probationem diſtinguo: Tenetur Chriſtianus agere propter Deum ut auctorem gratiæ , in aliquibus circumſtantiis, concedo : in omnibus , nego . Præceptum duplex eſt , unum negativum quo prohibetur malum : alterum affirmativum quo præcipitur bonum : illud obligat pro ſemper, iſtud ſolum in quibuſdam circumſtantiis : v. g. peccator ſub pœna peccati mortalis tenetur audire Miſſam diebus feſtivis ; ſua deponere ſaltem ſemel in anno peccata : Igitur tempore quo non urget præceptum , poteſt opera honeſta facere, quæ licet vitæ æternæ non ſint meritoria, non tamen ſunt peccata , ſed potius, teſte Auguſtino, facta laudabilia .

Replicabis : Ineſt homini peccandi neceſſitas , niſi gratia adjuvetur , juxta illud

Digitized by Google

lud Auguſtini lib. de natura & gratia cap. 66. " Quod autem ex vitiis naturæ, " non ex conditione naturæ ſit quædam " peccandi neceſſitas, audiat homo: atque " ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo " dicere: De neceſſitatibus meis educ me. " Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Eſt quædam peccandi neceſſitas in genere, quatenus nullus citra privilegium ab omni etiam veniali abſtinere valet, concedo: eſt neceſſitas in particulari, nego. Sanctus Auguſtinus loquitur in primo ſenſu, ut adverſus Pelagium probet peccatum originale.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Peccator abſque gratia ſanctificante poteſt facere aliqua bona opera ſaltem ordinis naturalis.

PRIMO: Hoc patet ex iis quæ modo diximus de operibus Infidelium, quæ dubio procul quandoque ſunt bona, immo & laudabilia.

Secundo: Joannes Hus in Concilio Conſtantienſi damnatus eſt ſuos propter errores: inter quos hic annumeratur, Omnia opera ſine gratia ſanctificante facta, ſunt peccata.

Tertio: Ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. peccator gratia præveniente adjutus ſe ad juſtificationem diſponit: & cap. 6. de eis ſic loquitur: " Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum. " Expreſſius ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ait, dolorem ex metu gehennæ conceptum, ſi voluntatem peccandi excludat, impium ad juſtificationem in ſacramento accipiendam præparare. Cæterum præcepta adimplenda ſicut juſtis, ſic & peccatoribus proponuntur. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Deus repellit quidem impii orationes, ſed eas ſolum quas fundit cum affectu ad peccatum.

Secundo: Neque vero negamus Concilia Africana adverſus Pelagianos adunata exigere gratiam ad omne opus bonum, ſed nomine gratiæ intelligunt actualem, de qua ſolum erat cum Hæterodoxis controverſia. Obſerves etiam velim Patres loqui dumtaxat de operibus ſupernaturalibus: Igitur cauſa cadit Joan. Hus; non enim negant peccatores quædam opera honeſta, ſecluſo gratiæ auxilio, poſſe facere.

Tertio: Tametſi peccatores ſint habitualiter a Deo averſi, non tamen ſemper actu: Igitur poſſunt abſque gratiæ ſanctificantis ope, declinare a malo, & facere bonum. Sin minus manerent neceſſario in impietate, nec ſe ſe ad Deum convertere valerent, quod eſt hæreticum.

SECTIO TERTIA.

Utrum gratia actualis ſit neceſſaria ad legem naturæ adimplendam?

LEX naturalis ſua habet præcepta, quorum primum & maximum eſt dilectio Dei ut auctoris naturæ; quæ quidem duplex diſtinguitur: alia imperfecta, & eſt mera complacentia in bono Dei, abſtrahendo ab opere, & a compoſitione prædilectionis Dei ſuper omnes creaturas: alia vero perfecta & etiam duplex; una affectiva, ſeu appretiativa, qua homo pluris facit Deum quam ſemetipſum & cætera creata: effectiva altera qua idem homo cuncta propter Deum ita operatur, ut omnia ſua cedant bono Dei, paratus vel ipſam pro ejus gloria ſubire mortem: quibus prælibatis, ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Homo lapſus legem naturalem abſque gratia, in aliquo adimplere poteſt.

Probatur rationibus D. Thomæ.

S. DOCTOR, eam probat concluſionem duplici ratione, hic quæſt. 109. art. 2.

Prima ſic exponitur: Homo poteſt facere bonum ſibi proportionatum: Sed bonum legis naturæ vel etiam homini lapſo proportionatum eſt: Ergo &c. Probatur minor. Primoquidem, bonum de quo movetur controverſia, continetur intra ſphæram activitatis naturalis: deinde vero homo callet rationem, qua ſuas ad finem honeſtum poteſt dirigere actiones: ne-

neque ſemper adſunt graviſſimæ tentationes ſuperandæ; neque etiam præceptum dilectionis perfectæ Dei ut auctoris naturæ ſemper obligat, cum ſit tantummodo affirmativum. Igitur quoddam bonum legis naturæ manet homini proportionatum; & conſequenter illud operari poteſt, quod ex articulis præcedentibus admodum claret.

Secunda: Idem S. Doctor eam ponit inter hominem lapſum & ſanum diſcrepantiam, quod iſte viribus innatis totam naturæ legem adimplere poſſit; ille vero ejuſdem legis tantum aliqua; cujus rei hanc affert rationem, quod peccatum totam humanam non corruperit naturam: " Quia, *inquit*, natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta, ut „ ſcilicet toto bono naturæ privetur; „ poteſt quidem in ſtatu etiam naturæ corruptæ per virtutem ſuæ naturæ aliquod „ bonum particulare agere; non tamen „ totum bonum ſibi connaturale, ita quod „ in nullo deficiat, ſicut homo infirmus „ poteſt per ſe ipſum aliquem motum „ habere, non tamen perfecte poteſt moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur „ auxilio medicinæ. „

Tertia: Homo lapſus quandoque poteſt agere propter finem honeſtum, alias deterioris conditionis ipſis brutis animantibus foret, quippe quæ proprio pondere ad ſuos tendant fines: Igitur homo aliqua legis naturæ præcepta ſaltem leviora adimplere poteſt.

CONCLUSIO SECUNDA.

Homo lapſus ſine gratia totam naturæ legem adimplere non valet.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

HABETUR Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*; hoc eſt, a lege peccati? Et reſpondet: *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum*. Unde ſic argumentamur: Lex peccati eſt concupiſcentia quæ pugnat adverſus mentis ſeu ſpiritus legem, juxta illud Apoſtoli, ibidem: " *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*. Rurſus: *Foris pugnæ, intus timores*. Sed concupiſcentiam iterum atque iterum & perpetuo reluctantem nemo compeſcere poteſt viribus innatis, maxime cum teſte eadem Scriptura, proni ſint ſenſus hominis ab adoleſcentia ad malum. Igitur ſine gratia homo lapſus totam legem adimplere non valet.

Secundo, ex Conciliis.

ARAUSICANUM II. Can. 25. dicit hominem lapſum non poſſe, ſecluſa Dei gratia, bonum operari, & loquitur univerſim de bono arduo, atque de adimpletione perfecta præceptorum non ſolum ſupernaturalium, ſed & naturalium: eo quippe loci perſtringit Pelagianos, qui hæc omnia viribus innatis fieri poſſe autumabant; & hoc patet ex epiſtola Patrum Africanorum ad Innocentium primum directa, quæque inter Auguſtinianas nonageſima eſt.

Millevitanum cap. 3. ſuffragatur: Ibi docet hominem lapſum, ſecluſo Dei auxilio, cuncta non poſſe præcavere peccata, & conſequenter ea ipſa, quæ legi naturæ adverſantur: " Placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei qua juſtifica„ mur per Jeſum Chriſtum Dominum „ noſtrum, ad ſolam remiſſionem pecca„ torum valere, quæ jam commiſſa ſunt, „ non etiam ad adjutorium, ut non com„ mittantur; anathema ſit. „

Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 1. 2. adſtipulatur; in primo definit hominem operibus per vires naturæ factis non poſſe juſtificari. Tum in ſecundo ita pronuntiat: *Si quis dixerit, ad hoc ſolum divinam gratiam per Chriſtum Jeſum dari, ut facilius homo juſte vivere, ac vitam æternam promereri poſſit; quaſi per liberum arbitrium ſine gratia utrumque, ſed ægre tamen & difficulter, poſſit; anathema ſit.*

Tertio, ex Sanctis Doctoribus.

S. AUGUSTINUS lib. de hær. cap. 38. dicit hoc pertinere ad hæreſim Pelagianorum, credere hominem ſine gratia poſſe facere omnia divina mandata: Sed in his includuntur naturalia. Ergo &c.

D. Thomas, hic art. 4. ex profeſſo docet concluſionem noſtram, his verbis: " Potuit homo in ſtatu naturæ integræ „ omnia mandata legis ſervare, quantum „ ad ipſam operum ſubſtantiam, non autem in ſtatu naturæ corruptæ; ſed quan„ tum

Digitized by Google

„ tum ad modum agendi ut ſunt ea quæ „ ex charitate operari poſſet, indiguit „ homo in utroque ſtatu divina gratia. „ Tria ibi notanda ſunt. Primoquidem, D. Thomas loquitur tantum de præceptis naturalibus, quæ vocat ſubſtantiam legis, quæque diſtinguit a præceptis naturalibus ex charitatis motivo factis. Secundo, concedit hominem ſanum poſſe viribus naturæ adimplere præcepta naturalia quoad ſubſtantiam, minime vero hominem lapſum. Tertio, dicit utrumque gratia divina indigere ut illa adimpleant, ex motivo ſupernaturali. Ergo &c.

Quarto, ex ratione.

PRIMA ſic exponitur: Adſunt multa, tam intrinſecus quam forinſecus quibus homo arcetur a bono faciendo: enim vero dæmon hominem perpetuo ad malum impellit. Secundo, objecta ſenſibilia ſic alliciunt, ut appetitus facile declinet ad peccatum. Tertio, concupiſcentia perpetuam in nobis excitat luctam. Quarto, fragilitas naturę non patitur aſſidue vigilare, unde dum attendimus ad unum, negligimus alterum, juxta illud Prophetę Pſ. 39. 13. *Cor meum dereliquit me*. Denique ignorantia & inconſideratio ex parte intellectus, & malitia ex parte voluntatis deprimunt animum, & a virtute exercenda non modicum avertunt; hinc ſine gratia homo nequit adimplere totam naturæ legum, quia ad hoc natura corrupta eget ut ſanetur, & roboretur: Ergo &c.

Secunda: Adimpletio legis dicit dilectionem Dei efficacem, ut auctoris naturæ: ſed homo lapſus ſine gratia nequit diligere efficaciter Deum ſuper omnia, etiam ut auctorem naturæ. Et Probatur: Ad hoc requiritur quod homo anteponat bona inviſibilia viſibilibus, quod ſi neceſſe ſit, moriatur pro gloria Dei, juxta illud: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Sed hæc omnia fieri non poſſunt ſine gratia; quomodo enim ſine auxilio Dei, homo elevabit ſe ſupra ſe, ut in omnibus cedat bono divino?

Tertia: Adimpletio perfecta legis naturæ importat plenam & univerſalem omnium mandatorum obſervantiam; ſed ad hoc opus eſt gratia. Et probatur: Ut aliquis fideliter obſervet legem, neceſſe eſt quod ſit bene diſpoſitus circa finem & media; quod pars inferior, & appetitus ſubjiciatur, & obediat parti ſuperiori; quod omnes tentationes repellat & vincat; ſed ad hoc exigitur gratia; quinimmo gratiarum apparatus & copia; Igitur homo lapſus non poteſt ſine gratia totam legem etiam naturalem adimplere.

Solvuntur objectiones contra primam concluſionem.

OBJICIES: Joan. 15. habetur: *Sine me nihil poteſtis facere*; quę verba explicans S. Auguſt. Tract. 81. in Joannem, ſic loquitur: " Sive ergo parum, ſive multum fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. „ Similia paſſim dicunt Concilia & Patres una voce aſſerentes, gratiam eſſe neceſſariam ad ſingulos actus: ea ſecluſa homo nullum bonum opus ne quidem ordinis naturalis, facere poteſt.

Reſpondeo 1. diſtinguendo: *Sine me nihil poteſtis facere*; id eſt, ſine concurſu Dei generali, concedo: cauſa enim ſecunda indiget a prima moveri: ſine concurſu ſupernaturali, & gratia, ſubdiſtinguo: nihil poteſtis facere vitæ æternæ meritorium, vel etiam ad ſalutem conducens, concedo: nullum bonum ordinis naturalis, nego antecedens. Solutio eſt S. Auguſtini & S. Thomæ: prior lib. 4. contra Julianum cap. 3. ſic loquitur: " Scito „ nos illud opus bonum dicere, per quod „ ſolum homo poteſt ad æternum Dei „ donum, regnumque perduci. „ Poſterior vero ſuper cap. 15. Joannis lect. 1. verba laudata ita exponit: " Opera noſtra aut ſunt virtute naturæ, aut ex „ gratia divina: ſi virtute naturæ, cum „ omnes motus naturæ ſint ab ipſo verbo „ Dei, nulla natura ad aliquid ficiendum „ moveri poteſt ſine ipſo: ſi vero virtute gratiæ, cum ipſe ſit auctor gratię. „ .... Manifeſtum eſt quod nullum opus „ meritorium ſine ipſo fieri poteſt. „

Reſpondeo ad Confirmationem, Concilia & Patres loqui ſolum de bono ſupernaturali & meritorio; agunt enim contra Pelagianos & Semipelagianos qui dicebant meritum a natura promanare; illi quidem totaliter, iſti vero ſaltem initiative. Solutio eſt D. Thomæ qui quæſt. 24. de veritate artic. 14. reſpondens ad loca quibus adverſarii probare contendunt hominem

nem lapſum nullum bonum opus poſſe facere ſine gratia, ait: " Ad ea vero quæ „ ſunt in contrarium patet ſolutio; nam- „ que vel procedunt de opere meritorio, „ vel oſtendunt quod ſine operatione Dei, „ homo nullum bonum opus facere poteſt. „ Per iſtas voces, *Sine operatione Dei*, intelligit Sanctus Doctor concurſum generalem ordinis naturalis.

Inſtabis: Oramus ut actiones noſtræ etiam Civiles, bene fiant, juſta illud Eccleſiæ: *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, & dictis exequamur & factis*. Immo etiam gratias agimus Deo pro bonis naturalibus acceptis: Sed hujuſmodi oratio fit pro gratia obtinenda ad bene vivendum, gratiarum vero actio eſt pro bonis quæ innatis viribus comparari non poſſunt: Ergo &c.

Reſpondeo 1. Orationes Eccleſiæ omnes eſſe ad obtinendam gratiam Salvatoris, unde terminantur: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.* Et hoc ut faciamus actiones, vel intrinſece ſupernaturales, vel ſaltem quo ad modum, ut cum dirigimus eleemoſynam ad amorem Dei. Item gratias agimus pro bonis temporalibus acceptis, quatenus ordinantur ad noſtram ſalutem, maxime cum Deus nihil nobis debeat, quia per peccatum amiſimus jus ad bona tum naturalia, tum ſupernaturalia.

Reſpondeo 2. Orationem eſſe quandoque neceſſariam ut obtineamus lumen Spiritus Sancti, quo viam bonam cognoſcere poſſimus. Et vero effectus naturales ſunt contingentes, & ut plurimum ſine lumine deſuper infuſo illos cognoſcere non valemus; hinc in libris Regum paſſim legitur quod pii Principes antequam ad bellum properarent, accerſerent Prophetas, ut ab eis, felicem exitum præcognoſcere poſſent: ſic Joſaphat voluit audire Michæam, priuſquam bellum cum Achaz contra Regem Syriæ gereret: ſic Machabæi videntes ſigna in cæleſtibus armatorum quaſi inter ſe pugnantium, rogabant, ut fierent monſtra in bonum; ita habetur lib. 2. Mach. cap. 5. circa initium.

Repones: Non poteſt inferri ex articulo ſecundo D. Thomæ quæſt. 109. hominem ſine gratia poſſe opus bonum facere, etiam ordinis naturalis: Ergo &c. Probatur antecedens. Licet ibi quæſtionem ex profeſſo tractet, quum ait hominem viribus naturæ poſſe aliquid operari bonum, loquitur tamen ſolummodo de arte-factis, quippe qui afferat in probationem artis exemplar, ut ædificare domos, & ſimilia, nullam faciens de bono morali mentionem: Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem diſtinguo: S. Thomas adducit exempla artis, quatenus & propter finem honeſtum, & ex prævia deliberatione fiunt, concedo: quatenus ſunt quid mere phyſicum, & etiam indeliberate executioni mandantur, nego. Porro ſecundum inconcuſſa D. Thomæ principia, actio eo ipſo quo electione fit, eſt aut bona, aut mala: bona quidem, ſi ex motivo honeſto, mala vero ſi ex perverſo procedat. S. Doctor q. 24. de veritate art. 14. ſuam prodit mentem, & docet hominem poſſe operari bonum ſibi proportionatum, quale eſt motu compaſſionis, ut ait, eleemoſynam egenti præbere: Igitur ex ſancto Doctore, homo viribus innatis aliquod poteſt facere bonum.

Replicabis: S. Thomas ibidem q. 24. de veritate art. 14. ſubjungit gratiam, non pro dono habituali, ſed pro miſericordia ſumptam, neceſſariam eſſe ad opus omne bonum patrandum: Igitur & ad naturale. Confirmatur 2. 2. quæſtio 136. art. 3. ad 2. ſic loquitur: " Bonum politicæ virtu- „ tis commenſuratum eſt naturæ huma- „ næ; & ideo abſque auxilio gratiæ gra- „ tum facientis poteſt voluntas humana „ in illud tendere, licet non abſque auxi- „ lio gratiæ Dei. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Sine gratia late ſumpta opus nequidem ordinis naturalis operari poſſumus, concedo: ſine gratia ſtricte ſumpta, nego. Gratia in duplici ſumitur ſenſu. Primoquidem pro omni dono indebito, & ſic concurſus generalis dicitur gratia: Deus enim nihil creaturæ debet; quocirca & concurſus quo creatura adjuta in ſuos prorumpit actus, & ejus conſervatio, dicuntur gratiæ. Secundo ſtricte pro dono ad vitam æternam hominem promovente. Gratia ſub iſto reſpectu non eſt abſolute neceſſaria ad opus honeſtum in ſe ſpectatum, bene tamen ut fiat motivo ſalutis: ut, ſi quis eleemoſynam conferret, & propter Dei amorem, & in ſuorum remiſſionem peccatorum. Hanc gratiæ diſtinctionem tradit D. Tho-

mas 1. p. q. 21. art. 4. in objectione vero de gratia in priori ſenſu loquitur, & eſt ſui ipſius interpres in 2. diſt. 28. q. 1. ar. 1. ad 1. ubi ſic loquitur de homine operante: " Nihil boni poteſt facere ſi-„ ne gratia Dei, ſecundum quod intelligi-„ tur gratia ipſe Deus, gratis dans, eo „ quod ipſe eſt principium omnis boni, „ non tantum in hominibus, ſed etiam in „ aliis creaturis. „ Solutio eſt etiam D. Auguſtini qui epiſt. 95. ait: " Quædam „ non improbanda ratione dicitur gratia „ Dei .... quia non præcedentium aliquo-„ rum operum meritis, ſed gratuita Dei „ bonitate donata eſt. „ Eadem eſt reſponſio ad confirmationem.

Inſurges: Uberior requiritur concurſus ad actionem moraliter bonam tametſi ordinis naturalis, quam ad actionem malam, quæ tamen, ſecluſo Dei concurſu generali non fit, namque prima cauſa eſt quodammodo cauſa mali, non quidem reduplicative ut malum, ſed ut ens eſt: Sed ille uberior concurſus eſt gratia, alias a ſecundo non diſtingueretur: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Requiritur concurſus uberior quantum ad extenſionem, concedo: uberior quoad ſe, ita ut ſit ordinis ſupernaturalis, nego. Deus ut naturæ auctor, & prima omnium cauſa, concurrit ad materiale & formale actus honeſti: ſed non niſi ad materiale actus perverſi: idcirca prior concurſus dicitur altero uberior, quamvis ſit intra eumdem naturæ ordinem.

Diluuntur objecta adverſus ſecundam concluſionem militantia.

OBJICIES: Deuter. 30. legitur: *Mandatum quòd ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te*. Quod poſito ſic arguitur: quod non eſt ſupra hominem, dubio-procul hoc ipſum innatis viribus poteſt facere: Atqui lex naturalis eſt mandatum, adeoque hominis vires non excedens: Igitur abſque gratia homo poteſt totam legem naturalem adimplere.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Lex naturalis non eſt ſupra hominem ſanum, concedo: hominem lapſum, nego. Adam innocens poterat viribus innatis totam legem naturalem adimplere; ſed non ſic homo lapſus propter concupiſcentiam, & alia imminentia impedimenta, quibus vel ipſum ordinis naturalis bonum redditur arduum; unde per accidens, ſecluſo gratiæ auxilio, homo lapſus totam naturæ legem adimplere non valet.

Inſtabis: Atqui ex Scriptura ſacra homo etiam lapſus hanc ex ſe poteſt adimplere legem: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Eccl. 15. habetur de homine: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui*: Quæ verba explicans S. Auguſtinus, vel auctor lib. Hypognoſticon cap. 3. ait: " Quid eſt quod dereli-„ quit eum in manu conſilii ſui? niſi „ dimiſit eum in poteſtate liberi arbitrii „ ſui. „ In manu autem poſſibilitas intelligitur: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probationem diſtinguo ut ſupra: Et eo loci ſermo eſt de homine innocente, concedo: de homine lapſo, nego. Senſus eſt hominem habere poteſtatem faciendi bonum ordinis naturalis, non tamen bonum arduum, quale eſt totius legis adimpletio. Auctor ſuam prodit mentem verbis immediate ſubſequentibus: " Ipſa, *inquit*, „ poſſibilitas, eſt prima gratia qua pri-„ mus homo ſtare potuiſſet, ſi ſervare „ mandata Domini voluiſſet. „ Senſus alter Scripturæ eſt, hominem etiam lapſum manere liberum ſub dominio gratiæ, quantumvis efficacis.

Inſiſtes: Atqui hoc intelligi debet etiam de adæquata legis adimpletione: Et probatur: Rom. 2. Apoſtolus ſic loquitur: *Gentes .... ea quæ legis ſunt, naturaliter faciunt*: Quæ quidem verba ſanctus Chryſoſtomus de tota lege intelligit: Ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo: Gentes, ea quæ legis ſunt naturaliter faciunt, quantum ad aliqua, concedo: quantum ad omnia, nego. Et vero non ſemel occurrunt impedimenta, quibus homo præpeditur ne totam legem etiam naturalem obſervet, maxime cum præceptorum collectio magnam inducat difficultatem, quæ, ſecluſo gratiæ auxilio, ſuperari non poteſt.

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo: Gentes ad fidem converſæ, quæ legis ſunt naturaliter faciunt, hoc eſt, per fidem quæ eſt lex ſcripta in cordibus, vel etiam per naturam gratia adjutam, concedo: viribus innatis, ſubdiſtinguo; quantum ad aliqua, eaque leviora, concedo: quantum

tum ad omnia & difficiliora, nego. Hunc Apoſtoli locum objiciebant S. Auguſtino Pelagiani, ut gratiæ neceſſitatem evacuarent, contendentes Apoſtolum ibi docere legem ſolis naturæ viribus adimpleri poſſe: Hanc fuſo calamo ſolvit difficultatem ſanctus Doctor lib. de ſpiritu & litt. c. 26. & 27. & juxta ipſius mentem, triplex eſt ſententiæ Apoſtoli ſenſus: primum exhibet cap. 26. num. 44. his verbis: “ An forte eas gentes commemoravit Apoſtolus, ſcriptam in cordibus habere legem, quæ ad novum pertinent Teſtamentum? Ad hoc enim unde venerit, intuendum eſt. Primo Evangelium commendans, ait: *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primum & Græco* ... Deinde loquitur de illis impiis, quibus propter ſuperbiam nec cognitio Dei profuit, quia non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Inde tranſit ad eos qui judicant & agunt talia, qualia condemnant, nimirum propter Judæos, qui de lege Dei gloriabantur, quamvis adhuc eos nominatim non exprimat, & ideo dicit: *Ira & indignatio, tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum & Græci* ... His verbis hoc unde agitur ſubjungit, & dicit; *cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt:* & cætera quæ jam ſupra commemoravi. Proinde non videtur alios hic ſignificaſſe ſub nomine Gentium, quam eos quos nomine Græci ſupra ſignificabat, cum diceret: *Judæo primum & Græco*. Porro ſi Evangelium *Virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primum & Græco* ... Iſte autem Græcus nomine gentium ſignificatus eſt naturaliter quæ legis ſunt facientium, & quæ ſcriptum habent opus legis in cordibus ſuis: profecto ad Evangelium pertinent gentes, quibus lex in cordibus ſcripta eſt. ,,

Alterum prodit ſenſum ſanctus Doctor cap. 27. num. 47. & ait: “ Nec moveat quod *naturaliter* eos dixit *quæ legis ſunt facere*, non ſpiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit ſpiritus gratiæ, ut imaginem Dei in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis. Vitium quippe contra naturam eſt, quod utique ſanat gratia: propter quam Deo dicitur, Pſalm. 44. *Miſerere mei, ſana animam meam quoniam peccavi tibi*. Proinde naturaliter homines quæ legis ſunt, faciunt: qui enim hoc non faciunt, vitioſe faciunt: Quo vitio lex Dei eſt deleta de cordibus; ac per hoc, vitio ſanato, cum illic ſcribitur, fiunt quæ legis ſunt naturaliter; non quod per naturam negata ſit gratia, ſed potius per gratiam reparata natura ... qua gratia in interiore homine renovato juſtitia ſcribitur. ,,

Tertium ſenſum aperit ibidem num. 48. & ſic loquitur. “ Si autem hi qui *naturaliter quæ legis ſunt faciunt*, nondum ſunt habendi in numero eorum quos Chriſti juſtificat gratia, ſed in eorum potius quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter juſteque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam merito recteque laudamus; quamquam ſi diſcutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemve mereantur: verumtamen quia non uſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde merito dici poſſit etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis vel ſapere: ſi hoc eſt, quod dictum eſt Rom. 2. 14. quia *gentes quæ legem non habent*, hoc eſt, legem Dei, *naturaliter quæ legis ſunt faciunt*; & quia hujuſmodi homines *Ipſi ſibi ſunt lex*, & *ſcriptum opus legis habent in cordibus ſuis*, id eſt, non omni modo deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei cum crearentur, impreſſum eſt. ,, Igitur ex S. Auguſtino triplex eſt loci Apoſtoli ſenſus: primus, natura adjuta auxilio Dei quæ legis ſunt naturaliter facit, quatenus natura cooperatur: alter, ex eo quod ſi non faciat, ipſius culpa eſt: namque ex naturali corruptionis pondere gratiæ effectum impedimus. Tertius de facto aliqua legis naturalis opera, ſaltem levia, homo lapſus viribus innatis peragere poteſt, quandoquidem, teſte ſancto Doctore, non ita detrita eſt per peccatum natura, ut non poſſit aliquid honeſtum operari.

Perſiſtes: Deus impoſſibilia non jubet; Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et quod naturæ vires ſuperat, gratiæ, quæ nulli deeſt, opitulatione poſſibile redditur, concedo; & homo in ſua remanet impotentia naturali, nego. Potentia ad bonum non una eſt; altera eſt phyſica, eaque remota, & eſt ipſa natura omnis boni capax; altera proxima, eaque moralis, & hæc habetur per gratiam ſufficientem; tertia tum phyſica, tum moralis quæ actum conjunctum habet, & datur per efficacem: ergo-ne impoſſibile quod ſolo Dei auxilio adjuti proxime poſſumus? Abſit dicere, quod enim per amicos poſſumus, inquit S. Thomas, per nos poſſumus. Porro Deus, nedum amicus, ſed & pater eſt.

Dices: Igitur Deus poteſt præcipere cæco, ut videat, hoc enim per miraculum poſſibile cenſetur; Sed hæc propoſitio non eſt admittenda: Igitur nec iſta, adimpletio totius legis homini lapſo poſſibilis eſt, cum tunc iſta potentia non niſi ex gratiæ auxilio repeti queat.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quod cæcus vel ipſam videndi potentiam, etiam remotam non habeat, quippe quæ ſit prorſus extincta, ut ſupponitur; ſed homo tametſi lapſus, eſt tamen boni capax: quocirca, ſi adjuvetur, non ſolum habebit proximam illud agendi formam; ſed & de facto faciet.

Solvitur argumentum ex dilectione Dei.

OBJICIUNT: Concil. Arauſicanum II. can. 6. 26. Trident. ſeſſ. 6. can. 3. dicunt gratiam eſſe neceſſariam ad credendum, ſperandum & diligendum Deum ſicut oportet, id eſt, meritorie, & ſupernaturaliter: Ergo ſequitur quod gratia non ſit neceſſaria ad diligendum Deum ſuper omnia ut auctorem naturæ, & ſervare legem naturæ.

Reſpondeo diſtinguendo: Et Concilia loquuntur ſolum de dilectione ſupernaturali, & meritoria, concedo: & excludunt dilectionem naturalem perfectam, nego. Namque Arauſicanum agit contra Semipelagianos, qui docebant hominem per naturæ vires promereri ſalutem: Tridentinum vero contra Lutheranos & Calviniſtas, qui volunt hominem ſuam poſſe operari ſalutem per fidem etiam informem. Porro ad meritum non ſufficit dilectio Dei naturalis, ſed ſupernaturalis, & ex charitate infuſa procedens requiritur.

Inſtant, in Bulla Pii V. & Gregorii XIII. ann. 1579. data 4. Kalendas Februarii hęc propoſitio Baji damnatur: *Diſtinctio illa duplicis amoris naturalis, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, & quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt*: Igitur iſta ſola contraria catholica cenſetur; *Diſtinctio amoris naturalis, & ſupernaturalis*: Sed ſi gratia requiritur ad amorem Dei naturalem, non ſtabit iſta diſtinctio: Et probatur. Omnis dilectio erit ſupernaturalis, quandoquidem gratia requireretur ad quamlibet.

Reſpondeo 1. propoſitionem allatam, & quaſdam alias Baji, damnatas fuiſſe in ſenſu ab aſſertore intento, ut patet ex tenore Bullæ, ubi poſt 79. propoſitiones relatas, habetur: *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore ac proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpective .... damnamus.*

Reſpondeo 2. negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Omnis dilectio erit ſupernaturalis, ſi fiat propter Deum ut auctorem gratiæ, concedo: ſecus, nego. Triplex dilectio Dei diſtinguenda eſt; una quæ procedit a fide & charitate; & hęc dicitur ſubſtantialiter ſupernaturalis; alia quæ eſt talis ſolum ex motivo, ut eleemoſyna data propter Deum ut auctorem gratiæ; hæc dicitur ſupernaturalis ſolum quoad modum, & quia actus imperatur a charitate: Tertia eſt dilectio Dei ut auctoris naturæ, quæ quidem non procedit a fide & charitate infuſa, & eſt cum abſtractione ab auctore gratiæ. Gratia per ſe primo requiritur ad primam & ſecundam, quia prima eſt intrinſece ſupernaturalis; ſecunda vero quoad modum; per accidens vero ad tertiam neceſſaria eſt; non enim præciſe requiritur ad illam dilectionem, ſed ad removenda impedimenta quæ ſunt in homine lapſo ad dilectionem Dei etiam ut auctoris naturæ; unde manet naturalis; non enim fit virtute gratiæ, ſed gratia ſolum prohibentia removet.

Inſtant: Dilectio perfecta cum gratia conjuncta habet annexam remiſſionem peccatorum: Igitur quæcumque ſit, eſt ſupernatu-

naturalis. Probatur antecedens; damnatur iſta propoſitio Baji 33. *Charitas illa quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum*: Ergo contraria iſta eſt vera, *charitas eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum*.

Reſpondeo diſtinguendo: Charitas infuſa, & ſupernaturalis dilectio habet adjunctam remiſſionem peccatorum, de qua ſolum loquitur ſummus Pontifex contra Bajum, concedo: dilectio pure naturalis, nego. Gratia triplex poteſt diſtingui, una fidei qua dirigitur opus ad Deum ut auctorem gloriæ; altera charitatis infuſæ qua Deus reſpicitur ut bonum beatificans: Tertia eſt gratia ſanativa, qua removentur impedimenta. Duæ priores gratiæ producunt dilectionem ſupernaturalem, minime vero tertia, quia ſolum indirecte pertinet ad actum dilectionis naturalis Dei, & ut removens prohibens.

Inſtabis: Homo lapſus poteſt diligere Deum ut auctorem naturæ, etiam ſine gratiæ auxilio: ſed dilectio eſt adimpletio legis: Igitur abſque gratia homo poteſt viribus innatis totam adimplere legem. Probatur major ex S. Thoma, qui hic artic. 3. docet ex profeſſo hominem non poſſe quidem Deum, ut vitæ æternę auctorem, ſine gratia ſuper omnia diligere, ſed concedit hoc fieri poſſe, ſi agatur de dilectione Dei ut auctoris naturæ: omnia quippe argumenta proponit contra poſſibilitatem dilectionis Dei ſuper omnia, & ea ſolvit diſtinctione amoris ſupernaturalis & naturalis: conceditque hoc eſſe poſſibile pro ſecundo, ſed non pro primo amore.

Reſpondeo 1. articulum etiam procedere de dilectione perfecta Dei ut auctoris naturæ; namque ibidem dicit S. Doctor hominem ſanum poſſe diligere Deum ut auctorem naturæ ſine gratia; ſecus vero hominem lapſum: " Homo, *inquit*, in „ ſtatu naturæ integræ non indigebat do- „ no gratiæ ſuperadditæ naturalibus bo- „ nis ad diligendum Deum naturaliter „ ſuper omnia, licet indigeret auxilio „ Dei ad hoc eum moventis: Sed in ſtatu „ naturæ corruptæ indiget homo etiam ad „ hoc auxilio gratię, naturam iſanantis. „

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Et hoc ſolum probat actum dilectionis imperfectum & inefficacem eſſe a viribus naturæ, concedo: qualis eſt quoddam erga Deum deſiderium nomine velleitatis nuncupatum; actum perfectum, nego. S. Doctor eſt ſui ipſius interpres, quandoquidem in corpore articuli agit ex profeſſo de amore Dei perfecto tum naturali, tum ſupernaturali. Et vero propter corruptionem naturæ homo non poteſt præferre, ſecluſo gratiæ auxilio, bona inviſibilia viſibilibus, quæ plurimum alliciunt appetitum.

Inſtabis: S. Thomas paſſim docet ſubſtantiam actus amoris Dei eſſe a libero arbitrio; formam vero ſeu modum tendendi in Deum ab adjutorio gratiæ; ſic ſcribit in 4. diſtinct. 17. q. 2. art. 1. quæſt. 1. ſed præſertim 2. 2. q. 1. art. 2. ad 3. ubi expreſſe dicit gratiam requiri ad dilectionem Dei naturalem, ſolummodo quantum ad modum: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Amor Dei ut auctoris naturæ poteſt eſſe ab homine, ſecundum ſe, & in abſtracto ſumptus, concedo; in concreto, nego. Hæc dilectio poteſt conſiderari dupliciter: Primoquidem ſecundum ſe; deinde vero in concreto, hoc eſt, ut hic & nunc elicienda, vel etiam penes modum, quatenus poteſt ordinari ad ſalutem: priori modo ſpectata poteſt eſſe ab homine, ſed non ut veſtita circumſtantiis; cum enim requiratur ut homo ſuum ultimum reponat finem in Deo, quem creaturis allicientibus longe anteponat, ſine gratia ea omnia non repellet impedimenta: Igitur per accidens gratia eſt neceſſaria ad actum perfectum dilectionis Dei, etiam ut auctoris naturæ; a fortiori ut dirigatur ad finem ſupernaturalem, dicente Tridentino: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.*

Inſiſtes: Homo poteſt elicere actum pœnitentiæ perfectiſſimum abſque gratia, quippe qui poſſit naturaliter deteſtari peccatum: Secundo poteſt etiam viribus naturæ elicere actum temperantiæ omnibus numeris abſolutum: Igitur & amoris Dei, ut auctoris naturæ.

Reſpondeo diſtinguendo: Homo abſque gratia poteſt elicere actum pœnitentiæ inefficacem & imperfectum, concedo; perfectum & ſupernaturalem, nego. Tria ſunt in pœnitentia ſecernenda, videlicet odium peccati, propoſitum de non pec-

cando, dolor peccati propter Deum; homo lapſus quandoque naturaliter & ut ſuę conſulat famæ poteſt odio habere peccatum, quo infamatur, & habere propoſitum de illo in poſterum non committendo, ſed dubio-procul, ſecluſo Dei auxilio, non poteſt elicere verum actum pœnitentiæ, quæ dolorem ſupernaturalem adjunctum habeat.

Reſpondeo ad aliud momentum, negando paritatem. Ratio diſcriminis ea eſt, quod actus temperantiæ quantumvis perfectus non eſt totius legis adimpletio, qualis eſt dilectio Dei perfecta, maxime cum homo ſic ſe gerere poſſit ut ſuam curet valetudinem.

Replicabis: Mori pro aliquo eſt ſummus amor: Sed multi, ut referunt Hiſtorici, ex innata pro patriæ inclinatione vitam dederunt: Igitur & a fortiori aliquis poterit viribus innatis diligere Deum ut auctorem naturæ, maxime cum illa dilectio ſit proportionata, quippe quæ ſit ordinis naturalis.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Multi mortui ſunt pro patria, inanis gloriæ motivo ducti, concedo: Propter honeſtum finem ab omni labe immunem, nego. Solutio eſt Conc. II. Arauſicani can. 17. his verbis: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, Chriſtianorum divina facit charitas*.

Ad probationem diſtinguo: Dilectio Dei ut auctoris naturæ eſt proportionata ſecundum ſe; concedo: in concreto, & adjunctis concupiſcentiæ circumſtantiis, nego.

Urgebis: S. Thomas 1. p. q. 60. ar. 6. ad 5. aſſerit dilectionem Dei naturalem remanere in dæmonibus; & in 2. diſt. 33. qu. 2. ar. 2. ad 5. illam pariter admittit in puero exiſtente in lymbis: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Amor Dei ut auctoris naturæ imperfectus & inefficax remanet in dæmonibus, & in pueris conſiſtentibus in lymbis, concedo: perfectus, nego. Eſt quædam inclinatio in omnibus creaturis quæ abſque deliberatione erumpit e natura circa Creatorem, ſine quo non conſervarentur in ſuo eſſe: de illa inclinatione loquitur S. Doctor.

Replicabis: Ideo homo non poteſt diligere Deum efficaciter ut naturæ auctorem, quia ex peccato contraxit corruptelam: Sed hæc ratio nulla eſt: Et probatur. Si hoc eſſet, certe haberet inclinationem in contrarium: Atqui non habet; ſi quidem ineſt cuilibet creaturæ inclinatio ad Creatorem: Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo minorem: Non habet inclinationem generalem in contrarium, concedo: particularem, nego. Habet quidem homo lapſus inclinationem naturalem, & imperfectam ad Deum, & beatitudinem in communi, ſed particularem ſæpe contrariam; deficit enim in mediis aſſumendis, hinc propter boni arduitatem multiplicat beatitudinem ad ſuam phantaſiam, & in creatura ſæpius reponit.

Inſiſtes: Fortius agit natura quam concupiſcentia, & paſſio: Igitur ſi homo lapſus habeat inclinationem ad Deum, poterit diligere Deum efficaciter & ſuper omnia ſine gratia.

Reſpondeo diſtinguendo: Si homo non ſit intrinſece corruptus; concedo: ſin minus, nego. Inclinatio enim particularis paſſionum prævalet, juxta illud Pſal. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*. Rurſus Pſal. *Noluit intelligere, ut bene ageret*.

Inſtabis: Deus præcepit homini ut ſuum diligat Creatorem ſuper omnia: ſed non præcepit impoſſibile: Ergo &c. Confirmatur. Primo, Creator eſt infinite amabilis: Secundo, nec ſemper exardeſcunt paſſiones, nec ſtimulant tentationes: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Deus præcepit homini ſano, ut ſuum amaret ſuper omnia Creatorem, concedo: homini lapſo, ſubdiſtinguo, & dat gratiam ad removenda prohibentia, concedo: & non dat, nego.

Ad primam probationem diſtinguo: Deus eſt infinite amabilis, & talis non apparet, niſi adſit gratiæ illuminatio, & ejuſdem ſanativa motio, concedo: ſecluſa gratia, nego. Revera quidem homo lapſus de ſe ad malum pronus eſt, & niſi adſit gratia, male judicat & de fine, & de mediis ad finem conducentibus; quocirca deficit vel in ipſo naturali Dei amore.

Ad ulteriorem probationem ſimiliter diſtinguo: Non ſemper exardeſcunt paſſiones, ſed legis perfecta adimpletio, ſummam habet annexam arduitatem, quæ non niſi gratiæ auxilio ſuperatur, concedo; ſecus, nego.

Digitized by Google

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo lapſus ſine gratia, aliqua quidem opera legis naturalis poteſt facere; non tamen totam legem.

PRIMA PARS liquet ex iis quæ diximus de operibus tum Infidelium, tum peccatorum fidem Chriſti profitentium. Ratio eſt: Lex naturalis habet pro objecto bonum homini proportionatum: cum igitur, teſte D. Thoma, homo quantumvis corruptus neceſſario non ſemper peccet, ſequitur eum legem in aliquo viribus innatis poſſe adimplere.

Secunda Pars utique certa eſt: Nec mirum. Adimpletio totius legis eſt bonum arduum, hinc ſine gratia homo lapſus illud operari nequit: maxime quum adſint foris pugnæ, & intus timores, quæ quidem impedimenta ſolo gratiæ auxilio removentur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Concedimus hominem ſine gratia nihil poſſe pro ſalute; hinc quum vel pro felici exitu rerum civilium & temporalium oramus, eſt per ordinem ad ſalutem.

Secundo: Lex naturalis non erat ſupra hominem ſanum, etiam ut ſua omnia complectitur mandata, neque etiam ſupra lapſum eſt, ſi ſecundum ſe ſpectetur, ſecus vero ſi cum omnibus mandatis hic & nunc collective adimplendis. Poteſt igitur homo lapſus quodlibet legis præceptum in particulari & diviſive adimplere, nuſquam vero ſi collective ſumantur. Cæterum quando Apoſtolus ait: Rom. 2. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt*; loquitur de Gentibus ad fidem converſis, & fidei auxilio agentibus; vel potius dicendum aliqua ſolum, ſed non omnia quæ legis ſunt, eos naturaliter facere. Demum homo lapſus, eſto poſſit elicere aliquem amoris Dei ut auctoris naturæ imperfectum & inefficacem actum, non tamen perfectum, quia amor perfectus eſt plenitudo legis, ut ait Apoſtolus, Rom. 13. 10.

SECTIO QUARTA.

Utrum homo facere poſſit bonum ſupernaturale ſine gratia

CONTROVERSIA movetur potiſſimum circa tria, 1. circa bonum ſupernaturale ut ſic: 2. circa fidei initium: 3. immo & circa boni cujuſcumque inchoationem.

CONCLUSIO PRIMA

Gratia actualis eſt abſolute neceſſaria ad eliciendos actus ſupernaturales.

Probatio ex Scriptura ſacra.

ISAIÆ 25. habetur: *Omnia opera noſtra operatus es in nobis, Domine*. Et Thren. 5. *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur*. Ezechiel. 36. Deus ſic alloquitur homines: *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis*. Et Joannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus qui miſit me, traxerit eum*. Ibidem 15. *Sine me nihil poteſtis facere*. Item Rom. 9. habetur: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*. 1. Corinth. 12. *Deus operatur omnia in omnibus*. Philip. 1. *Qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet*. Ibidem 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere*. Denique Jacobi 1. ſic legitur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt*. Quibus poſitis hæc argumenta fiunt.

Primo: Qui operatur in nobis omnia opera noſtra; qui convertit nos ad ſe, qui facit ut in præceptis ſuis ambulemus, oſtendit hæc omnia hominem non poſſe facere ſine ſua gratia: Sed ex Prophetis Deus operatur in nobis bona opera, convertit nos ad ſe, facit ut in præceptis ejus ambulemus: Igitur gratia nobis eſt neceſſaria ad eliciendos actus ſupernaturales.

Secundo: Per bona opera venimus ad Deum, currimus ad ſalutis metam, & operamur bonum: Sed ex novo Teſtamento non poſſumus venire ad Patrem, & currere, niſi Pater gratia ſua & miſericordia trahat nos ad ſe: Ergo &c.

Tertio: Velle & perficere, & omne datum optimum eſt a gratia: Igitur eſt neceſſaria.

Probatio ex ſummis Pontificibus.

INNOCENTIUS I. reſcripto ad Concilium Carthaginenſe ſic loquitur contra Pelagium: Quid enim tam iniquum eſſe pot-„ eſt ... Chriſtianis mentibus inimicum, „ quam huic te negare debere, quicquid „ in quotidiana gratia conſequeris, cui „ te ipſe confiteris debere, quod natus „ es? Ergo eris tibi in providendo præ-„ ſtantior, quam poteſt is eſſe, qui te, ut „ eſſes, effecit? Et cum te putas ei de-„ bere, quod vivis, quomodo te non putas „ illi debere, quod quotidianam ejus conſe-„ quendo gratiam, taliter vivis? „

Zoſimus in epiſtola Tractatoria ad Epiſcopos totius orbis contra Pelagianam hæreſim, ita habet: Omnia enim bona ad „ auctorem ſuum referenda ſunt, unde „ naſcuntur. „ Idem dicit Cæleſtinus I. „ in ſuis ad Epiſcopos Galliæ epiſtolis.

Probatio ex Conciliis.

ARAUSICANUM II. can. 7. ſic pronun-„ tiat: Si quis nos per naturæ vigo-„ rem, bonum aliquod, quod ad ſalutem „ pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut ex-„ pedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, „ evangelicæ prædicationi conſentire poſ-„ ſe confirmat, abſque illuminatione & „ inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat „ omnibus ſuavitatem in conſentiendo, „ & credendo veritati, hæretico falli-„ tur ſpiritu, „ Tum can. 9. „ Quoties „ enim bona agimus, Deus in nobis atque „ nobiſcum, ut operemur, operatur. „

Africanum ſub Zoſimi Pontificatu ita de-„ finit: Gratia Dei per Jeſum Chriſtum, „ non ſolum ad cognoſcendam, verum-„ etiam ad faciendam juſtitiam nos per „ actus ſingulos adjuvari; ita ut ſine illa, „ nihil veræ ſanctæque pietatis habere, „ cogitare, dicere, agere valeamus. „ „ Idem definit in reſcripto ad Zoſimum.

Tridentinum, agmen claudet ſeſſ. 7. can. 3. his verbis: „ *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.*

Probatio, ex SS. Patribus, & orationibus Eccleſiæ.

PRIMUS nobis occurrit S. Hieronymus, qui epiſt. ad Cteſiphontem cap. 3. ait: " Velle & currere meum eſt: Sed „ ipſum meum, ſine Dei ſemper auxilio „ non erit meum ... Deus ſemper largitor „ ſemperque donator eſt. Non mihi ſuf-„ ficit quod ſemel donavit, niſi ſemper „ donaverit. „

S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. ſex primis capitibus mira dicit de hoc momento adverſus, Pelagianam perfidiam, & cap. 2. ait: " Quod ergo pertinet ad reli-„ gionem & pietatem, de qua loquebatur „ Apoſtolus, ſi non ſimus idonei cogi-„ tare aliquid quaſi ex nobis ipſis, ſed „ ſufficientia noſtra ex Deo eſt; profecto „ non ſumus idonei credere aliquid quaſi „ ex nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra „ ex Deo eſt. „ Paſſim & ubique prædicat gratiam ad ſingulos actus ſupernaturales neceſſariam eſſe, ut epiſt. 107. ad Vitalem. Enchiridio ad Laurentium cap. 32. Lib. de gratia Chriſti cap. 23. & 25. ſermone 13. de verbis Apoſtoli cap. 10. 11. & 12. Ergo &c.

Sanctus Proſper carmine de ingratis cap. 45. ſic canit.

Et tamen in Sanctos animum cum intendimus actus:
Cum deſideriis carnis, mens caſta repugnat,
Cum tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas, illæſo corde manemus,
Libertate agimus, ſed libertate redempta,
Cui Deus eſt rector, ſummoque ex lumine lumen,
Vita, ſalus, virtus, ſapientia: gratia Chriſti eſt,
Quæ currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, inſtat;
Credit, ſperat, amat, mundatur, juſtificatur,
Si quid enim recti gerimus, Domine auxiliante
Te gerimus; tu corda moves, tu vota potentia,
Quæ dare vis tribuis, ſervans largita, creanſque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.

Rec-

Eccleſia demum Dominica quarta poſt Paſcha ſic orat: *Da populis tuis id amare quod præcipis, id deſiderare quod promittis.* Dominica quinta poſt Paſcha: *Deus a quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis, ut cogitemus te inſpirante, quæ recta ſunt, & te gubernante eadem faciamus.* Hinc Auguſtinus lib. de præd. SS. cap. 14. ſic loquitur: " Non poſcerentur a Deo, quæ ,, præcepit, niſi ab illo donarentur ut ,, fierent. ,,

Probatio ex rationibus Theologicis.

PRIMA ſic exponitur: Non cognoſcimus bona ſupernaturalia lumine naturali, ſed ſolum lumine gratiæ, alias non eſſent ſupernaturalia: Igitur a fortiori non poſſumus ea facere, ſecluſo gratiæ adjutorio, quandoquidem major eſt difficultas in praxi, quam in theoria.

Secunda: Opus ſupernaturale eſt ſupra naturam: Igitur ſine gratia adjuvante & elevante, non poſſumus illud facere; ne quidem illud cognoſcere, & æſtimare; juxta illud 1. Cor. 2. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.*

Tertia: Natura eſt infirma, & ad ſenſibilia multum propenſa: Igitur ſine gratia ſanante, non poſſumus operari bonum ordinis ſuperioris; maxime cum ſapientia crucis, quæ eſt medium ad vitam æternam, Gentilibus ſtultitia, Judæis vero ſcandalum ſit.

CONCLUSIO SECUNDA.

Initium fidei non eſt a nobis, niſi gratia præcedat.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura ſacra.

JOANN. 6. habetur: *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille.* Ibidem. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.* Quid eſt, inquit Auguſtinus lib. de præd. SS. cap. 8. " ad me veniet, niſi credet in me. ,, Igitur fidei initium eſt a gratia. Rurſus Act. 16. habetur: *Quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit, cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo.* 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Eph. 1. *Qui operatur eſt omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Quæ & ſimilia loca oſtendunt vel ipſum fidei initium a Deo præveniente promanare; alias non foret verum quod idem Apoſtolus ad Titum 3. ait: *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.*

Secundo, ex Conciliis.

ARAUSICANUM II. can. 5. ſic pronun- ,, tiat: Si quis, ſicut augmentum, ita ,, etiam initium fidei, ipſumque credu- ,, litatis affectum, quo in eum credimus, ,, qui juſtificat impium, & ad regenera- ,, tionem baptiſmatis pervenimus, non ,, per gratiæ donum, id eſt, per inſpira- ,, tionem Spiritus ſancti corrigentem vo- ,, luntatem noſtram, ab infidelitate ad fi- ,, dem, ab impietate ad pietatem, ſed ,, naturaliter nobis ineſſe dicit; Apoſtolicis ,, dogmatibus adverſarius approbatur. ,, Idem ſtatuit can. 6. & can. 25. adverſus Semipelagianos.

Moguntinum anno 1549. adunatum cap. 7. eadem definit his verbis: " Talis au- ,, tem juſtificationis initium ex Dei gra- ,, tia provenire, qua ante omne meritum, ,, dum adhuc inimici & peccatores ſunt, ,, excitati & adjuti, & eidem gratiæ ſic ,, excitanti & adjuvanti conſentientes & ,, cooperantes, ad juſtificationem diſponun- ,, tur. ,,

Tridentinum ſuffragatur ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.*

Tertio, ex traditione Patrum.

Ex ſecundo ſæculo, Juſtinus Dial. cum Triphone pag. 114. edit. Baſileæ 1555. explicans illud Pſalmi ſecundi: *Deus meus es tu, ne diſceſſeris a me*; ait: Si Videmus filium Dei nec viribus ſuis, nec ,, ſapientiæ ferre acceptam ſalutem, ,, cum tamen ſit innocentiſſimus .... ,, Nec putare ſe poſſe ſine Deo ſalvum ,, evadere: Qui fieri poteſt, ut vos & a- ,, lii quicumque ſine hac ſpe ſalutem ex- ,, pectant, non ſe ipſos decipiant. ,,

Cle-

Clemens Alex. orat. adhortatoria ad Gentes ſic loquitur de Deo: " A ſomno quidem certe excitat, & ab ipſis tenebris eos qui aberraverunt, facit ſurgere. ,,

Ex tertio ſæculo, Origenes ſuffragatur comment. in epiſt. ad Cor. expendens iſta Apoſtoli verba: *Si autem gratia, jam non ex operibus*; ait: Non facit ergo inanem gratiam ille qui digna ei opera ſubjungit. ,,

Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 4. expreſſius loquitur his verbis: " In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. ,,

Ex quarto ſæculo, Cyrillus Jeroſol. . . Catech. 16. concinit, dicens: Alii temperantiam corroborat: alium inſtituit ad eleemoſynam . . . Omnia autem hæc operatur unus & idem Spiritus, dividens unicuique prout vult. ,,

Baſilius Hom. de humilitate ſuum addit calculum: " Nihil tibi relictum eſt, o homo, de quo gloriari poſſis, cujus gloriatio & ſpes in eo ſita eſt, ut omnia tua mortifices, & futuram in Chriſto vitam quæras, cujus primitias habentes in his nunc ſumus, per univerſum in gratia ac dono Dei viventes. Et Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. ,, His accedit Ambroſius lib. 7. in Lucam c. 9. ,, Deus, *inquit*, quos dignatur vocat. ,, Et in prooemio ejuſdem Evangelii, ſic habet: " A Deo enim præparatur voluntas hominum. ,, Non omittendus ſanctus Gregorius Naz. qui orat. in Pentecoſten ita loquitur: " Qui dedit credere, dabit & confiteri. ,,

Ex quinto ſæculo, primus ſeſe prodit S. Auguſtinus qui lib. de prædeſt. SS. eamdem confirmat veritatem, his verbis: " Ipſe convictus ſum, cum ſimiliter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed a nobis eſſe in nobis. ,, Igitur ex ſancto Auguſtino erroneum eſt propugnare initium fidei eſſe a nobis, quem quidem errorem damnavere Concilia Africana, maxime vero Arauſicanum I. & poſtea Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3.

Sanctus Proſper carmine de ingr. cap. 17. ſic ſcribit, *uſque adeo donum eſt quod credimus: & data gratis gratia, non merita ditat mercede vocatos*: Ergo &c.

Ex ſexto ſæculo, occurrit S. Fulgentius lib. de Incarnat. & gratia cap. 18. " Si vero, *inquit*, ſecundum opinionem illorum noſtrum eſt velle credere, priuſquam nos Dei gratia incipiat adjuvare, injuſte gratia dicitur, quia non gratis datur homini, ſed bonæ retribuitur voluntati. ,,

Idem docent Patres ſubſequentium ſæculorum, ut ſanctus Gregorius Magnus lib. 33. Moral. cap. 20. S. Bernardus ſerm. 21. in cantica, S. Thomas, & omnes Scholaſtici Doctores. Ergo &c.

Quarto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA hæc eſt: Initium boni operis ad ſalutem conducentis, eſt bona cogitatio: Sed hoc ipſum, gratiæ Dei fœtus eſt, juxta illud 3. Corint. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: Sed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Igitur & quoad fidei initium.

Secunda: Fides magnum eſt Dei donum; ſic enim habetur Pſal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Tum Matth. 16. cum S. Petrus Chriſti divinitatem publice fuiſſet profeſſus, ait illi Chriſtus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Rurſus idem Chriſtus Joan. 6. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille.* Sed ſi initium fidei foret a natura, non eſſet verum dicere, fidem eſſe magnum Dei donum: Ergo &c.

Tertia ſic exponitur: Quod eſt inſigne Dei beneficium, a viribus innatis profluere non poteſt: Sed fides Abrahæ conceſſa eſt, ut inſigne Dei beneficium: Et probatur ex S. Auguſtino qui lib. de præd. SS. cap. 10. num. 19. hunc de illo momento inſtituit ſermonem; " Quando ergo promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem gentium, dicens: *Patrem multarum gentium poſui te*: unde dicit Apoſtolus: *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini*: non de noſtræ voluntatis poteſtate; ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines: Quia & ſi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum; ipſe facit, ut illi faciant quæ præcepit. ,,

Quarta: Nihil Deo conferre poſſumus: Sed

Sed ſi initium fidei foret a natura, jam homo aliquid Deo retribuere videretur: Ergo &c. Iſta ratio eſt D. Auguſtini qui ibidem cap. 2. num. 3. ſic perſtringit Semipelagianos in hoc errantes, argumentando ad hominem: " Ac per hoc, " initium fidei noſtræ priores damus Deo, " ut retribuatur nobis... Sed contra hæc, " cur non potius audimus? *Quis prior de-* " *dit illi; & retribuetur illi? Quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia.*

Quinta: Actus intrinſece ſupernaturalis, non eſt ab homine niſi a gratia adjuto, ut articulo præcedenti oſtenſum eſt: Sed initium fidei eſt actus hujuſmodi: Ergo probatur, primoquidem: fides in indiviſibili conſiſtit, unde ſi conſummatio eſt intrinſece ſupernaturalis, utique & initium. Secundo, actus ille initiative ſpectatus habet idem objectum ac conſummative conſideratus, ſcilicet Deum Trinum & Incarnatum &c. Igitur requiritur gratia & pro intellectu, & pro voluntate ad fidei initium: pro intellectu quidem, ſcilicet revelatio & illuminatio, ut aſſentiat credendis: cujus defectu quidam inter Athenienſes Areopagi Act. 17. irridebant S. Paulum myſteria Chriſti prædicantem; pro voluntate vero gratia ſanativa; quodquidem illuſtratur exemplo mulieris purpurariæ, quæ teſte S. Luca Act. 16. ideo credidit, quia Deus aperuerat ejus cor, ut crederet iis quæ dicebantur a Paulo.

Solvuntur objectiones contra primam concluſionem.

OBJICIES multa Scripturæ loca, quæquidem innuere videntur, vel ipſos Actus ſupernaturales a natura in ſe relicta profluere: Ergo &c. Probatur Ant. Pſal. 87. habetur: *Et mane oratio mea præveniet te.* Pſal. 118. *Præveni in maturitate & clamavi.* Iſaiæ 3. *Propterea expectat Deus, ut miſereatur veſtri.* Ezech. 18. *Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Zachariæ 1. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos.* Et iterum Pſal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas.* Prov. 16. *Hominis eſt animam præparare.* Denique & illud Apoſtoli: *Velle adjacet mihi.* Ergo &c.

Reſpondeo 1. Opponendo Scripturam Scripturæ: namque Pſal. 48. habetur: *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* Thr. 5. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Et illud Apoſtoli: *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere.*

Reſpondeo: negando Ant. Ad probationem diſtinguo: Et hæc omnia denotant ſolum liberam hominis gratiæ cooperationem, concedo: hominem aliquid boni pro ſalute, ſecluſo Dei auxilio, poſſe, nego. Solutio eſt Conc. Tridentini decreto de juſtificatione cap. 5. ubi hæc habentur: " Unde in ſacris litteris, cum dici- " tur *convertimini ad me, & ego convertar* " *ad vos; libertatis noſtræ admonemur. Cum* " *reſpondemus; converte nos Domine ad te,* " *& convertemur*, Dei nos gratia prævent- " ri confitemur. "

Reſpondeo 3. iterum diſtinguendo idem antecedens: Præventi a gratia prima prævenimus cooperantem, concedo: Ipſam primam gratiam, nego. Iſta eſt in nobis ſine nobis, ut dictum eſt; quod ſi non ponamus ei obicem, uberiorem obtinemus, qua actu operamur bonum: unde aliquo modo gratia ſufficiente prævenſente adjuti non ponendo obicem, ulteriorem quæ offertur, prævenimus: hæc ſolutio colligitur ex S. Auguſtino qui lib. de gratia & libero arbitrio cap. 15. ſic loquitur de Deo: " Meminerimus ipſum " dicere: *Facite vobis cor novum & ſpiri-* " *tum novum*: qui dicit, *Dabo vobis cor* " *novum & ſpiritum novum dabo in vobis:* " Quomodo ergo qui dicit, *Facite vobis*, " hoc dicit, *dabo vobis?* Quare jubet, ſi " ipſe daturus eſt? Quare dat, ſi homo fa- " cturus eſt? niſi quia dat quod jubet, " cum adjuvat ut faciat cui jubet? " Hinc " ipſe l. 10. confeſſ. c. 19. Deum ſic alloqui- " tur " Da quod jubes, & jube quod vis. "

Ad id vero quod dicitur, hominis eſt ſe præparare ad gratiam, diſtinguo: Ut prius adjuti, concedo: ſine gratia, nego. Homo quidem roboratus gratia tum ſufficienti, tum efficaci ſe præparat per bona opera ad gratiam habitualem ſeu juſtificationem; ſed hoc in ſe relictus, non poteſt facere.

Inſtabis: Luc. 11. habetur: *Petite & accipietis*: Sed petimus gratiam: Igitur, ſecluſa Dei ope, aliquod opus ſuperioris ordinis operari poſſumus.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Et petimus gratia præventi, concedo: ſin minus, nego. Similiter diſtinguo minorem: Gratia ſufficiente præventi, & efficaci adjuti, petimus ſanctificantem, concedo: abſque illa

illa gratia, nego. Solutio eſt S. Pauli Rom. 8. dicentis: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram, nam quid oremus ſicut oportet neſcimus: Sed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Hinc Prov. 19. juxta verſionem Septuag. legitur: *Præparatur voluntas a Domino*.

Concinit ſanctus Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 14. his verbis: " Non enim poſcerentur a Deo quæ præcepit ,, fieri; niſi ab illo donarentur ut fierent. ,, Iſti accedit S. Fulgentius qui lib. de Incarn. & grat. cap. 22. ſic loquitur: ,, Nec unquam redire velle poteſt ovis ,, errans, niſi fuerit boni paſtoris inquiſitione præventa, & humeris reportata. ,,

Inſiſtes: Si homo abſque gratia bona opera facere non valet, duo inde ſequerentur abſurda: primum quidem quod Infideles in peccando excuſabiles ſint, quippequi non habeant fidem & gratiam ad legem ſupernaturalem adimplendam: alterum vero, videbitur Deus, quod abſit vel tantum cogitare, habere perſonarum acceptionem; ſi quidem multi peccatores obdurati, gratia carent ſaltem proxima ad converſionem, dum alii uberrimam habent. Ergo &c.

Reſpondeo negando utramque ſequelam. Ad primam probationem diſtinguo: Infideles non habent gratiam fidei, concedo: gratiam operis ad legem naturalem adimplendam, qua poſſint ad fidem pervenire, nego. Reſponſio colligitur ex S. ,, Auguſtino qui epiſt. 105. ita ſcribit: ,, *Spiritus ubi vult ſpirat*: Sed quod fatendum eſt, aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adjuvat ut ſint Fideles, ,, inhabitans adjuvat jam Fideles. ,,

Ad ſecundam probationem reſpondet S. Doctor in eadem epiſtola quæ eſt ad Sixtum: " Verum, *inquit*, iſti, qui perſonarum acceptorem fieri exiſtimant ,, Deum, ſi in una eademque cauſa ſuper alios veniat miſericordia ejus, ſuper ,, alios vero maneat ira ejus, nempe totas ,, vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt.... Quam quæſo, allaturi ſunt cauſam, quod alius ſic gubernatur, ut baptizatus hinc exeat, alius ,, Infidelium manibus traditus, vel etiam ,, Fidelium priuſquam ab eis baptizandus ,, offeratur, expiret? ,, Rurſus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 6. " Cur ,, aliquando piorum filiis negatur hoc bonum, & filiis tribuitur impiorum? ,, Nonnumquam enim de religioſis orta proles in tenera ætate atque ab utero recentiſſima prævenitur morte, antequam ,, lavacro regenerationis abluatur; & infans natus ex inimicis Chriſti miſericordia Chriſtianorum baptizatur in Chriſto: plangit baptizata mater non baptizatum proprium, & ab impudica expoſitum, baptizandum caſta fœtum colligit alienum. ,, Et iterum lib. de dono perſeverantiæ cap. 8. dicit unum credere, & tunc non ſe convertere quia gratiæ ponit obicem, alterum e contra ſeſe convertere ex eo quod non ponat.

Proponuntur & ſolvuntur difficultates contra ſecundam concluſionem.

OPPONES: Ab actu ad poſſe valet conſequentia: Sed multi bonis operibus abſque gratia factis fidem attraxerunt: Et probatur: Primoquidem exemplo Cornelii, cujus, ut legitur Act. 10. *Eleemoſynæ . . . aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*. Secundo, Joan. 1. legitur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Rurſus Matth. 25. legitur parabola quæ docet data fuiſſe, *Uni . . . quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem*. Demum 3. Reg. 8. de Salomone: *Ait Dominus ad David Patrem meum: quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene feciſti*. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad primam probationem diſtinguo: Et orationes, ſicut eleemoſynæ Cornelii ab ipſo gratia prævento fluebant, concedo: abſque ulla gratia, nego. Sic interpretatur Aug. illum Actuum 10. locum: *Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*. Lib. de prædeſt. SS. cap. 7. ubi de Cornelio ſic loquitur: ,, Nec tamen ſine aliqua fide non donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat. ,, Igitur jam gratia fidei erat præventus.

Ad ſecundam probationem diſtinguo: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, eo quod jamjam credere cœperant, concedo: ſecus, nego. Verba immediate ſubſequentia hanc denotant ſolutionem; ſic enim habetur: *Iis qui credunt in nomine ejus*.

Ad

Ad tertiam, ſimiliter diſtinguo: Dedit Dominus unicuique, ſecundum propriam virtutem adjutam a gratia, concedo: non adjutam, nego. Parabola hoc unum prædicat, videlicet peccatorem gratia tum ſufficienti, tum etiam efficaci præventum & juſtificatum debere uti gratia ſanctificationis accepta, ut poſſit vitam promereri æternam, quæ juxta charitatis gradum datur, qua quidem ſecluſa, nullum datur meritum. Ita ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 24. art. 3. ad 1. " Dicendum, quod illa virtus ſecundum quam ſua dona Deus dat unicuique, eſt diſpoſitio, vel præparatio præcedens, ſive conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam diſpoſitionem, vel conatum prævenit Spiritus ſanctus, movens mentem hominis, vel plus, vel minus ſecundum ſuam voluntatem. "

Ad quartam, non abſimili ratione diſtinguimus: Et David gratia præventus cogitaverat ædificare domum Deo, concedo: & ſine gratia ſic ſtatuerat, nego. Quod autem hoc ipſum executioni non mandaverit, fuit cauſa, ſanguinis humani in diverſis bellis effuſio, ut ipſa teſtatur Scriptura: Nec mirum: nonnulla quandoque inſpirat Deus, ut bonam hominis probet voluntatem, quod tamen executioni mandari non ſinit: ſic præcepit Abrahæ immolare Iſaac; ſic quoque Davidi juſſit ſibi ædificare domum, quod nihilominus non ipſe, ſed Salomon ejus filius poſtea adimplevit: ergone cogitatio Davidis fuit abſque gratia? Abſit, cum tunc aliquid pro Deo, ut auctore gratiæ, in ſuo corde ſtatuerit.

Inſiſtes: Atqui verba Evangelii intelligenda ſunt de operibus virtute naturæ patratis: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. S. Auguſtinus in expoſitione quarumdam propoſitionum epiſt. ad Rom. ſic loquitur: " Quod credimus noſtrum eſt: quod autem bonum operamur, illius eſt qui credentibus dat Spiritum ſanctum. " Ergo &c. Confirmatur, credere vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad primam probationem diſtinguo: Et S. Auguſtinus dum ſcripſit expoſitionem laudatam in errore Semipelagianorum verſabatur, concedo: ſecus nego: S. Doctor eſt ſui ipſius interpres libro de prædeſt. SS. cap. 3. num. 7. his verbis: " Neque enim fidem putabam Dei gratia præveniri .... Quem meum errorem, nonnulla opuſcula mea ſatis indicant, ante Epiſcopatum meum ſcripta. "

Ad alteram probationem diſtinguo primam partem: Credere eſt in poteſtate liberi arbitrii a gratia adjuti, concedo: non adjuti, nego: ſic docet S. Auguſtinus ibidem, num. 7. pag. 794. edit. novæ " Et quod paulo poſt dixi, Noſtrum eſt enim credere & velle; illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum ſanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris: verum eſt quidem; ſed eadem regula, & utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem; & utrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis. "

Repones: Si fides quoad initium eſt a gratia, omnes debent illam habere: atqui tamen ea Pagani carent: Ergo &c. Secundo, ex hoc alterum ſequitur abſurdum, videlicet Infideles eſſe in incredulitate excuſabiles: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Omnes debent habere fidem, eo quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri, ſi non ponant obicem, concedo: ſi ponant, nego. Solutio eſt S. Thomæ dicentis infidelem in hypotheſi ſequentem ductum rationis in appetitu boni, & fuga mali, a Deo illuminandum fore, vel interius per gratiam, vel exterius per aliquem Evangelii miniſtrum, ſicut Petrum ad Cornelium erudiendum miſit.

S. Auguſtinus lib de ſpiritu & litt. cap. 33. ſic reſpondet: " Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene vel male utentes juſtiſſime judicentur. Quod cum ſit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum ſe ipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus miſericordiam in donis contempſerunt. "

Ad ulteriorem probationem, reſpondet quoque idem S. Doctor epiſt. 105. ad Sixtum, his verbis: " Inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis,

vel

„ vel additamento etiam propriæ volun-„ tatis. „

Replicabis: Non credere eſt a nobis ſolis: Igitur & credere: Probatur conſequentia: eadem eſt lex oppoſitorum: Ergo &c.

Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem; namque peccatum eſt a nobis, bonum vero a gratia ſimul & a libero arbitrio. S. Fulgentius lib. de Incarn. & grat. cap. 24. ſic ſolvit difficultatem: “ Ex eodem, *ait*, ſpiritu renati ſumus, „ ex quo natus eſt Chriſtus ..... Sicut „ autem non ſolum priuſquam virgo Ma-„ ria Chriſtum conciperet; ſed etiam pri-„ uſquam ſe concepturam agnoſceret, „ gratia plena Angeli voce nuncupata eſt... „ Sic homo priuſquam credere vellet inci-„ peret, gratia donantis infunditur cordi „ ut incipiat in homine per fidem Chri-„ ſtus formari. „ Ad id vero quod ſubjicitur, eadem eſt lex oppoſitorum, diſtinguo: in eodem ordine, concedo: in diverſo, nego. Porro unum extremum eſt in ordine naturali, ſcilicet deficere: credere vero in ordine ſupernaturali, unde non eſt paritas.

Inſtabis: Deus non niſi a nobis ea exigit, quam quæ proprio conatu poſſumus: Sed a nobis exigit fidem, juxta illud Chriſti effatum Joan. 11. 40. *Si credideris, videbis gloriam Dei*. Igitur fides ſaltem initiative eſt a nobis.

Reſpondeo negando majorem, quando quidem Deus expoſtulat, ut bonis inſudemus operibus, quæ tamen, ſecluſa ejus ope, facere non poſſumus: quia vero, ut dictum eſt, quod per amicos poſſumus, per nos ipſos poſſumus; & ſufficientia noſtra ex Deo ſit, cujus gratia in promptu eſt omnibus; ideo Deus exigit a nobis opera etiam ſuperioris ordinis. S Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 11. ſententiam contrariam veluti Semipelagianam habet; deinde hæc ſubjicit reſpondendo ad difficultatem: “ Sic autem di-„ citur, *Si credideris ſalvus eris*; quem-„ admodum dicitur: *Si ſpiritu facta carnis* „ *mortificaveritis, vivetis*... Ut ergo Spi-„ ritu facta carnis mortificemus, exigi-„ tur, ut autem vivamus, offertur. „ Scilicet gratia.

Repones: S. Thomas 1. p. q. 82. art. 1. dicit aliquem poſſe cognoſcere naturaliter argumenta contra fidem non concludere: Igitur & naturaliter cognoſcere articulos fidei, eiſque aſſentiri, ſicque initium fidei erit a nobis.

Reſpondeo negando conſequentiam & paritatem: ratio diſcrepantiæ ea eſt, quod ad hoc ut cognoſcamus argumenta contra fidem nihil urgere, duo ſufficiunt, nimirum ut ſciamus Deum omnia poſſe, deinde vero articulos fidei tametſi ſupra rationem, non tamen ei adverſari, utrumque ſapiens agnoſcit, ſed credere in particulari hunc, vel iſtum articulum, non niſi, Deo revelante, fieri poteſt, cum ſinguli fugiant intellectus creati aciem.

Perſiſtes: Dæmones, ait S. Jacobus, *credunt & contremiſcunt*: Secundo credimus naturaliter res difficillimas, ſcilicet fluxum & refluxum maris habere cauſam: Tertio, fidem adhibemus hiſtoriis profanis quæ ſtupenda enarrant: Demum hæretici, ut Calviniſtæ, quædam credunt myſteria, quale eſt ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium; pari igitur & conſimili modo innatis viribus initium ſaltem fidei habere nihil vetat.

Reſpondeo 1. argumentum nimis probare: inde enim ſequeretur, vel ipſam fidei conſummationem eſſe a nobis.

Reſpondeo 2. negando conſequentiam & paritatem. S. Thomas 2. 2. q. art. 2. aſſerit Dæmones non aliam habere fidem quam naturalem & conjecturalem; viſis enim Chriſti miraculis, ſuſpicati ſunt Chriſtum eſſe Deum. Ad alia brevis eſt utique reſponſio, viſo propriis oculis fluxu maris, ex effectu concludimus a poſteriori cauſam. Quid plura? Hiſtoricis profanis fidem ſolum humanam adhibemus. Quoad hæreticorum fidem, omnes Theologi cum S. Thoma docent ſolummodo eſſe humanam; qui enim diſcredit uni articulo, non habet circa cæteros fidem; juxta illud, *qui peccat in uno, factus eſt omnium reus*. Et vero, qui non credit Deo in uno puncto, non cenſetur credere in aliis, eo quod verbum Dei ſit ſimplex & infallibile in omnibus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

1. *Gratia actualis eſt abſolute neceſſaria ad eliciendos actus ſupernaturales*; 2. *Immo & ad ipſum fidei initium*.

PRIMA PARS habetur Iſai. 26. his verbis:

bis: *Omnia enim opera noſtra operatus es nobis, Domine*. Rurſus 1. Cor. 12. *Deus operatur omnia in omnibus*. 2. Sic definiere cuncta Concilia contra Pelagianos congregata, in primis Arauſicanum II. cap. 7. Tum Trident. ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit*, inquit, *ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit*. Ratio eſt, quia res omnes de quibus movetur controverſia naturæ vires excedunt, quocirca dicuntur ſupernaturales. Igitur, ſecluſo gratiæ auxilio, homo non poteſt elicere actus ſupernaturales.

Secunda pars, videlicet quod initium vel ipſius fidei non ſit a natura in ſe relicta, claret ex dictis modo, quippe quod ſit quid ſupernaturale. Hoc ipſum patet ex orationibus Eccleſiæ quibus fidem ex integro poſtulamus a Deo. Sic docet ex profeſſo S. Auguſt. in ſex primis capitibus libri de prædeſt. SS. Ratio non una eſt, namque vel ipſi ſalutis cogitatio eſt a gratia, juxta illud 2. Cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: Sed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, &c.*

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Omnia Scripturæ loca, quę nobis bona opera etiam ſupernaturalia tribuunt, denotant quidem noſtram cooperationem, ſed non excludunt gratiam veluti eorumdem actuum cauſam. Nec inde ſequitur aut infideles, aut obduratos eſſe excuſabiles quum peccant, quandoquidem ſua culpa carent gratia ad præcepta adimplenda: vel enim aperto animo reſiſtunt vocanti, vel ex ſupina ſocordia non orant, ut orationis efficacia neceſſaria & proxima obtineant ad faciendum bonum auxilia.

Secundo: Scimus quidem Cornelium adhuc gentilem fidem advocaſſe, ſed jam gratia præveniente donatum; ejus enim eleemoſynæ aſcenderant in odorem ſuavitatis in conſpectu Domini, ut habetur Act. 10. Nec magis urget iſta Semipelagianorum argumentatio. Matth. 25. Dominus unicuique ſervorum ſuorum dedit talenta juxta propriam virtutem; ſupponuntur enim omnes, ne uno quidem dempto, habuiſſe gratiam prævenientem nomine propriæ virtutis deſignatam; qui autem ea bene utendo ferventius laboraverant, majori quoque mercede præmiati ſunt. Cæterum quando S. Aug. in expoſ. quarumdam propoſitionum in epiſtol. ad Rom. ait: " Quod credimus, noſtrum ,, eſt. ,, nondum erat inauguratus Epiſcopus, ſed Semipelagianorum errore detentus erat, ut ipſe teſtatur lib. de præd. SS. cap. 3. num. 7.

SECTIO QUINTA.

Utrum homo viribus naturæ poſſit ſe diſponere ad gratiam.

CERTUM eſt quaſdam diſpoſitiones requiri ad introductionem formæ tum phyſicæ, tum moralis in cauſis, quæ ex præſuppoſito ſubjecto operantur. Inſtar omnium ſit ignis, qui ſuam antequam introducat formam in lignum, iteratis caloribus ab eo expellit humiditatem, ut ultimate ad certum ſiccitatis gradum, ignitionem ſuſcipere queat: pari & conſimili modo in moralibus non fit impii ad Deum converſio, niſi præcedat contritio; ſolus Deus ex infinita & omnipotenti virtute poteſt, ſi vult, in inſtanti ſibi ſubdere paſſum; ordinarie tamen non facit; unde præſens controverſia procedit de moralibus; & quæritur, num homo proprio conatu poſſit ſe diſponere, modo ad primam gratiam, nimirum ſufficientem, modo etiam ad efficacem; denique ad habitualem ſeu ſanctificantem. Sed operæ pretium eſt hic ſubnotare duplicem eſſe ad gratiam diſpoſitionem; unam ſcilicet negativam, poſitivam alteram: prior ea eſt qua voluntas hæret inter bonum & malum, nec poſitive aſſentitur peccato, tametſi exardeſcat concupiſcentia: poſterior qua actu, & determinate vult bonum. Difficultas præſens eſt, num diſpoſitio negativa ex ſola proveniens natura advocet gratiam; pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Homo viribus naturæ, nequit poſitive ſe diſponere ad gratiam.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex veteri Teſtamento.

HABETUR Pſalmo 76. *Dixi, nunc cæpi, hæc mutatio dexteræ excelſi.* Iſaiæ 24. *Ducam cæcos in viam quam neſciunt: in ſemitis quas ignoraverunt, ambulare eos faciam; ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta.* Capite vero 65. *Invenerunt me, qui non quæſierunt me; dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non invocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Thren. 5. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Ezech. 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Quibus poſitis ſic argumentari fas eſt. Si homo ſe diſponeret viribus naturæ ad gratiam, converſio peccatoris non diceretur ſimpliciter, mutatio dexteræ Excelſi, ſed neque Deus duceret cæcum in viam, quippequi ex ſe illuminatus, proprio marte quæreret Dominum: quinimmo vel proprio etiam niſu ſaltem inchoative, in præceptis ambularet: Sed iſtæ omnes conſequentiæ Scripturis allatis adverſantur: Ergo &c.

Secundo, ex novo Teſtamento.

APOSTOLUS 1. Cor. 12. ait: *Deus operatur omnia in omnibus.* Rurſus Philip. 1. *Qui cæpit in nobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Item Jacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendes a Patre luminum.* Igitur diſpoſitio poſitiva ad gratiam, hoc eſt, quæ habeat intrinſecam & infallibilem cum ea connexionem, non eſt a natura: alias cuncta in nobis non operaretur Deus, non inciperet in nobis bonum, & omne quod optimum eſt, ab eo ſolo non promanaret, cum etiam hoc ipſum a natura in ſe relicta procederet.

Celebris eſt ſententia Joan. 6. ubi Chriſtus ſic loquitur: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* Rurſus cap. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* S. Auguſtinus ea duo loca urget contra Pelagianos lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. & lib. 2. ad eumdem c. 18. ex iis enim concludit hominem quicquam aut magni, aut parvi ad ſalutem conducentis, ſecluſo Dei auxilio, non poſſe facere; alias, inquit, non indigeret a Chriſto trahi. Ergo &c.

Tertio, ex Conciliis.

PALÆSTINUM definivit gratiam non dari naturæ meritis, cujus tamen affulgeret contrarium ſi homo viribus innatis & avitis poſſet incipiendo credere & advocare gratiam ad fidei conſummationem.

Arauſicanum II. cap. 3. pronuntiat neminem poſſe advocare gratiam, niſi prius ab ipſo adjuvetur Deo; c. 4. per gratiam fieri, non ſolum ut purgemur, ſed ut purgari velimus; c. 14. nullum poſſe liberari a quacumque miſeria ſine gratia: & c. 25. ſic loquitur: Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur: ſed ipſe nobis nullis præcedentibus meritis bonis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat, ut & Baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus; & poſt Baptiſmum cum ipſius adjutorio ea quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus. „ Quibus quidem verbis ſacra Synodus oſtendit diſpoſitionem, ſive ad primam, ſive ad ſecundam gratiam ab ipſa gratia præveniente profluere.

Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 3. ſic loquitur: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere aut pænitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Ergo nequidem præparatio ad gratiam eſt a natura, cum fides quæ a bona inſpiratione ortum ducit, nonniſi, afflante Deo, fit.

Quarto, ex SS. Doctoribus.

S. HIERONYMUS epiſt. ad Cteſiphontem cap. 3. ſic loquitur: " Peto, ut accipiam, & quum accepero, rurſus peto. „ Igitur, totum a Deo expectandum eſt. S. Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. " Si enim, *inquit*, ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui tamquam ex debito gratiæ veniat adjutorium;

„ rium; ac ſic gratia Dei non gratis do- „ nabitur, ſed ſecundum meritum noſtrum „ dabitur. „ Quibus verbis profert hanc concluſionis rationem, quod gratia proprie loquendo, non foret gratia, quandoquidem naturæ meritis bonum incipientis tribueretur.

S. Proſper ſuum addit calculum carm. de ingr. cap. 25. his verſiculis.

Hæc ut cujuſquam ſtudio, affectuque petatur,
Ipſa agit, & cunctis dux eſt venientibus ad ſe;
Perque ipſam niſi curratur, non itur ad ipſam.

Ecce docet manifeſte vel ipſam diſpoſitionem ad gratiam, a gratia ipſa promanare: quod quidem ulterius probat illo Proverbior. 19. oraculo: *Præparatur voluntas a Domino*. Septuaginta vertunt: *Hauriet ſalutem a Domino*. S. Fulgentius lib. de incarn. & grat. eodem utitur loco, ad hoc ipſum probandum. Ergo &c.

Quinto, ratione eaque multiplici.

Prima, ſic proponitur: Quotieſcumque primum movens ad finem ordinem naturæ excedentem impellit, nonniſi gratia movetur cauſa ſecunda ad actum, alias non eſſet proportio inter potentiam agentem & ipſam actionem: Sed gratia eſt ordinis ſupernaturalis: Igitur nonniſi, Deo adjuvante, homo præparatur ad actum: hæc ratio eſt D. Thomæ qui ex profeſſo hic 1. 2. q. 109. art. 6. docet concluſionem, his verbis “ Sic igitur cum Deus „ ſit primum movens ſimpliciter, ex ejus „ motione eſt, quod omnia in ipſum convertantur ſecundum communem inten- „ tionem boni, per quam unumquodque „ intendit aſſimilari Deo ſecundum ſuum „ modum . . . . . Et ideo quod homo „ convertatur ad Deum, hoc non poteſt „ eſſe niſi Deo ipſum convertente . . . „ Unde patet quod homo non poteſt ſe „ præparare ad lumen gratiæ ſuſcipiendum „ niſi per auxilium gratuitum Dei interius moventis. „

Altera, hæc eſt: Ejus eſt introducere diſpoſitionem, cujus eſt introducere formam: Atqui ſolius eſt Dei producere gratiam, juxta illud pſalm. 83. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Ergo &c.

Tertia: Diſpoſitio & forma ſunt ejuſdem ordinis: Sed forma, ſcilicet gratia, eſt ordinis ſupernaturalis. Ergo &c.

Quarta: Nulla cauſa operatur ultra ſuę activitatis ſphæram: ſed gratia ſuperat virtutis innatæ conatum: Igitur homo in ſe relictus nequit poſitive ſe diſponere ad gratiam.

Quinta: Semipelagianum eſt aſſerere hominem viribus innatis poſſe bonum ſalutis inchoare: Igitur non poteſt ſe ſe ad gratiam diſponere.

Solvuntur objectiones, ex Scriptura ſacra prodeuntes.

Objicies: Ille poteſt ſe diſponere ad gratiam, qui tenetur ſe præparare ad illam comparandam: Atqui homo elaborare tenetur, ut gratiam ad ſalutem neceſſariam obtineat, juxta illud Prov. *Homini eſt præparare animam ſuam*: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Homo tenetur ſe præparare ad gratiam virtute gratiæ prævenientis, concedo: ſecluſo Dei auxilio, nego. Iſta reſponſio eſt D. Thomæ hic artic. 6. ad 1. his verbis: “ Converſio hominis ad Deum fit quidem „ per liberum arbitrium, & ſecundum „ hoc homini præcipitur, quod ſe ad „ Deum convertat: ſed liberum arbi- „ trium ad Deum converti non poteſt, „ niſi Deo ipſum ad ſe convertente: „ ſecundum, illud Jerem. 31. *Converte* „ *me, & convertar, quia tu Dominus Deus* „ *meus*. Et Threnor. ultimo *converte nos* „ *Domine ad te, & convertemur*. „

Inſtabis: Luc. 11. 13. legitur: *Dabit*, id eſt Deus, *ſpiritum bonum petentibus ſe*: Igitur homo viribus naturæ poteſt ſe præparare ad gratiam. Et probatur: Non habet ſpiritum bonum, hoc eſt, gratiam, cum illum petat. Secundo Prov. 16. 1. habetur: *Hominis eſt animam præparare*; ex quo iſtud emerſit adagium: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*. Ergo &c.

Reſpondeo negando conſequentiam: nam teſte Apoſt. 1. Cor. 12. 4. *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*.

Ad primam probationem diſtinguo: Homo petens Spiritum bonum, nondum illum habet inhabitantem, concedo: aſſiſtentem & moventem, nego. Solutio eſt S.

Thomæ ibidem artic. 6. ad 2. " Dicen-
,, dum, *ait*, quod nihil homo poteſt fa-
,, cere niſi a Deo moveatur; ſecundum
,, illud Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis fa-*
,, *cere*. Et ideo cum dicitur homo face-
,, re quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in
,, poteſtate hominis, ſecundum quod eſt
,, motus a Deo. ,, Eodem modo reſpon-
det ad argumentum lect. 3. ſuper caput
decimum epiſt. ad Rom. " Si qui tamen
,, eorum, *inquit*, feciſſent quod in ſe eſt,
,, Dominus eis ſecundum ſuam miſericor-
,, diam providiſſet, mittendo eis prædica-
,, torem fidei, ſicut Petrum Cornelio Act.
,, 10. & Paulum Macedonibus, ut habe-
,, tur Act. 16. ſed tamen hoc ipſum quod
,, aliqui faciunt quod in ſe eſt, converten-
,, do ſe, ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt
,, movente corda ipſorum ad bonum. ,,

Ad alteram confirmationem, Reſpon-
deo ut ſupra, & ſic ſolvit difficultatem
S. Thomas ibidem artic. 6. ad 4. " Di-
,, cendum, quod hominis eſt præparare
,, animum; quia hoc facit per liberum
,, arbitrium, ſed tamen hoc non facit ſi-
,, ne auxilio Dei moventis, & ad ſe at-
,, trahentis, ut dictum eſt. ,,

Inſiſtes: Atqui facienti quod in ſe eſt vi-
ribus naturæ, Deus non denegat gratiam:
Ergo &c. Probatur ſubſumptum ex illa
parabola quæ habetur Matth. 25. 14. *Ho-*
mo peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos, &
tradidit illis bona ſua. Et uni dedit quinque
talenta, alii autem duo, alii vero unum, u-
nicuique ſecundum propriam virtutem &c. Ho-
mo ille eſt Deus: talenta ſunt gratiæ,
virtus propria, eſt vis innata liberi arbi-
trii qua quis bene utendo, gratiam obti-
net. Ergo &c. Confirmatur: Si ad hoc
voluntas gratia indigeret, jam talentum
creſceret per talentum: Sed hoc nemo
dixerit: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad pro-
bationem diſtinguo: Virtus propria eſt li-
berum arbitrium gratia actuali præven-
tum, concedo: non præventum, nego.
Solutio eſt D. Thomæ 2. 2. quæſt. 24.
art. 3. ad 1. his verbis: " Illa virtus,
,, ſecundum quam ſua dona Deus dat u-
,, nicuique, eſt diſpoſitio, vel præparatio
,, præcedens, ſive conatus gratiam acci-
,, pientis. Sed hanc etiam diſpoſitionem,
,, vel conatum prævenit Spiritus ſanctus
,, movens mentem hominis vel plus, vel
,, minus ſecundum ſuam voluntatem. Un-
,, de & Apoſtolus dicit ad Coloſs. 1. qui
,, dignos nos fecit in partem ſortis San-
,, ctorum in lumine. ,, Epheſ. 4. *Unicui-*
que autem noſtrum data eſt gratia ſecundum
menſuram donationis Chriſti.

Ad confirmationem ſimiliter diſtinguo:
Talentum creſceret per talentum, ſed di-
verſimode, concedo: ſub eodem reſpectu,
nego. Hæc eſt gratiarum ſeries, quibus
homo aliquid mereri incipit. Primoqui-
dem, prævenitur gratia ſufficiente. Se-
cundo, ſi non ponat obicem, uberiorem
miſericorditer ſcilicet efficacem, qua con-
tritionis actum elicit, obtinet; & poſtea
juſtificatur. Tertio, juſtificatus per actum
amoris Dei meretur & augumentum gra-
tiæ ſanctificantis, & vitam æternam,
quandoquidem Deus illam, ex Apoſtolo,
promiſit diligentibus ſe.

Replicabis: Ex hac ſolutione ſequitur da-
ri proceſſum in infinitum; Abſurdum con-
ſequens: Ergo & antecedens. Probatur
ſequela: Si datur gratia ad præparatio-
nem gratiæ, ulterior dabitur ad haben-
dam gratiam uberiorem, & iſta advoca-
ta, adhuc ulterior ad majorem, & ſic in
infinitum. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam; namque
prima gratia eſt in nobis ſine nobis, &
quidem a Deo qui eſt primum movens,
& ſic non datur proceſſus in infinitum;
eo quod non detur ultra Deum alius mo-
tor. Sic docet S. Thomas hic art. 6. ad
3. " Dicendum, *ait*, quod illa objectio
,, procedit de gratia habituali, ad quam
,, requiritur aliqua præparatio; quia o-
,, mnis forma requirit ſuſceptibile diſpo-
,, ſitum, ſed hoc quod homo moveatur a
,, Deo non præexigit aliquam aliam mo-
,, tionem, cum Deus ſit primum movens,
,, unde non oportet abire in infinitum. ,,

Perſiſtes: Si Deus expectat vel ipſam vo-
luntatis præparationem, argumentum eſt
hominem debere incipere; Atqui Deus
illam expectat, juxta illud Apocal. 3.
Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit
vocem meam, & aperuerit mihi januam, intra-
bo ad illum. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Expe-
ctat Deus ut præventus gratia ſufficien-
ti non ponat obicem, & det efficacem,
concedo; & excluditur gratia præve-
niens, nego. Hanc reſponſionem deno-
tant iſta verba. *Si quis audierit vocem meam,*
& aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.

Vox audienda, eſt gratia ſufficiens: gratia quæ aperit, eſt efficax; ea vero qua intrat & inhabitat, eſt ſanctificans. Expectat igitur Deus ut homo gratia præventus ſe ſe ad gratiam uberiorem diſponat. Solutio colligitur ex D. Thoma, qui explicans illa verba Heb. 13. *Deus autem pacis aptet vos &c.* Lect. 3. ſic loquitur: " Res naturalis dicitur apta ad „ illud ad quod habet inclinationem; ſic „ etiam homo quando habet voluntatem „ benefaciendi, dicitur aptus eſſe ad il- „ lud: Deus autem quando innuit homi- „ ni bonam voluntatem, aptat eum, id „ eſt, facit ipſum aptum . . . Facit nos „ velle omne bonum. „ Et paulo poſt dicit Deum inclinare hominem exterius, & interius ad bonum operandum: exterius quidem per legem, & prædicatores, interius vero per gratiam.

Proponuntur difficultates, ex auctoritate SS. Doctorum & ratione ſimul deſumptæ, & ſolvuntur.

OPPONES 1. S. Auguſtinus lib. 19. de civ. cap. 13. ait Deum conferre ſupernaturalia dona eis qui bene utuntur naturalibus: Igitur exiſtimat hominem viribus innatis, & operibus honeſtis, ſe poſſe ad gratiam diſponere. Probatur antecedens. Eo loci, ſic loquitur: " Deus . . . de- „ dit hominibus quædam bona, huic vi- „ tæ congrua . . . . ut quicumque mor- „ talis talibus bonis paci mortalium accom- „ modatis recte uſus fuerit, accipiat am- „ pliora atque meliora, ipſam ſcilicet im- „ mortalitatis pacem, eique convenien- „ tem gloriam & honorem in vita æter- „ na ad fruendum Deo. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ſuppoint S. Auguſtinus hominem bene uti bonis temporalibus, & propter Deum, adeoque a gratia adjutum, concedo: ſin minus, nego. S. Doctor eſt ſui ipſius interpres, cum ibi loquatur de eo qui vitam promeretur æternam, quod, ſecluſa Dei ope, centies dicit fieri non poſſe; quin immo lib. de prædeſt. SS. cap. 1. 2. 3. & 4. ex profeſſo docet, vel ipſum fidei initium, & bonam ſalutis cogitationem a Deo promanare.

Inſtabis: Atqui præparatio ad gratiam eſt a natura in ſe relicta juxta S. Auguſtinum: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. S. Thomas D. Auguſtini fideliſſimus interpres & diſcipulus quæſt. 14. de veritate art. 11. ad 1. ſic loquitur: " Si quis „ in Sylvis enutritus, ductum naturalis „ rationis ſequeretur in appetitu boni vel „ fuga mali, certiſſime tenendum eſt, „ quod ei Deus vel per internam inſpi- „ rationem revelaret ea quæ ad creden- „ dum ſunt neceſſaria, vel aliquem fidei „ prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut „ miſit Petrum ad Cornelium. „ Ergo &c. Idem dicit ad 2. aſſerens Deum non deeſse illi qui ſequitur in appetitu boni ductum rationis. Idem repetit lib. 3. contra Gentes cap. 149. ubi affirmat illum ſolum gratia privari, qui gratiæ impedimentum ponit: demum in 2. ſentent. diſt. 28. quæſt. 1. art. 4. ſic loquitur: " Ad „ fidem habendam aliquis ſe præparare pot- „ eſt per id quod in naturali ratione eſt, „ unde dicitur quod ſi aliquis in barbaris „ natus nationibus, quod in ſe eſt faciat, „ Deus illi revelabit illud quod eſt neceſ- „ ſarium ad ſalutem vel inſpirando, vel „ Doctorem mittendo. „ Ergo &c.

Reſpondeo 1. Dato & non conceſſo S. Thomam in aliquibus primævis operibus conceſsiſſe hominem viribus naturæ poſſe ſe diſponere ad gratiam, dico eum ſe ſe retractaſse in Summa 1. 2. q. 109. art. 6. ubi contrarium ex profeſſo docet: quinimmo, & quæſt. 24. de veritate ad 2. ubi dirimit objectionem, his verbis: " Gratiam „ autem quæ opera meritoria facit, quam- „ vis homo non poſſit ex libero arbitrio „ acquirere, poteſt tamen ſe ad gratiam „ habendam præparare, quæ ei a Deo „ non denegabitur, ſi fecerit quod in ſe „ eſt, & ideo non eſt omnino extra poteſta- „ tis liberi arbitrii opera meritoria agere, „ quamvis ad hoc per ſe poteſtas libe- „ ri arbitrii non ſufficiat. „ Audis S. Doctorem exigere gratiam ad præparationem gratiæ juſtificantis, cum ipſo teſte, liberum arbitrium ad hoc non ſufficiat.

Reſpondeo 2. negando ſubſumptum. Ad auctoritates D. Thomæ diſtinguo: Et ſupponit ſanctus Doctor hominem in ſylvis enutritum vi gratiæ prævenientis ſequi ductum rationis in appetitu boni & fuga mali; ſicque ſe ad fidem ſe diſponere, concedo: & ab eo omnem excludit gratiam, nego. Duplex gratia diſtinguitur, ſcilicet gratia operis, & gratia fidei; prior dat operari quodcumque bonum

ut ſic: altera vero vel facit aſſentiri articulis fidei, vel hominem ad operandum propter Deum ut auctorem gratiæ compellit: illa conceditur Paganis, ut ſequantur ductum rationis, & naturale adimpleant legem: qua, teſte S. Thoma diſponuntur ad fidem; iſta vero nomine gratiæ fidei celebratur propter duo. Primoquidem, ex eo quod explicitum inferat fidei aſſenſum, quo infidelis ad Chriſtum convertitur. Secundo, ſuppoſita ejus illuminatione, tenetur agere explicite propter Deum ut gratiæ auctorem: non eſt igitur ipſa fides, ſed gratia qua credendis aſſentimur.

Reponet: S. Thomas 1. par. quæſt. 62. art. 6. ex profeſſo docet Deum dediſſe gratiam Angelis ſecundum quantitatem naturalium, ita ut qui in natura præpollentiores erant, majorem quoque receperint gratiam. Igitur ex S. Thoma virtute naturali aliquis poteſt ad gratiam ſe diſponere.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Creator majorem contulit gratiam præcellentioribus Angelis, ſed gratuito & miſericorditer, concedo: ex debitis naturæ, nego. S. Doctor loquitur in primo ſenſu; & eo loci unum tantummodo intendit, videlicet, probare Deum qui diſponit omnia ſuaviter, majorem dediſſe gratiam Angelis in natura perfectioribus, ſed gratuito & ex miſericordia.

Objicies 2. Si homo non poteſt ſe diſponere ad gratiam ſine gratia, ſequitur peccatum veniale poſſe reperiri cum peccato originali: ſed hoc ipſum eſt contra S. Thomam, qui docet puerum ad auroram rationis pervenientem, peccare mortaliter, niſi abſque mora ad Deum ſe ſe convertat: in hypoteſi enim quod non ſit baptizatus, ſi ſe convertat, ipſo facto juſtificatur, quippe qui habeat votum Baptiſmi; ſin minus, addit originali peccatum actuale mortale. Ergo &c. Probatur ſequela: ſupponamus puerum infidelem ad uſum rationis pervenientem, quo tempore converſionis ad Deum urget præceptum: ſupponamus etiam eum facere quod in ſe eſt viribus naturæ, non peccabit mortaliter non adimplendo præceptum, quia non habet gratiam; quandoquidem Deus eam ſolum elargitur facienti quod in ſe eſt viribus gratiæ; Igitur peccatum veniale erit tunc cum peccato originali.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem dico, juxta præcedentem ſolutionem, puerum ad auroram rationis venientem, habere gratiam operis ad operandum bonum legis naturæ, qua poteſt ad Deum ſe convertere, & poſtea obtinere gratiæ uberioris auxilio remiſſionem peccati originalis; ſolutio eſt D. Thomæ qui 1. 2. q. 28. 6. ſic loquitur; " Quod ſi „ puer ille ordinaverit ſeipſum in inſtanti uſus rationis ad debitum finem per „ gratiam, conſequetur remiſſionem originalis peccati. „ Rurſus 2. 2. quæſt. 10. art. 4. ad 3. hoc ipſum explicat exemplo converſionis Cornelii, his verbis: " De Cornelio tamen ſciendum eſt, „ quod infidelis non erat; alioquin ejus „ operatio accepta non fuiſſet Deo, cui „ ſine fide nullus poteſt placere; habebat „ autem fidem implicitam, nondum manifeſtata Evangelii veritate; unde, ut „ eum in fide plenius inſtrueret, mittitur ad eum Petrus. „ Porro habere fidem implicitam, eſt cognoſcere Deum ut auctorem naturæ, cum ea animi præparatione credendi quidquid revelabit.

Dices: Ex hac reſponſione ſequitur non dari Infidelem negative; ſaltem inter eos Paganos, qui auctorem naturæ & agnoſcunt, & glorificant; ſed contrarium docent Theologi; Ergo &c. Probatur ſequela. Hujuſmodi Infidelis habet fidem; Igitur non eſt Infidelis negative.

Reſpondeo negando ſequelam: Ad probationem, diſtinguo: Et hujuſmodi Infidelis habet fidem implicitam, concedo; explicitam, nego. Infidelis duplex diſtinguitur; unus negative, alter vero poſitive dicitur talis. Prior ille eſt qui nihil unquam de Chriſto adivit; quandoque tamen agnoſcendo Creatorem, eatenus fidem implicitam habet de Mediatore, quatenus paratus eſt credere quidquid Deus revelabit; poſterior vero ille cenſetur, qui multa de Chriſti audivit; ſed ex innata in errore pertinacia eum non vult ut mediatorem agnoſcere, talis eſt Judæus.

Urgebis: Gratia ſufficiens a natura dependet, ut ſpeciebus naturalibus quæ objecta referunt, ut intellectioni & volitioni inſerviant, ſi quidem ſita eſt in illuminatione intellectus & voluntatis motione; Igitur homo poteſt ex innata virtute ſe ſe ad gratiam diſponere.

Reſpondeo diſtinguendo; Gratia ſufficiens dependet a ſpeciebus deſuper infuſis, conce-

concedo; a ſpeciebus mere naturalibus, nego. Etenim niſi intellectus elevetur, & voluntas a Spiritu ſancto moveatur, nihil boni operabitur homo; ultro etiam fatemur converſionem dependere objective a ſpeciebus, ſed materialiter, nuſquam vero effective, ſed tantum a Spiritu Sancto, juxta illud Act. 16. *Mulier quadam nomine Lydia civitatis Thyatirenorum colens Deum* credidit, *cujus Dominus aperuit cor intendere his qua a Paulo dicebantur*.

Ad præcedentium & ſubſequentium perfectam ſolutionem, triplex diſtinguenda eſt diſpoſitio; alia negativa, & mere naturalis; alia partim negativa, & partim poſitiva, ſed ſupernaturalis; Tertia, totaliter poſitiva. Prima conſiſtit in bona indole, vel etiam in actibus virtutum moralium. Et vero qui fortitus eſt animam bonam, & ſe ſe exercet in operibus miſericordiæ, non tantam habet cum Deo oppoſitionem, quam ille qui eſt & crudelis & avarus. Secunda, eſt non ponere obicem gratiæ, & poteſt dici ſimplex complacentia in bono propoſito, non diſſentiendo, aut reſiſtendo vocanti, & ideo partim negativa, partim etiam poſitiva cenſetur. Tertia, eſt conſenſus gratiæ expreſſus, per aliquem actum vel fidei, vel ſpei, vel contritionis, & nominatur diſpoſitio poſitiva; quia habet cum gratia ſanctificante intrinſecam connexionem; unde Concilium Tridentinum vocat actus timoris & charitatis diſpoſitiones ad gratiam converſionis & juſtificationis. Prior eſt a virtutibus moralibus; altera promanat a gratia ſufficiente, qua quis bene utens non diſſentit vocanti. Tertia, eſt gratiæ efficacis fœtus, cujus ope adjutus peccator audit & ſequitur vocantem, tum Deo perfecte convertitur.

Inſtabis: Non ponere obicem gratiæ eſt a gratia; ſed hoc opus a gratia ſufficiente non procedit. Et probatur. Ipſa non eſt operativa. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem, diſtinguo: Gratia ſufficiens non eſt operativa, conſummative, concedo; inchoative, nego. Non eſt quidem conſummative, quia actum nonniſi debilem, qualis eſt non diſſentire vocanti, operatur; bene vero inchoative, quia ejus illuminatione & motione præparatur proxime voluntus ad converſionem.

Inſiſtes: Iſta præparatio eſt quædam in bono complacentia, quæ boni velleitas nuncupatur: Sed hæc a gratia ſufficiente non procedit. Et probatur: Iſta velleitas boni eſt actus deliberatus; Sed actus deliberatus non eſt a gratia ſufficiente, quippe quæ in illuminationibus & motionibus ſubitaneis ſita &c. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem, diſtinguo: Complacentia perfecta eſt actus deliberatus, concedo; inchoata, quæque velleitatis nomine celebratur, nego. Hæc enim eſt ad ſummum motus ſemideliberatus; ſed dato quod ſit deliberatus, non deſunt Theologi qui cum Cardinali Noricio propugnent actus remiſſiores, & imperfectos, quales ſunt attritionis & fidei informis, promanare a gratia præveniente quæ ad eos eliciendos ſufficit.

Urgebis: Si hoc ita ſit, omnes qui habent gratiam ſufficientem debent conſentire vocanti, quia, poſita cauſa, ſequitur effectus, ſed falſum conſequens; Ergo & antecedens.

Reſpondeo diſtinguendo: Si non ponant obicem, concedo; ſin minus, nego. Homo ex innata libertate poteſt ponere obicem gratiæ prævenienti, & impedire effectum; unde eſt ſua culpa, ſi uberiorem non habeat ut convertatur.

Repones: Atqui non eſt ſua culpa: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Sua culpa caret gratia efficaci, qua quidem ſecluſa, non fit converſio. Ergo &c. Probatur antecedens. Primoquidem, non ponere obicem gratiæ, eſt ab ipſa gratia. Secundo, quando affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis: Igitur peccator citra ſuam culpam non convertitur; quippequi careat gratia, ut non ponat obicem, & convertatur.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem nego antecedens; ideo enim peccator gratia efficaci caret, quia priori gratiæ reſiſtit.

Ad primam probationem diſtinguo: Non ponere obicem per actum bonum & poſitive eſt a gratia efficaci, concedo; non ponere negative, ſubdiſtinguo; eſt a gratia, ſed ſufficiente cui reſiſtitur, concedo; ab efficaci, nego. Quia vero ex ſua innata malitia peccator reſiſtit primę gratiæ, ſua culpa privatur uberiori, qua de facto converteretur.

Ad alteram probationem diſtinguo: Quando affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis, in eodem ordine, concedo: ſi cauſæ ſint diverſi ordinis, nego. Porro norunt omnes hominem ex ſe habere quod poſſit deficere, & de facto deficiat; a gratia vero Mediatoris quod bonum ſalutis operetur. Non diffitemur gratiam eſse ad bonum opus neceſsariam, unde, illa ſublata, non convertitur peccator; ſed ſubtractio gratiæ non eſt cauſa effectiva peccati, verum potius mala voluntas; quandoquidem peccatum formaliter ſumptum, non habet cauſam efficientem, inquit S. Thomas, ſed dumtaxat deficientem, cum ſit & averſio a Deo, & privatio ordinis: Igitur negatio gratiæ non eſt cauſa poſitiva peccati, ſed ad ſummum negativa: S. Auguſtinus lib. de Spiritu & litt. cap. 33. totum hoc ſtupendum Myſterium paucis explicat, dicendo gratiam denegari in vindictam modo originalis, modo actualis peccati: tum ſic concludit: " Jam ſi ad „ illam profunditatem ſcrutandam quis- „ quam nos coarctet, & cur illi ita ſua- „ deatur, ut perſuadeatur, illi autem „ non ita, duo ſola occurrunt interim, „ quæ reddere mihi placet, o altitudo di- „ vitiarum, & numquid iniquitas apud „ Deum. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo viribus naturæ nequit poſitive ſe diſponere ad gratiam.

PRIMO: Hoc ſequitur ex dictis in duobus penultimis articulis. Et colligitur ex illo Dei effato If. 24. *Ducam cæcos in viam quam neſciunt.* Tum Philip. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti.*

Secundo: Id annuntiant Concilia, maxime Arauſ. II. can. 2. dicens hominem habere a gratia non ſolum ut a peccatis purgetur, verum etiam ut purgari velit, quod quidem ad diſpoſitionem ſpectat.

Tertio: Sic ex profeſſo docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 6. ratio ejus, quod diſpoſitio proxima ad formam ſit ejuſdem ordinis cum forma: Igitur diſpoſitio ad gratiam ſive efficacem, ſive habitualem a gratia præveniente procedit.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Homo tenetur quidem ſe diſponere ad gratiam, ſed gratia ſufficiens nemini deeſt, ut quiſque in hoc laboret. Quia vero gratia præveniens eſt in nobis ſine nobis, non datur proceſſus in infinitum; non enim datur diſpoſitio ad primam gratiam, ſed illa conceſſa, homo ſe diſponit ad uberiorem.

Secundo: Concedimus, Deum dare ſuum Spiritum petentibus, ſed modo a gratia prius adjuti orent.

Tertio: Nec quicquam ex illo vulgari adagio, *facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, detrahimus, ſed hoc ſic a Theologis ſanæ Doctrinæ intelligitur: facienti quod in ſe eſt viribus gratiæ prævenientis Deus non denegat gratiam efficacem, cujus auxilio producitur actus contritionis, quo advocatur gratia habitualis, qua juſtificatur impius.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum homo ſine gratia actuali poſſit diligere Deum, & vincere tentationes?

DILECTIO Dei duplex eſt, una quidem naturalis, qua Deus ut auctor naturæ amatur: altera vero ſupernaturalis, qua idem ut auctor vitæ æternæ diligitur. Rurſus utraque adhuc duplex diſtinguitur, una qua Deus ſuper omnia bona amatur, & propter ſe: alia qua illum propter nos amamus, ut quum quis adimplet præcepta eo quod deficeret a beatitudine, qua privari non vult.

Rurſus: Dilectio Dei ſuper omnia, alia eſt affectiva, alia vero effectiva: Prior in unico poſita eſt voluntatis actu, quo homo ſe cum ſuis omnibus Deo ſubjicit: Poſterior qua actu adimplet præcepta.

Nomine tentationis intelligimus provocationem ad peccatum, quæ ex triplici cauſa oritur: videlicet a concupiſcentia, ab objectis mundanis, & a dæmone. Inter illas quædam ſunt graves, quædam vero leviores: graves illæ dicuntur quæ vehe-

vehementer provocant ad peccatum; ſin minus ut leviores habentur.

Suppono neminem poſſe aut aliquid adimplere dilectionis & legis præceptum, aut graves ſuperare tentationes, motivo ſupernaturali ſine gratia; oſtenſum eſt enim ſupra actus ſupernaturales a gratia procedere. Suppono etiam aliquem motivo inhoneſto poſſe gravem tentationem ſuperare, cum ex ſuperbia, non pauci pro patria mortui ſint; nec deſunt etiam qui metu patibuli abſtinent a furto. Neque vero negamus aliquem poſſe leviores vincere tentationes motu honeſto, cum & ex Scriptura, & ex Patribus probaverimus vel ipſos infideles aliqua opera legis naturæ poſſe facere. Tota igitur difficultas eſt, num aliquis poſſit diligere Deum ut auctorem naturæ, ſine gratia, ſimiliter & graves vincere tentationes ſolo honeſtatis motivo; pro quorum ſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Homo non poteſt diligere Deum ut auctorem naturæ ſuper omnia, ſecluſo gratiæ auxilio.

PROBATUR brevi ratiocinio. Dilectio Dei ſuper omnia quæcumque ſit, complectitur totam legis naturæ adimpletionem; quandoquidem, teſte Apoſtolo, Rom. 13. 10. *Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* Sed nullus, ſecluſo Dei auxilio, totam legem naturalem adimplere poteſt; iſta enim adimpletio eſt bonum arduum, & quidem propter multa. Primo, natura eſt de ſe prona ad malum, unde niſi adjuvetur, deficiet a bono operando. Secundo, ſæpius exardeſcit concupiſcentia verſus bonum ſenſibile, Deus autem eſt inviſibilis; quocirca homo corruptus, & a creaturis tum attractus, tum illectus, niſi adjuvetur, Deum non amabit ſuper omnia; ad hoc quippe requireretur ut ſe & ſua omnia Deo ſubjiceret. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Homo ſine gratia non poteſt vincere graves tentationes.

PROBATUR ex Scriptura. Pſalmo 17. habetur: *In te eripiar a tentatione*; quæ quidem verba denotant gratiæ neceſſitatem. Matth. 26. Chriſtus ſic alloquitur diſcipulos: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Tum Rom. 6. Apoſtolus ait: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum.* Sed Chriſtus præcipiendo orationem ad tentationem propellendam, oſtendit gratiam ad hoc eſſe neceſſariam, ut interpretatur S. Hieronymus lib. 2. adverſus Pelagianos his verbis: " Non debuiſſet Chriſtus dicere juxta vos, ſurgite, vigilate & orate, ſed ſurgite, & reſiſtite, liberum enim habemus arbitrium. " Similiter & Apoſtolus eamdem docet veritatem; quum de Deo ſic loquitur: *Non patietur, &c.* Ipſius enim eſt facere cum tentatione proventum.

Probatur ex Conciliis adverſus Pelagianos adunatis, quæ quidem ex ipſa orationis neceſſitate ad ſuperandas graves tentationes ipſius gratiæ ad victoriam reportandam neceſſitatem inferebant. Concinit S. Auguſtinus qui in Pſalmum 61. ſic loquitur: " Qui dat diabolo licentiam tentandi, dat & tentatis miſericordiam, ut poſſint vincere. "

Probatur ratione. Ad vincendam gravem tentationem requiritur quod homo elevet ſe ſupra ſe, quod anteponat bona inviſibilia ſenſibilibus quæ vehementer alliciunt; quod reſiſtat mundo, & exæſtuantes compeſcat paſſionum impetus: ſed hoc fieri non poteſt abſque gratia: Et probatur. Primoquidem neceſſe eſt ut voluntas ſanetur, alias proprio pondere ruet in peccatum. Secundo ut removeantur impedimenta, quæ quidem omnia viribus innatis fieri non poſſunt, propter boni adimplendi arduitatem, & inſurgentes inimicos: Ergo &c.

Fit ſatis objectionibus.

OBJICIES contra primam concluſionem. Homo poteſt ea omnia quæ ſunt naturalis ordinis; cum ipſi ſint proportionata: ſed talis eſt amor Dei ut auctoris naturæ ſuper omnia: Igitur viribus innatis poteſt Deum ut naturæ auctorem ſuper omnia diligere.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Si non adſint impedimenta ſuperanda, concedo: ſin minus, nego; & ſic diſtincta mi-

minore, nego conſequentiam: Igitur neceſſaria eſt gratia non quidem ad ſubſtantiam actus, ſed ad removendum prohibens.

Opponet contra ſecundam concluſionem: Illud eſt homini poſſibile, quod illi præcipitur; juxta illud Deut. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te.* Et iſtud Eccli. 15. *Adjecit mandata & præcepta ſua; ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te.* Sed Deus præcipit graves vincere tentationes; ſic enim habetur Pſal. 36. 29. *Declina a malo & fac bonum*: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Quod præcipit Deus eſt poſſibile naturæ ſanæ, concedo: naturæ lapſæ, ſubdiſtinguo: eſt poſſibile per gratiam, quæ nemini deeſt, concedo: ſecluſa Dei ope, nego; & ſic diſtincta minore, &c. Aliquid dicitur poſſibile dupliciter: Primoquidem ratione capacitatis, ex eo quod homo habeat potentias requiſitas ad aliquid faciendum: Secundo immediate & proxime, quando ſcilicet homo habet ea quæ ſunt neceſſaria ad removendum prohibentia. Priori modo graves poteſt vincere tentationes, cum habeat liberum arbitrium, quo flectitur modo ad malum, modo etiam ad bonum; ſed non poſteriori modo, niſi gratia adjuvetur: quia vero Deus non deficit in neceſſariis, ideo dicitur, quod poſſit vincere graves tentationes.

Solutio eſt S. Thomæ dicentis, quod per amicos poſſumus, per nos ipſos poſſumus; ſed præſertim quæſt. 24. de veritate art. 14. ad 1. his verbis: " Dicendum, „ quod illud quod præcipit Deus non „ eſt impoſſibile homini ad ſervandum, „ quia & ſubſtantiam actus poteſt ex libe- „ ro arbitrio ſervare, & modum quo ele- „ vatur ſupra facultatem naturæ, prout „ ſcilicet fit ex charitate, poteſt ſervare „ ex dono gratiæ. „ Rurſus in 2. ſent. diſtinct. 28. art. 3. ad 3. " Dicendum, quod „ recte homo corripitur qui præcepta non „ implet, quia poteſt ex libero arbitrio ſer- „ vare mandata, quantum ad ſubſtantiam; „ neque eſt ſine ejus negligentia, quod „ gratia caret, per quam poteſt ſerva- „ re præcepta etiam quantum ad mo- „ dum. „

S. Auguſtinus lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16. eamdem præoccupavit difficultatem, cui ſic reſpondet; " Certum eſt enim „ nos mandata ſervare, ſi volumus: ſed „ quia præparatur a Domino voluntas; ab „ illo petendum eſt, ut tantum veli- „ mus, quantum ſufficit ut volendo facia- „ mus. Certum eſt nos velle, cum volumus, „ ſed ille facit, ut velimus. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo ſine gratia nec Deum etiam ut auctorem naturæ diligere, nec graves tentationes vincere valet.

PRIMA PARS ſic probatur. Dilectio Dei etiam ut auctoris naturæ ſuper omnia totam complectitur legem: Sed oſtenſum eſt totius legis adimpletionem eſſe quid arduum, & magnas importare difficultates, quæ, ſecluſo gratiæ auxilio, ſuperari non poſſunt. Ergo &c.

Altera pars veriſſima eſt, juxta illud Pſal. 17. *In te eripiar a tentatione*; Tum Rom. 6. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum.* Concinit S. Aug. in Pſal. 61. " Qui dat *inquit*, diabolo licentiam tentandi, dat „ & tentatis miſericordiam, ut poſſint „ vincere. „ Ratio eſt, quia, urgente gravi tentatione, natura, niſi gratiæ auxilio ſuſtentetur, proprio pondere vergit ad terrenorum amorem. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Homo quidem poteſt id omne quod intra ordinem naturalem concluditur: Sed cum in amando Deum ut auctorem naturæ ſuper omnia, non leviora occurrant impedimenta, non niſi gratiæ opitulatione removeantur: Ergo &c.

Secundo: Nedum ea bona quæ viribus innatis homo poteſt operari, præcipiuntur, verumetiam & alia multa quæ ejus ſuperant virtutem. Quia vero gratia adjuvans non deficit in neceſſariis, recte commendantur, hinc & inexcuſabilis eſt legis prævaricator.

ARTI-

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum homo poſſit perſeverare in bono ſine gratia?

PRÆSENS controverſia de gratia tum habituali, tum actuali movetur. Proteſtantes qui tenent juſtitiam inamiſſibilem, contendunt gratiam actualem non eſſe neceſſariam ad perſeverandam in bono. Ad illos perſtringendos tria diſcutienda ſunt. Primoquidem, num gratia habitualis & actualis ſimul requirantur, ut aliquis perſeveret in bono: peccatorem enim aliquandiu & ad breve tempus poſſe vitare peccata nedum venialia, ſed & mortalia docet S. Thomas hic q. 109. art. 9. „ Quia, *inquit*, non eſt neceſſe, quod „ continuo peccet in actu homo lapſus. „ Secundo, utrum abſque gratia ſpeciali homo poſſit vitare per totam vitam peccatum veniale? Tertio demum an ſine gratia ſpeciali, immo & ſpecialiſſima, homo perſeverare finaliter in bono queat? Unde ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Homo ſine gratia actuali & habituali non poteſt diu perſeverare in bono.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

LEGITUR Prover. 27. 1. *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperventura pariat dies.* Rurſus 1. Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Rurſus ibidem cap. 2. *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto.* Iſtæ ſententiæ juſtis ſimul & injuſtis proponuntur: Apoſtolus vero alloquitur in particulari juſtos, quum ait: *Qui ſe exiſtimat ſtare, &c.* Igitur gratia ſanctificans ſimul & actualis neceſſaria eſt ut aliquis diu perſeveret in bono, cum Scriptura vel ipſum moneat juſtum ut non glorietur, ſed invigilet ne cadat, & neminem ſine gratia actuali poſſe dicere, *Domine Jeſu*, pronuntiet. Ex iis enim oraculis manifeſte ſequitur etiam juſtum indigere auxilio Dei, ut præcaveat futura peccata.

Secundo, ex Conciliis.

ARAUSICANUM II. can. 10. ſic loquitur: *Adjutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.*

Tridentinum vero ſeſſ. 6. can. 22. anathemate percellit negantes gratiam ſpecialem, id eſt, actualem, præter habitualem non requiri ad perſeverandum in bono: *Si quis, inquit, dixerit, juſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.*

Tertio, ex SS. Patribus.

S. CHRYSOSTOMUS in caput 11. Matth. dicit peccatorem eſſe inſtar navis, quæ malo, velis, & gubernaculo deſtituta, certo committitur naufragio. D. Aug. l. de perfectione juſtitiæ cap. 21. ſic loquitur: " Quiſquis negat nos orare debere, ne „ intremus in tentationem; negat autem „ hoc, qui contendit ad non peccandum „ gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini „ neceſſarium, ſed ſola lege accepta „ humanam ſufficere voluntatem, ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum eſſe non dubito. „ Tum libro de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 24. aſſerit: " Neminem etiam Baptiſmatis gratia renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, „ & ad vincendas carnis concupiſcentias, „ niſi per quotidianum adjutorium Dei, „ perſeverantiam bonæ converſationis acceperit. „

Gregorius Magnus homil. 11. in Ezech. ejuſdem eſt labii, his verbis: " Peccatum „ quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit. „ Sed hæc omnia & ſimilia probant gratiam habitualem ſimul & actualem requiri, ut homo diu perſeveret in bono; habitualem quidem; namque Deus non concedit homini gratiarum ſupellectilem quæ neceſſariæ ſunt tum ad præcepta adimplenda, tum ad graves tentationes alternatis vicibus occurrentes ſuperandas, niſi ſit juſtus & gratus; actualem vero, ut dirigatur ad finem, & omnem adimpleat juſtitiam; qua ſecluſa, nullus diu perſeverat in bono: Ergo &c.

Quar-

Quarto, rationibus D. Thomæ.

PRIMA hæc eſt: Ut homo diu abſtineat a peccato debet habere voluntatem in lege Domini firmatam: Sed hanc non habet ſecluſa gratia habituali & actuali: Ergo &c. Minor probatur ex illo Pſal. 39. 13. oraculo: *Cor meum dereliquit me*. Rurſus Thren. cap. 8. *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* D. Thomas hic q. 109. art. 8. ait: "In ,, ſtatu autem naturæ corruptæ, indiget ,, homo gratia habituali ſanante natu- ,, ram ad hoc quod omnino abſtineat a ,, peccato.... & hujus ratio eſt, quia ,, ſicut rationi ſubdi debet inferior appe- ,, titus, ita etiam ratio ſubdi debet Deo, ,, & in ipſo conſtituere finem ſuæ volun- ,, tatis, &c. ,, Eo loci ſic concludit: ,, Non poteſt contingere ut diu perma- ,, neat, *homo*, quin operetur ſecundum ,, conſequentiam voluntatis deordinatæ a ,, Deo, niſi cito per gratiam ad debitum ,, ordinem reparetur. ,,

Altera: Licet ſanetur homo quoad mentem per gratiam ſanctificantem, caro tamen perpetuo concupiſcit adverſus ſpiritum: Igitur præter gratiam ſanctificantem actualis requiritur, quæ actu applicet voluntatem ad bonum: hanc rationem ibidem explicat ſanctus Doctor.

Tertia: Præceptum ſæpius urget & obligat multoties, ſi ſermo ſit de longo temporis intervallo: Sed ſine gratia habituali & actuali non poteſt diu obſervari: dico *habituali*, ſi quidem peccator de ſe ruit præceps in nova peccata niſi ſanetur: dico *actuali*, quia requiritur ad actus ſupernaturales eliciendos quibus adimpletur præceptum. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Juſtus ſine privilegio nequit per totam vitam omne veniale peccatum vitare.

Probatur multis momentis.

PRIMO, ex Scriptura ſacra 1. Joan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quæ verba explicans Conc. Milevitanum cap. 6. can. 8. ait: *Quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem dici nos habere peccatum, non quod vere ita eſt, anathema ſit.* Concinit illud Pſal. 142. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, Et iſtud Eccli. 7. *Non eſt homo juſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet*: Ergo &c.

Secundo, ex Conciliis. Africanum ſub Cæleſtino adunatum can. 82. eamdem aſtruit veritatem his verbis: *Placuit, ut quicumque dixerit, in Oratione Dominica, ideo dicere Sanctos, dimitte nobis debita noſtra, ut non pro ſe ipſis hoc dicant, quia non eſt eis jam neceſſaria iſta petitio: ſed pro aliis, qui ſunt in ſuo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque Sanctorum; dimitte mihi debita mea, ſed dimitte nobis debita noſtra; ut hoc pro aliis potius quam pro ſe juſtus petere intelligatur; anathema ſit.*

Tridentinum ſeſſ. 6. can. 23. ſuffragatur: *Si quis*, ait, *hominem ſemel juſtificatum dixerit.... poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit*. Ergo &c.

Tertio, ex SS. Doctoribus; inſtar omnium ſit S. Auguſtinus qui lib. de natura & grat. cap. 36. ita ſcribit: "Si omnes ,, illos Sanctos & Sanctas cum viverent, ,, congregare poſſemus, & interrogare ,, utrum eſſent ſine peccato.... nonne ,, una voce clamaſſent: *Si dixerimus quia* ,, *peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus*. ,, Hoc ipſum verbis expreſſis repetit lib. 2. de peccat. meritis cap. 7. Ergo &c.

Subſcribit S. Thomas hic q. 109. art. 8. ubi loquens de ſtatu naturæ lapſæ, ,, ait: "In quo quidem ſtatu poteſt homo ,, abſtinere ab omni peccato mortali, ,, quod in ratione conſiſtit, ut ſupra ha- ,, bitum eſt, non autem poteſt homo abſti- ,, nere ab omni peccato veniali propter cor- ,, ruptionem inferioris appetitus ſenſuali- ,, tatis, cujus motus ſingulos quidem ra- ,, tio reprimere poteſt, & ex hoc habent ,, rationem peccati, & voluntarii, non au- ,, tem omnes: quia dum uni reſiſtere niti- ,, tur, fortaſſis alius inſurgit; & etiam quia ,, ratio non ſemper poteſt eſſe pervigil ad ,, hujuſmodi motus vitandos, ,, Eaſdem repetit rationes art. 9. quibus probat omnia peccata venialia ſine gratia ſpecialiſſima non poſſe vitari; deinde ſic con

clu-

cludit : " Et ideo neceſſe eſt nobis , ut ,, a Deo dirigamur & protegamur , qui ,, omnia novit, & omnia poteſt. Et pro- ,, pter hoc etiam renatis in filios Dei per ,, gratiam convenit dicere : *Et ne nos in- ,, ducas in tentationem* : Et *fiat voluntas tua, ,, ſicut in cælo & in terra , &c.* quæ in ,, Oratione Dominica continentur ad hoc ,, pertinentia . ,,

CONCLUSIO TERTIA.

Sine gratia ſpecialiſſima nullus finaliter in bono perſeverare poteſt.

Prima probatio Scriptura innititur.

SCRIPTURA ſacra non in uno loco illam edocet veritatem , maxime Pſal. 79. his verbis : *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ , & ſuper Filium hominis quem confirmaſti tibi ; & non diſcedimus a te .* Rurſus Pſal. 67. *Et Domini , Domini exitus mortis .* Quæ quidem repetitio , *Domini* , inquiunt Interpretes , deſignat gratiam ſpecialiſſimam ad perſeverandum finaliter in bono eſſe homini neceſſariam : quod quidem colligitur ex illo Jerem. 32. Dei oraculo : *Timorem meum dabo in cor eorum , ut a me non recedant* . Ergo &c.

Secunda , ex Conciliis.

ARAUSICANUM II. can. 9. definit divini muneris eſſe , cum & recte cogitamus, & recte ambulamus : can. vero 10. ait : *Renatis ac Sanctis adjutorium Dei ſemper eſt implorandum , ut ad finem bonum pervenire , vel in bono poſſint opere perdurare* . Trid. ſeſſ. 6. c. 13. de hoc ſic loquitur : " Similiter de per- ,, ſeverantiæ munere , de quo ſcriptum ,, eſt : *Qui perſeveraverit uſque in finem , hic ,, ſalvus erit* : Quod quidem aliunde habe- ,, ri non poteſt , niſi ab eo qui potens ,, eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeve- ,, ranter ſtet , & eum qui cadit, reſtitue- ,, re . ,, Tum can. 22. ita pronuntiat : *Si quis dixerit , juſtificatum , vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe ; anathema ſit* .

Tertia , ex ſanctis Doctoribus.

S. AUGUSTINUS toto libro de dono perſeverantiæ, probat adverſus Semipelagianos perſeverantiam finalem eſſe donum ſpecialiſſimum, exemplo adoleſcentis qui tranſfertur ne malitia immutet cor ejus , cui adjungit exemplum parvulorum immediate poſt Baptiſmi ſuſceptionem e vita migrantium , unde cap. 2. ſic loquitur : ,, Videamus utrum hæc perſeverantia, de ,, qua dictum eſt : *Qui perſeveraverit uſque ,, in finem , hic ſalvus erit* : donum ſit ,, Dei. Quod ſi non ſit , quomodo ve- ,, rum eſt quod Apoſtolus ait : *Vobis dona- ,, tum eſt pro Chriſto , non ſolum ut credatis ,, in eum , verum etiam ut patiamini pro ,, eo* : Horum quippe unum pertinet ad ,, initium , alterum ad finem : utrumque ,, tamen eſt Dei donum , quia utrumque ,, dictum eſt eſſe donatum . ,,

S. Ambroſius , librum de bono mortis eo elucubravit ſcopo , ut oſtenderet mortem juſtorum eſſe in conſpectu Domini pretioſam , nec ſine gratia ſpecialiſſima obtineri . S. Thomas hoc ipſum ex profeſſo probat hic q. 109. art. 9.

Quarta , ex rationibus.

PRIMA , Hæc eſt : Duo potiſſimum requiruntur ad perſeverantiam finalem : primo quidem ut homo ſupremam omnium tentationem vincat moriendo propter Deum , tametſi inviſibilem ; Deinde vero quod Deus ita diſponat cauſas ſecundas, ut mors eveniat eo tempore quo homo eſt in charitate , & peccator habeat copiam confeſſoris : ſed hæc duo , ſecluſa gratia extraordinaria , non comparantur : Ergo &c.

Altera : Homo quantumvis juſtus ad agonem uſque debellandam habet concupiſcentiam , ſimiliter & dæmonum impetus propulſandos , ita ut ſæviente mundo & terrente diabolo , figatur immobiliter in bono : Sed ex D. Auguſtino lib. de corrept. & grat. cap. 8. hoc non fit ſine gratia ſpecialiſſima : Ergo &c.

Tertia ſic proponitur : Illa gratia eſt magnum Dei donum , quæ non cadit ſub meritum : Sed ex S. Thoma gratia perſeverantiæ finalis non cadit ſub meritum , quando quidem incipit a prima gratia , quæ eſt in nobis ſine nobis , continuatur per ſeriem gratiarum quæ neceſſariæ ſunt tum ad præcepta adimplenda , tum ad omnes ſuperandas tentationes : terminatur vero per providentiam mox delineatam : Ergo &c. Hæc eſt perſeverantia adultorum ;

in-

infantium vero ſita eſt in providentia quæ jungit mortem cum Baptiſmo independenter ab eorum meritis, cum nulla habeant. Ergo &c.

Solvuntur objectiones contra primam concluſionem.

OBJICIES. 1. Joan. 2. habetur: *Hæc ſcribo vobis ut non peccetis*. Et Pſal. 36. *Declina a malo, & fac bonum*. Sed iſtæ & ſimiles ſententiæ indigitant hominem poſſe diu vitare peccata mortalia viribus innatis. Et probatur: Præceptum imponitur homini ſecundum ſe conſiderato: Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo. Præceptum imponitur homini, & adjuvatur a gratia, ut diu perſeveret in bono, concedo: & hoc poteſt, ſecluſo Dei auxilio, nego. Præceptum declinandi a malo, imponitur quidem homini ſecundum ſe ſpectato, quandoquidem quodlibet peccatum etiam grave in particulari vitare poteſt, ſed non diu, quum & urget gravis tentatio. Solutio eſt D. Thomæ hic art. 8. ubi ait: " Antequam hominis ratio in qua eſt peccatum ,, mortale præparetur per gratiam ſancti-,, ficantem, poteſt ſingula peccata mor-,, talia vitare, & ſecundum aliquod tem-,, pus, quia non eſt neceſſe quod conti-,, nuo peccet in actu, ſe quod diu ma-,, neat abſque peccato mortali eſſe non ,, poteſt. ,,

Inſtabis: Si homo nequit diu vitare peccatum mortale ſine gratia, non erit culpabilis, ſi peccet poſt aliquod tempus: Et probatur ex S. Auguſtino qui lib. 3. de lib. arb. cap. 18. ſic loquitur: Quis e-,, nim peccat in eo, quod nullo modo ca-,, veri poteſt? ,, Sed ſine gratia efficaci, nequit diu vitare peccatum; ipſa vero non omnibus datur: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo: Et homo viribus naturæ poteſt vitare peccatum mortale diſtributive ſumptum, cætera vero per gratiam quæ illi offertur, concedo: ſecus, nego: Igitur eſt culpabilis quando peccat, quia quodlibet peccatum mortale poteſt vitare, ſe diſtrahendo a tentatione, namque habet ſemper gratiam ſufficientem, & illi offertur efficax, vel urgente tentatione; clamat enim Spiritus ſanctus ad cor peccatoris ne ſuccumbat tentationi & malo: ſolutio colligitur ex D. Thoma qui hic art. 8. ad 1. ſic reſpondet ad objectionem: " Dicendum, quod homo po-,, teſt vitare ſingulos actus peccati, non ,, tamen omnes niſi per gratiam, ut di-,, ctum eſt. Et tamen, quia ex ejus defe-,, ctu eſt, quod homo ſe ad gratiam haben-,, dam non præparet; propter hoc a pec-,, cato non excuſatur, quod ſine gratia ,, peccatum vitare non poteſt. ,,

Inſiſtes: Ad hoc corripitur homo ut non peccet: Sed ſi ſecluſa gratia non poſſit non peccare, videtur quod fruſtra ei correptio adhibeatur: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Si non poſſit vitare ſingulos actus peccati, concedo: ſi ſolum omnes diu, nego. Solutio eſt D. Thomæ hic art. 8. ad 2. ubi ſic loquitur: " Ideo neceſſaria eſt correptio, ,, quia voluntas hominis requiritur ad ,, hoc quod a peccato abſtineat; ſed ta-,, men correptio non eſt ſufficiens ſine ,, Dei auxilio, unde Eccli. 7. *Conſidera* ,, *opera Dei, quod nemo poſſit corrigere*, ,, *quem ille deſpexerit*. ,,

Urgebis: Homo ex ſe poteſt facere bonum, & vitare malum, juxta illud Eccli. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo Ant. Homo ſanus, de quo ſolum loquitur Scriptura, concedo: homo lapſus, nego. Ita D. Thomas hic art. 8. ad 3. ubi ſic reſpondet ad objectionem: " Dicendum, quod ſic-,, ut Auguſtinus dicit in hypognoſti-,, con, verbum illud intelligitur de ho-,, mine ſecundum ſtatum naturæ integræ, ,, quando nondum erat ſervus peccati, ,, unde poterat peccare, & non peccare. ,, Nunc etiam quodcumque vult homo, ,, datur ei: ſed hoc quod bonum velit, ,, habet ex auxilio gratiæ. ,,

Dices: D. Thomas hic, art. 8. dicit hominem poſſe ab omni peccato mortali abſtinere, quod in ratione conſiſtit: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Poteſt abſtinere pro brevi tempore, concedo: diu, nego. Nam etiamſi poſſet, non ſemper facit. Igitur ut homo firmetur in bono, & non declinet ab eo, indiget gratia propter corruptionem & fragilitatem naturæ.

Repones: Si homo non poſſet ſine gratia habi-

habituali per longum tempus peccata vitare mortalia, duo inde ſequerentur abſurda, primumquidem poſſet aliquis certo ſcire ſe eſſe in gratia, cum poſſet cognoſcere ſe a longo tempore non peccaſſe mortaliter: ſed Tridentinum declaravit adverſus Lutheranos, neminem habere certitudinem phyſicam de ſua juſtificatione: Ergo &c. Alterum vero: quilibet in peccato mortali exiſtens teneretur abſque mora, aut conteri, aut confiteri de peccato; alias ſe exponeret periculo prolabendi in novum, quod numquam licitum eſt. Sed præceptum affirmativum, quale eſt præceptum contritionis & confeſſionis, non obligat pro ſemper: Ergo &c.

Reſpondeo negando utramque ſequelam: primam quidem, eo quod nullus certo ſciat, an odio vel amore dignus ſit, juxta illud 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Alteram vero propter duo; dictum eſt enim præceptum affirmativum non obligare pro ſemper. Addo periculum prolabendi in novum peccatum eſſe incertum: Igitur nihil abſurdi ſequitur.

Replicabis: Dictum eſt Apoſtolo qui ſtimulis carnis premebatur, *Sufficit tibi gratia mea.* 2. Cor. 11. 9. Igitur gratia habitualis ſufficit in juſtis, ut in juſtitia perſeverent. Unde Concilium Milevit. can. 3. anathemate ferit dicentes, gratiam qua juſtificamur valere tantum ad remiſſionem peccatorum, non autem ut alia in futurum præcaveantur.

Reſpondeo diſtinguendo conſquens: Sufficit gratia habitualis eo quod dat jus ad auxilia actualia, quibus tentationes occurrentes ſuperentur, & præcepta adimpleantur, concedo: ſufficit ſecundum ſe, nego. Et ſic patet ſolutio ad Conc. Milevitanum.

Perſiſtes: S. Auguſtinus lib. de perfectione juſtitiæ contra Cæleſtium aſſerentem nos poſſe ſemper bene operari & vitare peccatum, reſpondet id eſſe verum, modo ſanemur & roboremur: Atqui ſanamur per gratiam habitualem: Ergo &c. Confirmatur. S. Thomas 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. ſic loquitur: " Minima gratia poteſt „ reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Per gratiam habitualem ſanamur formaliter, quatenus homo ex peccatore fit juſtus, concedo: radicaliter & adæquate, nego: Remanet enim ſemper peccati fomes, quo ad malum homo trahitur. Solutio eſt D. Thomæ hic art. 9. ubi ſic reſpondet: Licet „ per gratiam natura ſanetur quantum ad „ mentem, remanet tamen in ea corru„ ptio & infectio quantum ad carnem per „ quam ſervit legi peccati.... Et ideo „ neceſſe eſt nobis ut a Deo dirigamur „ & protegamur. „

Ad confirmationem diſtinguo: Minima gratia actualis poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, concedo: habitualis, ſubdiſtinguo: pro aliquo tempore, concedo: diu, nego. S. Doctor eo loci loquitur de gratia operis; de ea ſcilicet qua reſiſtimus concupiſcentiæ, quæ dubio-procul eſt actualis.

Repones: Gratia habitualis datur ut poſſimus bonum facere, & malum vitare: Igitur ſufficit ſine actuali, alias daretur proceſſus in infinitum, quia ad gratiam habendam, alia ſemper requireretur gratia. Cæterum juſtus eſt ſanus: Igitur abſque nova gratia poteſt omnia vitare peccata mortalia.

Reſpondeo diſtinguendo: Gratia habitualis datur, ut poſſimus facere bonum radicaliter, concedo: proxime, ſubdiſtinguo: cum gratia actuali, concedo: ſecus, nego. Quia vero gratia habitualis eſt omnium virtutum radix, & dat jus ad auxilia actualia, eo ſenſu per eam habemus poſſe radicaliter bonum: Sed illud diu, ſecluſo actuali auxilio, non operabimur, maxime ſi agatur de perſeverantia aliqua in bono ſuſcepto: ita divus Thomas hic articulo 9. ratio quam affert ea eſt, quod gratia habitualis in præſenti ſtatu non ſanet totaliter hominem, in quo quidem, teſte Tridentino, ad agonem uſque remanet concupiſcentia debellanda.

Ad confirmationem nego inde ſequi proceſſum in infinitum, cum prima gratia ſit in nobis ſine nobis, & ea adjuvante homo ad gratiam ſanctificantem ſe ſe diſponere queat. Ad ulteriorem probationem patet ex S. Thoma ſolutio.

Perſiſtes: Spiritus ſanctus habitat in nobis per gratiam habitualem: Sed ubi eſt Spiritus ſanctus, ibi ſunt ſufficientes ad perſeveranctum in bono vires: Ergo &c.

Reſpondet S. Thomas hic art. 9. ad 2. his verbis: " Operatio Spiritus ſancti quæ nos mo-

„ movet & protegit, non circumſcri-„ bitur per effectum habitualis doni quod „ in nobis cauſat, ſed præter ſuum ef-„ fectum, nos movet & protegit ſimul „ cum Patre & Filio, „ Immo ex eo quo inhabitet in juſto Spiritus ſanctus, habet ſpiritualium gratiarum ſupellectilem, habitualem ſcilicet & actualem ad bonum operandum.

Fit ſatis objectionibus adverſus ſecundam concluſionem militantibus.

OBJICIES 1. Matt. 11. de S. Joanne Baptiſta ait Chriſtus: *Inter natos mulierum non ſurrexit major:* Sed non foret major, ſi cum cæteris juſtis peccatorum venialium miſeriis ſubjiceretur: Igitur aliquis citra privilegium peccata venialia etiam collective ſumpta vitare poteſt.

Reſpondeo, ne minimum quidem iſtam objectionem urgere; dato enim & non conceſſo ſanctiſſimum Præcurſorem cuncta vitaſſe venialia, hoc enim Eccleſia concedit ſolum in ejus hymno, de peccatis venialibus, quæ lingua committuntur, juxta illud: *Ne levi poſſes maculare vitam crimine linguæ*; hoc non factum eſſet abſque privilegio. Verum genuinus oraculi Chriſti ſenſus non eſt S. Joannem ab omni peccato veniali fuiſſe immunem, juxta illud 1. Joan. 1. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus;* ſed inter legis Moſaicæ Prophetas fuiſſe majorem, quippequi Chriſtum etiam præſentem demonſtraverit, dicendo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Hinc inter omnes Prophetias iſta beati Joannis fuit celeberrima.

Reſpondeo 2. Privilegium nonniſi beatiſſimæ Mariæ Virgini Deiparæ legitur conceſſum, juxta iſtud S. Auguſtini lib. de natura & gratia cap. 36. effatum: “ Ex-„ cepta itaque ſancta Virgine Maria, „ de qua propter honorem Domini, nul-„ lam prorſus, cum de peccatis agitur, „ habere volo mentionem &c. Hoc ipſum „ de fide definivit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 23. *Si quis dixerit hominem ſemel juſtificatum ... poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare; niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit.*

Inſtabis: Servare adamuſſim omnia Dei mandata eſt ab omni peccato veniali abſtinere: Atqui S. Zacharias & ejus ſponſa ſic ſervavere, juxta illud Luc. 1. *Erant autem ambo juſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela*: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: ſervare mandata quoad omnimodam perfectionem, eſt ab omni peccato veniali abſtinere, concedo: ſervare quoad ſubſtantiam, & graviores tantum circumſtantias, nego. Solutio eſt S. Auguſtini qui lib. 2. de pecc. meritis cap. 13. ait: “ Tantum ergo lon-„ ge eſt, ut propter illa verba Zachariam „ & Eliſabeth credamus ſine ullo pecca-„ to perfectam habuiſſe juſtitiam; ut nec „ ipſum Apoſtolum ejuſdem regulæ ſum-„ mitate arbitremur fuiſſe perfectum. „

Urgebis: Qui non poteſt peccare, dubio procul omnia peccata venialia etiam collective ſumpta citra privilegium vitare poteſt: Atqui juſtus non poteſt peccare: Et probatur. 1. Joan. 3. hæc habentur: *Qui natus eſt ex Deo non peccat, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Juſtus non poteſt peccare, quandiu operatur ut juſtus, ſeu in ſenſu compoſito, concedo: ſin minus, & in ſenſu diviſo, nego. Solutio eſt D. Thomæ, & Eſtii, qui contendunt juſtum hunc poſſe peccare venialiter: nec diſſentit S. Auguſtinus, qui lib. 2. de peccat. meritis cap. 10. ſic explanat textum Apoſtol. “ Non igitur con-„ trarium teſtimonium eſt illud quod di-„ ctum eſt, *qui natus eſt ex Deo, non pec-„ cat:* ei teſtimonio quo jam natis ex Deo „ dicitur. *Si dixerimus* &c. Quandiu enim „ homo quamvis totus ſpe jam, & jam „ in re ex parte regeneratione ſpiritali „ renovatus, adhuc tamen portat corpus „ quod corrumpitur & aggravat animam. „

Oppones 2. Illud poſſumus vitare cum gratia ordinaria, ad quod vitandum quotidie preces fundimus: Sed quotidie oramus, ut Deus ſervet nos ab omnibus peccatis tam diſtributive, quam collective ſumptis, id eſt per totam vitam: Ergo &c. Probatur major. Preces non funduntur pro re impoſſibili: Sed ſi peccata venialia non poſſumus vitare collective ſine privilegio, fundimus preces pro re moraliter impoſſibili; nam Deus non tenetur dare privilegium; paucis enim admodum conceditur, alias non diceretur privilegium: Ergo &c.

Re-

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Poſſumus diſtributive, concedo: collective, nego. Preces fundimus pro aliquo certo, ſcilicet pro peccato veniali vitando in particulari, præcipue vero pro illis peccatis quibus ex fragilitate addicti ſumus: nec inde ſequitur preces eſſe fruſtraneas; ad hoc enim ſufficit quod poſſimus vitare quodlibet veniale in particulari, varia per charitatem habitualem, multo plura per gratias actuales ordinarias. Solutio eſt D. Thomæ, qui lib. 3. contra Gentes cap. 16. ait: " Licet ille qui eſt in peccato ,, non habeat hoc in propria poteſtate, ,, quod omnino vitet peccatum, habet ta- ,, men nunc vitare hoc vel illud pecca- ,, tum: unde quodcumque committit, & ita non immerito ei imputatur ad cul- ,, pam. ,,

Inſtabis: Datur præceptum ad vitandum peccatum tam diviſive quam collective: Igitur &c. Probatur Ant. Matth. 5. habetur: *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Datur præceptum ad vitanda venialia collective, ſed indeterminate, concedo: determinate, nego. Præceptum reſpicit praxim, adeoque hoc vel illud veniale in particulari, ſed non appellat ſuper omnia collective, ſaltem determinate.

Ad probationem diſtinguo: Eſtote perfecti, in quantum humana patitur fragilitas, concedo: ſecus, nego. Nec mirum: verba Chriſti non intelliguntur ad litteram, alias homo teneretur ſubſtantialem Dei perfectionem aſſequi, quod eſt impoſſibile. S. Auguſtinus lib. 2. de peccat. meritis cap. 15. ſic reſpondet ad objectionem: " Eo modo ergo jubet omnibus homini- ,, bus, ut non faciant ullum peccatum, ,, quamvis ſit præſcius neminem hoc ,, impleturum. ,,

Urgebis: Præceptum appellat ſupra venialia in particulari: Igitur & determinate ſuper omnia collective. Probatur conſequentia dupliciter: primo, quia omnia venialia in particulari ſunt eadem ac collective ſumpta. Secundo, præceptum de vitando peccato eſt negativum, adeoque appellat ſupra collectionem reduplicative ut collectio eſt; namque prohibet pro ſemper committere peccatum: Ergo &c.

Reſpondeo, conceſſo Antecedente, nego conſequentiam. Ad primam probationem diſtinguo: Omnia peccata venialia collective ſunt eadem phyſice cum peccatis venialibus diſtributive, concedo: ſunt eadem moraliter, nego. Collectio enim dicit quaſdam circumſtantias & moras temporum in quibus cor noſtrum derelinquit nos, ut pote attractum, & illectum tum a concupiſcentia, tum a mundo, tum etiam ab aliis paſſionibus; unde collectio importat ſpecialem difficultatem ſecundum judicium viri prudentis, quam non dicit quodlibet veniale in particulari & diſtributive ſumptum.

Ad ſecundam probationem ſimiliter diſtinguo: Præceptum negativum appellat ſupra collectionem reduplicative ut talem, indeterminate, concedo: determinate, nego.

Inſiſtes: Dubio-procul ille foret injuſtus qui præciperet ſolvere plura tributa diſtributive, quæ ſubditus ſolvere non poſſet collective: Igitur a pari videtur quod lex injuſta eſſet, quæ præciperet vitare omnia peccata venialia diſtributive, ſi homo non poteſt illa vitare collective: Ergo &c.

Reſpondeo negando paritatem; namque ſolutis ſingulis tributis, exhauritur theſaurus, unde ſi non poteſt ſolvi collective tributum, neque hoc fieri poterit diſtributive; nam eſt hic impoſſibilitas phyſica: in noſtro vero ſtatu eſt ſolum impoſſibilitas moralis vitandi omnia peccata venialia collective: quodquidem illo poteſt illuſtrari exemplo. Tametſi Angelus poſſit eſſe in aliquo loco in momento alicujus horæ, non poteſt tamen in omnibus ſimul momentis elicere actum amoris Dei, quia illa momenta ſunt infinite diviſibilia; unde homo poteſt quidem vitare quodlibet peccatum veniale diſtributive, non tamen collective: Ergo &c.

Inſtabis: Igitur homo non poteſt obligari ad vitandum quodlibet veniale. Probatur ſequela: Ex hoc quod homo neceſſitatem habeat eſſe in loco, non peccat dum invenitur in certo loco: Ergo a pari non peccat qui committit peccata venialia, quandoquidem neceſſitatur ad aliqua committenda, quippequi citra privilegium, quod paucis conceditur, omnia vitare non poſſit.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quia homo habet neceſſitatem phyſicam eſſe in loco, quæ quidem neceſſitas oritur ex natura rei, id eſt, ex natu-

natura corporis quanti: Sed homo habet ſolum neceſſitatem moralem cadendi in aliquod peccatum veniale, & hoc indeterminate, quæ quidem neceſſitas oritur ex corruptione ſimul & fragilitate naturæ, hinc non appellat ſupra ullum peccatum veniale in particulari, nam ut jam oſtenſum eſt, nullum eſt quod homo abſque negotio vitare non queat.

Replicabis: Si homo non poſſet vitare omnia peccata venialia collective cum gratia ordinaria, ſequeretur quod unum vitando, hoc ipſum noceret ut ab altero abſtineretur: Sed falſum conſequens; ergo & antecedens. Probatur major dupliciter. Primo, qui vitat unum, poteſt vitare alterum; ſecundo prætermiſſo, poteſt vitare tertium, & ſic poſtea de ceteris. Rurſus, qui poteſt duo venialia vitare cum gratia ordinaria, illa de facto vitando recipit augmentum charitatis & gratiæ; tunc vero juſtus vegetior factus, poteſt cum illo gratiæ gradu tertium vitare peccatum: Tum vitando tertium, adhuc in eo augetur charitas & fit potens ut vitet quartum & ſic de ceteris: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam majoris. Ad probationem diſtinguo: Abſtinentia ab uno peccato veniali noceret per accidens ut alterum homo juſtus vitaret, concedo: noceret per ſe, nego. Veniale poteſt conſiderari dupliciter, ſecundum ſe, & diſtributive; deinde vero collective, & per ordinem ad alia: priori modo conſideratum poteſt vitari, immo victoria de uno inſervit ad vitandum alterum: poſteriori modo, & per ordinem ad alia, fit per accidens, quod homo nequeat ſine privilegio vitare totam collectionem; non quia præciſe plura jamjam vitata, impediant ut a cunctis ſimul abſtineamus, ſed ex eo quod potentia fatigetur per actuum multiplicationem & phyſice & moraliter; phyſice quidem, namque non poteſt ſemper animus attendere ad multas, & ad infinitas prope circumſtantias, ut agat propter legem, juxta illud axioma: *Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus*: Moraliter vero, nam *terrena inhabitatio*, ait Scriptura Sap. 9. 15. *deprimit ſenſum multa cogitantem*: & ſic patet reſponſio ad confirmationem.

Repones: Homo id omne poteſt cum gratia ordinaria ad quod obligatur: Sed juſtus quicumque, tenetur vitare, nedum ſingula, ſed & omnia peccata venialia: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Poteſt juſtus vitare omnia peccata venialia, vel collective, vel disjunctive, concedo: collective, nego. Ut ſit obligatio ſufficit quod poſſit vitare ſingula venialia diſtributive, & omnia indeterminate; namque præceptum appellat ſupra diſtributionem quæ quidem praxim ſpectat. Ergone neceſſitas peccandi venialiter? Abſit dicere; cum juſtus a quolibet veniali in particulari abſtinere queat.

Inſurges: Juſtus poteſt vitare ſingula peccata venialia cum gratia ordinaria: Igitur & omnia collective, alias eſset contradictio: Si quidem ſingula faciunt collectionem, & ſic poſſet vitare ſingula & non vitare.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ad probationem diſtinguo: Poſſe vitare ſingula, & non omnia contradictorie opponuntur, ſi omnia collective ſumantur, concedo: ſi ſolum disjunctive, nego. Singula autem copulative ſumpta addunt ſupra diſtributionem laborem potentiæ phyſicum & moralem, quo animus laceſſitus ſicut & voluntas non poſſunt ſemper attendere & facere quod bonum eſt, & ſic collectio diſtinguitur a diſtributione, adeoque non eſt contradictio, quod juſtus poſſit vitare ſingula, non autem omnia collective, & hoc patet ex rationibus D. Thomæ in probationibus allatis: " Non au-
„ tem, *ait*, poteſt homo abſtinere ab o-
„ mni peccato veniali propter corruptio-
„ nem inferioris appetitus ſenſualitatis;
„ cujus motus ſingulos quidem ratio re-
„ primere poteſt . . . non autem omnes;
„ quia dum uni reſiſtere nititur, fortaſſis
„ alius inſurgit. „

Difficultates adverſus tertiam concluſionem & ſolutiones.

OBJICIES: Ab actu ad poſse valet conſequentia: Sed non ſemel contigit parvulum poſt ſuſceptum baptiſma mori, adultum vero accepta pœnitentia, corripi apoplexia, & abſque mora vita fungi, in quibus hypotheſibus nulla affulget gratia ſpecialis: Igitur abſque gratia ſpecialiſſima juſtus poteſt finaliter perſeverare in bono.

Reſpondeo diſtinguendo ſecundam partem mino-

minoris. In exemplis allatis, perſeverantia finalis non eſt Dei donum ſpeciale intrinſecum, tranſeat; tametſi enim quidam Theologi, ut Lherminier tract. de gratia pag. 228. iſtud donum extrinſecum putent, pro adultis tamen ut reor, admittenda eſt gratia ſpecialis intrinſeca, quæ in eo potiſſimum ſita eſt, quod juſtus ille per multarum ſeriem gratiarum ultimum clauſerit diem. Non eſt donum ſpeciale extrinſecum, nego. Requiritur enim providentia ſpecialis quæ mortem cum charitate conjungat, juxta illud Scripturæ Sap. 4. 11. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*.

Inſtabis: Juſtus cum gratia habituali, & actuali poteſt adimplere præcepta, & graves ſuperare tentationes: Sed nihil ultra prærequiritur ad perſeverandum finaliter in bono. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Nihil aliud prærequiritur ad perſeverandum in bono aliquandiu, concedo: finaliter, nego. Adimpletio enim præceptorum collective ſumpta, ſicut & omnium victoria tentationum, maximam inducunt difficultatem, quæ ſine gratia ſpecialiſſima ſuperari non poteſt. Solutio eſt S. Auguſt. qui lib. de dono perſ. cap. 9. num. 21. ſic loquitur: " Ex duobus autem piis, cur „ huic donetur perſeverantia uſque in fi- „ nem, illi non donetur, inſcrutabilio- „ ra ſunt judicia Dei. „ Rurſus lib. de corr. & grat. num. 17. " Si a me quæ- „ ratur, cur eis Deus perſeverantiam „ non dederit, quibus eam qua chriſtia- „ ne viverent, dilectionem dedit; igno- „ rare me reſpondeo. „ Quibus S. Doctor oſtendit perſeverantiam finalem eſſe magnum Dei donum, nec ſine gratia ſpecialiſſima quemquam poſſe ultimum in Domino diem claudere.

Replicabis: Hoc poſito, ſequitur juſtum aliquem ſua abſque culpa non perſeverare finaliter: Sed hoc adverſatur Synodo Trid. quæ ſeſſ. 6. cap. 11. ſic pronuntiat: *Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur*: Ergo &c. Probatur ſequela. Juſtus abſque illo Dei ſpeciali auxilio, quod neque eſt in ejus poteſtate, neque promereri poteſt, perſeverare nequit: Igitur & ſua abſque culpa de facto non perſeverabit finaliter: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam propter multa: Primoquidem, juſtus ſua culpa privatur gratiis actualibus ad faciendum bonum omni tempore, qua quidem præceptorum obſervantia ſeſe ad perſeverantiæ gratiam diſponeret. Secundo, tametſi ipſam de condigno promereri non poſſit, bene tamen de congruo, ut non pauci contendunt Theologi, aut ſaltem, teſte Divo Thoma, illam & advocare, & impetrare poteſt.

S. Auguſtinus refundit in peccatum ſuperbiæ aut alterius paſſionis, quod juſtus non perſeveret: ſic loquitur lib. de natura & gratia cap. 27. " Cætera enim „ vitia tantum in malefactis valent, ſola „ autem ſuperbia etiam in recte factis ca- „ venda eſt. „ Tum loquendo de lapſu Angelorum aſſerit elationem animi eorum præceſſiſſe peccatum. Rurſus lib. de dono perſeverantiæ cap. 6. " At enim „ voluntate ſua quiſque deſerit Deum, „ ut merito deſeratur a Deo. Quis hoc „ negaverit? Sed ideo petimus, ne infe- „ ramur in tentationem ut hoc non fiat. „ Et adhuc lib. de corrept. & gr. cap. 13. loquens de iis qui non perſeverant, ait eos prius Deum deſerere, quam a Deo deſerantur: " Aut gratiam Dei ſuſcipiunt, „ *ait*, ſed temporales ſunt, nec perſeve- „ rant, deſerunt & deſeruntur. Dimiſſi „ enim ſunt libero arbitrio, non accepto „ perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto „ & occulto. Ergo &c.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

1. *Homo ſine gratia habituali & actuali non poteſt diu perſeverare in bono*. 2. *Sine privilegio vitare cuncta peccata venialia*. 3. *Sine gratia ſpeciali perſeverare finaliter in charitate*.

PRIMUM patet, juxta illud 1. Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*: Et iſtud Conc. Arauſ. 11. can. 10. " Adiu- „ torium Dei etiam renatis ac ſanctis „ ſemper eſt implorandum, ut ad finem „ bonum pervenire, vel in bono poſſint „ opere perdurare. „ Ratio eſt, quia ut aliquis poſſit diutius in bono permanere, requiritur auxiliorum ad vincendas tentationes, & præcepta occurrentia ſervanda ſeries, quæ non niſi juſtis & amicis conceditur. Ergo &c.

Secundum utique: ſic enim definivit Syn-

odus Trident. ſeſſ. 6. can. 23. ea innixus 1. Joan. 1. 8. auctoritate: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Sic docet S. Thomas 1. 2. q. 109. artic. 8.
" Quia, *inquit*, dum uni reſiſtere nititur,
„ fortaſſis alius inſurgit, *ſenſualitatis mo-*
„ *tus*, & etiam quia ratio non ſemper
„ poteſt eſſe pervigil ad hujuſmodi mo-
„ tus vitandos. „

Tertium etiam; & hoc ex profeſſo probat S. quidem Ambroſius in toto libro de bono mortis: Tum S. Auguſtinus in toto de dono perſeverantiæ: ſic definit Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 13. Ratio non una eſt. 1. Perſeverantia finalis incipit a prima gratia quæ eſt in nobis ſine nobis. 2. Continuatur per ſeriem gratiarum quæ ad legem adimplendam neceſſariæ ſunt. 3. Terminatur per providentiam ſpecialem, quæ ſic diſponit cauſas ſecundas ut morte oportuno tempore accedente, obitus cum charitate conſocietur; quod certe magnum eſt argumentum non ſine ſpecialiſſimo auxilio juſtum poſſe perſeverare finaliter in bono.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

OBIJCITUR: 1. Sicut juſtis ſic & peccatoribus præcipitur bonum. 2. Si gratia actualis ſimul & habitualis requireretur, ut aliquis diu perſeveraret in bono, jam peccator qui illa caret, foret in prævaricando excuſabilis. 3. Hoc etiam poſito, daretur proceſſus in infinitum; namque ad gratiam habitualem habendam opus eſſet actuali: ſanctificante conceſſa, ulterior actualis neceſſaria foret ad iſtam conſervandam &c.

Reſpondeo ad primum, peccatorem bono uſu gratiæ actualis poſſe advocare habitualem, quæ dat jus ad auxilia quibus homo in juſtitia diutius permanere valet. Ad ſecundum, peccatorem eſſe culpabilem, eo quod reſiſtendo gratiæ prævenienti, ſua culpa careat habituali qua in bono cœpto permaneret. Ad tertium, non datur in largitione gratiarum proceſſus in infinitum, quandoquidem prima gratia a qua bonum incipit opus, eſt mere gratuita, & in nobis ſine nobis.

Secundo: Incaſſum concluderetur juſtum, ſecluſo privilegio, poſſe vitare omnia peccata venialia, ex eo quod in particulari ſingularia fugere queat, quia a ſenſu diſtributivo ad collectivum non valet conſequentia; collectio enim ſummum addit laborem ſummamque difficultatem, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8. quandoquidem, ait, dum mens advertit ad unum vitandum, rapitur ad aliud, & ex inadvertentia, vel etiam fragilitate prolabitur in alterum.

Tertio: Tametſi parvulus recens baptizatus ſtatim e vita migret, tum & adultus apoplexia correptus ſubito moriatur, non tamen ſine providentia ſpeciali vita cadunt, ne malitia pervertat ſenſum, & reprobi evadant: quod enim, ut centies repetit S. Auguſtinus lib. de corr. & gr. cap. 8. Tum lib. de dono perſ. cap. 9. iis ſic fiat, aliis non: O altitudo &c.

DIS-

DISSERTATIO QUINTA
DE
EXTENSIONE GRATIÆ.

CALVINUS gratiam Mediatoris ad ſolos electos reſtrinxit: eo damnato, idem quidem momentum, ſed verbis terminiſque paululum mitioribus propugnavit Bajus, verum viciſſim reprobatus reſipuit: Janſenius audacior factus ſub ſpecie doloſa doctrinæ D. Auguſtini propoſitiones Bajanas, circa Chriſti gratiam reſtaurare aggreſſus eſt, ſed alternata vice fracto & dejecto, ejus affeclæ nihil non tentarunt, ut anathemata Eccleſiæ a doctrina Janſenii ad hæc uſque tempora averterent.

Ergo Janſenius negavit gratiam Chriſti ad omnes ſe ſe extendere, non aliam eſſe præter efficacem, quæ omnibus indiſcriminatim non conceditur. Ex hoc falſo principio, quinque potiſſimum concluſiones deducit, quæ totidem propoſitionibus concluduntur.

Janſenii damnatæ propoſitiones.

PRIMA: ***Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent, vires ſunt impoſſibilia: deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.***

Secunda: ***Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.***

Tertia: ***Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.***

Quarta: ***Semipelagani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.***

Quinta: ***Semipelagianorum error eſt, dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.***

Hæreticitas propoſitionum: Primæ quidem, quod novitatis Architectus dicat deeſſe juſtis conantibus gratiam, qua præcepta reddantur poſſibilia: Secundæ vero, quod velit neminem reſiſtere gratiæ; hoc eſt nequidem poſſe. Tertiæ, quod indifferentiam actus a vera libertate eliminet: Quartæ, quod contendat Semipelagianos in hoc potiſſimum fuiſſe hæreticos, quia propugnabant gratiæ interiori poſſe reſiſti. Quintæ demum, quod affirmet Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis ſuum pretioſum fudiſſe ſanguinem.

Tametſi propoſitiones iſtæ hæreſeos virus undequaque ſpirent, ſuos tamen ad hæc uſque tempora non ſine ſtupendo ſcandalo in animarum perniciem fautores habuerunt; qui quidem venenum eo facilius potandum offerunt, quo minus erroris inſimulant Janſenium, quem puram & ab omni nævo immunem, immo potius totam cæleſtem S. Auguſtini doctrinam, pluribus ab annis a ſchola exulem docere teſtantur. Quia vero mendacium apud plurimos invaluit; ad veritatis ſimul & fidei defenſionem quatuor potiſſimum facere juvat.

Primo: Agendum eſt de quinque Janſenii propoſitionibus, quales reperiuntur in ejus libro.

Secundo: De doctrina Eccleſiæ circa iſtud momentum.

Tertio: De mente S. Auguſtini in hac materia.

Quarto: Demum de ipſa extenſione gratiæ.

Hæc quatuor controverſiæ capita in varios partita articulos per ordinem digeſta affulgebunt. Tum id omne quod vel ſecretius, vel ſubtilius ab anno circiter 1645. pro defenſione terrendi iſtius Phenomenis dictum, factum, & ſcriptum eſt fideli calamo, ſicut ad eruditionem ſic & ad

ad conſolationem legentium referemus. Neque vero animus eſt aliquid diſſimulare, & aliquam ſubterfugere difficultatem, ſed pro ut erit prælii impetus inter media incendia non ſemel ab æmulis Eccleſiæ accenſa manus ad Angelo ſcholæ parata penetrabit, arma Catholicis irrefragabilia ſuppeditare ratus; ſic hinc inde nube tellorum fidei hoſtium circumdatus, ſagittas tametſi hæreſeos ſubtilitatibus venenatas fidenter in ſagittarios retortas, utinam ad ipſorum inimicorum converſionem, emittam. Ergo infinita prope argumenta ab auctoribus ut plurimum, vel prætermiſſa, vel levius diſcuſſa & referemus & ſolvemus, cum morbi latentis detecta cauſa, jam affulgeat, ut contendunt medici, certa ſanitatis mox recuperandæ ſpes.

CONTROVERSIA PRIMA.

DE HÆRESI JANSENIANA.

Hiſtoriam ex actibus Cleri Gallicani, tum ex manuſcriptis optimæ notæ, quæ aſſervantur in Seminario S. Sulpicii Pariſiorum, tum ex libris Janſenii &c. ut ex primævis fontibus hauſimus.

Hiſtoria critica Janſeniſmi.

ORTUS.

JANSENISMUS nihil aliud eſt quam quinque Propoſitionum, de quibus ſupra, confeſſio & pertinax profeſſio. Hinc iſta hæreſis illis quinque terminis potiſſimum concluditur. Dico potiſſimum, omnes quippe cordati & docti alios in libris Janſenii reperiri nævos non diffitentur. Ergo Janſenius natione Batavus, anno 1617. primum Lovanii Doctor, deinde in ſacra Theologia anno 1630. Lector: Tum conſecratione anno 1635. Epiſcopus Yprenſis fuit. Baji erroribus non modicum a juventute opera Jacobi Janſenii imbutus, deinde conſilio Abbatis San-Cyrani & ſtudio divi Auguſtini plurimum addictus, tum viginti duobus annis in componendo deſudans, ſuum perfecit opus circa annum 1638. quod Auguſtini nomine donari voluit, eo quod genuinam, ut aſſerebat, tanti Doctoris contineret doctrinam. Eodem anno mortuus, fertur moribundam appoſuiſſe manum ut legatariis injungeret ne librum ſuum abſque licentia ſummi Pontificis, juris publici facerent.

Primum igitur habuit Janſenius ſuæ hæreſeos parentem Bajum, cujus multos ex integro renovavit errores: inſtigatorem Jacobum Janſenium ſuum moderatorem, Doctrinæ ejuſdem Baji acerrimum defenſorem: ſed propagatorem ſed fautorem, & ſuper omnes defenſorem Joannem Vergerium Abbatem San-Cyranum, cui amicitia ſummopere conjunctus conſiliarium in omnibus appellabat: cujuſnam vero naturæ opus ſit? neceſſe eſt dicere.

De opere Janſenii.

QUONIAM totum iſtud ædificium in libro Janſenii poſitum eſt, non abs re erit, & injucundum oculis ſapientiſſimi Lectoris ſubjicere operis contentum; circa quod tot & tantæ ſimul ſunt ſententiæ, quarum aliæ apparent veræ, aliæ ſunt falſæ, multæ abſurdæ, plurimæ erroneæ, immo & ita ridiculæ & contradictoriæ, ut Novatores Janſeniſmum phantaſma proclamare non dubitent.

Opus complectitur tres tomos, in uno tamen volumine contentos, cujus titulus univerſalis, hic eſt: *Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis Auguſtinus, ſeu Doctrina ſancti Auguſtini*. Loquor ubique de editione Rothomagenſi. Anno 1652.

Tomus primus.

TOMUS ille octo continet libros de hæreſi Pelagiana. Liber primus de hæreſi Pelagiana in genere. Secundus, de dogmatibus ad naturam primi hominis ſpectantibus. Tertius, eſt de peccato originali. Quartus, habet dogmata ad vires naturales bene vivendi ſpectantia. Quintus, complectitur tres primos ſtatus Pelagianiſmi. Sextus, prodit quartum ſtatum Pelagianiſmi cæteraque dogmata & mores Pelagianorum. Septimus, ab auctore ſic inſcribitur: *De hæreſi Pelagiana, Qui de Semipelagianis primus eſt*. Octavus, hunc præ ſe fert titulum, *De Semipelagianis ſecundus*.

Tomus ſecundus.

HIC tomus varios diverſæ materiæ exhibet

libet libros. Primus eſt proœmialis; ibi Auctor oſtendit limites intellectus humani in rebus Theologicis indagandis, & præ antiquis Patribus celebrat divi Auguſtini auctoritatem: ſequitur liber ſingularis de ſtatu naturæ innocentis, ſeu de gratia primi hominis & Angelorum. Proſequitur de ſtatu nuturæ lapſæ. Liber primus, qui eſt de peccato originali: liber ſecundus, qui eſt de pœnis peccati originalis: liber tertius, qui eſt de viribus liberi arbitrii poſt peccatum: liber quartus, proſequitur argumentum de viribus liberi arbitrii poſt peccatum: de ſtatu naturæ puræ lib. 1. 2. tertius inſcribitur, tranſitus ad miſerias corporis.

Tomus tertius.

IN iſto tertio tomo agitur in diverſis libris de gratia Chriſti. Liber primus, de gratia Salvatoris: liber 2. *Qui eſt de vera voluntatis gratia, quantum ad operandi modum*. Liber 3. *Qui eſt de gratia ſufficiente*. Liber 4. *Quid eſt gratia Chriſti quantum ad eſſentiam & diviſiones ejus?* Liber 5. *Qui eſt de effectibus gratiæ Chriſti*. Liber 6. *Qui eſt primus de libero arbitrio*. Liber 7. *Qui eſt ſecundus de libero arbitrio*. Liber 8. *Qui eſt de concordia gratiæ & liberi arbitrii*. Liber 9. *Qui eſt de prædeſtinatione hominum & Angelorum*. Liber 10. *Qui eſt de reprobatione hominum & Angelorum*. Denique opuſculum, ex quo quædam inſtituuntur comparationes inter errores Maſſilienſium cum opinione quorumdam recentiorum Theologorum.

Dogmata Janſenii.

PRIMUM, lib. 3. de viribus liberii arbitrii cap. 2. dicit indifferentiam ad bonum & malum per peccatum amiſſam. Ecce capitis titulus: *Amiſſio indifferentiæ ad bonum & malum fuit cauſa calumniarum quibus Pelagiani catholicos Manichæiſmi & everſæ libertatis arguerunt*. pag. 178. col. 2. ſic loquitur: *Sententia igitur Auguſtini quam tantopere Pelagiani deteſtati ſunt, non alia quam iſta eſt, quod arbitrium voluntatis poſt lapſum primi hominis antequam divina gratia viſitetur, hoc eſt, antequam Chriſtianam ſuſcipiat fidem, unde incipit gratia ſub cupiditatibus terrenis, ita arcte captivum poſſideatur, ut libertas illa voluntatis velut ferreis vinculis aſtricta nullo modo poſſit ſurgere ut bonum velit aut faciat, ſed ut tantummodo captivo motu verſetur in malo*. Idem probat cap. 3. 4. & cap. 5. ait: *Creberrimeque docet Auguſtinus arbitrium non eſſe amplius liberum, ut velit aut faciat bonum, ſed libertatem ejus ex ruina periiſſe*. Proſequitur ejuſdem propoſitionis probationes cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11. titulus capitis noni: *Perit non ſolum libertas ad agendum bonum, ſed etiam abſtinendum a peccato*. Titulus capitis 11. *Loco libertatis abſtinendi a peccato inducta eſt peccandi neceſſitas*.

Secundum, omnis actio eſt vel bona bonitate ſupernaturali per charitatem: vel mala & peccatum per cupiditatem. Titul. cap. 19. *Non datur medium inter charitatem, & culpabilem cupiditatem*. Liber 9. proſequitur argumentum de liberi arbitrii viribus, quas per peccatum extinctas eſſe prædicat.

Tertium, quod non ex fide procedit, peccatum eſt. Ita docet lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ. Titulus cap. 1. Auguſtinus ex profeſſo docuit: *Omne quod non eſt ex fide eſſe peccatum*. Cap. 8. p. 238. col. 1. dicit: *Quamobrem ſicut Auguſtinus ſæpiſſime docuit opera Infidelium non eſſe opera vere bona, ſed quaſi bona, ut non aliud niſi mala intelligeremus*. Cap. 9. 10. 11. 12. totus incumbit ut probet Philoſophorum, & Paganorum morales virtutes fuiſſe vitia, ac ſolius ſuperbiæ & cupiditatis fœtum.

Quartum: Peccat damnabiliter homo etiamſi neceſſario agat, ibidem cap. 25. cujus hæc eſt inſcriptio: *Non repugnat Auguſtini doctrina propoſitioni damnatæ per duos Pontifices: homo peccat, etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit*. Sic loquitur p. 272. col. 1. *Ex his facile intelligitur doctrinam Auguſt. non eſſe comprehenſam illa propoſitione, quam proſcripſit Pius V. & Greg. XIII.* Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit: *Neceſſitas enim peccandi ab Auguſt. tradita ſolum eſt in genere, ex qua fit ut non poſſint homines ante gratiam agere niſi male*.

Quintum: Implicat contradictionem ſtatus naturæ puræ. Homo non potuit abſque ordine ad finem & beatitudinem ſupernaturalem creari, nec ſubjici debuit abſque peccato miſeriis etiam naturalibus. Hoc ex profeſſo probat in quinque libris de ſtatu naturæ puræ inſcriptis.

Sextum : Lex præcepti obſervantiam difficiliorem reddit. Ita ſcribit lib. 1. de gratia Salvatoris cap. 8. lex graviorem affert ruinam, arctiuſque hominem ſub peccato concludit: cap. 9. lex iram dumtaxat operatur: cap. 10. & 11. titulus c. 11. *Aperitur Myſterium divini conſilii, quo legem tulit, quæ nonniſi prævaricationem & iram operatur.*

Septimum : Omne auxilium naturæ ſanæ fuit ſine quo, ſeu ſufficiens: omne vero auxilium naturæ lapſæ eſt adjutorium quo, & efficax. Ita docet Janſenius lib. 2. de gratia Salvatoris cap. 4. 5. 6. 7. 8.

Octavum : In præſenti ſtatu numquam gratiæ reſiſtitur; nulla quippe gratia ſuo fruſtratur effectu, ibidem cap. 25. quod ſic inſcribitur: *Decimo ejus efficaciſſima natura declaratur, eo quod nulla* (gratia) *prorſus effectu caret, ſed eum in omnibus quibus datur, infallibiliter operatur.*

Nonum : Non datur in præſenti ſtatu gratia ſufficiens. Ita ex profeſſo docet auctor in toto lib. 3. de gratia Christi cap. 1. Titulus: *Tangitur natura adjutorii ſufficientis, & oſtenditur nullum dari poſt lapſum quin ſimul efficax ſit.* Titulus cap. 2. *Adjutorium pure ſufficiens ad gratiam naturæ pertinet: lapſorum reparationi inutile.* Titulus 3. *Quam monſtruoſa ſit gratia ſufficiens prout a recentioribus explicatur.*

Decimum : Nulli datur gratia ſufficiens ad faciendum bonum, & præceptum adimplendum, ibidem cap. 4. hunc præ ſe ferente titulum: *Ex natura gratiæ Christi oſtenditur, nullis dari ſufficientem gratiam.* Titulus cap. 5. *Judæis lex data eſt, & Chriſtianis plurimis præcepta dantur ſine ulla gratia ſufficiente aut adjuvante.* Idem probat cap. 6. ſed præcipue cap. 7. quod ſic inſcribitur: *Non adfuiſſe hominibus ſub lege viventibus gratiam ſufficientem ſervandi legem, vel ullum præceptum ejus.*

Undecimum : Status veteris Legis non afferebat Judæis gratiam ſufficientem, ſed potius impedientem. Ibidem cap. 8. cujus hic eſt titulus: *Status veteris Teſtamenti figurativus & prophetieus non afferebat Judæis gratiam ſufficientem, ſed potius impedientem. Quanta fuerit in Judæis ſervitus & ignorantia gratiæ, & auctoris ejus.*

Duodecimum : Status veteris Teſtamenti non erat ſtatus ſalutis, ſed peccati, ibidem cap. 9. ſic inſcripto: *Status veteris Teſtamenti, ut talis, non erat juſtitiæ & ſalutis, ſed potius peccati & mortis.*

Decimum-tertium : Excæcati & obdurati gratia ſufficienti carent. Ibidem cap. 10. cujus hic eſt titulus: *Excæcati & obdurati gratia carent ſufficienti, qua videant & moveantur ad bonum.*

Decimum-quartum : Infideles non habent gratiam ſufficientem, & contrarium dicere eſt idem cum Semipelagianis ſentire. Ibidem c. 11. ecce inſcriptio: *Infideles carent gratia ſufficienti ad ſalutem tam proxima quam remota, & omnibus principiis ejus.* Idem confirmat cap. 12. cujus talis eſt titulus: *Infideles non habent gratiam ſufficientem ordinis naturalis. Gratia ſufficiens infidelium a Semipelagianis excogitata.*

Decimum-quintum : Quædam præcepta ſunt impoſſibilia, etiam juſtis, & quidem conantibus. Ibidem cap. 13. p. 135. col. 1. & iterum pag. 138. col. 2. his verbis: *Hæc igitur omnia pleniſſime, planiſſimeque demonſtrant nihil eſſe in ſancti Auguſtini doctrina certius ac fundatius, quam eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque & juſtis volentibus conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſſe quoque gratiam qua fiant poſſibilia. Hoc enim ſancti Petri exemplo, aliiſque multis quotidie manifeſtum eſſe, qui tentantur ultra quam poſſint ſuſtinere &c.*

Decimum-ſextum : Tum ſic concludit p. 340. col. 1. *Ex quibus conficitur non aliter verum eſſe, quod Deus non jubeat impoſſibilia, niſi quia quæcumque jubet, hominis voluntate per omnipotentem gratiam Dei adjuta fieri poſſunt*; intelligit ſolam gratiam efficacem, qua ſecluſa, omne bonum, etiam vel ipſis juſtis impoſſibile eſt. Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus. Ibidem cap. 21. aitque: *S. Auguſtinum numquam in ſcriptis ſuis fatetur Chriſtum pro omnibus, nullo excepto, ſe dediſſe redemptionem, vel crucifixum eſſe, vel mortuum; ſed tantummodo pro illis quibus mors ejus profuit.*

Decimum-ſeptimum : Gratia eſt delectatio victrix & neceſſitans. Hoc ex profeſſo probat lib. 4. a capite primo uſque ad decimum incluſive. In primo & ſecundo docet gratiam efficacem abſolute poſitam eſſe in delectatione cæleſti; in reliquis illam gratiam efficacem inducere neceſſita-

ceſſitatem relativam, ſed veram, realem eamque internam, quia ex principio Janſenii, ubi eſt major delectatio, ibi neceſſe eſt operari, vel bonum ſi delectatio cæleſtis ſuperet terrenam, vel malum ſi e contra, ſic loquitur cap. 4. p. 173. col. 2. *Tunc vero hominem a peccato liberari, & opus bonum effici cum cæleſtis illa ſuavitas de cælo venerit atque adverſariam ſuam ſuperaverit*. Expreſſius cap. 6. p. 175. col. 1. *Ex his jam perſpicue intelligitur tantopere neceſſariam iſtam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut niſi major fuerit quam terrena, qua noſter affectus detinetur, fieri non poſſit quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur; major enim delectatio numquam ſane delectatione minore ſuperabitur, ſed eam ſequitur animus quæ magis eum afficiendo ſuavitate detinuerit*. Tum lib. 2. c. 24. p. 82. col. 2. *Quamobrem ſexto, gratiam Dei Aug. ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere*.

Decimum-octavum: Attritio ex metu gehennæ concepta non eſt ſufficiens diſpoſitio ad juſtificandum hominem, quamvis cum Sacramento conjuncta: lib. 5. de gratia Chriſti cap. 13. Hoc ſaltem ex ejus ſequitur principio, quo ſtatuit ſine amore Dei, timorem pœnæ per quam homo a peccando deterretur, eſſe vitioſum; de eo ſic loquitur p. 146. col. 1. *Ex alia quoque conſideratione labem contrahit, quatenus pœnas timendo in ſui ipſius amore requieſcit*.

Decimum-nonum: Homo eſt liber eo ipſo quo voluntarie agit; ſicque ad libertatis eſſentiam, indifferentiam actus non exigit; & hoc ut gratiam neceſſitantem propugnet. Ita docet ex profeſſo lib. 6. de gratia Chriſti toto cap. 5. p. 261. 262. 263. 264.

Vigeſimum: Neceſſitas non opponitur libertati. Ibidem cap. 6. quod ſic inſcribitur: *Duplex neceſſitas ex Auguſtino, coactionis, & ſimplex ſeu voluntaria; illa, non hæc repugnat libertati*: Idem probat ſequentibus capitibus. Ibidem cap. 36. qui ſic inſcribitur: *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſitate fiat, libere tamen fit*.

Vigeſimum-primum: Libertatis eſſentia in ſola a coactionis exemptione ſita eſt. Hoc probat Janſenius ex profeſſo in toto lib. 7. qui eſt ſecundus de libero arbitrio cap. 14. Hanc habet titulum: *Afferuntur quatuor abſurda, quæ ex neceſſitate talis indifferentiæ contradictionis ſequuntur*. Cap. 15. proſequitur & penitus exſufflat indifferentiam a ratione libertatis. Rurſus lib. 8. pluribus in locis, maxime vero cap. 19. ex profeſſo docet indifferentiam contradictionis & contrarietatis non pertinere ad rationem libertatis: Tum Auguſtinum alioſque Patres ullam de utraque habuiſſe curam aſſerit. cap. tit. hic eſt: *Redditur vera ratio principiis Auguſtini & aliorum Patrum adamuſſim conſentanea, cur talem concordiam gratiæ & liberi arbitrii docuerunt, nihilque in tradenda libertate curaverint illam indifferentiam & æqualitatem contrarietatis & contradictionis*.

Vigeſimum-ſecundum: Electio & prædeſtinatio gratiæ non habuit locum in Angelis lib. 9. cap. 10. titulus hic eſt: *Electio, ſeu prædeſtinatio gratiæ non habuit in Angelis locum*. Idem docet cap. 11. & 12. iſtud ſic inſcribitur: *S. Auguſtinus Angelorum perſeverantiam non prædeſtinatam ſed præſcitam tradit, eoſque non gratia ſed meritis diſcretos*. Tum cap. 13. cujus hic eſt titulus: *Angeli ad gloriam electi ſunt non electione gratiæ, ſed meritorum*.

Vigeſimum-tertium: Homines ante prævisionem abſolutam meritorum prædeſtinati ſunt. Ibidem cap. 15. ubi loquens de hominibus lapſis pag. 391. col. 2. ait: *In lapſis vero ſic ea Deus facit, ut non expectet ab eis ut velint, cum aliquo adjutorio, ſine quo velle non poſſunt, ſed ita ut eis ipſam procuret præparetque voluntatem, non ſolum ut fient ac faciant, ſi voluerint, ſed operando invicte per adjutorium quo, ut non niſi fient & faciant & velint*. Excludit ab electis gratiam ſufficientem quæ dat poſſe, & admittit ſolum pro eis gratiam efficacem, cui nullus reſiſtere poteſt.

Vigeſimum-quartum: Cauſa reprobationis eſt maſſa damnationis, & peccatum originale, ita lib. 10. cap. 3. titulus: *Cauſa reprobationis ſecundum conſiderationem abſolutam, eſt maſſa damnationis ſive peccatum originale*. Cap. 4. *eſt voluntas Dei*. Et cap. 3. in medium profert ſententiam Theologorum alias Catholicorum qui prædeſtinationem dividunt in negativam; quæ eſt omiſſio prædeſtinationis gratuitæ, qua Deus nihil homini debet, & poſitivam qua Deus aliquem tamquam indignum a

re-

regno excludit, & dicit omnem reprobationem eſſe in quocumque rationis ſigno poſitivam propter peccatum originale; ſupponit quippe Deum nolle etiam voluntate antecedente omnes homines ſalvos fieri, unde multorum Theologorum ſententiam de reprobatione negativa explodit ut duriſſimam, nempe ſolum poſitivam prædicat. ſic loquitur p. 421. col. 2. *Juxta doctrinam S. Aug... animadvertitur nullam reſpectu Angelorum, aut hominum negativam reprobationem eſſe fabricandam. Nam ſi vero ſtatum reprobationis ex quo liberandum eſt genus humanum* inſpicias . . . . *Jam hoc ipſo, ut diximus, quo quis a Deo, alios liberandos prædeſtinante, præteritur, etiam velut indignus rejicitur, & proinde poſitive reprobatur . . . . Nullus tamen iſtius negativæ reprobationis eſt uſus; quia ſemper ei, in omni ſigno divinæ rationis, poſitiva conjuncta eſt . . . . Secundum hoc igitur non eſt obſcurum, quid de cauſa reprobationis poſitivæ dicendum ſit. Nam ſi de illa loquamur, qua Deus in eo ſigno, quo aliquos a perditione liberandos elegit, cæteros tamquam indignos liberatione, vult in perditione relinquere, & ab æterna vita excludere; vera iſtius reprobationis cauſa eſt, peccatum originale, quo periiſſe & damnationem iſtiuſmodi meruiſſe prævidentur.* Sicque vel ipſi baptizati, quorum multi reprobantur, propter peccatum originale tametſi deletum, damnantur: Quod eſt mere Calvinianum.

Vigeſimum-quintum: Homo ſanus potuit abſque gratia elicere actus fidei, dilectionis Dei &c. Sic loquitur de Adamo lib. de gratia primi hominis cap. 7. p. 43. col. 1. *Nos igitur hic aſſerimus tamquam ſine dubitatione veriſſimum . . . . Omnia hujuſmodi opera, adeoque & ipſam fidem, & dilectionem Dei ab eo potuiſſe per arbitrii libertatem fieri, ſic ut ea non donaret ei gratia Dei. Quod quamvis alicui paradoxum forraſſe videatur, non poterit tamen non admittere, ſi &c.*

Vigeſimum-ſextum: Homo ſanus per vires innatas potuit in gratia accepta perſeverare. Ibidem cap. 8. p. 46. col. 1. & 2. ait: *Nonnulli igitur . . . verebuntur poteſtatem perſeverandi in juſtitia liberi arbitrii primi hominis & Angelorum attribuere, & tamquam capitalem divinæ gratiæ injuriam exhorreſcent: ſed ſi principiis non modo ſupra jactis, ſed etiam veſtigiis, quæ ſcriptis ſuis hac ipſa de re paſſim Aug. impreſſit, & luculentiſſime expreſſit, velimus inſiſtere, fateri cogimur, per liberi ſui arbitrii vires hominem primum permanere ſeu perſeverare potuiſſe, & ſanctos Angelos re ipſa permanſiſſe.* Illudit Auguſtino Iprenſis: iſta & altera propoſitio eſt Pelagiana.

Vigeſimum-ſeptimum: Non ſolum in præſenti ſtatu numquam gratiæ reſiſtitur, quæ eſt ſecunda propoſitio damnata, verum etiam non poteſt reſiſti. Hoc ex profeſſo probat l. 2. de gratia Ch. Can. 24. p. 81. & 82. variis rationibus. 1. Quia gratia habet poteſtatem efficaciſſimam. 2. Quia voluntas rapitur a gratia: *Quod ita a Dei ſpiritu per gratiam rapiatur, & agatur, ut ipſamet voluntas vix agere intelligatur.* 5. Quia invicta ejus potentia, *omnes oppoſitos obices voluntatum & affectuum invicta poteſtate perrumpit.* 6. Quia hoc intercedit diſcrimen inter hominem ſanum & lapſum, quod ille poſſet gratiæ interiori reſiſtere, ſecus vero iſte: *Cum Angelos*, ait, *& primum hominem ita per adjutorium ſtatus innocentiæ adjutos eſſe docuiſſet Aug. ut adjutorium iſtud in eorum libero relinqueretur arbitrio, a quo poſſent declinare ſi vellent, ita e contrario de lapſi hominis ſubjicit adjutorio: ſubventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.* Tandem quia de facto non poteſt homo reſiſtere gratiæ pag. 82. col. 2. ſic habet: *Gratiam Dei Aug. ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam* NON POSSE RESISTERE. Inſiſtit Janſenius veſtigiis Calvini, qui in ſenſus adulterinos detorquens Aug. hac ipſa auctoritate utitur ut probet gratiam neceſſitantem.

Vigeſimum-octavum: hæreticum eſt dicere hominem lapſum poſſe gratiæ interiori reſiſtere. Eſt quarta a ſummis Pontificibus proſcripta propoſitio: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam talem eſſe*, CUI POSSET HUMANA VOLUNTAS RESISTERE.

Propoſitiones Baji damnatæ quas ſuſcipit Janſenius.

Primo, circa liberum arbitrium.

39. QUOD *voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit.*

41. *Libertatis modus qui eſt a neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolum nomen libertatis a peccato.*

66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit.*

Secundo, circa poſſibilitatem mandatorum.

54. DEFINITIVA hæc ſententia: *Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit.*

27. Liberum *arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, non niſi ad peccandum valet.*

Tertio, circa Infidelium opera.

25. Omnia *opera Infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.*

68. Infidelitas *pure negativa, in his quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

38. Omnis *amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum ſanctum in corde diffuſa, Deus amatur.*

34. Diſtinctio *illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris Literis, & plurimis veterum teſtimoniis, excogitata.*

36. Amor *naturalis qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum injuria crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus.*

37. Cum *Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

Quarto, circa ſtatum naturæ puræ.

55. DEUS *non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.*

26. Integritas *primæ creationis, non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.*

78. Immortalitas *primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.*

1. Nec *Angeli, nec primi hominis adhuc integri, merita recte vocantur gratia.*

Hanc a Bajo ut a primo parente acceptam doctrinam, eamdem multis annis inſpirante San-Cyrano conceptam, Janſenius in ſuo immenſo opere explicuit, auctoritate potiſſimum D. Auguſtini, ſed in pravum penitus ſenſum aſſumpta & detorta fundavit, cujus rei argumentum eſt, ipſum teſtimonium Janſenii quem in hoc momento non ſemel habemus fatentem reum; quippe qui in variis ſuis ad Abbatem San-Cyranum litteris fateatur prævidere hoc eſſe futurum, ſuam de gratia doctrinam a Sede Romana numquam approbandam eſſe, multorum animos repetitis quaſi in infinitum diſputationibus exaſperaturam: denique multas ex hac movendas tragœdias; hinc unum ab amico expoſtulat, quatenus, & regni, & Eccleſiæ proceres, inſuper & Religioſorum cœtus ac Congregationes in ſuas protrahere partes ſatageret.

Ipſius Janſenii de doctrina ſua ſiniſtrum teſtimonium.

JANSENIUS in epiſtola 63. anno 1626. ad Abbatem San-Cyranum ſcripta, ſic loquitur de ſuo opere atque doctrina: " Tantum circa iſtud negotium incommodi
" ac periculi exponere mihi non potes,
" quantum ego vel ab initio ſubodoratus
" ſum. " Tum epiſt. 131. anno 1635. ſcripta candide fatetur, *ſe adduci non poſſe ut credat opus ſuum a Judicibus Romanæ Sedis, approbandum unquam fore.* Rurſus epiſt. 16. anno 1621. ſubdata: " Non audeo,
" *inquit*, dicere, quid ſentio de præde-
" ſtinatione & gratia, ne forte ante-
" quam omnia parata & matura ſint,
" mihi, quod aliis accidat, Romæ da-
" mnetur, ſicut damnatus fuerat Bajus. "
Addit. ib. " Se non aſpirare amplius ad ullum
" munus academicum, ne ſi forte ſenſa

ſua-

,, ſua expromeret in publicum, incurre- ,, rent offenſionem . ,, Epiſt. 63. ait : ,, Daturum ſe operam, ne ſi vivente liber ,, ſuus in lucem prodeat, quo vitæ ſuæ ,, tranquillitas poſſet turbari . ,, Epiſt. 21. ſcribit : " Se in ſuſcepto opere conti- ,, nuo incumbere, atque eo magis terre- ,, ri, quo plus progreditur . ,, Quo ſci- ,, licet novi in religionem conſilii nudata non mordet conſcientia, ita ut ex præviſione ſtupendi eventus terreatur : Sed attende, quaſo, juſte Lector, quam ſit dolotus Janſenii ſcrupulus, qui non ignarus periculi tum pro religione, tum pro conſcientia propria, pergit tamen viam cœptam complere : Nam in eadem epiſtola San-Cyranum rogat ut Nobilium & Magnatum pro ſuo opere conciliet amorem: "Quia, ,, *inquit*, hoc neceſſarium prævideo ad ,, libri mei ſucceſſum. ,, Tum epiſt. 53. ſcripta anno 1623. Religioſorum Societates ad ſuum advocáre præſidium decernit, magnum inde ratus auxilium ſi viri doctrina conſpicui ſuæ adhærerent doctrinæ . Demum epiſt. 13. anno 1620. ſcripta ait : *Doctrinam quam in S. Auguſtino reſervavit, omnibus ſtuporem incuſſuram*, &c.

Jamvero quod mente verſipelli Novatores ad Thomiſtas in extremis poſiti confugiant, intelligas velim ex ipſo Janſenio qui epiſt. 16. non ſine Phariſaica elatione, aſſerere non dubitat D. Aug. doctrinam præteritorum ſæculorum Theologis fuiſſe ignotam, ſibi vero ſoli notam . Tum ultro ſpiritu erroris & ſuperbiæ raptus progreditur his verbis : *Audeo dicere mihi compertum eſſe, quod etſi utraque tum Jeſuitarum, tum Thomiſtarum Schola uſque ad extremum judicii diem diſputatura ſit, tantum a veritate ſit aberratura, in quantum utraque ab ipſa centum leucis diſtat . . : cum Auguſtinum de guſto, faſtidis Thomas*.

PROGRESSUS

VERA quidem dixit Janſenius, cum propria denudata reclamante & veluti ſtimulante conſcientia ſuam doctrinam diſſidiorum cauſam, futuram eſſe prædixit : quod & in dies uſque modo probavit triſtis eventus. Vix enim vita functus, quod ejus enim diſcipuli inconſulto de re tanti momenti Summo Pontifice, Auguſtini Iprenſis opera juris publici fecerint : Sed ecce ſtatim in Eccleſia turbatio : alii Janſenii doctrinam tamquam genuinam beati Auguſtini a Scholis exulem doctrinam & reparatam prædicabant; alii novum aliquid & fidei ſimulrum in ea ſuſpicantes volebant, ſuſpenſo judicio, iterum atque iterum novos de hoc momento Doctores audiri : alii denique ex adverſo pro doctrina antiquorum Patrum, prætertim S. Auguſtini ſtantes, fucatum Auguſtinum verbo, ſcriptis, & facto totis viribus impugnare non ceſſarunt : hinc ex utraque parte, ſcripta : hinc antiquæ Sorbonæ & ſacræ Facultatis Pariſienſis cenſuræ contra Janſenii librum ; hinc totius Eccleſiæ Gallicanæ anathemata; hinc Vaticana non ſemel contra idem opus vibrata fulmina : hinc totius Europæ, Univerſitatum pro eodem momento aut decreta, aut pro libri damnatione applauſus : hinc univerſalis Eccleſiæ non ſolum in condemnando conſenſus, ſed & in libro deteſtando & prohibendo zelus. Quid plura ? Petrus, inquiebant Patres Chalcedonenſes in Leone locutus eſt, & ceſſavit error. Zoſimus locutus eſt, dicebat Auguſtinus, Pelagianis, cauſa finita eſt : Utinam & finiatur error ! Petrus non ſemel in ſucceſſoribus contra librum Janſenii locutus eſt. Cauſa finita eſt a tempore Urbani VIII. qui primus verbo oris ſui & conſtitutionis profligavit Janſenii doctrinam. Utinam & ceſſaſſent jurgia, ſed contrarium probavit eventus : Enim vero molitione multorum qui defectu potius obedientiæ, & ne dicam fidei quam luminis, vel ut ſalvarent a damnatione reum, vel etiam illo illuſi prætextu, quod cauſam Janſenii a cauſa beati Auguſtini inſeparabilis foret, uſque in hodiernum diem & ſcribere, & loqui, & omnia pro defenſione doctrinæ Janſenii toties fulminatæ, moliri ſategerunt. Hinc novi quotidie progreſſus, ita ut minimum ex omnibus Auguſtini oleribus, in pravos detortum ſenſus in magnam malamque creverit arborem.

1. *Vix* in lucem apparuit liber Janſenii, quod ab Urbano VIII. quia multas Baji propoſitiones ex integro renovabat, proſcriptus ſit : ex hac cenſura altus diſcipulorum fuit dolor, & in Bullam ipſam falſi expoſtulatio. A Lovanienſibus Synnichius & Papius deputati, Romam venerunt, qui inter varias, quas pro evacuanda Bulla attulere rationes, dicebant ab Albizio Secretario, Janſenii æmulo deflora-

ra-

Digitized by Google

ratam fuiſſe Summi Pontificis conſtitutionem. Addebant Janſenium neque in ſenſu Baji propugnaſſe propoſitiones a Pio V. & Greg. XIII. damnatas, neque iſtos Pontifices illas proſcripſiſſe in particulari, quinimmo aſſeruiſſe quaſdam pium & bonum ſenſum ſuſtinere poſſe. Iſtorum precibus cedens Urbanus, congregationem pro facti definitione inſtituit. Inter Examinatores eminebant tres Cardinales, nempe Bernardinus, Spada, & Joannes Pamphilius, qui & poſtea Innoc. X. Bulla ex ſcriniis excerpta, ut primum cum præcedentibus exemplaribus comparata eſt, cito-citius ad unguem uſque ſimilis apparuit, nova tamen & adinſtar originalis ſcripta & prelo mandata exemplaria iterum ad Epiſcopos & Proregem Belgii, mitti voluit Summus Pontifex, qui ægre admodum ferebat Bullam ſuam jamjam a longo tempore Belgium tranſmiſſam nondum tamen publicatam, quamvis ad hunc effectum breve direxiſſet Apoſtolicum ad Archiepiſcopum Meclinenſem anno 1643. die 24. Octob. ſed exſufflata Janſenii Aſſeclarum molitione Bulla, neceſſe duxit Urbanus reſpondere cavillis. Aſt defenſores per omnia veritatis inimici abſque ratione & fundamento Gregorium XIII. non confirmaſſe Pii V. contra Baji propoſitiones diploma propugnabant. Cæterum convicti fuere per Congregationis decretum Bullam Urbani VIII. non fuiſſe ſubreptitiam. Hinc merito Alexander VIII. anno 1690. inter multas propoſitiones iſtam damnavit: *Bulla Urbani VIII. eſt ſubreptitia.* Verum permulti contra Urbani Conſtitutionem Belgii apparuere libelli, & quandiu vixit Pontifex, Proreges adducere non potuit, ut ſua contra Janſenium Bulla & publicaretur, & reciperetur. Mortuo Urbano, Innocentius X. hanc ſuſcepit Provinciam defendendam. Dum nonobſtantibus variis Novatorum molitionibus, tandem voti compos fuit anno 1648. Bulla Urbani opere & auctoritate Leopoldi Imperatoris, tum Regis Catholici edicto juris publici facto ſuum ſortita eſt effectum.

2. *Pace* Belgii reddita, in Eccleſia orta eſt in Galliis ejuſdem libri Auguſtini Iprenſis occaſione tempeſtas magna. Anno quippe 1649. die 1. Julii D. Antonius Cornet in doctrina & fidei defenſione nulli ſecundus, & ſacræ Facultatis Pariſienſis Syndicus inſtituit in Doctorum congregatione querimoniam adverſus quoſdam Baccalaureos qui novitatis amatores, quaſdam in eorum theſibus ſe expunctas propoſitiones, viva voce inter diſputandum propugnabant: immo & eo fuerunt auſi ut iterum in theſibus exhibere non erubeſcerent: Qua de cauſa pro more deputatos ad examen plurium, maxime quinque ex libro Janſenii excerptarum propoſitionum petebat, ut ſuum de unaquaque ſacra Facultas proferret judicium. Verum dum deputati incumbunt examini, 70. Doctores facta interceſſione, contra concluſionem latam die prima Julii, provocarunt ad Senatum. Tum Senatus conſulto die 5. Octob. anno 1649. cautum eſt & prohibitum ne dictæ propoſitiones ſubjicerentur examini, donec aliter viſum fuiſſet, ſimulque interdictus eſt libellus qui circa medium Septembris vulgatus fuerat ſub titulo: *Cenſura Deputatorum ſacræ Facultatis*, contra quinque Propoſitiones.

3. *Clerus Gallicanus* ex Eminentiſſimis Cardinalibus & Reverendiſſimis Archiepiſcopis & Epiſcopis omnibus numero 85. compoſitus, fidei periculum animadvertens ad componendam pacem, propoſitiones ſummo Pontifici Innocentio X. deferre ſtatuit, & de facto anno 1650. litteris omnium Præſulum ſubſcriptione munitis detulit: *Majores*, inquiunt in ſua epiſtola, Prælati *cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quam fides Petri numquam deficiens perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequentes de graviſſimo circa religionem negotio Sanctitati tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus. Decennium eſt ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mœrore commovetur ob librum poſthumum & dogmata Reverendiſſimi Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi. Tales quidem motus ſedari oportebat, tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius qua Urbanus VIII. felicis memoriæ adverſus Janſenii doctrinam pronuntiavit, & decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit. Atque hujus quidem Bullæ veritatem ac robur novo diplomate vindicaſti. Sed quia nulli ſigillatim propoſitioni certa cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cavillis & effugio relictus eſt. Intercludendum autem penitus ſperamus; ſi, ut precamur. Sanctitas tua, quid*

has

hac in re ſentiendum, ſi clare, diſtincteque definiat.

Obteſtamur ergo ut has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio perículoſior, ac contentio ardentior eſt, Sanctitas veſtra expendat & perſpicuam ac certam de unaquaque ſententiam ferat.

Dum hæc aguntur, undecim alii Epiſcopi ſcribunt ad Innocentium dicentes, non approbare fratrum ſuorum conſilium, in eo quod quinque propoſitionum condemnationem expoſtularent: ſuo utique privato nomine Graſſienſis, & Vencienſis qui & Dominus Godeau, eadem de cauſa ad SS. Pontificem mittunt litteras, quibus una voce appellationem pro judicandis propoſitionibus reprobantes, teſtantur nullum ferri poſſe de iis ſanum judicium, quippe quæ ſenſum exhibeant ita implicatum, ut, dum ſenſus eis affigitur hæreticus, cito genuinam auctoris mentem ab iſto prorſus eſſe alienam comperiatur.

Quantum erat tunc fidei periculum intellexit magnus Pontifex; hinc die 12. Aprilis anno 1651. congregationem pro examinandis propoſitionibus inſtituit. In ea aderant Cardinalis Julius, Bernardus Spada, Martinus Ginettus, Dominicus Sechinus, uno mortuo additus eſt Cardinalis Pamphilius; nominati ſunt quoque ex diverſis ordinibus Conſultores, qui factum maturo examine, & ſeria attentione diſcuterent, videlicet novem ex familiis Mendicantium, duo Dominicani, duo Auguſtiniani, duo Minores, duo Carmelitæ diſcalceati, unus Capuccinus. Ex aliis vero ſocietatibus aſſumpti ſunt duo Theatini, unus Servita, alter e Societate Jeſu Theologus, omnes ſicut pietate ſic & eruditione celebres. Partes Janſenii acturi Domini Bouſſe, de Lalane Doctores ſacræ Facultatis Pariſienſis, Angran ejuſdem Facultatis Licentiatus die 5. Decembris anno 1651. Romam accurrerunt; his die 4. Maji anni ſequentis ſe adjunxerunt Pater Deſmarets, Dominus Manneſſier, partes vero fidei defenſuri die 24. ejuſdem menſis & anni comparuere DD. Hallier, Lagant, Joyſel. Cauſa duorum annorum ſpatio in triginta & ſex Congregationibus agitata, & teſte Alexandro VII. accurata diligentia, qua nec ſedulior, nec major dari poteſt, diſcuſſa fuit: ex utraque parte varia producta ſunt ſcripta & inſtrumenta, alia ad defenſionem quinque propoſitionum, in primis famoſum trium columnarum opus, in quo Novatores triplicem exhibebant ſenſum, unum Calvini; ſecundum Molinæ; tertium D. Thomæ, quem rejectis aliis pro quinque propoſitionibus adoptabant: alia vero ad ſimplicem & abſolutam earumdem propoſitionum proſcriptionem. Invocato igitur divino numine, tum iteratis precibus, ac repetita non ſemel ſanctiſſimi Altaris expoſitione, Deum unice præ oculis habens Innocentius, auditis ſæpiſſime Conſultoribus, tandem velut a Deo inſpiratus quinque propoſitiones anno 1653. die poſtrema Maji damnavit, alias ut hæreticas, alias ut blaſphematorias, omnes ut temerarias & erroneas.

4. *Tanto* judicio perterriti Novatores ad quæſtionem facti, ut a libro Janſenii averterent anathema, confugerunt: hinc pro hoc momento multi rebellionem ſpirantes libelli in Gallia, maxime Pariſiis apparuere; qua de cauſa ne hæreſis nova aut ſerperet in majus ſcandalum, aut creſceret ad animarum perniciem, Clerus Gallicanus in comitiis generalibus anno 1657. fidei formularium quo quiſque ſubſcribere & juris & facti condemnationi teneretur, inſtituit; & hoc ne incaſſum conſtitutio Innocentii X. proſcriberet propoſitiones, eaſque fine effectu ab Eccleſia intento feriret. Deinde anno 1661. die 20. Februarii epiſtolam Encyclycam pro ratione de hoc momento reddenda ad Alexandrum VII. ſcribunt Præſules, qui quidem in ſuo reſcripto non ſolum laudat Epiſcoporum fidem & zelum, verumetiam neceſſitate compulſus, ad compeſcendam plurimorum audaciam, qui inobedientiæ vexillum elevantes, iteratis abſque fine libellis & cavillis Eccleſiam laceſſere non ceſſabant, jus & factum quinque Janſenii propoſitionum nova proſcripſit conſtitutione, cui addidit formularium fidei ab omnibus Eccleſiaſtici Ordinis tum Regularibus, tum non Regularibus, immo & a Monialibus ſubſcribendum: Sed fraudis novæ ad ſalvandum factum non defuerunt Architecti: quid enim circa ſubſcriptionem eos ſenſiſſe, mirum ac prorſus ſtupendum eſt: alii enim volebant ſubſcribendo declarare, ſolum jus ſe condemnare; alii non opus eſſe tali declaratione, dicentes factum eſſe tam aperte falſum, ut abſque diſtinctione verbis expreſ-

ſa ſubſcriptio ad ſolum jus ſe extenderet: alii majoribus conſcientiæ ſtimulis preſſi, fatebantur primam quidem propoſitionem reperiri de verbo ad verbum in libro Janſenii: hinc ſuam ſubſcribendo intentionem ſic dirigebant, damno ſincere jus, & ſuſpendo judicium circa factum, immo aliquam habere volo de hoc conjecturam, & adhibere fidem levem eamque humanam propter Eccleſiæ judicium. Denique variis pro iſto puncto deductis ſententiis, quibus non ſibi conſtabant Novatores, ſilentium reſpectuoſum excogitaverunt, dicendo ſubſcribendum eſſe formulario, jus aperte damnandum eſſe, ſilendum vero pro facti momento propter debitam erga Eccleſiam reverentiam & obſervantiam: quaſi vero licitum ſit alicui jurare & ſubſcribere condemnationi facti quod interius non credit. Ita colligitur ex variis libellis, inprimis ex epiſtola San-Bovii ſcripta 6. Januarii anno 1661. ad amicum.

5. *Quatuor* Epiſcopi, nimirum Andegavenſis, Bellovacenſis, Apamienſis, & Aletenſis, in ſuis mandatis jus a facto diſtinguere voluerunt, contendentes neminem teneri ad ſubſcribendum formulario pro facti condemnatione. Alexander VII. de hoc certior factus cogitavit nominare Epiſcopos, qui mandata quatuor Epiſcoporum diſcuterent, ut prævio iſto examine, illa ipſe proſcriberet. Verum morte præventus, hanc ſuſcepit Provinciam Clemens IX. & quidem tanta cum prudentia, ut abſque ullo quatuor Epiſcoporum offendiculo ad bonum finem ſui voti compos opus cœptum perduxerit. Hac igitur de cauſa ſcripſit ad ſuum apud Regem Chriſtianiſſimum Oratorem, ut mediis opportunis fortiter ſimul & ſuaviter Epiſcopos ad obediendum compelleret: unum tantummodo exigens ab eis, quatenus ſua revocare mandata vellent & de facto revocarent: Sed iſtis renitentibus, Eminentiſſimus Cardinalis Æſtræus pacis & reconciliationis factus mediator, a quatuor Epiſcopis obtinuit, ut nova in ſuis viciſſim Diœceſibus & darent, & in Synodis promulgarent mandata, in quibus nulla facta mentione de aliis, ſimpliciter formularium a ſuis Diœceſanis ſubſcribi curarent, cui propoſitioni cedentes litteras obedientiales ad Clementem conſcripſerunt. Rem ita fuiſſe compoſitam teſtatur Cardinalis Æſtræus in ſua ad Innocentium XII. epiſtola die 4. Junii anni 1693. conſcripta, id ipſum affirmant præter Cardinalem Archiepiſcopus Senonenſis, & Epiſcopus Catalaunenſis adjuncti mediatores, in ſua ad Clementem epiſtola.

Mirum eſt profecto Novatores cauſam videntes deploratam ad hoc etiam ſplendido & audaci mendacio ſe convertiſſe, ut, pacem cum Clemente IX. compoſitam ea conditione, quod facti damnationi nullus ſubſcribere teneretur, conclamaverint; cum potius e contra reconciliatio eo maxime pacto acta ſit, ut ſimpliciter & ſine facti reſtrictione formulario ſubſcriberent: Hoc ipſum patet ex reſcripto tum mediatorum pacis, maxime Cardinalis Æſtræi ad Papam, tum quatuor Epiſcoporum ad eumdem Pontificem, tum denique ex multiplici ipſius Clementis teſtimonio, qui in ſuo ad Regem Brevi Apoſtolico die 28. Sept. ann. 1668. dicit, *ſe eum lætitia cognoviſſe in ſimplici ac pura ſubſcriptione formularii, quatuor Epiſcoporum obedientiam*: in Brevi vero ad Epiſcopos mediatores die 19. Januarii ann. 1669. ait: *Non ſine lætitiæ ſenſu pervidimus ex litteris fraternitatum veſtrarum . . . de perfecta & integra obedientia nobis & Apoſtolicæ Sedi præſtita per Epiſcopos Andegavenſem, Bellovacenſem, Apamienſem & Alecenſem, ſubſcriptione formularii ſincere animo, & juxta præſcriptum Litterarum Apoſtolicarum ab eis facta*. Similia ſcribit in ſuo ad quatuor Epiſcopos Brevi eadem die Romæ ſubdato. *Cum ingenti*, inquit, *obſequii nobis & huic ſanctæ Sedi per vos debiti teſtatione ſignificabatis vos juxta præſcriptum Litterarum Apoſtolicarum . . . ſincere ſubſcripſiſſe & ſubſcribi feciſſe formulario . . . nam Prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus firmiſſime inhærentes, nullam circa illud exceptionem aut reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus*. Hoc ipſum teſtatur Cardinalis Roſpiglioſus in ſua de rebus circa Janſeniſmum hiſtorica narratione, quam omnium primi laudaverunt Janſenii defenſores. *Neque enim*, ait, *in re tanti momenti, quidquam connivere, quinimmo acerrime obviam ire decrevere Clemens IX.*

6. *Tot* adverſis doctrinæ novæ commoti & fracti Janſenii Aſſeclæ, annuente Rege, quibuſdam propoſitis & inſtructis articulis fidem fucate ſignantibus, ſed hære-

ſcos

tenorem integrum ad Sanctitatem veſtram mittimus. Quartum hic dumtaxat articulum referimus, utpote quo præcipuum offenſionis cauſam contineri nos arbitramur, quod ſpectat ad deciſiones facti quæ continentur in Conſtitutione Alexandri VII. quibus definitum eſt quinque propoſitiones ex Janſenii libro excerptas eſſe, & in ſenſu ab eodem auctore intento damnatas declaramus. Nos eas definitiones omni cultu, obſequio & obſervantia quam exigit Eccleſia a Fidelibus in ſimilibus cauſis & in ejuſmodi natura rebus proſequi, & ſemper eſſe proſecuturos, arbitrati, ad privatos Theologos nullatenus pertinere in ſanctæ Sedis deciſiones inſurgere, eas oppugnare, vel eis reſiſtere . . . noſtrorum omnium quotquot aderamus in his verbis reprehendendis exiſtit confeſſio; viſa ſunt enim ſubdola, ſimulatum dumtaxat obſequium præ ſe ferentia, mente verſipelli, & callide concinnata, eoque periculoſiora quod formula ideo in conventibus noſtris inſtituta & veſtra Sanctitatis conſtitutionis debita Reverentia magis ac magis ſanciretur, uniformitatem diſſolvant & evertant. Iſtud itaque rejiciendum cenſuimus tamquam fictum, & nullatenus Catholicum, neceſſariumque eſſe duximus, ut mentem apertius exponant, exprimantque luculentius implicatas animi cogitationes, cum ex eorum ſcriptis & ſermonibus, ſi quando conſtet eos in id juxta incumbere, ut obſequium ſilentio dumtaxat, non vero mutata ſententia & doctrina ſignificent. Ita Epiſcopi Gallicani quinque articulos non doctrinales, quos nec viderant, nec eis oblati fuerant, ſed factum Janſenii ſpectantes explodunt, tum quia ſubdola, inquiunt, continebant, tum quia non licet jurare aliquid & ſilentio contrarium quod creditur, obtegere.

Quod autem articuli tum doctrinales, tum factum ſpectantes perpetua laborent æquivocatione, & mala fide ſint concinnati, eleganti calamo ac dilucide probat in tom. 1. de grat. hiſt. Janſ. clariſſimus Dominus Honoratus Tournely Doctor Sorbonicus & quondam Profeſſor Regius Emeritus, vir ſane nedum fidei zelo, ſed & eruditione admodum clarus, e cujus manuſcriptis quædam momentoſa circa iſtam hiſtoriam hauſiſſe non piget.

Dixi articulos mente verſipelli, teſtantibus Galliæ Præſulibus, concinnatos, immo & ita ſubdole, ut quidam e Schola Thomiſtica verum pro falſo ſumentes, ſuum eis dediſſe calculum fama volaverit, nam ut jamjam notavimus, ſecundum articulos præcepta Dei poſſunt dici poſſibilia ſimul & impoſſibilia; aliquis poteſt reſiſtere gratiæ & non reſiſtere: reſiſtere potentia antecedenti & ſecundum ſe ſpectata, non reſiſtere potentia conſequente & relativa, nempe ſi gratia adſit in gradu concupiſcentia ſuperior. *Habemus in his verbis*, inquit D. Tournely tom. 1. de gratia pag. 413. *clare expreſſam potentiam abſolutam, & relativam in qua ultimæ veluti Janſeniſmi fibræ reconduntur: priorem vocant antecedentem, quia abſtrahit a circumſtantiis ſubjecti . . . . alteram vero conſequentem, quæ circumſtantias illas ſupponit. Potentia quidem abſoluta & antecedente poteſt voluntas gratiæ ſufficienti conſentire, & non poteſt potentia conſequente, id eſt, relativa ad majores oppoſita concupiſcentiæ vires.* Quæ quidem doctrina funditus convellit dogma catholicum, quo ſtatuitur voluntatem eſſe liberam in actu ſuo producendo: liberum arbitrium motum, ut dicit & definit Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. poſſe diſſentire ſi velit, non ſolum potentia antecedente, ſed & conſequente ſeu relativa. Cæterum egregie ſuſcipit Scholæ Thomiſticæ partes D. Tournely pag. 625. oſtendendo, incaſſum gloriari Janſenian s unius eſſe labii cum Theologis Thomiſtis, nam ſubtiliſſime obſervat, Thomiſtas admittere præmotionem phyſicam quæ infert cito actum, unde minima gratia efficax ſecundum eos cuiuslibet concupiſcentiæ quantumvis intenſæ domina eſt, & poteſt vincere, quod quidem principium ab ipſo Thomæ calamo & mente promanavit: ſic enim loquitur, ut iterum atque iterum dictum eſt: *Minima charitas plus diligit Deum, quam cupiditas auri & argenti.*

Ex his conſtat voluntatem in eo ſolum ſenſu ſecundum Janſenium gratiæ reſiſtere, quia gratia ſuo privatur effectu ad quem datur, quæ tamen ſecundum ſe ita eſt efficax, ut ſuum valeat producere actum, ſi concupiſcentia ferveſcens decreſcat ad gradum gradu gratiæ inferiorem: & hoc ulla abſque ſuperaddita entitate. Illud enim eſt Janſenii decantatum principium, ut omnis gratia ſpectata ſecundum ſe, & cum voluntate Dei ſit ſemper efficax, quia voluntas Dei ita efficax & abſoluta eſt, ut omnis gratia neceſſario ſuum operetur effectum, vel ſi vis, infallibiliter in-

inſallibilitate inſuperabili, & indeclinabili, quod in ſenſu Janſenii idem eſt ac inſallibiliter neceſſario.

Hunc eſſe quinque articulorum doctrinalium ſenſum patet ex colloquiis Janſenii deſenſorum cum R. P. Ferriere, ut habetur collatione 4. pag. 27. his Novatorum verbis: *In doctrina Janſenii*, aiunt, *voluntatem quidem majori delectationi infallibiliter cedere; ſed neutiquam inde conſequens eſſe tolli conſentiendi potentiam, quia ut iſtam potentiam voluntas habeat, ſufficit ut dum concupiſcentia allicienti actu obſequitur, auxilium habeat ex ſe ſufficiens ad actum contrarium; hoc porro veriſſimum eſſe in doctrina Janſenii ſecundum quam ita voluntatem cupiditas ad conſentiendum determinat, ut de virtute quam in ſe continet gratia excitans nihil prorſus detrahat . . . motio concupiſcentiæ ſuperioris efficientiam gratiæ excitantis, id eſt, delectationis inferioris non minuit, nec impedit quominus hæc ſufficientiſſimam ex ſe voluntati ad bene agendum potentiam conferat*. Obſerves velim, benevole Lector, per auxilium ſufficiens Janſenium & ſuos intelligere gratiam efficacem, quam dicunt, decreſcente concupiſcentia, per ſe ſufficere ad effectum in eo ſenſu quod ſimul infallibiliter & neceſſario illum inſerat.

Verum occurrit menti hæc objectio. Thomiſtæ dicunt voluntatem a Deo motam non poſſe reſiſtere gratiæ efficaci potentia conſequenti, bene vero potentia antecedenti: Similia vero Janſenius & ſui in articulis doctrinalibus aſſerunt: Igitur neque auctor, neque Aſſeclæ cenſendi ſunt Hæretici, qnum dicunt neminem poſſe gratiæ reſiſtere, quippe qui hoc explicent de potentia conſequenti.

Reſpondeo negando paritatem; non enim unum ſed multiplex eſt diſcrimen inter Novatores & Thomiſtas: iſti quippe toto corde admittunt gratias ſufficientes quibus homo & poteſt reſiſtere, & de facto ſæpiſſime reſiſtit: Janſenius vero & ſui omnem gratiam volunt eſſe in præſenti ſtatu efficacem. Thomiſtæ concedunt quidem voluntatem non poſſe potentia conſequenti gratiæ reſiſtere, ſed per potentiam conſequentem intelligunt ſenſum compoſitum, ſeu potentiam cum actu conjunctam, quem ſenſum non ſolum approbant, ſed ſuſcipiunt omnes Orthodoxi Theologi, qui ultro concedunt voluntatem conjunctam cum actu non poſſe diſſentire; implicat enim voluntatem non conſentire dum actu conſentit: at vero Janſenius & ſui, ut ex dictis patet, propugnant etiam in ſenſu diviſo voluntatem a gratia motam non poſſe potentia relativa majori concupiſcentiæ reſiſtere: Denique Theologi Scholæ Angelicæ docent quamlibet gratiam efficacem poſſe quamlibet vincere concupiſcentiam, ſecus Novatores cum Magiſtro. Jam ad hiſtoriam progreſſus hæreſis Janſenianæ convertitur oratio.

7. *Poſt* tot Eccleſiæ declarationes & definitiones, quæſtio tum juris, tum facti non ſemel finita manebat: Sed ecce iterum ſuborta turbatio in Belgio anno 1692. occaſione quarumdam particularum quas hujus regionis Epiſcopi formulario ſubſignando addiderunt, volentes ut omni æquivocationi & malæ fidei præcluderetur aditus, ſubſignaturi jurarent I. ut ſcribit Leydecher pag. 80. *Non tantum in reverentiam Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſed etiam in veritatem earum*. II. *Non tantum in veritatem earum quæ in prædictis conſtitutionibus ſpectant ad quæſtionem juris, ſed etiam in veritatem ejus, quod ſpectat ad quæſtionem facti ab Alexandro VII. definiti: hoc eſt, ut non ſolum jurarent ſe damnare quinque propoſitiones famoſas, in omni ſenſu hæretico quem habent, ſed etiam ſerio & ſincere illas damnare, ut excerptas ex libro, cui titulus Auguſtinus, Cornelii Janſenii Iprenſis: & in ſenſu a Janſenio intento ſeu in prædicto ejus libro expreſſo*.

Iſta additiones tantas movere tragœdias ut multi appellaverint S. Pontificem Innocentium XII. qua cauſa ad impediendas lites Breve ſubdatum Romæ 6. Febr. anni 1694. miſit ad Epiſcopos Belgii, in quo quidem Brevi confirmans conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. tam pro quæſtione juris, quam pro quæſtione facti per Alex. VII. definita, vult ut Fideles ſimpliciter & ſine addito ſubſcribant formulario: *Præcipimus*, inquit, *ut quemadmodum ii qui ad juramentum adigendi ſunt, illud præſtare debeant ſincere abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu expoſitione, damnando eas propoſitiones ex libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt, prout ſenſum illum damnarunt ſummi Pontifices*

ſiet Prædeceſſores noſtri, *damnatumque voluerant a Chriſti fidelibus*, *&c.*

Quod pacem componere debebat, novum fuit contentionis motivum, namque Janſenii Aſſeclæ ubi affulget aut ſpecies aut pro quæſtionibus defendendis umbra & effugii locus, datam renovandi quæſtionem facti occaſionem arripiunt. Tunc enim & ſcriptis, & viva voce laudaverunt Breve, ſed eo ficto ſenſu quo ſilentium pro facti quæſtione, & a jure diſtinctionem permittere autumarent. Sed Innocentius os iniqua loquentium cito-citius obſtruſit novo dato ad explicationem mentis Brevi 24. Novemb. ann. 1696. Belgii Præſulibus directo, in quo quidem ſic loquitur: *Non ſine admiratione intelleximus nonnullos in iſtis Diœceſibus reperiri, qui verbis & calamo auſi fuerint affirmare ſupra dicto noſtro Brevi alteratam, ſeu reformatam eſſe Conſtitutionem Alexandri VII. die 16. Octob. ann. 1656. editam, nec non formularium ab ipſemet pronuntiatum, cum dicto Brevi utrumque ſpecifice confirmetur, & omnino intenderimus & intendamus iiſdem adhærere, & nequaquam ſinere ut aliquid addatur vel dematur a prædicto formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, ſed quod omnibus & ſingulis ejuſdem partibus uti mandavimus, & mandamus, etiam adamuſſim obſervari.*

Quid plura? Iteratis telis confoſſi pacis inimici iterum etiam zizania in agro Domini ſeminare non ceſſarunt. Modo propoſitiones arte nova compoſitas ſimplicium oculis ſubjiciunt, modo caſum conſcientiæ proponunt, ut ſi fieri poſſit aut redivivat, aut etiam creſcat atque triumphet error; verum utique & in omnibus Eccleſia debellat mendacium, omnium quippe fortior veritas, ut videre eſt in ſequentibus.

Janſeniſmi proſcriptio.

1. URBANUS VIII. damnavit primus librum Janſenii tamquam errores Baji magna ex parte complectentem. Ejus conſtitutio initium habet: *In Eminenti Eccleſiæ Militantis ſede*. Data eſt Romæ die 6. Martii anno 1641.

2. Innocentius X. ann. 1653. die poſtrema Maji diplomate incipiente: *Cum occaſione impreſſionis libri; cui titulus Aug. Cornelii Janſenii*; & ritu ſolemniori eamdem Doctrinam quinque propoſitionibus expreſſam proſcripſit. Primam quidem propoſitionem ut temerariam, impiam, blaſphemam, & hæreticam. Secundam, ut hæreticam. Tertiam, utique tamquam hæreticam. Quartam, ut falſam & hæreticam declaravit. Quintam demum, ut impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & omnino hæreticam anathematizavit. Iterato fulmine eos percuſſit 13. Julii anno 1653. Clerus Gallicanus in comitiis generalibus: recepit conſtitutionem Innocentii X. eadem vero die, eodemque anno Epiſtolam Encyclicam ad cæteros Galliæ Præſules reſcripſit, ut eodem ſecum fidei zelo acceptarent conſtitutionem; tum ut in ſuis viciſſim Diœceſibus eam publicari, & ſuum ſortiri effectum curarent. Acceſſit pro iſto momento Ludovici XIV. Declaratio 4. Julii anno 1653. ab ipſo Rege ſubſignata.

3. *Clerus* Galliæ animadvertens multos declinare anathema & cenſuras contra Janſeniſmi doctrinam, dicendo nec propoſitiones reperiri in Janſenio, nec fuiſſe in ſenſu Janſenii damnatas, nominat Reverendiſſimos Archiepiſcopos quatuor, ſcilicet Turonenſem, Ebrodunenſem, Rothomagenſem, & Toloſanum: item quatuor Epiſcopos, nimirum Eduenſem, Montalbanenſem, Sedonenſem, & Carnotenſem; qui omnes, diſcuſſis ſerio maturo & novo examine Janſenii libris, retulerunt quinque propoſitiones, de quibus erat controverſia, vere reperiri in opere Janſenii, cujus titulus eſt *Auguſtinus Iprenſis*: qua relatione facta, id ipſum in comitiis generalibus Præſules congregati declarant, conſtitutionem Innocentii permanere in ſuo robore: Ea de cauſa ſcribunt ad Epiſcopos abſentes, ut eos de æquitatis pro iſto momento certos faciant, ipſoſque deprecantur ut de his omnibus moneant populum ſibi commiſſum. Epiſtola eorum ſubdata fuit Pariſiis 28. Martii anno 1654. his auditis Innocentius X. non ſolum probavit & laudavit Cleri Gallicani explicationem, verum etiam Brevi Apoſtolico, quo de novo quinque propoſitiones uti Janſenii iterum proſcripſit 29. Septembris anno 165.. Acceſſit edictum Regium die 17. Maji anno 1655. pro executione reſcripti S. Pontificis: extat in actibus Cleri Gallicani Epiſtola

2. Februarii anno 1655. comitiorum ad univerſos Galliæ Epiſcopos ad recipiendum novum illud Breve Apoſtolicum.

Clerus Gallicanus anno 1656. 1. Septembris formularium compoſuit pro effectu conſtitutionis Innocentii X. & ſubſcribendum exhibuit. His concipitur verbis, aut æquivalentibus: *Sincere obedio Conſtitutioni Domini noſtri Patris Papæ Innocentii X. 31. Martii ann. 1553. ſecundum genuinum ſuum ſenſum, eumque in comitiis Illuſtriſſimorum Galliæ Præſulum 28. Martii anni 1654. probatum poſtea & confirmatum Brevi Apoſtolico ſuæ Sanctitatis 29. Septemb. ejuſdem anni, confiteor conſcientia teneri huic obedire Conſtitutioni, & corde & ore damno doctrinam quinque Propoſitionum Cornelii Janſenii in ſuo contentam libro qui inſcribitur Auguſtinus, quam quidem doctrinam & Papa & Epiſcopi proſcripſere, quæque nullo modo ſpectat S. Auguſtini doctrinam, quam Janſenius in adverſum ſumpſit & explicavit ſenſum, eamque a ſenſu genuino auctoris exulem.*

5. *Alexander VII.* epiſtola Cleri Gallicani enclytica 2. Sept. 1656. certior factus plurimos pacis inimicos diſtinguere factum a jure, ut Conſtitutionis Innocentii X. effectum præpedirent, die 16. Octob. ann. 1656. novam edidit Conſtitutionem, quæ diſtinctionem juris & facti circa errores Janſenii ſimul condemnat. Clerus Gallicanus Pariſiis congregatus hanc a toto mundo expoſtulatam recepit, & citra moram die 17. Martii an. 1657. reſcripſit ad cæteros Galliæ Præſules, ut eam eodem ſecum animo acceptarent. Summus Pontifex Conſtitutioni iſtud addidit formularium ſubſcribendum.

Ego *N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ* 13. *Maji anni* 1653. *& Conſtitutioni Alexandri VII. datæ* 16. *Octobris* 1656. *Summorum PP. me ſubjicio, & quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas per prædictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* Poſtea ſubjungit: *Decernentes inſuper Litteras ſemper & perpetuo validas & efficaces exiſtere.*

His pro ſua conſueta fide & pietate adjunxit Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. ſolemnes per modum edicti Litteras 29. Aprilis ann. 1664. quibus declarat & vult Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. contra Janſenii doctrinam publicari, recipi & executioni, omni qua par eſt erga S. Pontificem reverentia mandari.

Decretum Sacræ Facultatis Pariſienſis pro Conſtitutione Alexandri VII. recipienda.

ANNO *Domini* 1661. 2. *die Maji ſacra Facultate, more ſolito, poſt Miſſam de Spiritu ſancto in Aula Collegii Sorbonæ congregata, advenerunt Illuſtriſſimi Epiſcopi & Magiſtri Dominus Henricus de la Mothe Rhedonenſis, & Dominus Harduinus de Perefixe Rutbenenſis a Chriſtianiſſimo Rege ad eamdem* Facultatem *miſſi cum litteris quibus Rex ſignificabat ſe ad illam mittere fidei formulam a Clero Gallicano ad ſtabiliendam executionem Conſtitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. editam, cujus tenor eſt,* Je me ſoumets, &c. *Lecta igitur hac fidei formula, lectis etiam Regiis ad Facultatem Litteris, & audita Rhedonenſis Epiſcopi eloquentiſſima in ampliorem regiæ mentis Declarationem oratione: His denique omnibus expenſis, & in maturam deliberationem adductis, omnium qui tunc aderant Magiſtrorum concordibus omnibus ſuffragiis declaravit ſacra Facultas prædictam fidei formulam & formulæ ſubſcriptionem ſibi maxime probari, cum hæc formula non aliam fidei definitionem contineat, quam, quæ Innocentii X. & Alexandri VII. conſtitutionibus comprehenſa eſt, ſitque ejuſdem ſubſcriptio. Convenientiſſimus modus & valida ratio mandandi executioni Pontificias illas Conſtitutiones ad obſiſtendum novæ doctrinæ ac ſectæ. Jamque dudum Facultas utramque Conſtitutionem receperit. Hanc quidem Alexandri VII. die* 4. *Aprilis ann.* 1657. *illam vero Innocentii X.* 1. *Auguſti ann.* 1653. *lata quoque die* 1. *Sept. ſequentis contra refragatores excluſionis a Facultate pœna, atque aliunde prædictarum tam Conſtitutionum quam formulæ doctrina tota ſit ab antiquo mera conſtanſque Facultatis ipſius ſententia, & ſubſcriptionum uſus jampridem ſit in Facultate receptus, & ab eodem etiam ſæpius, in ſimili occaſione præceptus, ac noviſſime in damnatione ſecundæ magiſtri Antonii Arnaldi epiſtolæ, ubi de hac ipſa quæ nunc*

Digitized by Google

occurrit materia agebatur, quocirca ſacra Theologiæ Facultas unanimi conſenſu decrevit huic formulæ fidei ſubſcribi a ſuis omnibus debere, pari modo & ſub iiſdem pœnis, quibus voluit cenſuram prædicti Arnaldi epiſtolæ ab omnibus ſubſignari, ita videlicet ut nemo poſthac, vel e Doctoribus ad comitia & alia quævis jura ad Facultatem pertinentia, vel ex Licentiatis & Baccalaureis ad ullos actus Theologicos, ſive ad diſputandum, ſive ad reſpondendum, vel e Theologiæ Candidatis ad ſupplicandum pro primo curſu aut de tentativa reſpondendum mittatur, quin huic quoque fidei formulæ ſubſcripſerit.

Hoc ipſum ſuo calculo munivit Univerſitas Duacenſis anno 1648. ſolemni & publico inſtrumento quo declaravit: *Eos ſplendide mentitos fuiſſe qui aſſeruerunt Doctores Duacenſes non tantum alias ſed etiam modo pertinaciter adhærere doctrinæ Baji & Janſenii; e contra enim cenſuimus*, ajunt, *communibus ſuffragiis humillime ſuam Celſitudinem rogandam, ut pergat doctrinam illam janſenianam ſerio extirpare, qua nequaquam docetur mens beati Auguſtini.*

Clerus Galliarum anno 1700. in comitiis generalibus congregatus damnavit quatuor ſequentes propoſitiones.

Prima: *Phantaſma Janſeniſmi quæſitum ubique, ſed nuſquam repertum, præterquam in laboranti quorumdam phantaſia.*

Secunda: *Conſtitutione Innocentii nihil aliud actum, quam ut renovarentur atque exacerbarentur diſputationes...... in eamdem viam pertractus eſt Alexander VII.... Innocentius quoque XII. cum ex officio teneretur claram proferre ſententiam, generalibus æquivociſque verbis adhibitis, dat locum exiſtimandi ſe non auſum eſſe clarius loqui, tamquam errare metuentem..... atque, illud, in ſenſu obvio, ejuſdem Pontificis, magis adhuc generale eſt & vagum, quam verba Alexandri VII. in ſenſu a Janſenio intento. Epiſcopi denique Gallicani libertates Eccleſiæ Gallicanæ, ſub earum aſſerendarum ſpecie, labefactarunt, ſuper recipienda conſtitutione Innocentii X. contra Janſenium.*

Tertia: *Aliquam huic malo medicinam attuliſſe videtur Innocentius XII. in Brevi ſuo 6. Februar. 1694...... verum mitigationem illam præſumptam non parum extenuavit Brevi 24. Novemb. ann. 1696. ubi Pontifex diſerte negat conſtitutionem aut formularium Alexandri VII. Brevi ſuo alteratam aut reformatam...... in aliqua minima ejus parte.... Nec placet eorum opinio, quæ, ex ipſo primo Brevi 6. Februar. 1694. edito, aliquid mitigationis circa factum tentavit exculpere.... ſed & nihilo majorem in quæſtione juris progreſſum factum eſſe, jam quoque convenit oſtendere.*

Quarta: *Circa condemnationem Auguſtini Janſenii, opus eſſet collatione regulari habita vel coram judicibus a Romano Pontifice, vel a Rege datis.... nondum omnes interierunt, qui ſciunt deliberationes*, de Janſeniano negotio, *quas nunc Epiſcopi ut regulas ſuarum hodiernarum deliberationum* circa novum Quietiſmum, *ſumunt, Cleri Gallicani æternum fore propudia.*

Hæ *quatuor Propoſitiones*, inquit Clerus, *quibus inquieti homines Innocentii X. & Alexandri VII. conſtitutiones, Innocentii quoque XII. Brevia æquiſſima & ab omnibus approbata, aperte contemnunt, Epiſcopos Gallicanos rebus judicatis adhærentes inceſſunt maledictis, & cauſam hanc de integro retractari poſtulant, tamquam tot conſtitutionibus Apoſtolicis, etiam accedente Eccleſiarum conſenſione, cauſa nondum finita fuerit; falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ, contumelioſæ in Clerum Gallicanum, Summos Pontifices & univerſam Eccleſiam, Schiſmaticæ, & erroribus condemnatis faventes.*

Anno 1702. quidam Clericus expoſtulavit, num ſuus Confeſſarius poſſet ipſi denegare ſacramentalem abſolutionem, eo quod ſilentium reſpectuoſum ſubſcribendo formulario ſervaſſet pro quæſtione facti. Reſponderunt quadraginta Doctores ſuper hoc conſulti his verbis: *Doctores infra ſcripti, viſa caſus expoſitione, cenſent hujus Eccleſiaſtici viri ſententiam nec novam eſſe, nec ſingularem, nec ab Eccleſia damnatam; neque talem ut Confeſſarius poſſit ipſi ſacramentalem denegare abſolutionem, niſi eam retractaverit: deliberatum in Sorbona die 20. Julii anno 1701.* Hanc vero reſolutionem Clemens XI. ſua Conſtitutione quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth*, damnavit, voluitque Conſultores ſe retractare, quod & omnes, uno dumtaxat excepto, ſicut decet dilectos Eccleſiæ filios, ultro fecere: Univerſitas Pariſienſis die 1. Sept. ann. 1704. congregata, eamdem caſus reſolutionem ſuo ſtylo cenſorio perſtrinxit, & ſua contra Janſe-

niſmum decreta novo calculo roboravit.

Sereniſſimus Elector Colonienſis Epiſcopus & Princeps Leodienſis die 10. Maji ann. 1708. prohibuit ne Leodii typis mandaretur libellus quo obſtrepentes docent aliquem poſſe ſubſcribere formulario ea cum reſtrictione, quod concedat Propoſitiones damnatas reperiri in libro Iprenſis juxta ſenſum obvium, nuſquam vero ſecundum ſenſum a Janſenio intentum.

Quid plura adjiciam? Clemens XI. felicis recordationis hanc hæreſim non ſemel inſectatus eſt, maxime vero in Bulla *Unigenitus*, adverſus propoſitiones e libro reflexionum, qui dicitur Queſnelli, excerptas, quamquidem Eccleſia Gallicana ſimul cum Rege Chriſtianiſſimo Ludovico XIV. ultro ſuſcepit. Quia tamen muſſitant & ſine fine garriunt Novatores, ita ut ne quidem ſubſcribere propoſitionum condemnationi æquum ducant, ne ſic obſtrepentes in poſterum decipiant incautos, eis illud S. Auguſtini objicimus, ut oraculum, & pro exigenda debita obedientia: *Evangelio non crederem niſi me commoveret Eccleſiæ auctoritas*. Teneutur igitur omnes & ſinguli fideles damnare quinque Janſenii propoſitiones propter quatuor.

Primo: Quia ſunt in libro Janſenii.

Secundo: Damnatæ ſunt in ſenſu Janſenii.

Tertio: Eccleſia eſt infallibilis in definitione facti dogmatici.

Quarto: Fideles debent vere & ſincere omni ſecluſa mente doloſa & verſipelli ſubſcribere formulario.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum prædictæ quinque propoſitiones ſint in libro Janſenii?

TAM accuratæ & repetitæ definitiones debebant placare & ſedare animos, ſed quod ſtupendum ſane eſt, infinitos invenerunt cavillatores & cavillos, quibus Apoſtolica anathemata ab illa venenoſa doctrina propulſare poſſint. Hi vero omnes ad duo præcipue capita reducuntur. Primumquidem, propoſitiones damnatas in Janſenii libro non reperiri, ſed gratis confingi a Sorbonæ & Regiæ Navarræ Doctoribus. Alterum, dato & non conceſſo reperiri, ſed in ſenſu Janſenii nuſquam fuiſſe proſcriptas. Contra primum ſit

CONCLUSIO.

Quinque propoſitiones damnatæ reperiuntur in libro Janſenii.

PROBATUR 1. Ex ipſis Janſenii aſſeclis & defenſoribus: enim vero in libris quos pro Janſenii defenſione ante ejus proſcriptionem juris publici fecerunt, propoſitiones uti Janſenii fœtum defendunt. Ita legitur in Apologia Arnaldi: quinimmo pro quinque propoſitionibus non ſemel verbo & ſcripto publice in Sorbona decertarunt, ut ab eis Sacræ Facultatis cenſuram diverterent. 2. Si propoſitiones non ſunt Janſenii fœtus, cur tanto ardore Romam convolarunt, ut ejus doctrinæ partes duorum & amplius annorum ſpatio coram ſummo Pontifice agerent. 3. Denique, ex quo propoſitiones anathemate percuſſæ ſunt, numquid ſilentium ſervavere? Nonne novas ad hodiernum uſque diem movere tragœdias, ut Janſeniſmum eſſe phantaſma ſimplicibus in animarum perniciem ſuadeant? nonne propoſitiones in ſenſu a Janſenio prorſus alieno damnatas fuiſſe ſine fine conclamant? quod ſane magnum eſt & irrefragabile argumentum propoſitiones in libro Janſenii, ſicut veriſſimum eſt, reperiri. Adde, certum eſſe totam Galliam fuiſſe turbatam ratione illarum propoſitionum: jam vero inter quos fuit illa commotio niſi inter Janſenianos, & doctores Catholicos: ergo Janſeniani ſtabant pro illis propoſitionibus ut ſuis, Catholici vero contra illas.

Probatur 2. Ex Epiſcopis Galliæ, qui in unum Pariſiis congregati ſcripſerunt ad Papam, poſtulantes examen quarumdam propoſitionum Janſenii, deinde Innocentius dicit in Bulla ſua controverſiam natam eſſe præſertim in Galliis ſuper quinque propoſitiones Janſenii, quas ordine recenſet, & condemnat, addens alias ejus opiniones ſe non intendere approbare: Ergo &c.

Confirmatur: Auditis Janſenianorum reſponſionibus Antiſtites Galli iterum Pariſiis adunati ſunt, & commiſerunt quatuor Archiepiſcopis & quator Epiſcopis novum examen libri Janſenii, quo facto, de-

declararunt nullum eſſe dubitandi locum, quod illæ propoſitiones ex eo ſint deſumptæ. Tum ſcripſerunt ad Innocentium, poſtea vero ad Alexandrum VII. ejus ſucceſſorem, ut certos de novo illos facerent de propoſitionibus Janſenii. Tum Alexander ſpeciali Bulla eaſdem quinque propoſitiones ex libro præmemorati Janſenii excerptas fuiſſe definit atque declarat: Eccleſia tota huic Bullæ ea qua par eſt erga S. Pontificem reverentia obedivit. Quid plura? Niſi poſt totum aliquid inquirere.

Probatur 3. Ex textibus Janſenii. Prima propoſitio habetur lib. 3. de gratia Chriſti pag. 138. Col. 2. ubi Janſenius ſic loquitur. *Hæc igitur omnia pleniſſime planiſſimeque demonſtrant nihil eſſe in ſancti Auguſtini doctrina certius ac fundatius quam eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus peccatoribus, & obduratis, ſed fidelibus quoque & juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſſe quoque gratiam, qua fiant poſſibilia; hoc enim ſancti Petri exemplo aliiſque multis quotidie manifeſtum eſt, qui tentantur ultra quam poſſint ſuſtinere.... Ex eodem principio conſentaneum eſt plurimis non dari iſtam faciendi præcepti poſſibilitatem, qua precibus implorari ſolet.... Petrus gratia deſertus implere non potuit quod ſe velle ſentiebat.... Non omnes etiam qui petunt a Deo vires illas magnas, præcepta faciendi & cupiditatem ſuperandi, impetrant id quod petunt.... Non enim exigua quorumdam allucinatio eſt, qua putant ſemper adeſſe homini gratiam ut petat, ac tam ardenter petat, ut infallibiter impetret id quod petit.*

Ibidem cap. 5. pag. 113. col. 1. ponit ut principium, non dari in præſenti ſtatu gratiam ſufficientem. Quia vero reſponderi poterat, Judæos & fideles Chriſtianos habere gratiam orationis qua mediante poſſint habere efficacem ad præceptum adimplendum, ait iſtam gratiam etiam requiri ad orandum, & utique ſæpius denegari. Unde ſecundum ipſum deeſt multis etiam gratia orationis, & ſic ſequitur ipſius concluſio, videlicet quod aliqua præcepta ſint abſolute impoſſibilia, quandoquidem non poſſumus ſine gratia adimplere præceptum ſupernaturale, ſecundum ipſum vero deeſt ad hoc & gratia remota ſcilicet gratia orationis, & gratia proxima qua poſſit immediate voluntas ad actum præcepti applicari.

Secunda propoſitio, jacet lib. 1. de gr. Salv. p. 41. cap. 4. col. 1. *Gratia ſana voluntatis, in ejus libero arbitrio*, ſcilicet Adami, *relinqueretur, eam, ſi vellet, deſereret, aut ſi vellet uteretur: gratia vero lapſa ægretæque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, ut eam deſerat, aut arripiat, ſi voluerit, ſed ipſa ſit potius illa poſtrema gratia quæ invictiſſime facit, ut velit, & a voluntate non deſeratur.*

Ibidem cap. 24. pag. 80. col. 1. *Talis eſt illa gratia, quæ ſimul ac pulſat foras, rumpit oſtia, repugnantem domat voluntatem, tollit omnem ejus reſiſtentiam, rapit eam ſecum, & ex invita volentem ac ſe determinantem ineffabili ſuavitate ac poteſtate facit.*

Rurſus ibidem cap. 24. pag. 82. col. 2. ait, in hoc præſenti ſtatu non ſolum non reſiſti gratiæ, ſed non poſſe ei reſiſti, quod quidem concludit ex principiis poſitis: *Quamobrem ſexto*, ait, *gratiam Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam* NON POSSE RESISTERE.

Ibidem lib. 2. de gr. Salv. cap. 29. pag. 87. col. 1. hanc ſibi proponit difficultatem: *Reſpondebit fortaſſe aliquis, magis in ſcholaſticorum ſcriptis quam Auguſtini revolvendis exercitatus, hæc omina quæ produximus; eum de gratia tantum efficaci tradidiſſe, nihil vero impedire quin aliæ nonnullæ gratiæ per hominis voluntatem effectu careant. Reſpondeo nihil verius dici poſſe, quam quod omnia quæ hactenus protulimus de gratia efficaci Auguſtinus dixerit atque intellexerit: cujus rei cauſa eſt, quod nullam agnovit aliam actualem Chriſti gratiam, nec agnoſcere potuerit, niſi regulas omnes fundamentales quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit & explicuit, vellet interimere.*

Rurſus ibidem ſibi objicit, quod multæ ſint operationes & inſpirationes: Sed reſpondet eas non eſſe gratiam ſufficientem.

Rurſus ibidem cap. 28. pag. 88. col. 1. dicit liberum fuiſſe homini innocenti cadere vel ſtare, minime vero ægro & lapſo: Quibus principiis & rationibus probat clare ſuum intentum, ſcilicet neminem gratiæ interiori in præſenti ſtatu, nec reſi-

reſiſtere, immo, nec reſiſtere poſſe; in qua quidem doctrina duplex ſtat error, nempe quod nulla ſit gratia ſufficiens in ſtatu naturæ lapſæ, alter vero, quod gratia efficax neceſſitet, ſi quidem ex Janſenio ſolus Adam innocens poteſtatem habebat ſtandi, vel cadendi, reſiſtendi gratiæ, vel non; ſecus vero lapſus.

Tertia propoſitio, ex multiplici capite ſe prodit. Eam probat Janſenius toto libro ſexto ex profeſſo. I. Ex notione quam dat de libertate. II. Ex probationibus quas affert. III. Ex conſequentiis quas deducit.

Primo: libr. 6. cap. 8. pag. 271. col. 2. ſic loquitur: *Accedit denique paradoxum in Auguſtini doctrina inauditum eſſe .... quod actus aliquis voluntatis propterea liber ſit, quia ab illo deſiſtere voluntas & non agere poteſt, cum potius diametraliter e contrario, ſemper ab eo propterea libertas alicujus actus aſſeratur, quia voluntas eum agere poteſt.*

Idem docet libr. 6. de gr. Ch. cap. 6. pag. 267. col. 1. his verbis: *Quod ſola videlicet neceſſitas illa violenta ſub qua arbitrium premitur atque cogitur, ſeu neceſſitas coactionis libertati arbitrii adverſetur*. Tum col. 2. *Nunc vero in Aug. ſenſu aſtruendo pergamus. Nam eadem illa doctrina, quod ſola neceſſitas coactionis adimat libertatem, non neceſſitas illa ſimplex & voluntaria ex aliis ejus locis non difficile demonſtrari poteſt.*

Idem tom. 3. libr. 2. c. 3. pag. 40. col. 1. ſic effatur: *Hic nutus, hic flexus, ſeu iſta ſuprema nuendi, flectendique poteſtas, qua ſeſe utrimque in bonum, aut malum humana libertate ac dominatione librabat*, ſcilicet voluntas, *ſupplicio non minus cadentium, quam ſtantium remuneratione prorſus amiſſa eſt; dum utrobique indifferentia iſtius loco libertatis ſervitus iſtius ſupremæ dominationis inducta eſt ..... in peccatoribus enim ante gratiam a concupiſcentia ..... in beatis ab ardentiſſima charitate.*

Idem tom. 3. libr. 8. cap. 21. pag. 372. col. 1. *Noverat* Concil. Trident. *philoſophicam eſſe quaſtionem, utrum libertatis ratio, a qua liberum arbitrium dicitur, in experte coactionis voluntate ſita, an in indifferentia ad bonum & malum, ad agendum & non agendum.*

Rurſus lib. 8. de gr. Ch. cap. 21. pag. 370. col. 2. *Objicitur fortaſſis*, inquit, *adverſus iſtam gratia & liberii arbitrii concordiam, eam a ſententia Calvini non differre. Sic enim utrumque invicem conciliat, ut dicat hominem vi gratiæ non trahi, ut ſine motu voluntatis quaſi extraneo impulſu feratur, ſed intus affici, ut ſua voluntate obſequatur. Hoc eſt voluntarie tantum, non libere influere in opera bona voluntatem. Quæ ſententia a Concilio Tridentino diſſonat. Reſpondetur non omnia quæ hæretici docent, ſunt hæretica*. Audis nos habere Janſenium fatentem reum, quippequi ſicut Calvinus ad libertatis eſſentiam nihil aliud præter exemptionem a coactione exigat: Quia vero a Synodo Tridentina ſe præmatura damnatione innodatum ſentit, anathema ſe declinare putat dicendo, definitionem fidei, eſſe ſolum queſtionem uti Philoſophicam a Concilio celebratam: *Noverat* ait Conc. *eſſe Philoſophicam quæſtionem.*

Probatur II. Ex probationibus quas affert, quæ eo tendunt, quod per reſpectum ad meritum & demeritum ſufficiat libertas hoc modo definita: Primo quidem probat immunitatem a coactione continere omnia requiſita ad perfectam libertatem. II. Patres in ſuum trahere ſenſum tentat. Primum patet ex exemplo beatorum quod adducit, nam lib. 6. pag. 269. col. 1. de grat. Salv. cap. 8. ſic ait: *Libertas beatorum ſive hominum ſive Angelorum multo invictius demonſtrat ſimplicem illam neceſſitatem, ſublata omni omnino indifferentia, & contrarietatis & contradictionis, non officere in doctrina ſancti Doctoris libertatis arbitrio*. Tum cap. 9. pag. 272. col. 2. *Quo*, inquit, *alioquin pacto, fieri poteſt, ut vir accutiſſimus profundiſſimus toties a Pelagianis de libertate laceſſitus, nullam vel tenuem umbram in tot ſcriptis ſuis reliquerit, quod libertas arbitrii in hujuſmodi indifferentia collocanda ſit*. Sic per fas & nefas Iprenſis deflorat Aug. Secundum patet etiam ex Patribus quos citat, nam lib. 6. cap. 12. pag. 278. col. 2. loquens de S. Chryſoſtomo ait: *Numquam ... interitum libertati timet niſi a neceſſitate violentiæ atque coactionis, qua abſente ſatis ei eſt, quod ſponte volenteſque peccant & benefaciunt.*

Rurſus libr. 9. de grat. Chriſti cap. 1. pag. 309. col. 1. ait libertatem in ſola exemptione a coactione ſitam eſſe, & conſequenter ad merendum, vel demerendum ſufficere eſſe a coactione liberum: lib. 9. de gr. Ch. cap. 6. pag. 264. col. 2. ait Au-

ait Auguſt. docere ſolam coactionem opponi libertati, & cap. Lib. ultimo pag. 306. col. 2. omnes ſanctos Doctores ſic docuiſſe. Lib. 9. cap. 2. in fine & ſequentibus, actum eſſe liberum eo ipſo quo eſt voluntarius, & oſtendit neceſſitatem non opponi libertati triplici exemplo, Dei ſcilicet, Beatorum & Chriſti, quorum actus beatifici ſunt neceſſarii, & tamen, inquit, liberi.

Probatur III. ex conſequentiis. Nam lib. 6. cap. 20. pag. 290. col. 2. docet liberum arbitrium eſſe commune Beatis: libr. 9. cap. 1. pag. 309. col. 2. eſſe commune Deo & Angelis beatis in eo ſenſu quod Deus libere ſe amat quia neceſſario; quod beati ſint liberi, quia voluntarie & ſponte, ſed neceſsario amant Deum. Rurſus lib. 6. cap. 20. pag. 290. col. 1. dicit, liberum arbitrium Beatorum eſſe majus noſtro, quia eſt magis immutabile: Sed Deus neceſſario ſe amat, Beati neceſſario amant Deum. Igitur manifeſte ſequitur ex principiis Janſenii liberum arbitrium in homine neceſſitari ad actum, quia eſt liberum arbitrium eo ipſo quo non eſt coactum.

Denique lib. 8. cap. 19. pag. 366. col. 2. infert voluntatem eſſe liberam ſub omni gratiæ dominio, quia illi placet operari, licet neceſſario. Lib. 9. cap. 4. col. 1. dicit nos eſſe magis liberos circa finem quam circa media: & tamen neceſſario appetimus beatitudinem in communi. Igitur non aliam agnoſcit libertatem quam a coactione. Lib. 2. cap. 2. pag. 38. col. 1. infert ex notione liberi arbitrii ſic definiti per neceſſitatem, nec gratiam quæ determinat neceſſario, nec concupiſcentiam tollere libertatem, immo, inquit, ex hoc Sancti vitam ducunt innocentem: Ergo &c.

Quarta propoſitio habetur libr. 8. de hæreſi Pelagiana cap. 6. quoad primam partem, quæ conſiſtit in hoc: *Semipelagiani admittebant gratiam interiorem etiam ad initium fidei*; ſic loquitur pag. 185. col. 2. *itaque Maſſilienſium opinionibus & Auguſtini doctrina, quam diligentiſſime ponderata certum eſſe & indubitatum eſſe debere ſentio, quod Maſſilienſee præter prædicationem atque naturam, verum etiam & internam & actualem gratiam, ac ipſam etiam fidem, quam humanæ libertatis, ac voluntatis aſcribunt viribus, neceſſariam eſſe fateantur.*

Rurſus ex profeſſo lib. 2. de gr. Ch. cap. 12. pag. 55. col. 1. his verbis: *Memoria recolendum eſt id quod latiſſime alio loco tradidimus, Semipelagianos ad illud initium fidei, orationem, deſideria, ſimileſque actus bonos, quos homini in poteſtate remanſiſſe ſentiebant, vera, interna, actualiſque gratiæ adjutorium ſtatuiſſe neceſſarium*. Rurſus ibidem pag. 56. col. 1. ibidem adhuc pag. 62. col. 1.

Secunda pars: *Et in hoc erant hæretici, quod dicerent gratiam eſſe talis naturæ, ut voluntas illi reſiſtere poſſet*, habetur *lib. 8. de hæreſi Palagiana cap. VI. pag. 188. col. 1. In hoc ergo proprie Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primariæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſet, ſi vellet: neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus, vel abuſus relictus eſſet in unius cujuſque arbitrio & poteſtate.*

Idem libr. 2. de gr. Salv. cap. 12. pag. 55. colum. 1. ſic habet: *Latiſſime alio loco tradidimus Semipelagianos ad illud initium fidei, orationem, deſideria, ſimileſque actus bonos, quos homini in poteſtate remanſiſſe ſentiebant, vera interna actualiſque gratiæ adjutorium ſtatuiſſe neceſſarium*. Hæc ibi pro prima propoſitionis parte dicit, ſed ſubdit ibidem pag. 56. col. 1. *hoc igitur modo quo Maſſilienſes cum gratiæ præſentis adjutorio putabant hominem per naturales primæ integritatis reliquias poſſe credere, poſſe orare, ac deſiderare Deum, tanquam gratiæ medicinalis deſtructores, & liberi arbitrii præſumptores, merito cenſuræ ſeveritate damnati ſunt*; eo quod, ut ibi dicit, admitterent gratiam *ſufficientem* cui reſiſti poteſt.

Ibidem cap. 25. pag. 85. col. 1. & lib. 3. de gr. Chr. cap. 1. p. 103. col. 2. in fine. Ecce c. 25. p. 85. titulus: *Decimo, ejus efficaciſſima natura declaratur, ex eo quod nulla prorſus,* gratia, *effectu caret, ſed cum in omnibus quibus datur, infallibiter operatur.*

Quinta propoſitio: prima pars: *Error eſt Semipelagianorum dicere Chriſtum pro omnibus mortuum*: Habetur lib. 3. de gr. Chr. cap. 21. pag. 164. col. 2. his verbis: *Ex quibus omnibus jam ſatis arbitror patere, argumentum iſtud quo Chriſtus pro omnibus paſſus & mortuus eſt, vel redemptionem ſe pro omnibus dediſſe dicitur, nihil omnino pro auxilio ſufficienti omnibus nemine excepto, ſuppeditando facere, nec enim juxta doctrinam antiquorum, pro omnibus omnino Chriſtus paſſus, aut mortuus eſt, aut pro omnibus*

omni-

omnino, tam generaliter ſanguinem, fudit, v. in hoc potius, tamquam errorem a fide catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.

Idem repetit & docet Janſenius cap. 20. pag. 159. ubi oſtendit non dari gratias ſufficientes; tum quia, inquit, Deus non vult omnes homines ſalvos fieri: tum quia Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus. Rurſus ibidem pag. 162. col. 1. irridet argumentum quo objicitur & probatur Chriſtum redimiſſe omnes homines.

Reſpondetur, ait, *& hoc argumentum, ſicut omnia pracedentia, jam olim ad nauſeam uſque a Pelagianis, præſertim Maſſilienſibus inculcatum fuit ... Tamquam firmiſſimam Baſin errori ſuo collocarunt iſta Scripturæ loca, quibus Deus dicitur omnes velle ſalvos fieri, atque eſſe Redemptorem omnium.*

Secunda pars propoſitionis: Quod Chriſtus oraverit, & mortuus ſit ſolum pro electis, habetur lib. de grat. Chriſt. cap. 21. pag. 166. col. 2. his verbis: *Illa extenſio, tam vaga modernorum ſcriptorum, non alio ex capite, quam ex iſta generali & indifferenti voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit. Quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia velut machinam, a Semipelagianis introductam repudiant.* Prius dixerat: *Quæ ſane cum in Auguſtini doctrina, perſpicua certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuum eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe . . . . ex quo factum eſt non magis Patrem, pro æterna liberatione ipſorum quam pro diabolo deprecatus ſit.* Quod probatur etiam ex titulo capitis undecimi ſic inſcripti: *Infideles carent gratia ſufficienti ad ſalutem, tam proxima quam remota, & omnibus principiis ejus.*

Iprenſis non ſolum concludit ex hoc quod Chriſtus non oraverit pro omnibus, infideles carere gratia ſufficienti, ſed etiam infert omnes fere Judæos, paucis exceptis, multoſque Chriſtianos carere gratia, qua præcepta reddantur illis poſſibilia: ita lib. 3. de grat. Chr. cap. 5. pag. 111. col. 2. denique tertiam eruit conſequentiam, aut ſaltem ea ſequitur ex ejus doctrina, videlicet, quod non ſit magnopere curandum de adimpletione legis, cum deſit multis gratia ad præceptum adimplendum. Hoc ipſum claret ibidem.

Solvuntur objectiones.

OBJICIUNT Janſenii defenſores: Iprenſis eo ſolum ſenſu dicit quædam præcepta eſſe impoſſibilia, quo vires libero arbitrio ingenitæ ſe ſolis abſque gratiæ auxilio non ſufficiant: Sed hoc nedum ab omni erroris nævo alienum, quin potius maxime catholicum eſt, & a divo Auguſtino adverſus Pelagianos contrarium ſentientes celebratum: Igitur prima propoſitio in ſenſu hæretico a Janſenio nuſquam propugnata eſt. Major in qua potiſſimum ſita eſt difficultas probatur non ex uno aut altero, ſed multiplici Janſenii effato. Primoquidem l. 3. de gratia Salvatoris cap. 13. pag. 134. col. 2. relata Theologorum opinione aſſerentium Deum impoſſibilia non jubere, ait: " Reſpondetur igitur, primam illam ſententiam „ qua dicitur Deum non jubere id quod „ homini eſt impoſſibile, numquam ſic „ intellexiſſe Auguſtinum, ut Deus non „ poſſit homini præcipere, id quod pro„ priis viribus ſuis implere non poteſt: „ Sed ſolum quod ita impoſſibile eſt, ut „ neque propriis, neque alienis viribus, „ ſi illas in auxilium advocaverit, poſſit „ implere. „ Igitur præcepta ſolummodo viribus naturæ aſſerit impoſſibilia. Secundo, ibidem eſt ſui ipſius interpres & ſic loquitur: " Si quid obſcuritatis alicui „ fortaſſe ſupereſſet, ex aliis perſpicuis „ locis illuſtrari poteſt. Nam hoc idem „ ſibi vult Auguſtinus, quando contra „ Pelagianos præceptorum poſſibilitatem „ contentioſiſſime inculcantes dicit. „ „ Lib. de nat. & gr. cap. 15. „ Itaque præ„ cepto facere commonemur quod conan„ tes & noſtris viribus non valentes, ad„ jutorium divinum precemur. „ Et in„ fra poſt aliquot capita: Non igitur „ Deus impoſſibilia jubet: Sed jubendo ad„ monet, & facere quod poſſis, & petere „ quod non poſſis. „ Videas velim, Ip„ renſem negare ſolummodo præceptorum poſſibilitatem in ſenſu Pelegiano a fide prorſus alieno: ſuamque auctoritate D. Auguſtini ab ipſis Patribus Tridentinis

al-

adoptata, firmare ſententiam, unde relinquitur præcepta agnoſcere poſſibilia, non quidem ſolis naturæ viribus, ſed & gratiæ, quod veriſſimum eſt. Tertio, denique argumenta quibus probare videtur, præcepta eſſe impoſſibilia initio capitis 13. & objectiones contra ſuam opinionem propoſitas refutat, nec negat præcepta Dei eſſe poſſibilia, ſed potius aſſerit poſſe obſervari, ita ibidem cap. 15. pag. 145. col. 1. & 2. his verbis: „ Ad argumentum igitur initio capitis „ decimi tertii propoſitum veniendo, re„ ſpondemus, præcepta Dei eſſe homini „ poſſibilia, ſeu poſſe ab homine fieri, & „ conſequenter hominem ea poſſe facere. „ Etenim ſi jam juſtificatus eſt, habet „ charitatem ſeu bonam voluntatem, per „ quam Deum diligere, & conſequen„ ter totam legem implere poteſt, pleni„ tudo enim legis dilectio, inquit Apo„ ſtolus. Si autem fidelis quidem, ſed „ nondum juſtificatus eſt, habet aliquid bo„ næ voluntatis, quatenus credit; nam, „ ubi eſt initium fidei, eſt etiam initium „ boni, hoc eſt, piæ voluntatis: per hanc „ autem poteſt mundari, poteſt uberius „ auxilium invocare, & conſequenter re„ cte pieque vivere, quod ſi etiam fide „ Chriſti caret, habet liberum voluntatis „ arbitrium per quod uti carni titillanti, „ ita & ſpiritui illuminanti conſentire, „ uti peccare, ita & recte vivere poteſt: „ quocumque vero poſſibilitatis modo ex „ illis tribus quos jam diximus, homo „ poſſit præcepta Dei facere. „ Ergo &c.

Dicta quidem ſua tot & tantis S. Auguſtini auctoritatibus ſtabilire enititur Janſenius, ut permulti etiam & probi & doctrinæ Patrum non ignari eo decipi velint, ut nedum Iprenſem erraſſe dicant, ſed & Janſeniſmum phantaſma reputent, propoſitioneſque damnatas in libro Janſenii reperiri, fidenter negent; ſed attendant quæſo, & lucifer qui neſcit occaſum naſcetur & eorum cordibus, namque habemus non in uno aut altero, ſed in multiplici loco confitentem reum.

Reſpondeo itaque primam propoſitionem damnatam, nedum quoad ſenſum, verum etiam & quoad verba atque terminos reperiri in Janſenio. Quo ſcopo igitur, qua mente, qua fiducia, & ne dicam qua fronte quidam propoſitiones a ſummis Pontificibus proſcriptas in libro Janſenii inveniri negare audeant? prorſus ignoro. Quid ſit de eorum zelo, non certe ſecundum ſcientiam, ſed potius ſecundum errorem & mendacium ſentiendum, intelligite cordati Lectores, ex ipſo Janſenio, qui poſtquam præcepta Dei eſſe etiam fidelibus, etiam juſtis quidem conantibus nonnumquam impoſſibilia, variis B. Auguſtini auctoritatibus a ſenſu naturali ad pravum detortis probare conatus eſt; ſic enim concludit lib. 3. de gr. Salv. cap. 13. pag. 138. col. 2. *Hæc igitur omnia pleniſſime, planiſſimeque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini doctrina certius ac fundatius, quam eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis; ſed fidelibus quoque, & juſtis, volentibus, conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſſe quoque gratiam qua fiant poſſibilia*. Præcepta ex Janſenio ſunt impoſſibilia etiam juſtis, etiam conantibus, ita ut non poſſint illa implere, quippequi conentur & non poſſint: quorſum vero non poſſunt? Quia carent gratia qua poſſibilia fiant? Igitur ex Janſenio præcepta ſunt vere & intrinſece, immo & ſimpliciter etiam juſtis impoſſibilia; & hoc non ſolum in ſenſu Pelagianis oppoſito, quatenus abſque gratia nullus ad Patrem venire poteſt, verum etiam in ſenſu & Scripturæ, & Patribus & Eccleſiæ eatenus adverſo, quatenus gratia qua poſſibilia fiant, ait, deeſt.

Quanam ſit illa gratia qua præcepta Dei fiunt poſſibilia? Illa ſane qua Deus, teſte Scriptura, dicitur pulſare ad cor: illa qua Deus tamquam ſponſus quærit & expoſtulat cor noſtrum (præbe fili mi cor tuum mihi) quæ quidam verba Concilium Senonenſe de gratia ſufficiente interpretatur: Illa, qua præparatur voluntas a Domino, ut poſtea exeat in actum modo fidei, modo dilectionis, alteriuſve virtutis, ut centies dicit Auguſtinus: non ea ſola quæ infert actum, & dicitur efficax, cum iſta ſit pro agere, illa vero pro poſſe agere: cum efficaci non reſiſtat homo, e contra vero ſufficienti; nam prima eſt conjuncta cum actu, alias non diceretur efficax: Secunda vero præparat ad actum: præparationi autem & diſpoſitioni hominem nonnumquam reſiſtere nemo non novit. Et tamen hanc gratiam qua præcepta Dei poſſibilia fiant, negat ex profeſſo Jan-

Janſenius. Sic pronuntiat ibidem lib.3. de gr. Chriſti cap.2. quod ſic inſcribitur: *Adjutorium ſure ſufficiens ad gratiam naturæ pertinet: lapſorum reparationi inutile, & pernitioſum.* Ponderanda ſunt ſane illa verba, ut omne præcludatur erronea molientibus effugium. Janſenius admittit auxilium ſufficiens quod dat proxime poſſe bonum pro homine innocente, illud ipſum negat pro homine lapſo: Igitur intelligit præcepta nonnumquam eſſe ſimpliciter impoſſibilia etiam juſtis, etiam conantibus, quia gratia qua poſſibilia fiant, illis deeſt.

Iprenſis iterum abjudicat a ſtatu noſtro gratiam ſufficientem modo ne dicam blaſphematorio, ibidem cap.3. cujus hic eſt titulus: *Quam monſtruoſa ſit gratia ſufficiens pro ut a recentioribus explicatur.* Capite vero quarto clariſſime ſeſe explicat: ea enim ratione a noſtro ſtatu gratiam eliminat ſufficientem, quia omnem Chriſti gratiam efficacem eſſe propugnat. Talis eſt hujus capitis inſcriptio: *Ex natura gratiæ Chriſti oſtenditur, nullis dari ſufficientem gratiam juxta ſenſum Recentiorum.* Sic incipit caput: " Hanc igitur ſufficientem gratiam „ Auguſtini principiis & Scripturarum „ repugnare, ex alio quoque capite quod „ apud ipſum crebro inculcatur, demon- „ ſtrari poteſt. Docet enim non ſemel „ veram Chriſti gratiam (a nullo duro „ corde reſpui).... Hinc ulterius do- „ cet, nullam Chriſti gratiam effectu ope- „ ris ad quem efficiendum voluntati da- „ tur, ulla voluntatis pervicacia fruſtra- „ ri. „ Idem probat fuſius lib. 4. de gratia Salvatoris in decem primis capitibus, maxime in ſexto, ubi contendit omnem gratiam medicinalem eſſe victricem & neceſſitantem: Sed ut totum iſtud negotium omnibus legentibus facile pateat, textum capitis decimi tertii lib.3. de gratia Chriſti, in quo Janſenius ex profeſſo probat quædam præcepta etiam juſtis eſſe impoſſibilia, exponere & explanare juvat.

Explanatur caput decimum tertium libri tertii de gratia Salvatoris.

JANSENIUS illud caput ſic inſcribit: *Proponuntur duo argumenta pro aſſerenda gratia ſufficiente. Diſſeritur fuſe de poſſibilitate, & impoſſibilitate præceptorum Dei. Eſſe quamdam voluntatis infirmitatem, qua non poteſt certas tentationes ſuperare, nec adeſt gratia qua ſuperentur, nec Spiritus orationis, quo vires impetrentur.*

OBSERVATIONES.

IN hoc capite multa intendit Novator. Primoquidem impugnare gratiam ſufficientem, qua quidem ne dum ſecundum Theologos Orthodoxos, ſed & juxta Conciliorum & ſummorum Pontificum ſanctiones mandata poſſibilia fiunt. Secundo, quædam præcepta eſſe non ſolum infidelibus & obduratis, ſed & fidelibus etiam juſtis, etiam conantibus impoſſibilia. Tertio, tantam eſſe voluntatis humanæ infirmitatem, ut non ſemel nos ſupra vires tentari conſtet. Quarto, nonnumquam gratiam deeſſe qua tentationes ſuperari queant. Quinto, etiam deeſſe quandoque gratiam orationis qua vires ſufficientes ad propellendam ſuperandamve tentationem habere poſſimus.

Jam habemus confitentem reum: Igitur in eo maxime ſenſu præcepta ſunt nonnumquam etiam juſtis tametſi conantibus impoſſibilia, quia nec datur gratia ſufficiens qua poſſibilia fiant, nec alia robuſtior qua de facto adimpleantur, ſemper datur; immo nec ipſa orationis gratia qua vires ad hoc ſufficientes habere valeamus; quia denique ſæpe fit in ſtatu præſenti, ut homo juxta Janſenium ſupra ſuas tentetur vires; certe præcepta ad ſalutem conducentia abſque gratia nec poteſt homo lapſus adimplere, ſaltem proxime. Igitur non habet veram & intrinſecam poſſibilitatem donec viribus libero arbitrio innatis addatur gratia. Hanc nonnumquam deeſſe juſtis, etiam conantibus conclamat Iprenſis: Igitur negat præcepta eſſe poſſibilia in ſenſu hæretico. Quod abſque negotio probatur, & dignoſcitur ex relatione, quam doctrina Janſenii habet cum Calviniana.

De mente Janſenii.

UT initium ab Iprenſi ducamus, textus cap. 13. diſcutiendus eſt, ut quiſquis cordatus intelligat quomodo omnes tituli partes probare conatur auctor.

Primo: Iprenſis pag. 134. col. 2. in medium profert argumenta quibus Theologi Catholici probant gratiam, qua præ-

cepta poſſibilia fiant, omnibus dari, videlicet quia Deus impoſſibilia non jubet, homo vero quilibet, etiam obcæcatus peccat prævaricando legem, & juſte ſi eum non pœniteat, damnatur: porro ſi homo careret gratia ſufficiente qua præcepta poſſibilia fiant, neque prævaricatio legis imputaretur ad culpam, neque propter hanc, peccator juxta juſtitiæ apices, damnaretur. Verum hanc e diametro impugnat ſanam doctrinam Janſenius, nec Theologis recta ſentientibus adhærere judicat.

" *Reſpondetur*, *inquit*, igitur primam illam ſententiam qua dicitur Deum non „ jubere id quod homini eſt impoſſibile, „ numquam ſic intellexiſſe Auguſtinum, „ ut Deus non poſſit homini præcipere „ id quod propriis viribus ſuis implere „ non poteſt: Sed ſolum quod ita impoſſibile eſt, ut neque propriis, neque alienis viribus, ſi illas in auxilium advocaverit, poſſit implere. Unde ſæpe numero ex profeſſo docet, Deum jubere quædam, quæ non poteſt homo facere, ipſumque auxilium ſuum ſubtrahere, non ut deſperet homo, ſed ut faciendi vires „ & auxilium, quibus ſe carere ſenſit, ſibi imploranda eſſe doceatur. „ Ex his liquet Novatorem repetere præceptorum impoſſibilitatem, nedum ex inſufficientia virium libero arbitrio ingenitarum, verum etiam ex defectu gratiæ, qua vere & proxime poſſibilia fiant: & tamen prævaricationem legis imputare ad culpam non deſiſtit Iprenſis, ita ut homo ſit reus, & evadat reprobus peccatum committendo quod vitare non poteſt. Qualis blaſphemia! Ita tamen docet paſſim, maxime vero hic cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. quod ſane & a mente Auguſtini, & a Doctrina ſanctæ matris Eccleſiæ prorſus alienum eſt. Quod autem hic ſit ſenſus Novatoris ex dictis patet, & ſequentibus liquido patebit. Et vero poſtquam prælaudatam propoſitionem probare conatus eſt, ſic perverſe, & prorſus oblique ex auctoritatibus quibuſdam Auguſtini, ubi S. Doctor de gratia tantummodo operis & efficacis, quæ multis propter impedimenta deeſſe non diffitemur, concludit pagina 135. col. 1.

„ *Ex* hac indubitata doctrina, quædam „ non parvi momenti ad hanc rem ſpectantia inferuntur, & clareſcunt. Primum quidem, eſſe quædam homini præcepta ſecundum ſtatum, & vires in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia. Hoc „ enim non ſolum iſta loca exſerte profitentur, dum dicunt Deum aliqua jubere quæ non poſſumus, ſed etiam ipſa „ oratio, qua petimus ut poſſimus, perſpicua atteſtatione confirmat. Si enim jam „ poſſumus ad quid petimus, ut poſſimus, „

" *Secundum*, non adeſſe ſemper gratiam qua poſſumus, hoc eſt, qua illa eadem præcepta implere ſufficiamus. Si „ enim jam adeſt gratia qua præcepta implere ſufficientes ſimus & poſſimus, ſtultum eſt orando ſatagere, ut poſſimus. „

Pergit: " Tertium, hanc impotentiam „ reperiri non ſolum in excæcatis, & obduratis, & infidelibus, de quibus numquam, vel Auguſtinus, vel Eccleſia, ſed „ ſolum ſcholaſtici nonnulli ex humanis rationibus dubitarunt, ſed etiam fideles „ & juſti, qui & fidem Chriſti & charitatem juſtitiæ ſuſceperunt. Nam de „ fidelibus in omnibus iſtis locis loquitur „ &c. „ Deinde viginti quinque circiter locis B. Auguſtini probare contendit gratiam qua præcepta poſſibilia fiant, juſtis etiam conantibus deeſſe; quæ quidem loca ſolum procedere de gratia operis & efficaci nemo cordatus non videbit, nuſquam vero de gratia ſufficienti ſeu de gratia quæ dat poſſe, & qua præparatur voluntas a Domino: quam cum abneget pro præſenti ſtatu Novator, & confundat per fas & nefas operari cum poſſe operari, gratiam operis & gratiam potentiæ, luce clarius apparet in ſenſu ab Eccleſia prorſus alieno negare præcepta Dei eſſe poſſibilia. Revera quidem in prima conſequentia dicit ea non eſſe niſi per gratiam poſſibilia & hoc bene: in ſecunda pronuntiat iſtam gratiam nonnumquam deeſſe: in tertia non ſolum excæcatos, obduratos & infideles ea carere, verum etiam juſtos etiam conantes, & hoc peſſime: Igitur ex Janſenio præcepta quædam ſunt quandoque impoſſibilia vere & ſimpliciter, ſiquidem ex ipſo gratia qua proxime vere & intrinſece fiant poſſibilia illis deeſt; immo & ipſe Spiritus ſancti inſtinctus quo illam & advocare & aſſequi valeant.

Secundo, propoſitionem primam anathemate percuſſam probat, ſed quo medio? Certe vereor pronuntiare, dicam blaſphema-

matorio , quippequi dicat contra iſtam Apoſtoli ſententiam 1. Cor. 10. 23. *Fidelis autem Deus eſt qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis , ſed faciet etiam cum tentatione proventum , ut poſſitis ſuſtinere* . Deum totius conſolationis non ſemel permittere nos ſupra id quod poſſumus nonnumquam tentari . Sic loquitur Iprenſis pag. 136. col. 2. “ Ex quo fit ut illum „ Apoſtuli locum , quo dicit , fidelem „ eſſe Deum, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis , ſed faciet „ cum tentatione proventum , ut poſſitis ſuſtinere, nullo modo , tam indiſcrete intelligat , ut hoc in omnibus „ omnino fidelibus obſervetur . „ Ad quod probandum multa pro more D. Auguſtini loca in pravum ſenſum detorta profert ; namque in eis S. Doctor loquitur tantummodo de gratia efficaci , quippequi agat contra Pelagianos qui gratiam operis abnegabant . Igitur Janſenius potentiam proximam & veram , eamque intrinſecam aperte impugnat , quandoquidem eo ſuum probat dictum medio , quia Deus quandoque patitur nos ſupra id quod proxime & vere poſſumus, tentari . Quomodo? Dicit Novator gratiam qua præcepta proxime poſſibilia fiant , deeſſe multis , immo vel ipſis juſtis etiam conantibus .

Janſenius ipſe perpetuus eſt hujuſce ſenſus interpres; ſuamque de impotentia vincendi tentationes ſententiam explanat pag. 137. col. 1. & ſic concludit : *Ecce quoties , quam ſolicite , quam ſolide , quam inſtanter ſanctiſſimus Antiſtes populum , & eruditiſſimus Doctor doctores docet , etiam eos qui credunt Deo , & jam juſtificati ſunt , etiam volentes conanteſque multa Chriſtianæ diſciplinæ præcepta implere non poſſe , & idcirco cœlum precibus tundere ut poſſint . Quo fit ut juxta caſtiſſima principia doctiſſimi præſulis Chriſtianæ gratiæ regulis inhærendo , nimis enormiter , & ſupra quam dici poteſt a tramite veritatis exorbitent , qui humanæ Philoſophiæ nimium creduli dicere & ſcribere non verentur . Quamdiu ratio non perturbatur , liberam potentemque manere voluntatem ad quamlibet tentationem ſuperandam , cum illa ſola cogitatione , quam ſecum tentatio affert neceſſario* . Audis quomodo Janſenius inducit ſuccumbendi tentationi , & peccatum committendi neceſſitatem, quam tamen totis viribus abhorret Eccleſia .

Novas adducit Iprenſis pro ſua ſtabilienda depravata & erronea opinione fucatas probationes; ex omnibus enim quæ in novem circiter columnis dixit , ſuam aperit mentem , & concludit pag. 138. col. 2. “ Hæc igitur omnia pleniſſime , planiſſimeque demonſtrant , nihil eſſe in „ ſancti Auguſtini doctrina certius ac fundatius , quam eſſe præcepta quædam impoſſibilia ut ſupra . „

Tertio: Utitur Iprenſis medio ut hanc primam e quinque proſcriptis propoſitionibus quoad omnes partes probet , dicendo, gratiam orationis , qua gratia poſſibilitatis ad præceptum adimplendum obtineatur deeſſe , quo quidem argumento omnem poſſibilitatem faciendi , ſeu adimplendi præceptum evacuat . Et vero quid peccatori in lapſu & in infirmitate ſupereſt , niſi orare , ut poſſit gratiam converſionis aſſequi , & tamen ſecundum Janſenium deeſt quandoque gratia qua peccator, immo & juſtus poſſit orare , ut gratiam , qua poſſit & vincere tentationes , & præcepta adimplere queat, aſſequatur ; unde , ferveſcente concupiſcentia , neceſſario & invitus a juſtitia excidit , peccat & reprobus evadit . Qualis doctrina! crederes adinventam . Audiamus Janſenium .

Ibidem p. 139. col. 1. ſic proſequitur : „ Quintum itaque ex eodem principio „ conſectaneum , eſt , plurimis non dari „ iſtam faciendi præcepti poſſibilitatem „ quæ precibus implorari ſolet ...... Hoc „ itaque proprium ſancti Petri malum fuit , „ quamvis fidelis eſſet & bonus , quando non ſolum jam volebat pro Chriſto „ mori , ſed etiam de ſua fortitudine mul- „ ta promittebat , pro qua impetranda „ orare debuiſſet . Itaque gratia deſertus „ implere non potuit , quod ſe velle ſentiebat . „ Annotes velim benevole Lector , Apoſtolum quamvis fidelem & juſtum , tametſi in charitate conſtitutum , quinimmo licet piis illuſtrationibus & inſpirationibus motum , namque ſe velle pro Chriſto mori ſentiebat , non potuiſſe tamen juxta Janſenium ſervare mandata , ſuperare tentationem , a Deo penitus deſertum fuiſſe , gratiam orationis qua leviorem ad ſuperandam tentationem imminentem illi defuiſſe , & in ſenſu Janſenii nequidem potuiſſe pro hoc momento orare , defuit quippe illi ex Novatore gratia orationis : “ Gratia deſertus implere „ non potuit ..... de qua deſertione Dei

&

„ & impotentia aliiſque eo ſpectantibus, „ cum lex inſonat foris & intus deficit „ gratia, & nos in ſuperioribus multa dixi- „ mus. „ Deinde probat iterum gratiam ad orandum & impetrandum ſæpius deficere & deeſſe.

Sic docet ibidem col. 2. " Itaque ſub- „ inde, *Deus*, ſubtrahit auxilium ſuum, „ ut eis propriæ infirmitatis agnitio pro- „ fundius imprimatur.. Ex quo efficitur, „ ut & iſtam gratiam orandi, ſeu poſtu- „ landi vires voluntatis Deus cui voluerit „ & quantum voluerit, largiatur. Non „ enim exigua quorumdam hallucinatio „ eſt, qua putant, ſemper adeſſe homini „ gratiam ut petat. „ Ecce quomodo iterum atque iterum Iprenſis prædicat impoſſibilitatem præceptorum & quidem ſimplicem & omnimodam. Illa quippe ſunt ſolummodo poſſibilia, vel viribus naturæ, vel virtute gratiæ: priori modo non eſſe poſſibilia, ultra fatentur omnes Catholici, verum Janſenius negat & eſſe alio modo etiam juſtis, etiam conantibus, quia & a Deo nonnumquam deſeruntur, & gratia, qua præcepta proxime poſſibilia fiant, privantur: Igitur ex Janſenio ineſt eis impoſſibilitas præcepta adimplendi pluſquam moralis, ſed ſimplex, ſed abſoluta, aut ſaltem ea ad abſolutam reducitur, quandoquidem, ipſo teſte Janſenio, qui ſolus vires habet innatas, non poteſt ſimpliciter ſervare præcepta: ex eodem omni gratia, qua præcepta poſſibilia fiunt, nonnumquam & ad tempus ipſi juſti etiam conantes privantur. Igitur ineſt eis impoſſibilitas ſimplex & abſoluta ſervandi præcepta. Igitur cæcutit omnis qui primam propoſitionem proſcriptam aut non eſſe in libro Janſenii, aut ab auctore in ſenſu hæretico non propugnatam audet aſſerere.

Ex his manifeſte patet Janſenium humanam funditus evertere libertatem; & neceſſitatem, ferveſcente cupiditate, committendi peccatum inducere, cum & præcepta brevi impoſſibilia, & hominem etiam juſtum, ut Petrum, quandoque tentari ſupra vires, & gratiam orationis qua adjutorium efficax ad tentationem vincendam advocetur, ſæpius etiam juſtisconantibus & volentibus deeſſe doceat. Quæ quidem doctrina Calvinianæ ita affinis eſt, ut jure merito Novator Calvini Plagiarius dicatur. Hoc ipſum ſupra oſtenſum eſt, aliqua tamen juvat hic texere exempla, ut quiſquis cordatus intelligat, neque ſummos Pontifices, neque Clerum Gallicanum Iprenſi aliquid falſo imponere, dum quinque ejus damnarunt propoſitiones.

Mutua relatio inter primam Janſenii Propoſitionem, & Calvini de poſſibilitate præceptorum doctrinam.

PRIMO: Janſenius dicit præcepta Dei quandoque eſſe impoſſibilia. Idem docet Calvinus lib. 2. inſtit. cap. 7. §. 5. " Quod „ autem impoſſibilem Legis obſervatio- „ nem diximus, id eſt paucis verbis ex- „ plicandum. Hujuſmodi argutia vexa- „ bant Auguſtinum Pelagiani, injuriam „ fieri Deo, ſi plus jubeat, quam per „ ejus gratiam præſtare queant fideles. „ Rurſus ibidem cap. 8. §. 3. " Dein- „ de vires noſtras reputando adimplendæ „ Legis, non impares modo eſſe, ſed „ prorſus nullas, videbimus. „

Secundo: Janſenius docet præcepta nonnumquam etiam juſtis conantibus eſſe impoſſibilia, ea potiſſimum ductus ratione, quia inquit & juſtus quandoque penitus a Deo deſeritur, ut Petrus, cum dixit ſe velle pro Chriſto mori, & gratia qua poſſibilia fiant, privatur. Profecto hæc omnia a Calvino Janſenium mutuatum fuiſſe argumentum eſt, quod paſſim & conſtanter hoc ipſum aſſerat iſte hæreſiarca. Audiamus illum, ſic loquitur l. 3. de l. arb. ſub finem dicens: " Gratiam „ non omnibus indifferenter dari. „ Rur- „ ſus lib. 2. inſt. cap. 2. §. 6. " Hoc ſi recipitur, extra controverſiam erit, non „ ſuppetere ad bona opera liberum arbi- „ trium hominis, niſi gratia adjuvetur, „ & gratia quidem ſpeciali, qua electi „ ſoli per regenerationem donantur. „ Janſenius utique gratias ſolummodo ſpeciales, videlicet efficaces agnoſcit.

Tertio: Janſenius defendit gratiam neceſſitantem, eamdem per omnia Calvinus propugnat, ſic loquitur in antid. Trid. ſeſſ. 6. *Aſſerunt nos gratia præparari ad juſtificationem, ſed huic gratiæ partes aſſignant excitandi, & adjuvandi, ut ipſi libere cooperemur. Putidas hic nenias &c.*

Reſpondetur in particulari ad ſingula capita initio propoſita pro defenſione Janſenii.

TRIA potiſſimum recenſita ſunt ad excuſandum Iprenſem. Primo, dixiſſe quidem præcepta impoſſibilia, ſed viribus naturæ. Secundo, eſſe per gratiam poſſibilia. Tertio, objectiones ejus contrarias opinioni diluere, reſpondendo præcepta eſſe remotiſſime poſſibilia per liberum arbitrium, propinquius per fidem & charitatem, proxime per gratiam actualem, quæ quidem plurimum catholicam ſpirant doctrinam.

Ad primum reſpondeo diſtinguendo: Iprenſis negat præcepta poſſibilia viribus naturæ, & ait gratiam qua poſſibilia fiant, ut plurimum negari etiam juſtis, etiam conantibus, concedo: & concedit nulli deeſſe, nego. Cum igitur præcepta fiant proxime poſſibilia per gratiam ſufficientem, & eam a præſenti eliminet ſtatu Janſenius, ſolamque admittat efficacem, quæ certe pluribus etiam juſtis deeſt, luce clarius apparet Novatorem quædam præcepta non ſolum excæcatis & infidelibus, verum etiam & fidelibus, & juſtis etiam conantibus ſimpliciter eſſe impoſſibilia propugnare.

Ad ſecundum ſimiliter diſtinguo: Ex Janſenio præcepta ſunt per ſolam gratiam efficacem, quæ deeſt multis, proxime poſſibilia, concedo: per gratiam ſufficientem quæ dat poſſe, & cui reſiſti poteſt, nego. Iprenſis confundit per fas & nefas operari cum poſſe, nec aliam agnoſcit gratiam præter efficacem, cui nec reſiſtitur, nec ſecundum ipſum reſiſti poteſt, quæque actum ſemper ſibi conjunctum habet: unde qui audit & non venit, non habuit juxta Janſenium poſſe venire: quocirca peccat homo qui non reſiſtit, tametſi aliter facere non poſſit, hinc & damnatur propter peccatum quod vitare haud potuit.

Ad tertium utique diſtinguo: Præceta ex Janſenio ſunt peccatori poſſibilia per fidem, juſtis vero per charitatem, remote, concedo: proxime, nego. Iprenſis eſt ſui ipſius interpres, namque ait quædam præcepta juſtis, qui quidem & in fide & in charitate conſtituti ſunt, eſſe impoſſibilia, quod eſt aperte contra Concilium Tridentinum: Igitur juxta Janſenium præcepta dicuntur remotiſſime poſſibilia per liberum arbitrium, quatenus ad utramque partem flexibile eſt, & a ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati tranſmeare poteſt: remote per fidem, charitatem alioſque virtutum ſupernaturalium habitus, ſed qui nullo modo ſufficiunt ad præceptum implendum: proxime denique per ſolam gratiam efficacem, quatenus ea ſola habet & infert actum: tunc poſſe operari idem eſt ac operari juxta Janſenii mentem. Sed ne quis tam perverſam & anathematizatam a ſanctis Conciliis & Patribus abhorrendo doctrinam, credat nos quidquam falſi imponere Novatori, ipſe talem ſuum aperit ſenſum hic lib. 3. de gratia Salv. cap. 15. eo loci, ut fucum faciat, objectiones initio ſuam contra doctrinam propoſitas ſolvere conatur, concedendo præcepta Dei non eſſe impoſſibilia: ſed quo ſenſu poſſibilia dicat, intellige benevole Lector, nempe remote.

Iprenſis ſic inchoat caput decimum quintum p. 143. col. 1. & 2. " Ut igi-
,, tur ſufficientia ſolutionis iſtius quam A-
,, poſtolus & Auguſtinus toties dedit,
,, & poſſibilitas præceptorum Dei, unde
,, pendet & libertas arbitrii, & ratio pec-
,, cati plenius intelligatur, memoria repe-
,, tenda ſunt ea quæ in alio libro fuſe dixi-
,, mus. Quibus ut hic etiam nonnulla ad-
,, damus, obſervandum eſt inprimis, in
,, rebus ad vitam bonam ſeu pietatem ſpe-
,, ctantibus multipliciter hominem dici poſ-
,, ſe aliquid. Primo, remotiſſime per ſo-
,, lam liberi arbitrii flexibilem facultatem
,, ad bonum & malum.... Secundo, pau-
,, lo propinquius dicimur poſſe bene vi-
,, vere, omnibuſque tentationibus reſi-
,, ſtere, & peccata cavere per fidem,
,, quamvis dilectione Dei, & actuali Dei
,, adjutorio, interniſque viribus volunta-
,, tis, de quibus ante multa diximus, ca-
,, reamus. Nam quamvis fides iſta omnia per
,, ſe nullo modo poſſit, quia tamen eſt ſe-
,, men orationis, per quam charitatem &
,, gratiam adjuvantem, & voluntatis vires
,, impetrare ſolemus; hinc per ipſam fidem
,, iſta poſſe dicimur... Tertio, dicimur
,, multo plenius propinquiuſque poſſe per
,, charitatem, per quam homo juſtifica-
,, tur. Nam charitas ſeu dilectio non
,, eſt aliud quam voluntas, hoc eſt, vo-
,, litio bona; quæ quandiu deeſt nobis,
,, impoſſibile eſt bene vivere, cum au-
,, tem

„ tem adeſt , poſſe dicimur . . . Quarto
„ itaque completiſſime dicimur poſſe ,
„ quando ſancti Spiritus inſpiratione ſic
„ voluntas præparatur, ut non nude poſ-
„ ſit , ſed etiam velit . Tali gratia non
„ ſolum poſſe , ſed etiam ipſum agere
„ adjuvatur. Dat enim non ſolum poſſe,
„ ſi velit, ſed & velle quod potes. Hoc
„ poſſe numquam habetur , niſi quando
„ reipſa quoque agitur , & eſt proprius
„ effectus , non fidei aut charitatis , ſeu
„ bonæ voluntatis habitualis , ſed illius
„ gratiæ actualis quam Chriſtus attulit
„ hominibus infirmis per crucem ſuam .
„ Nam quantumcumque fide & charitate
„ ſeu habituali voluntate præditus aliquis
„ fuerit, etiam robuſtiſſima ; niſi tenta-
„ tione quamvis levi oboriente talis Spi-
„ ritus inſpiratione muniatur, ſine dubi-
„ tatione ſuccumbet. „

Jam videas velim æquiſſime lector , Janſenium non aliud poſſe proxime bonum agnoſcere, quam ipſum agere, quod a ſola gratia efficaci , eaque ſecundum eum neceſſitanti promanat : tale poſſe neque fidem , neque charitatem etiam robuſtiſſimam dare ſcribit ; hinc iſtud apud D. Thomam tam celebratum axioma , minimam charitatem poſſe cuilibet concupiſcentiæ reſiſtere, audacter negat ; ſic loquitur ibidem cap. 15. p. 144. col. 1.
“ Eſt enim , *inquit*, in Auguſtini prin-
„ cipiis paradoxum , id quod ex nonnul-
„ lis quandoque audiſſe memini ; quod
„ charitas quamvis minima ſufficiat ad
„ quamcumque tentationem ſuperandam ,
vel quæcumque præcepta ſine tranſgreſ-
ſione ſervanda . „

Inſtant Janſenii aſſeclæ : Qui negat ſolum hominem poſſe perfecte & integre ſervare mandata abſque magno Chriſti adjutorio , non negat poſſibilia in ſenſu hæretico : hoc idem quippe docent Theologi admodum catholici : ſed Iprenſis in illo ſolum ſenſu negat præcepta eſſe ſemper poſſibilia. Et probatur . Ibidem cap. 13. p. 137. col. 2. ſic ait : “ Has autem
„ vires ad faciendum quod præcipitur ,
„ homo etiam fidelis & juſtus, non ſem-
„ per habet integras, ſed ex ipſa tenta-
„ tione diviſas . Concupiſcentiis enim
„ carnalibus pravíſque conſuetudinibus
„ vulneratus , earumque motibus diſtra-
„ ctus , bonum quod vult, non fortiter
„ atque integre vult , ſed ut Auguſtini
„ voce loquar , ſemi-ſauciam hac atque
„ illac verſat , jactatque voluntatem , par-
„ te aſſurgente cum alia parte cadente
„ luctantem . Quam luctam ſanare & in-
„ tegras volendi vires ſibi reddere liber-
„ tas voluntatis vel natura ipſa ſauciata
„ non poteſt , ſed hoc ad ſolam pertinet
„ medicinam gratiæ Dei . “ Ergo &c. Confirmatur ibidem p. 198. col. 1. gratiam , qua præcepta poſſibilia fiunt , vocat ſufficientem ; quod probat hac Auguſtini auctoritate lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. “
Oret ut habeat tantam voluntatem , quan-
„ ta ſufficit ad implenda mandata . „ Et ſupra ibidem loquens de B. Auguſtini ſententia , quam ſequi arbitratur , ait : “
Non judicat illud opus juſtitiæ eſſe prorſus
„ impoſſibile , ſed opus eſſe gratiæ Dei ,
„ quæ ex judicio Dei profundo diſtribui-
„ tur, per quam magnitudo tantæ volun-
„ tatis quanta ſufficit, & operis juſti poſ-
„ ſibilitas datur . „ Igitur Janſenius agnoſcit gratiam ſufficientem quæ dat poſſe, immo verbis expreſſis & claris dicit eam dare mandatorum poſſibilitatem .

Reſpondeo negando minorem : Ad probationem, diſtinguo : Janſenius in eo ſolum ſenſu negat præcepta eſſe poſſibilia , ſi ſupponat prius poſſe dari per gratiam prævenientem eamque ſufficientem qua præparatur voluntas a Domino , concedo : ſi ſolum per poſſe intelligat ſemper operari & agere , nego . Hoc poſſe a gratia efficaci ſolum agnoſcit Janſenius, nec aliud poſſe proximum intelligit . Etiamſi adſit & fides, & charitas, & ipſa Spiritus ſancti inſpiratio , juſtus ex ejus mente , non habet poſſe implere mandata : “
„ Nam, *inquit*, “ quantumcumque fide
„ & charitate ſeu habituali voluntate præ-
„ ditus aliquis fuerit, etiam robuſtiſſimi,
„ niſi tentatione quamvis levi oboriente
„ talis Spiritus inſpiratione, (hoc eſt gra-
„ tia per ſe efficaci) muniatur , ſine du-
„ bitatione ſuccumbet . „ Igitur in ſenſu prorſus hæretico negat Novator mandatorum poſſibilitatem, maxime cum nullam ut oſtenſum eſt , admittat gratiam ſufficientem , quæ dat poſſe proxime bonum ſalutis .

Ad confirmationem diſtinguo : Iprenſis dicit gratiam efficacem dare ſufficientiam, quatenus dat ipſum operari quod eminenter eſt ſufficiens , concedo : dat ſufficientiam , qua præparatur voluntas a Do-

Domino in priori actus, nego; Fucum faciunt & illudunt legentibus Novatores, dum gratiam, quæ dat ſufficientiam, aſſerunt admitti a Janſenio; non enim diſtinguit poſſe bonum, ab operari bonum, quocirca quicumque conatur agere & non operatur, tametſi aliquibus præventus ſit illuminationibus & inſpirationibus, quæ quaſdam producunt boni velleitates, non cenſetur poſſe mandata. Ecce Janſenius ſui ipſius interpres; ſic enim circa gratiam quæ ſufficit ad bonum, ſe explicat ibidem p. 138. col. 1. & 2. Ita loquitur de voluntate Auguſtini adhuc peccatoris, qui præventus gratia interiori & ſufficiente incipiebat velle bonum: "
,, Hoc eſt, *inquit*, nondum poterat eam
,, quocumque libere voluntatis conatu ſu-
,, perare, eo quod videlicet ipſe cona-
,, tus defectu virium languidus eſſet, cui
,, cæleſtem delectationem atque ardorem,
,, nondum inſpiraſſet Deus, ideoque ſi-
,, milis conantibus expergiſci volentium,
,, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine
,, remerguntur. ,, En gratia ſufficiens quam vult Janſenius, delectatio ſcilicet victrix & neceſſitans, qua ſublata nullum ſupereſt poſſe bonum proxime: ſic fatur ibidem p. 138. col. 2. " Non diſ-
,, ſimili nempe errore, quam quo Philo-
,, ſophi, laborabat, qui quicquid volendo
,, dumtaxat, ſeu ſola volitione effici ſci-
,, unt, hoc ipſo quo ſe velle ſentiunt.
,, Tum ſuas omnes a gratia dante ſufficientiam explicationes ſic concludit. Ibid.
" Hæc igitur omnia pleniſſime, planiſſi-
,, meque demonſtrant, nihil eſſe in S.
,, Auguſtini doctrina certius ac fundatius
,, quam eſſe præcepta quædam, quæ ho-
,, minibus non tantum infidelibus, excæ-
,, catis, obduratis, ſed fidelibus quoque
,, & juſtis, volentibus, conantibus ſecun-
,, dum præſentes quas habent vires, ſunt
,, impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam qua
,, poſſibilia fiant. ,, Igitur nedum peccatoribus præcepta quædam ſunt impoſſibilia, ſed & juſtis tametſi in fide & charitate conſtitutis: ſed & iis volentibus & conantibus, adeoque gratia ſufficiente præmunitis; non enim bonum velle etiam inchoative abſque gratia poſſumus, cum nequidem de Deo cogitare, ſecluſo omni ſupernaturali auxilio, valeamus, ut definivit Concilium Milevitanum & Arauſicanum II. Igitur & juxta Janſenium præcepta iis ſolum qui habent gratiam efficacem, proxime ſunt poſſibilia, cæteris vero impoſſibilia. Qualis doctrina!

Urgent: Qui abjicit impoſſibilitatem phyſicam & abſolutam, profecto non aberrat a ſenſu & Eccleſiæ & Conciliorum & Patrum: Atqui hanc explodit Iprenſis. Et probatur. Ibidem cap. 15. p. 145. col. 2. ſub finem, ſic loquitur: " Itaque re-
,, ſpondetur, duplicem eſſe præcepti fa-
,, ciendi impotentiam. Una eſt ex de-
,, fectu alicujus quod non poteſt, quan-
,, tumlibet magna voluntate, hoc eſt,
,, quantumlibet fortiter volendo, ſupple-
,, ri. Talis eſt impotentia illius qui caret
,, Breviario ad horas, quas ignorat, re-
,, citandas... De tali impotentia veriſſi-
,; mum eſt, quod Deus non jubet impoſ-
,; ſibilia... Altera impotentia eſt, quæ
,, ex defectu ipſius voluntatis, ſeu voli-
,; tionis oritur, quæ ſi adeſſet, quanta
,, adeſſe debet, præceptum facillime im-
,, pleretur. ,, Igitur impoſſibilitatem tantummodo moralem, quæ non videtur opponi libertati, admittit Novator.

Reſpondeo diſtinguendo: Impoſſibilitatem phyſicam excludit Novator, & moralem relativam, quæ reducitur ad abſolutam, inducit, concedo: & poſſibilitatem moralem cui reſiſti poſſit voluntas, profitetur, nego. Hanc per omnia prædicat S. Auguſtinus maxime lib. 16. de Spiritu & litt. cap. 33. dicens hominem poſſe vocationi Dei reſiſtere ſi velit. Eamdem exigit ad eſſentiam libertatis ſacra Synodus Tridentina, quum ſic definit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium motum ... non poſſe diſſentire ſi velit; anathema ſit*. E contra vero Janſenius prædicat neceſſitatem moralem relativam in concurſu duplicis delectationis, unius quidem terrenæ, alterius vero cæleſtis; ſed quæ reducitur ad abſolutam; quandoquidem, ut fuſo calamo ſupra oſtendimus, una exardeſcente delectatione, neceſſario voluntas illi cedit, quocirca exurgit impoſſibilitas faciendi contrarium ſimplex & abſoluta. Cæterum in loco mox laudato non de alia voluntate loquitur Iprenſis, quam de ea quæ eſt conjuncta cum illa gratia efficaci neceſſitante; idcirco iſtam voluntatem vocat ſufficientem, immo & ſufficientiſſimam cap. 13. p. 138. & hic cap. 15. p. 146. ait enim neceſſario ad bonum determinare; ſic loquitur col. 1. " Talis

,, enim

„ enim voluntas ſicut neceſſario ſecum „ affert plenum velle, ita & poſſe quod „ voluit. " Quod autem impoſſibilitatem relativam abſolutam faciendi bonum vincente delectatione cæleſti in concurſu delectationis terrenæ in gradu inferiori, admittat Iprenſis, non eſt relictus ambigendi locus, cum paſſim, ſed maxime in prima propoſitione abſque reſtrictione prædicet, quædam præcepta etiam juſtis, etiam conantibus eſſe impoſſibilia.

Inſtant: Janſenius gratiam quidem aſſerit quandoque etiam juſtis volentibus & conantibus deeſſe, ſed loquitur de gratia efficaci, quam multis denegari in præcedentium peccatorum pœnam non diffitentur Catholici. Ergo &c. Rurſus: Iprenſis dicit utique gratiam orationis nonnumquam deeſſe etiam juſtis, ſed intelligit efficacem, ſeu gratiam ferventis orationis, qua poſtulata conceduntur: ſic ſcribit c. 13. l. 3. de gratia Chriſti pag. 140. col. 1. " Cum ergo plurimi vel non „ petant gratiam illam qua poſſint ac „ ſufficiant præcepta facere, vel non „ ita petunt, ut ad impetrandum neceſ- „ ſarium eſt, nec omnibus gratiam vel „ ferventer petendi, vel omnino peten- „ di Deus largiatur, apertiſſimum eſt fi- „ delibus multis deeſſe illam ſufficientem „ gratiam, & conſequenter illam per- „ petuam, quam quidem prædicant fa- „ ciendi præcepti poteſtatem. „ Porro nemo non novit orationem non ſemel eſſe tepidam, quocirca per eam a Deo nihil beneficiorum obtinetur: Igitur a veritatis tramite non aberrat Janſenius, dum dicit gratiam orationis, qua præcepta poſſibilia evadunt, ut plurimum deeſſe etiam juſtis.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Et in hoc nedum hallucinatur, ſed errat Janſenius ſupponendo, non dari gratiam ſufficientem qua præparatur voluntas a Domino, quæ quidem nemini urgente præcepto deeſt, & admittendo ſolam gratiam efficacem, quæ eatenus dat poſſe, quatenus dat & ipſum agere, concedo: & non errat, nego. Certum eſt hominem in priori actus præcepti poſſe legem implere, non quidem per gratiam efficacem, quia nondum dari intelligitur ſeu concipitur, ſed per gratiam prævenientem cui ſæpius reſiſtitur. Igitur errat; non præciſe dicendo gratiam efficacem deeſſe, ſed poſſe proximum implendi præceptum in priori & actus, & ipſius gratiæ efficacis actum inferentis: in hoc quippe homo reus eſt, quod potens per gratiam ſufficientem & quidem proxime & immediate ſervare præceptum, prævaricetur.

Ad confirmationem ſimiliter, diſtinguo: Janſenius dicit gratiam orationis qua lætior impetretur ad actu orandum, quandoque deeſſe, & iſtam ſolam dare poſſe orare, concedo: & ſupponit gratiam quæ dat poſſe orare in priori orationis, nego. Ultro fatemur gratiam efficacem requiri ad orationem ferventem, qua poſtulata impetrantur, ſed præter iſtam alia omnibus communis, quæ dat poſſe orare, admittitur. Hanc Janſenius eodem ementito principio explodit a ſuo ſyſtemate; ſolam quippe gratiam efficacem pro omnibus religionis actibus admittit, unde illam utique ſolam vocat ſufficientem, quatenus infert actum, quem ſi non conferat, nequidem dare poſſe operari vult: Igitur plurimum diſtat a catholice ſentientibus. Concedimus quidem orationem nonnumquam tepidam eſſe, gratiam ferventis orationis non ſemper adeſſe: ſed contendimus dari gratiam ab illa diſtinctam qua poſſumus orare, eamque nemini deeſſe, maxime quando urget præceptum, vel gravis aliqua aſſurgit tentatio ſuperanda; hinc libere tentatione conſentit vel diſſentit homo: e contra vero juxta Janſenium neceſſario cedit tentationi ſi exuberet concupiſcentia, quia nec datur gratia ſufficiens quæ poſſe proximum reſiſtenti tribuat, nec gratia efficax qua actu tentatio ſuperetur.

Perſiſtunt: Janſenius non negat gratiam ſufficientem quæ dat poſſe in priori actus, admittit quippe illuſtrationes, & inſpirationes quæ dant deſideria boni incohata: agnoſcit juſtos velle bonum, immo & conari, quod quidem abſque aliqua gratia interiori facere non valent: Igitur non negat præcepta impoſſibilia in ſenſu hæretico, ſed ſolummodo negat actum conſequi ſemper: Quod quidem nemo negare poteſt.

Reſpondeo I. negando Iprenſem aliquam gratiam vere ſufficientem quæ dat poſſe bonum in actu primo admittere pro ſtatu naturæ lapſæ, eam quippe rejicit ad ſtatum Innocentiæ. Secundo, per gratiam ſufficientem intelligit efficacem, eam ſcilicet quæ infert actum, non aliam quip-

pe aut vult, aut docet & exigit, quocirca fucum facit utendo ſecundum morem hæreticorum terminis catholicis. Ad id vero quod ſubjicitur Novatorem admittere bona & ſancta deſideria: Reſpondeo: Et illa vult eſſe gratiæ efficacis, & quidem neceſſitantis fœtus, concedo: & aliter ſentit, nego.

Multum diſcriminis eſt inter opinionem Catholicorum circa bona illa deſideria, quæ ab inſpirationibus ſanctis promanant, & Janſenii placita. I. Dicit illuminationes & pias motiones producere bona deſideria, bonaſque voluntates tantummodo, incompletas & quidem neceſſario: nos vero contendimus ultra progredi & dari pro actibus deliberatis quos habent pro fine, nuſquam vero voluntatem ad aliquid neceſſitare. II. Aſſerit Novator illas gratias eſſe ſolum pro illis deſideriis incompletis, & tamen efficaces, quippe quæ producant totum effectum ad quem tendunt; namque nullam admitti & nequidem nominari patitur vere ſufficientem, nos vero illam vocamus ſufficientem quæ dat in actu primo poſſe agere, ſed proxime & immediate, ita ut nihil ultra requiratur ex parte actus primi. III. Janſenius illas gratias vere ut efficaces & neceſſitantes celebrat, ſed nos ſolum ſufficientes quibus reſiſti poteſt.

Urgent: Qui tenet in ſenſu SS. Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, Deum velle omnes homines ſolvos fieri, nec gratias reipſa ſufficientes explodit, tametſi abſtineat a nomine; nec præcepta Dei aliquibus etiam juſtis impoſſibilia in ſenſu propugnat erroneo; namque Theologi communiter illo innixi principio, & gratias ſufficientes omnibus dari, & præcepta nedum juſtis, ſed & peccatoribus poſſibilia eſſe demonſtrant. Atqui Iprenſis Deum velle omnes homines ſalvos fieri in ſenſu SS. Auguſtini, Proſperi & Fulgentii profecto tenet, ibidem cap. 20. p. 15. pag. 157. & 158. eorum laudat auctoritatem. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Si teneat Deum velle omnes ſalvos fieri in ſenſu adæquato SS. Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, concedo: ſi tantum in ſenſu inadæquato, nego. Non ſemel explicavimus in Tractatu de attributis, ubi de voluntate divina, & de mente B. Auguſtini variis modis SS. Doctores intelligere, illud Apoſtoli effatum 1. Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire;* videlicet voluntate conſequenti, quatenus I. Vult efficaciter prædeſtinatos ſalvari. II. Ita ut nullus, niſi velit de facto ſalvetur. III. Quia aliquos ex generibus ſingulorum eligit: deinde vero voluntate antecedenti ſe ſe ad ſingulos extendens, ita ut quantum in ſe eſt, velit omnes omnino homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quocirca omnibus auxilia ſufficientia quibus poſſint ſalvari exhibet, maxime quia unus eſt omnium Deus: *Unus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus; qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus;* inquit, ibidem Apoſtolus. Primum, ſecundum, & tertium, nodum docent SS. Doctores, quartum vero utique ut ſuo loco oſtenſum eſt. Iprenſis nedum iſtum tacet, verum etiam ex profeſſo hic cap. 20. impugnat: Igitur neque gratias reipſa ſufficientes, neque præcepta cenſet in ſenſu catholico ſemper poſſibilia. Audiamus illum: hanc ſuam clare aperit omnibus legentibus mentem.

Primoquidem, Novator in medium adducit ſententiæ Apoſtoli explanationem, quam Theologi communiter propugnant, ejuſdem B. Pauli innixi auctoritate & ratione, videlicet Deum velle omnes & ſingulos ſalvos fieri, quia eſt unus omnium & Deus, & Mediator, ſeu Redemptor: deinde ſic reſpondet Janſenius pag. 157. col. 2. *Sed contra iſtam iſtius Apoſtolici loci explicationem multa dici poſſunt, quibus prebetur eam non eſſe genuinam, immo contrariam divinæ gratiæ ſinceritati. Nam primo, quod non exiguum iſti interpretationi præjudicium facit, ſic explicaverunt eum hoſtes gratiæ Pelagiani & Semipelagiani . . . . Secundum ejus præjudicium eſt, quod omnes antiqui & genuini defenſores gratiæ illam expoſitionem tanquam diſſonantem a veritate reprobarunt.* Hic in probationem, affert auctoritatem SS. Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, quos tantummodo laudat ad explodendam voluntatem Dei, etiam antecedentem de ſalute omnium & ſingulorum hominum: unde pag. 158. col. 1. ſubdit: *Omnes tres*, videlicet SS. Aug. Proſper & Fulgentius, *uno conſenſu profitentur, eos non intelligere Scripturam, qui illam ſalvandi voluntatem indifferenter ad*

ad univerſos ſine exceptione pretendunt.

Inſtant denique: Qui voluntatem antecedentem de ſalute omnium admittit, profecto ſanam habet & de voluntate Dei, & de poſſibilitate præceptorum ab uno quoque adimplendorum doctrinam: Atqui Janſenius diviſionem ſeu partitionem voluntatis Dei in antecedentem & conſequentem admittit, & quidem in eodem prorſus ſenſu quo eam admittit B. Damaſcenus lib. 2. de ortod. fid. cap. 29. quem ex profeſſo pro hoc momento laudat hic ibidem cap. 20. pag. 161. col. 1. Ergo &c. Namque ibidem ait Deum, quantum ex ſe eſt, velle omnes & ſingulos ſalvos fieri.

Reſpondeo diſtinguendo: Si admittat voluntatem antecedentem de ſalute omnium tam ante peccatum originale, quam poſt: tam pro hominibus lapſis, quam pro innocentibus, concedo: ſi ſolummodo admittat pro ſtatu innocentiæ, nego. Novator veram ſinceramque pro ſingulis hominibus ſalvandis Dei antecedentem voluntem propugnat tantummodo pro ſtatu innocentiæ; hinc & gratiam ſufficientem tamquam genuinum hujus voluntatis fœtum in primis fuiſſe Parentibus conclamat: aſt lapſo Adamo, voluntatem tantum conſequentem, juſtitiæ quidem & damnationis pro multis, electionis vero pro paucis inducit: & ſi quam pro noſtro ſtatu antecedentem concedat, mere metaphorica eſt, quæ æqualiter ſit pro damnatis & Angelis apoſtatis, quippe quæ ſit pura de ſalute velleitas, quæ nullam producit gratiam. Unde voluntatem antecedentem bonitatis in creatione ſeſe diffundentis vocat, quatenus Deus eo ſolum fine condidit hominem ut eſſet beatus; quocirca, Adamus gratias ſufficientes quæ dant poſſe ſalvari, quandiu in ſtatu innocentiæ permanſit, habuit: Sed poſt lapſum, eſt ſolum voluntas conſequens juſti ſupplicii, inquit Janſenius, pro multis, quibus gratiæ etiam ſufficientes ſubripiuntur in pœnam peccati originalis: gloriæ vero pro quibuſdam pure miſericorditer, ita ut alii ante prævisa merita poſitive eligantur, cæteri vero ante prævisa demerita perſonalia poſitive reprobentur; ita lib. 10. de gr. Salv. cap. 3.

In iſtum pravum ſenſum detorquet lib. 3. de gratia Chriſti cap. 20. ſancti Damaſceni auctoritatem: hac enim recenſa pag. 161. col. 1. ſubdit: " Quibus
" verbis antecedentem ſeu primariam voluntatem vult eſſe bonitatis, quam Deus videlicet ex ſe ipſo in creaturis eondendis concipit: conſequentem vero ſeu ſecundariam juſtitiæ, quam propter ſuper inductas ab hominibus circumſtantias habere compellitur. Sic enim alibi ſemetipſum explicat. Hæc vero doctrina recta & ſana eſt, quam & S. Thomas probat & ſequitur, comparatione judicis explicat, qui ex ſe homines ſervari cupit quatenus homines ſunt, quatenus autem peccatores abſolute damnari. Significat ergo Damaſcenus voluntatem quam Deus ex ſe concepit quando humanum genus inſtituit, quæque omnia peccata hominis anteceſſit, fuiſſe bonitatis, ut homo gratiæ ſalutis felicitatiſque particeps fieret. Nam idcirco addidit, neque enim ſupplicii ac cruciatus cauſa, verum ad hoc ut bonitatis ipſius participes ſimus, nos effinxit, voluntatem autem conſequentem eſſe juſtitiæ, qua peccatores diverſis ſuppliciis plecti vult ac jubet. Sed talis antecedens voluntas, quamdiu res ſine acceſſoriis circumſtantiis conſideratur aliquid ad cauſandam gratiam ſufficientem, aliaque media neceſſaria procurandæ ſaluti facit, utpote ex qua gratia primorum hominum ſufficiens fluxit. Sed poſt quam peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur, antecedens voluntas in ſola præciſione mentis, adeoque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ cauſante, conſiſtere poteſt. Quod ex eo manifeſte patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas ſive hominum, ſive Angelorum Deus habet. "

Hæc doctrina aperte erronea eſt, quippe quæ adverſetur Apoſtolo 1. Tim. 2. dicenti unum eſſe mediatorem Dei & hominum, Chriſtum reconciliaſſe, 2. Cor. 5. ima ſummis, & deleviſſe noſtræ chirographum mortis. Si Redemptor omnium & Mediator, ſi reconciliavit pacificans quæ in cœlis & terris ſunt col. 1. 20. 21. ſi chirographum mortis, peccatum ſcilicet mundi ſeu Adami cruci affixit & delevit, ibid. 2. 14. non ſine magna erga Chriſtum injuria aſſeritur Deum a peccato primi hominis nolle ſincere omnes homines ſalvos fieri. Amiſeramus quidem jus ad

ad gloriam peccato Adæ, ſed illud & delevit Chriſtus, & deleto, idem jus deperditum reſtauravit, humanæque reddidit naturæ, unde incaſſum Iprenſis jactat cum Calvino maſſam perditionis, ut evacuet reconciliationem & pacem, quam nobis, 1. Joan. 3. attulit Dominus Jeſus: *In hoc enim*, ait Joannes, *apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli*. Hinc inquit Paulus Rom. 5. 20. *Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia;* quæ quidem oracula falſa forent, ſi Deus propter dilectiſſimi filii ſui morte nollet ſincere voluntate antecedente, hoc eſt ante prævisa peccata actualia & perſonalia omnes & ſingulos homines ſalvos fieri; quocirca gratia ſufficiens ſe extendit nedum ad juſtos & fideles, verum etiam ad obduratos, & infideles, immo & quodammodo etiam ad pueros abſque Baptiſmo e vita migrantes, ut probabimus infra. Quod hic ſit genuinus & SS. Auguſtini, & Proſperi, & Fulgentii, & Damaſceni ſenſus, luculentiſſime oſtendimus in tractatu de voluntate Dei, immo & iterum dicemus, cum de extenſione gratiæ ſufficientis ex profeſſo agemus. Jam igitur habemus furem ſeu omnium ſæculorum veritatis defloratorem Janſenium.

Dices: Voluntas conſequens reſpectu prævaricantium ea eſt, teſte D. Thoma, quæ attendit ad circumſtantias peccati: Igitur a peccato Adami, eſt ſolum voluntas ſupplicii & conſequens, non antecedens: Hoc ipſum Janſenius in textu modo adducto propugnat. Igitur nec cauſa cadere debet, maxime cum admittat voluntatem antecedentem pro ſalute omnium, & quidem ſinceram pro ſtatu innocentiæ.

Reſpondeo 1. Iſtud argumentum nimis probare; inde ſequeretur nullos eſſe prædeſtinatos, ſed omnes omnino ab Adam reprobos, quia omnes ſunt in maſſa perditionis & ſub dominio voluntatis conſequentis ad peccatum, quæque vult tantummodo ſupplicium, ut patet exemplo judicis, quod celebrat Janſenius; judex quippe videns delicta, vult reos mori, hinc in doctrina Iprenſis abyſſus abyſſum invocat.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Voluntas Dei conſequens attendit ad peccata perſonalia, concedo: ad originale, ſubdiſtinguo: & illud a Chriſto deletum videt, hinc ſicut Creator volebat omnes innocentes vivere, ita & Deus Redemptor omnes lapſos reparatos, concedo: & non vult, nego. Igitur a morte Chriſti rediit voluntas antecedens Dei, eaque ſincera de ſalute omnium: fuerat quidem per peccatum interrupta, ſed per merita Chriſti & prævisa, & exhibita, rediit non per ſolam mentis præciſionem, ut perperam debachando propugnat Novator, ſed vere & realiter, ipſo Domino atteſtante: *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non magis ut convertatur & vivat*. Ezech. 18.

Solvuntur objectiones eorum qui doctrinam in prima propoſitione contentam, Auguſtinianæ eſſe affinem contendunt.

OJICIUNT: Prima e quinque propoſitionibus non videtur juſte proſcripta; Ergo &c. Et probatur Ant. Illa propoſitio non apparet recte damnata, quæ eſt Auguſtini nedum quoad rem, verum etiam, magna ſaltem ex parte, quoad terminos: Atqui res ſic ſe habet: Enim vero Janſenius dicit quidem aliqua Dei præcepta impoſſibilia, ſed & hoc ipſum aſſirmat Aug. lib. 1. retr. cap. 15. his verbis: “ Invenit ergo ſe ligatum difficul-
„ tatibus cupiditatum, & non poſſe viam
„ propter compedes ambulare. Incluſum
„ ſe ſentit difficultate vitiorum, & tam-
„ quam muro impoſſibilitatis erecto, por-
„ tiſque clauſis qua evadat, ut recte vi-
„ vat non invenit. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando Antecedens. Ad probationem, nego minorem; nullus quippe Catholicus erroris Auguſtinum inſimulavit: Janſenio vero hæreſeos labem inuſſit Innocentius X. & poſt ipſum Alexander VII. ac tota univerſa Eccleſia: Ad ulteriorem probationem, diſtinguo: Auguſtinus dicit hominem muro aliquo impoſſibilitatis occluſum, concedo: ſimpliciter & abſolute, nego. Non dicit S. Doctor peccatorem impoſſibilitatis ſimpliciter ſimplicis muro includi, ſed tamquam muro, quæ quidem particula, *tamquam* ſonat tantummodo magnam ad faciendum bonum in peccatore pravis habitibus irretito, difficultatem, ſed non impoſſibilitatem. Auguſtinus eſt ſui ipſius interpres, quandoquidem lib. de natur. & gr. cap. 43. ſic loquitur: *Deus impoſſibilia non jubet: Sed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*.

In-

Inſtant: Janſenius ejuſdem eſt labii cum Aug. Erg. &c. Probatur Ant. In eo potiſſimum ſenſu quædam Dei præcepta dicit impoſſibilia, quod cupiditati plurimum exardeſcenti nullus reſiſtere queat: Sed B. Auguſtinus idem prorſus propugnare videtur lib. 3. de lib. arb. cap. 18. " Qui „ cogenti cupiditati bona voluntate reſiſte- „ re non poteſt; & ideo facit contra præ- „ cepta juſtitiæ. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probationem diſtinguo minorem: Cogenti cupiditati homo cum magna difficultate reſiſtit, concedo: nullo modo reſiſtere poteſt, nego. S. Doctor loquitur ſolum de impotentia morali, nuſquam vero de abſoluta, ut Janſenius, qui nedum peccatorem, ſed & ipſum juſtum exardeſcenti cupiditati poſſe reſiſtere negat. Non ſic Auguſtinus, qui certe omnem procul facit impotentiam tum phyſicam, tum moralem ſimpliciter ſimplicem ſeu abſolutam relative ad præſentem ſtatum in quo tentatus ſubjicitur: " Sed conſentire, inquit „ lib. de ſp. & litt. c. 33. vel diſſenti- „ re propriæ voluntatis eſt. „ Quia vero res difficilis executioni vix mandari poteſt, ideo ſecundum uſitatum loquendi modum quandoque dicitur impoſſibilis, moraliter ſcilicet loquendo, quia ut plurimum deeſt animus ad media ad vincendum neceſſaria, cito citius inquirenda.

Urgent: Atqui Auguſt. in eodem prope ſenſu cum Janſenio loquitur de ejuſmodi impotentia: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Janſenius ita cenſet hominem non poſſe prementi concupiſcentiæ reſiſtere, ut quamvis conetur, mandata implere non poſſit, ut in prima propoſitione legitur: Atqui idem effatur Aug. in Pſal. 106. *Conatur*, inquit, *& non poteſt*, *ligatum ſe ſentit*.

Reſpondeo, negando ſubſumptum: Ad probationem, diſtinguo majorem: Conatur, & non poteſt implere præcepta potentia immediata, concedo: mediata, nego. Duplex potentia circa præcepti adimpletionem diſtinguitur: una proxima & immediata, & habetur per gratiam ſufficientem uberrimam, quæ vehementer movet, & compellit ad bonum: altera vero mediata, & eſt gratia orationis, quæque dicitur gratia ſufficiens proxima & immediata ad orandum, ut mediante oratione peccator advocet, vel uberiorem, vel etiam efficacem qua operetur; hanc autem orationis gratiam ſufficientem abnuit Janſenius: *Deeſt quoque*, inquit, *gratia orationis qua poſſibilia fiant*, nempe mandata. E contra vero illam eamdem gratiam agnoſcit Aug. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet*, *ſed jubendo &c.* Aſt ipſo teſte Janſenio, nullus ſecluſo gratiæ auxilio orare poteſt: Igitur a doctrina B. Aug. Novator recedit. Quinimmo, non ſibi conſtat negando gratiam deeſſe quod mandata poſſibilia fiant. Ad quod enim, ſi res ſic ſe haberet, Auguſtinus peccatorem adhortaretur, ut peteret quod non poteſt? Ut quid ibidem in Pſ. ſcilicet 106. ſubderet: *Ligatum ſe ſentit & clamat ad Dominum?* Et iterum lib. de ſp. & litt. cap. 3. ait: *Per fidem confugiat ad miſericordiam, ut det quod jubet*.

Inſiſtunt: Atqui Aug. excludit ſicut Janſenius omnem adimplendi præceptum voluntatem: Et probatur. In eo ſenſu iſtam abnegat Janſenius potentiam, quod amiſſum ſit per peccatum poſſe bonum, ut habetur lib. 3. de gr. Ch. cap. 13. & lib. 8. cap. 3. Atqui ſimiliter abnegat Aug. ſic enim docet lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Illa eſt enim pœna juſtiſſima, ut qui . . . recte facere cum poſſet, noluit; amittat poſſe cum velit*. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum: ad probationem diſtinguo: Peccans ex malitia amittit poſſe orare, nego. Poſſe Deum ſuper omnia amare, & alia adimplere præcepta, ſubdiſtinguo: poſſe immediatum & uberrimum, concedo: poſſe mediatum, nego. Hanc ſolutionem non in uno tantum loco tradit Aug. In Pſal. 6. n. 8. de ipſis obduratis diſſerens, ait, numquam interiori Luce quandiu vivunt omnino deſtitui. Rurſus lib. de gr. & lib. arb. cap. 16. loquens de peccatore, dicit: " Oret „ ut habeat tantam voluntatem, quantam „ ſufficit ad implenda mandata, ſic quip- „ pe adjuvatur, ut faciat quod jubetur. „

Contra: Atqui Aug. poſſe bonum etiam mediate abnuit pro quibuſdam in malo ſeneſcentibus: eodem ſenſu abnegat & Janſenius: Et probatur. Iſte in eo ſenſu negat poſſe adimpleri præcepta, quod deſit gratia qua poſſibilia fiant, ut in prima propoſitione exprimitur: Sed & hoc momentum videtur propugnare Auguſtinus; namque lib. de corr. & gr. cap. 11. num. 32. loquens de gratia ſufficiente col-

lata tum Angelis, tum primis Parentibus, aſſerit iſtud ipſum auxilium multis etiam nunc in pœnam peccati deeſſe: " Adjutorium, *inquit*, quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt. " Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probationem, diſtinguo minorem: Gratia ſufficiens qualis fuit in Adamo deeſt multis in pœnam peccati, concedo: omnis, nego. Gratia ſufficiens primi hominis, & gratiam ſanctificantem, & ſummam ad bonum operandum facilitatem complectebatur; hanc autem per peccatum, tum originale, tum actuale amiſimus: aſt non deeſt altera qua quidem proxime poſſumus, vel operari bonum, vel ſaltem orare ad auxilium advocandum, quo facile & prompte, omnem juſtitiam adimplere poſſimus.

Replicant: Janſenius admiſit ſolum impoſſibilitatem moralem, ad faciendum bonum: Sed ex multis Theologis eſt quædam impoſſibilitas moralis faciendi bonum cum ſola gratia ſufficiente, e contra vero peccandi impoſſibilitas regnante gratia efficaci: Igitur nihil, aut fidei & probis moribus contrarium protulit Janſenius. Confirmatur: Multi Theologi alias Orthodoxi huic doctrinæ ſubſcribere videntur, quippequi gratiam ſufficientem ſuum nuſquam ſortiri effectum, e contra vero gratiam efficacem ſemper habere, autument. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Janſenius admiſit impoſſibilitatem ſolum moralem verbo tenus, concedo: ſecus, nego. Ad cujus intelligentiam quædam prænotanda ſunt.

Primoquidem, quæſtio & controverſiæ punctum procedit de gratia efficaci in actu primo. Quæritur enim an motio divina tantam habeat ſecundum ſe, & dum infunditur efficaciam, ut neceſſario & inconſulta voluntate, ſeu independenter a judicio practico intellectus promanante inferat effectum.

Secundo: Voluntas ex D. Thoma duplici modo conſiderari poteſt, nempe ut natura, deinde ut libera. Primo modo operatur ex impetu & nulla prævia aut deliberatione, aut electione: ſecus vero ſecundo modo: ut enim actio ſit libera, debet humano modo fieri, inquit D. Thomas, id eſt per electionem & rationis determinationem. Illæ igitur tantum actiones dicuntur neceſſariæ, quæ a voluntate ut natura, & nulla prævia deliberatione promanant: illæ vero liberæ, quæ per determinationem rationis fiunt.

Tertio: Suppoſitio duplex eſt, alia antecedens, alia vero conſequens: Illa antecedit voluntatis actum, iſta vero ſubſequitur. v. g. ſuppoſito quod voluntas velit & operetur, fit bonum. Antecedens eſt determinatio cauſæ ſecundæ a prima; omne enim quod movetur ab alio movetur: Sed illa ſuppoſitio antecedens, etiam duplex diſtinguitur. Una pure moralis quæ fit excitando, pulſando, & accedente voluntatis, tum deliberatione, tum & electione, accedente rationis ad unum potius extremum quam ad aliud determinatione: altera vero moralis ſimul & phyſica: moralis quidem, quia determinat, tum excitando, tum inclinando: ſed & phyſica quia actus eſt vitalis, hinc voluntas prius præparata a Domino cum actu conjungitur.

Porro Janſenius neceſſitatem moralem ſimul & phyſicam per gratiam efficacem induci contendit, adeoque ſuppoſitionem antecedentem libertati prorſus adverſam. Et quidem pluribus in locis, maxime lib. 8. de gr. Ch. cap. 3. pag. 344. col. 1. in quo quidem tria docet. 1. Gratiam libero arbitrio hominis lapſi quoad uſum non ſubjici, ſicut de facto gratia primi hominis erat in ipſo ad nutum verſatilis, unde indifferentiam actus quam in iſto agnoſcit ſtatu, abnegat alteri. Deinde verbis expreſſis & in titulo capitis, tum & in ipſius capitis corpore gratiam efficacem prædeterminare neceſſario moraliter ſimul & phyſice totis viribus aſſerit atque propugnat: concludit hac determinatione voluntatem ad actum neceſſario compelli, juvat ejus aſſerre textus.

De primo momento ſic loquitur, De gratia Chriſti: *Perſpicue patet, iſtud adjutorium eſſe tale, ut voluntatem cum quacumque alia gratia in potentia conſtitutam ad actum protrahat, non ſi voluerit, quemadmodum gratia Adami & Angelorum, cum qua reipſa ſteterunt in veritate, proprium fuit, ſed ei efficaciſſime præbendo ut velit. Non enim expectat, ut voluntas ſecum influat, quemadmodum in adjutorio Angelorum etiam Sanctorum accidebat, quorum voluntas ita for-*

tis

tis erat, ut quemadmodum, & quando, & quantum vellet, uteretur aut non uteretur adjutorio, ſed facit ſecum influere voluntatem applicans eam ad volendum agendumque, quicquid per eam Deus volendum agendumque conſtituerit: Quibus quidem verbis hoc ponit Iprenſis inter gratiam ſtatus innocentiæ & Chriſti diſcrimen, quod primus homo & Angelus ad nutum ſuæ voluntatis operari poſſint: e contra vero in præſenti ſtatu homo neceſſario determinatur ad faciendum bonum quod fieri vult Deus.

De ſecundo, quod nimirum determinatio antecedens ſit non ſolum moralis, ſed & phyſica, ibidem dicit. I. in titulo capitis quod ſic inſcribitur: *Adjutorium Chriſti determinat ac prædeterminat etiam phyſice voluntatem, ut velit, & ardentius velit*. Deinde ſic incohat illud idem caput: " Quæ quamvis ita ſe ſe habeant,
,, tantoque inter phyſicam prædetermi-
,, nationem, pro ut a Scholaſticis defen-
,, di ſolet, & medicinale Chriſti adjuto-
,, rium diſcrepantia ſit, in hoc tamen,
,, uti diximus, cum ea convenit, quod
,, officium phyſice prædeterminandi volun-
,, tatem ei vere competat. ,, Poſtea in corpore capitis ſubdit loquendo de eadem gratia efficaciter operante: " Non
,, enim hoc aliter facit quam voluntatem
,, inclinando, applicando, determinando,
,, & quia prævenit ipſam voluntatis præ-
,, determinationem, etiam prædetermi-
,, nando, non ſolum moraliter, ſed ve-
,, ra, reali & phyſica determinatio-
,, ne.,,

De tertio, ſcilicet, quod gratia efficax neceſſario determinet voluntatem ad actum, habetur ibidem col. 2. data delectationis gratia neceſſe eſt ut velimus, & operemur: *Facit denique*, ait, *& neceſſe ſit, animum iſtud ſequi, & ſecundum iſtud operari quod amplius delectaverit*. Hoc ipſum iterum atque iterum ibidem repetit.

Ad id quod dicitur, quoſdam Theologos gratiam per ſe efficacem defendentes, impoſſibilitatem faciendi malum ſub dominio gratiæ admittere, quia gratiam eſſe per ſe & in actu primo efficacem, eſt infallibilem habere cum effectu connexionem, diſtinguo: impoſſibilitatem tantum moralem, eamque hypotheticam, concedo: impoſſibilitatem moralem abſolutam & phyſicam, nego. Igitur ex eis duo inconcuſſa manent, nempe actum bonum nuſquam elici niſi accedat & deliberatio, & per judicium practicum electio: deinde vero voluntatem ipſi gratiæ efficaci poſſe reſiſtere; unde ſuppoſitio antecedens, ſive ex præmotione phyſica, ſive ex præmotione dumtaxat morali emanans eſt ſemper hypothetica, id eſt ultimate non determinat, niſi accedat ipſius rationis determinatio. Utrumque toto corde, totiſque viribus propugnant Thomiſtæ, unde & illi, & alii Theologi toto cœlo a Janſenio diſcrepant. Quid plura? Præmotio phyſica, ut oſtenſum eſt, ſequitur ad electionem, & ſe habet tantum materialiter, id eſt, ad actum ut ens eſt phyſicum, non vero ut morale: unde per omnia ſervantur de libertate fidei dogmata.

Perſiſtunt: Janſenius admittit ſolum impoſſibilitatem faciendi malum relativam ſub dominio delectationis cæleſtis: Igitur tantum moralem, & libertati nullo modo adverſantem; ſi quidem quod eſt relativum, dicit quid indifferens, & ad plurima extrema verſatile.

Reſpondeo diſtinguendo: Janſenius admittit potentiam relativam ſtatus, concedo: potentiam relativam actus, nego. Potentia poteſt eſſe relativa ad ſtatum & ad actum: Primoquidem modo quando conſideratur ſecundum præſentes quas homo habet vires, ita ut poſſit ab iſto ſtatu tranſire ad meliorem, in quo robuſtiores habeat vires: alio modo reſpectu actus, ita ut non poſſit poni, vel non poni relative ad voluntatem eligentem, & attenta ejus intrinſeca indifferentia. Janſenius admittit impoſſibilitatem non ſolum moralem relativam ſtatus, in quantum attentis omnibus, in quo homo ſubjacet, gratiæ circumſtantiis, non poteſt bonum non operari, verum etiam phyſicam & abſolutam actus, quia propugnat delectationem cæleſtem eamque præviam, & indeliberatam ad actum bonum independenter a judicio practico compellentem, ſeu neceſſitantem. Eſt quidem alia impoſſibilitas moralis relativa, id eſt hypothetica actus, quæ ab electione procedit. Enim vero ſi actus conſideretur relative ad voluntatem, quæ deliberatione prævia illum elicit, certum eſt fieri neceſſario; impoſſibile quippe eſt, facta electione & accedente voluntatis conſenſu actum non fieri: alias actus & non actus forent ſimul, quod implicat. Sed Iprenſis in hac morali impoſſibilita-

te

te non ſiſtit neque quieſcit. Alii Theologi impoſſibilitatem moralem non faciendi bonum in ſenſu compoſito tantum agnoſcunt, Novator vero etiam in ſenſu diviſo exigit.

Reponunt: Eſt ſemper ſenſus compoſitus eo ipſo quo gratia datur: Igitur Janſenius nihil adverſus fidei dogma in hac gratiæ efficacis materia protulit.

Reſpondeo diſtinguendo: Quando gratia confertur eſt ſemper ſenſus compoſitus gratię, concedo: ſenſus compoſitus actus, nego. Quum gratia datur, tunc quidem eſt ſenſus compoſitus, quia unitur animæ, ſed non ſenſus compoſitus actus, & quidem propter duo: Primo, quia prius eſt gratiam conſerri, & determinare atque elevare potentiam ad agendum, quam voluntatem operari. Secundo, quia actus non fit niſi voluntas a gratia mota eligat bonum; hinc & ipſi gratiæ moventi reſiſtere poteſt, ut de fide definitum eſt in Concilio Tridentino: Sed Janſenius hæc omnia procul facit, quandoquidem & gratiam antecedentem eamque neceſſitantem propugnat, & voluntatis indifferentiam electivam per fas & nefas debellat, ac deſtruit omnino, unde ſecundum ejus principia eſt ſemper ſenſus compoſitus actus, eo ipſo quo eſt ſenſus compoſitus gratiæ.

Solvuntur objectiones Novatorum ex aliis B. Auguſtini locis depromptæ.

OPPONUNT: Qui a lapſu Adami peccandi neceſſitantem habet, non poteſt ſaltem ſemper legis Dei ſervare mandata: Atqui a lapſu Adami homo etiam juſtus peccandi neceſſitatem habet. Et probatur ex S. Auguſtino, qui quidem diſp. 2. contr. Fortunatum Manichæum ſic loquitur: *Ille ſic factus eſt, ut nihil omnino voluntati ejus reſiſtere poſſet, ſi vellet præcepta ſervare. Poſtquam autem libera ille voluntate peccavit, nos in neceſſitatem peccandi præcipitati ſumus.* Rurſus loquens de effectu peccati Protoparentis in hominibus lib. de perf. juſtit. cap. 4. ait: *Per arbitri poteſtatem factum eſt, ut eſſet homo cum peccato; ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceſſitatem: unde ad Deum fides clamat, de neceſſitatibus educ me.... Sub quibus poſiti, vel non poſſumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, non valemus implere.* Similia dicit lib. 3. de libero arb. cap. 18. his verbis: *Non habet homo in poteſtate, ut bonus ſit, ſive non videndo qualis eſſe debeat, ſive videndo & non valendo eſſe qualem debere eſſe ſe videt.* Verum præ cæteris ex auctoritate D. Auguſtini depromptis argumentis illud palmare eſt, quod S. Doctor de Petro Chiſtum abnegante contra datam promiſſionem inſtituit; de illo quippe S. Præſul ſerm. 106. de diverſ. cap. 1. ſic ſcribit: *Secutus eſt Dominum paſſurum, ſed tunc non potuit ſequi paſſurus. Promiſit ſe moriturum pro illo, & non potuit, nec cum iſto. Plus enim auſus erat, quam ejus capacitas ſuſtinebat: Plus promiſerat, quam poterat.* Igitur ex B. Auguſtino liquet a lapſu Adami nonnumquam ineſſe hominibus etiam fidelibus, etiam juſtis, immo & conantibus quædam ſervandi præcepta impoſſibilitas.

Reſpondeo I. ex jam dictis ad iſta Sophiſmata patere ſolutionem: Non ſemel quippe diximus, in his & ſimilibus locis B. Auguſtinum per impoſſibilitatem ad bonum faciendum, difficultatem intelligere; per peccandi neceſſitatem, impoſſibilitatem moralem cuncta collective vitandi peccata etiam leviſſima, ſed nullo modo neceſſitatem ſimplicem & relative abſolutam ea diſtributive vitandi; hanc tamen admittere non erubeſcit Janſenius lib. 6. de gr. Salv. cap. 7. *Conſtabunt vero*, inquit, *omnia de duplici iſta neceſſitate, una violentiæ, altera ſimplici, cumque voluntatis libertas maneat integerrima.* Ne aliquid ab ipſius opinione detrahatur, ut fucum faciat, ait iſtam neceſſitatem humanę non adverſari libertati. Addo S. Auguſtinum quandoque etiam ſermonem facere, vel de neceſſitate peccandi materialiter, vel de neceſſitate peccandi formaliter abſque gratia, quia tunc revincit & impugnat Pelagianos, qui abſque gratiæ auxilio & tentationes ſuperari, & mandata obſervari propugnabant: nam etſi remotiſſime per vires libero arbitrio innatas utrumque poſſimus, nuſquam tamen abſque gratia Chriſti proxime. Intelligas velim benevole Lector, Novatorem confundere poſſe in actu primo, quod eſt a gratia ſufficiente, cum poſſe in actu ſecundo ſeu cum ipſo actu conjuncto, quod quidem habetur ſolum per gratiam efficacem, quæ cum multis deficiat propter obicem & reſiſtentiam, videntur audet aſſerere homines

nes etiam juſtos quandoque præcepta non poſſe adimplere : quibus omnibus apprime ſic diſtinctis , evaneſcunt cuncta Novatorum adverſus veritatem catholicam molimina . Sed majores claritatis cauſa ad ea in forma reſpondere , nec inutile , nec injucundum erit .

Reſpondeo igitur II. negando minorem : Ad probationem diſtinguo : A lapſu Adami eſt boni faciendi impoſſibilitas , neceſſitas vero peccandi materialiter , concedo : peccandi formaliter , nego . Peccatum duplex ab Auguſtino diſtinguitur , aliud quod eſt tale materialiter , quando ſcilicet aliquid eſt & in radice vitioſum , & inducit ex natura ſua ad legis prævaricationem , ſed obſque aut cognitione , aut conſenſu perſonæ : aliud vero quod eſt formaliter peccatum , videlicet cum accedit & cognitio & conſenſus noſter . In priori ſenſu ignorantia & concupiſcentia vocantur a S. Doctore peccatum , quippe quæ ſint peccati originalis effectus , & inducant nos ad peccatum : ſub iſto reſpectu merito dicit ineſſe homini a lapſu Adæ peccandi neceſſitas , hoc eſt , per peccatum originale concupiſcentia , quæ ipſo teſte Conc. Tridentino remanet in nobis uſque ad agonem , namque ſumus natura filii iræ : Sed neque ignorantia peccatum , neque concupiſcentia regnant abſolute & neceſſario in nobis : non enim peccata ſunt formaliter niſi adſit & cognitio , & conſenſus . Aliud igitur eſt ſubjici ex conditione naturæ ignorantiæ & concupiſcentiæ , aliud peccare formaliter & neceſſitate concupiſcendo . Primum admittit Auguſtinus ut perſtringat Pelagianos , his enim defectibus probat eis peccatum originale : alterum vero negat . Igitur , ait : " Poſtquam autem li- ,, bera ille , *Adamus*, voluntate peccavit , ,, nos in neceſſitatem peccandi præcipi- ,, tati ſumus ,, Hoc eſt , ignorandi & concupiſcendi : " Pœnalis vitioſitas ſubſecu- ,, ta ex libertate fecit neceſſitatem . ,, Vitium quippe eſt ignorantia , vitium & concupiſcentia tametſi involuntaria , quia & a peccato primi hominis promanat , & ad peccatum inducit : " Non habet homo in poteſtate ut bonus ſit'. ,, Videlicet abſque vitio & defectu , in quo ſenſu Apoſt. Rom. 7. dicebat : *Non enim quod volo bonum hoc ago : ſed quod odi malum , illud facio* ; id eſt , concupiſco ; quod certe non erat peccatum formaliter in eo , cum etiam roganti Deus illi reliquerit Angelum ſatanæ qui illum colaphizaret , ut virtus humilitatis in infirmitate perficeretur : " Non potuit , *inquit Aug. de Petro* ,, ſequi paſſurus , plus promiſerat quam poterat . ,, Hoc eſt , difficile era ſequi propter vitia a peccato originali fluentia .

Quod autem iſtæ D. Auguſtini mentis interpretationes ſint genuinæ , teſtis eſt ipſe S. Doctor , non in uno aut altero , ſed multiplici loco . Lib. oper. imperf. cap. 47. ſe ipſum ſic explicat : " Si iſta ,, tria diſcernas , & ſcias aliud eſſe pec- ,, catum , aliud pęna peccati , aliud utrum- ,, que . . intelliges quod horum trium per- ,, tineat ad illam definitionem . . . *nempe peccatum eſt id* unde liberum eſt abſtine- ,, re ; peccatum namque iſto modo defi- ,, nitum , eſt , non pęna peccati , non ,, utrumque . . . Horum ſane trium gene- ,, rum ſi requirantur exempla , Primi ge- ,, neris in Adam ſine ullo nodo quæſtio- ,, nis occurrit . . . . Secundi autem ge- ,, neris , ubi tantummodo eſt pęna pec- ,, cati , exemplum in eo malo eſt , quod ,, quiſque ex nulla parte agit , ſed tan- ,, tummodo patitur : velut cum pro ſuo ,, ſcelere , qui peccavit , occiditur , ſive ,, cruciatur . Tertii vero generis , ubi ,, peccatum ipſum eſt & pęna peccati , ,, poteſt intelligi in eo qui dicit : quod ,, nolo malum , hoc ago . ,, Igitur ex Aug. illud ſolum eſt peccatum formaliter a quo liberum eſt abſtinere , unde neque ignorantia , neque concupiſcentia , niſi propriæ voluntatis accedat conſenſus , ſunt peccatum formaliter , ſed tantummodo ut in ſecundo exemplo dicit , pęna peccati : in tertio tamen non ſolum pęnam peccati , ſed & peccatum vocat , ſed intellige materialiter , id eſt in radice , ſeu etiam cauſaliter , quatenus inducunt ad peccatum . Quod enim S. Præſul & non ſentiat peccatum in ſe & formaliter , patet ex definitione quam dat de peccato : *Peccatum eſt illud unde liberum eſt abſtinere* . Profecto non liberum eſt abſtinere ab omnibus concupiſcentiæ motibus , cum ut plurimum ſint indeliberati : Idem patet ex hoc quod ſubjungit in tertio exemplo , cum enim dicit : *Tertii vero generis , ubi peccatum ipſum eſt , & pœna peccati poteſt intelligi in eo qui dicit : Quod nolo malum , hoc ago* .

In eodem ſenſu , videlicet materiali loquitur

quitur Auguſtinus lib. 1. retract. Cap. 15. his verbis: " Quod nolo, hoc facio .... „ Hoc de concupiſcentia carnis dicitur. „ Rurſus lib. 1. oper. imperf. cap. 105." „ Et peccatis de ignorantia, vel affe- „ ctionum neceſſitate venientibus, quæ „ jam non ſolum peccata, verum etiam „ pęnæ ſunt peccatorum. „ Clarius ſe „ explicat lib. de perf. juſti. Cap. 11. & „ ait " Cum vero non ſinit regnare pec- „ catum in ſuo mortali corpore, ad obe- „ diendum deſideriis ejus: ineſt quidem „ peccatum in membris ejus, ſed non „ regnat, quia non obeditur deſideriis „ ejus; & ideo dum non quod vult agit, „ id eſt, non vult concupiſcere, & con- „ cupiſcit; conſentit legi quia bona eſt. „ Hoc enim vult quod & ipſa lex; quia „ vult ipſe, non concupiſcere, & lex di- „ cit: non concupiſces. Concupiſcit ta- „ men, quia non eſt ſine peccato; ſed „ jam ipſe non operatur illud, ſed id „ quod in illo habitat peccatum. Ideo „ non ipſum reprehendit cor ejus in om- „ ni vita ſua ... Non ergo reprehendit „ eum cor ejus, quando reprehendit pec- „ catum, quod habitat in membris ejus.„

Denique ne ſuperſit aliquis de mente B. Auguſtini ambigendi locus, in memoriam revocandæ ſunt ejuſdem S. Doctoris auctoritates in probationem adductæ, quibus conſtanter aſſerit præcepta Dei eſſe ſemper poſſibilia, quibus unam adhuc cæteris hic adjiciam lib. 2. contra Fauſtum cap. 5. ubi ſic loquitur: " Nos quidem „ ſub fato ſtellarum nullius hominis ge- „ neſim ponimus; ut liberum arbitrium, „ quo vel bene; vel male vivitur pro- „ pter juſtum Dei judicium ab omni ne- „ ceſſitatis vinculo vindicemus. „

Ad ſecundum locum utique diſtinguo: Ex Auguſtino mala vitioſitas facit peccandi neceſſitatem in genere, ita ut homo lapſus non poſſit quin in aliquod prolabatur peccatum ſaltem leve, concedo: in particulari, nego. Solent Theologi diſtinguere peccata collective, & diſtributive: collective pro toto vitæ tempore, diſtributive pro aliquo temporis ſpatio determinato. Peccata ſi ſumantur collective vitanda, hoc eſt, per totam vitam, id ipſum fieri nequit abſque privilegio, inquit Tridentinum, quod ſoli Mariæ conceſſum eſt; quia a lapſu Adami, & ignorantiæ & concupiſcentiæ ſubjicimur, hinc ſit inquit D. Th. 1. 2. q. 109. quod dum attendimus ad unum, mens ex innata fragilitate diſtrahatur, ſimul & ad aliud, quod eſt præter legem, trahatur, hinc Jacob. 3. ait: *In multis enim offendimus omnes*: Rurſus Prov. 24. *Septies enim in die cadet juſtus*. Non ſic ſane res ſe habebant in ſtatu innocentiæ; cum enim homo eſſet tum a concupiſcentia, tum ab ignorantia immunis, poterat vitare peccata & in particulari, & in communi ſeu pro ſemper, quod perpetuo repetit beatus Auguſtinus in libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ, aſſerens gratiam hominis innocentis talem fuiſſe, qua poſſet, ſi vellet, in bono perſeverare, quæ quidem felix conditio amiſſa eſt per peccatum originale; per illud vero inducta eſt & ignorantia, & concupiſcentia, quam S. Præſul vocat malam vitioſitatem, quæ quidem peccandi neceſſitatem in genere invexit, ſed non in particulari: namque ſi tentatio quælibet conſideretur ſecundum ſe, nulla eſt quæ non poſſit vinci, quia ſi ad hoc vires innatæ non ſufficiant, adeſt ſemper gratia ſufficiens quando urget præceptum, ut quilibet poſſit & declinare a malo, & facere bonum. Igitur poſſumus omnia peccata conſiderata diſtributive, & in particulari temporis circumſtantia, vitare.

S. Auguſtinus loquitur tantum de neceſſitate peccandi in primo ſenſu: ſuam ipſe aperit mentem lib. de perf. juſt. cap. 13. his verbis: " Aliud eſt recedere ab omni „ peccato, quod nunc in opere eſt, aliud „ receſſiſſe ab omni peccato, quod in illa „ perfectione tunc erit, " hoc eſt in pa- „ radiſo. Rurſus ibidem cap. 21. " Nemo „ dicat, ſe poſt acceptam remiſſionis „ gratiam ita juſte vivere poſſe, ut nul- „ lum habeat omnino peccatum, nec „ egeat oratione illa: dimitte nobis debita „ noſtra, quaſi vero numquam, vel in „ lapſu linguæ, vel in oblectanda cogita- „ tione, concupiſcentiæ deſideriis con- „ ſentiremus. „ Quod autem non neget pro homine lapſo poteſtatem vitandi quodlibet peccatum, ex inconcuſſis ejus principiis ubique liquet. Sic loquitur lib. de grat. & lib. arb. cap. 2. " Ubi dicitur, *inquit*, no- „ li hoc, noli illud; & ubi ad aliquid fa- „ ciendum vel non faciendum in divinis „ monitis opus voluntatis exigitur, ſatis „ liberum demonſtratur arbitrium. Nemo

„ ergo

,, ergo Deum cauſetur in corde ſuo ; ſed
,, ſibi imputet quiſque cum peccat : neque
,, cum aliquid ſecundum Deum operatur,
,, alienet hoc a propria voluntate . ,,

Ad tertium locum : *Non habet homo*,
ex ſancto Auguſtino, *in poteſtate* , *ut bonus
ſit*; diſtinguo : Hoc eſt, non ſine difficul-
tate poteſt bonum, concedo : nullo modo
poteſt, nego . Impoſſibilitas faciendi bo-
num duplex diſtinguitur ; una phyſica &
abſoluta , moralis altera & vincibilis .
Prior dicit potentiæ aut privationem aut
extinctionem : ut in cæco , qui certe de-
fectu oculorum nequit videre : altera im-
portat ſolummodo difficultatem, quæ qui-
dem ſuperari poteſt, facta diligentia , cum
Deo adjuvante. De iſta ſolum loquitur in
loco pro objectione allato S. Auguſtinus .
Quod ex duobus potiſſimum conſtat : Pri-
moquidem quia S. Præſul ex profeſſo in
multis libris docet ineſſe homini per gra-
tiam Salvatoris poteſtatem declinandi a
malo & faciendi bonum . Secundo quia
hanc impotentiam nomine tantum difficul-
tatis celebrat .

De primo momento ſic loquitur lib. 2.
de act. cum Felic. cap. 3. " Eſſe autem
,, liberum arbitrium : atque inde peccare
,, quemquam ſi velit, non peccare ſi no-
,, lit, non ſolum in divinis Scripturis , ſed
,, etiam in verbis ipſius Manichæi tibi pro-
,, bo . ,, Quibus verbis contendit S. Do-
ctor liberum arbitrium tum in bono, tum
in malo, agere per electionem , adeoque
cum indifferentia actus & liberrime. De
alio momento clare utique multis in locis
ſeſe explicat lib. 3. de lib. arb. cap. 8. O-
,, mni peccanti animæ , *ait*, iſta genera-
,, lia ſunt , ignorantia & difficultas . ,,
,, Rurſus ibidem : " Ut autem de illo pri-
,, mo conjungo, & cum ignorantia , &
,, cum difficultate , & cum mortalitate
,, naſcamur . ,, Rurſus ibidem : " Quam-
,, quam in ignorantia & difficultate nata
,, ſit, non tamen , ad permanendum in
,, eo quod nata eſt, aliqua neceſſitate com-
,, primitur . ,, Et adhuc ibidem . Omnis
,, anima intelligit enitendum , ad evincen-
,, dam recte faciendi difficultatem . ,, Vi-
deas velim, doctiſſime Lector , B. Augu-
ſtinum nomine neceſſitatis inductæ per i-
gnorantiam & concupiſcentiam ingenitam,
intelligere non neceſſitatem abſolutam ſeu
ſimplicem, qualem propugnat Janſenius ,
ſed aliquam tantummodo , ſeu ſecundum
quid , ſolam intelligere difficultatem ,
magnam quidem , ſed ope gratiæ ſupera-
bilem.

Ad quartum locum ſimiliter diſtinguo :
Petrus, non potuit ex Auguſtino : " Chri-
,, ſtum ſequi paſſurus , ,, ſecluſo gratiæ
auxilio , quod nemini deeſt quando ur-
get præceptum , concedo : non potuit
ſimpliciter & abſolute, nego . Ibi Aug.
& quotieſcumque celebrat bonum facien-
di impotentiam , inſectatur Pelagianos ,
qui & poſſe bonum , & operari viribus
libero arbitrio innatis tribuebant : unde in
ſenſu oppoſito ſemper & apprime qui-
dem ait hominem a lapſu Adami non
poſſe , ſecluſo gratiæ Chriſti adjutorio ,
operari bonum ; quod quidem adjutorium
duplex diſtinguitur ab ipſo Auguſtino ,
aliud *ſine quo* , aliud vero *quo* . Primum
eſt gratia ſufficiens quæ dat poſſe , &
ſine qua nihil boni ad vitam æternam
conducentis operari poſſumus : Secundum
eſt gratia efficax qua actu agimus. Prima
datur cunctis, ſecunda vero offertur, ſed
multi propter reſiſtentiam tanto defrau-
dantur bono . Sufficientem habebat Pe-
trus , cum ipſo teſte Aug. parvam tunc
haberet charitatem : altera vero nempe
efficaci defectu orationis & diligentiæ ca-
ruit ; unde quum dicitur , non potuit ſe-
qui, ſenſus eſt, non potuit potentia con-
juncta cum actu, hoc eſt , non ſecutus eſt;
ſed potentia antecedente certe poterat . Ita
Aug. lib. de unitate Eccleſiæ cap. 19. his
verbis : " Petrus ſi voluiſſet , ter Domi-
,, num non negaſſet ; ſed ideo fuit de iſtis
,, certa prædicto , quia Deus futuras
,, prævidet voluntates . ,, Tum lib. de
,, nat. & gratia cap. 44. ita ſcribit : " Quid
,, enim dici brevius potuit & verius, quam
,, poſſibilitatem non peccandi , quantacum-
,, que eſt vel erit in homine , non niſi
,, Deo debere reputari ? Hoc & nos di-
,, cimus, jungamus dexteras . ,, Et iterum
ibidem : cap. 49. " Sed hoc unde ſit poſſibile
,, fateatur , & pax eſt. Ipſa eſt enim gratia
,, Dei per Jeſum Chriſtum, quia omnino
,, iſte nos orantes adjuvari, ut non pecce-
,, mus, nuſquam dicere voluit . ,, Rur-
,, ſus lib. 4. ad Boniſac. cap. 6. " Quid
,, eis prodeſt ? Sic enim volunt intelligi,
,, quod dictum eſt : Si volueritis , & au-
,, dieritis , tamquam in ipſa præcedente
,, voluntate ſit conſequentis meritum gra-
,, tiæ, ac ſic gratia jam non ſit gratia. Si au-

,, tem

Digitized by Google

„ tem ſic intelligerent quod dictum eſt : ſi
„ volueritis, &c. ut etiam ipſam bonam
„ voluntatem illum præparare confiteren-
„ tur, de quo ſcriptum : Præparatur vo-
„ luntas a Domino, tamquam Catholici
„ uterentur hoc teſtimonio; & non ſolum
„ hæreſim veterem Manichæorum, ſed
„ novam Pelagianorum contererent. „

Ex his omnibus multa ſequuntur ex mente S. Auguſtini. I. Hominem poſſe ſemper bonum, modo adjuvetur a Deo. II. Præcepta eſſe impoſſibilia proxime viribus naturæ. III. Negaſſe poſſibilia ſolummodo in ſenſu Pelagianorum, qui cuncta inanibus innatis viribus tribuebant, qua de cauſa dicit nullum eſſe inter illos & ſe controverſiæ caput, ſi velint & poſſe bonum & illud ipſum operari a gratia præveniente & adjuvante promanare. IIII. Quandoque etiam, adſtante gratia præveniente negare poſſe bonum, ut de Petro dictum eſt, ſed loquitur de potentia cum actu conjuncta, hinc quoque de Petro ſermonem habens, in eo ſolum ſenſu illum ait Chriſtum, non potuiſſe ſequi, quatenus de facto non ſequutus eſt : Igitur voces, *non potuit*, minime appellant ſuper potentiam, ſed ſolummodo ſuper actum, hoc eſt, [*non ſequutus eſt*.] Sua culpa caruit gratia efficaci, qua de facto ſequeretur paſſurus. Nec mirum; controverſia erat inter S. Auguſtinum & Palagium de poſſe, & de operari bonum : utrumque, ſecluſa gratia, Pelagius & ſui, naturæ in ſe relictæ tribuebant: utrumque vero negat conſtanter Auguſtinus. Ergo quum dicit hominem bonum ſalutis non poſſe, hoc recte poteſt intelligi & in actu primo, & in actu etiam ſecundo, ſed utrumque in ſenſu oppoſito Pelagianis, hoc eſt, homo neque mandata ſervare poſſe, neque de facto ſervare abſque gratia : non poſſe quidem quia præparatur voluntas a Domino per ſufficientem : non ſervare vero, quando quidem nemo poteſt venire ad Chriſtum niſi Pater gratia efficaci traxerit eum. Quibus dilucidis diſtinctionibus datis & explicatis, cuncta omnino evaneſcunt Novatorum vana molimina.

Solvuntur objectiones pro defenſione Propoſitionum Janſenii.

Qui Janſenium a denuntiatione quinque Propoſitionum apud Innocentium X. SS. Pontificem defendere voluerunt, duobus potiſſimum modis anathema ab ejus libro avertere conati ſunt : Primoquidem probando, ſeu potius contendendo propoſitiones damnatas neutiquam reperiri in Auguſtino Iprenſi. Quando vero de hoc textuum & probationum evidentia convicti fuere, propoſitiones damnatas fuiſſe in ſenſu Janſenii negaverunt : Hoc ipſum colligitur ex variis tum antiquis, tum etiam novis libris, qui pro defenſione doctrinæ iſtius Præſulis ubique circumferuntur.

Objiciunt : Janſenius non ſemel aſſerit præcepta Dei eſſe poſſibilia : Sed prima propoſitio dicit eſſe impoſſibilia ſine reſtrictione, etiam juſtis, & quidem conantibus: Igitur non eſt Janſenii. Confirmatur : Iprenſis ſe explicat concedendo quidem quædam præcepta eſſe immediate impoſſibilia homini ſecundum præſentes quas habet vires, non tamen ſimpliciter & abſolute, ſed eſſe de facto poſſibilia, mediante gratia ; textus autem auctoris attendi debet ſecundum antecedentia & conſequentia. Igitur cum poſſibilitatem præceptorum propugnet & agnoſcat Janſenius, nullus, rerum æquus judex dicet iſtum Præſulem ſcripſiſſe quædam Dei præcepta eſſe impoſſibilia. Confirmatur. II. Licet S. Paulus Hebr. 6. 4. dicat impoſſibile eſſe eos qui ſemel illuminati prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, nullus tamen hinc interpretatur ſententiam de impoſſibilitate abſoluta : Pari lance ponderandus eſt Janſenii textus, quando impoſſibilitatem quorumdam præceptorum importat : Igitur propoſitio damnata non eſt in Janſenii libro.

Reſpondeo I. propoſitionem primam damnatam eſſe & quoad litteram, & quoad ſenſum : quoad litteram quidem ut omnibus legentibus patebit : quoad ſenſum vero, ſi quidem omni argumentorum genere non bis, ter, aut quinquies, ſed decies & quaſi ſine fine probare conatur quædam præcepta eſſe & peccatoribus, & etiam juſtis, quandoque impoſſibilia. Ita l. 3. de grat. Chriſti cap. 13. ut infra dicemus.

Reſpondeo II. præſentem quæſtionem non eſſe de ſenſu, quem auctor potuit vel alibi exprimere, vel in mente habere, ſed de propoſitione ut jacet in loco mox citato, de ſenſu obvio quem præ ſe fert legentibus,

tibus,

Digitized by Google

tibus, & adoptavit in contextu: talis autem hæc propoſitio eſt: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſſe quoque illis gratiam qua poſſibilia fiant*. Igitur ex Janſenio quædam præcepta ſunt impoſſibilia, & quidem ſimpliciter, quia ſi poſſibilia forent, maxime per gratiam; ipſo autem teſte Janſenio, deeſt quoque gratia qua poſſibilia fiant.

Reſpondes 3. diſtinguendo: Janſenius quandoque dicit præcepta eſſe poſſibilia poſſibilitate futura, ſi Deus vellet, concedo: poſſibilitate præſente, nego. Duplex diſtinguitur poſſibilitas, altera futura, altera præſens: prima ponitur in voluntate Dei, qui poſſet ſi vellet, dare gratiam qua præcepta fierent poſſibilia, quam tamen non dat Deus in Janſenii ſententia relative ad præſentes ſuperioris & invincibilis delectationis terrenæ circumſtantias; Secunda vero eſt a gratia quæ ineſt omnibus, ut poſſint adimplere præcepta: Certum eſt Janſenium admittere ſolum primam poſſibilitatem, nempe futuram, minime vero ſecundam, & eſt ſui ipſius interpres, ait enim: *Deeſſe quoque gratiam qua poſſibilia fiant*. Jam vero qui habet ſolum poſſe futurum, non habet præſens: Igitur ex Janſenio quædam præcepta ſunt ſimpliciter & relative impoſſibilia juſtis, unde conceſſa minore, nego conſequentiam.

Reſpondeo 4. adhuc diſtinguendo: Præcepta ex Janſenio ſunt poſſibilia etiam in conjunctione majoris concupiſcentiæ, in abſtracto, concedo: in concreto, nego. Id eſt, gratia parva ſecundum ſe ſpectata valet ad legem adimplendam: Sed ſi conſideretur in concreto & in conjunctione cum concupiſcentia dominante, non valet, quia illam ſuperare nequit.

Ad primam confirmationem, diſtinguo: Janſenius quandoque dicit præcepta eſſe per gratiam poſſibilia, & idem aſſerit gratiam qua poſſibilia fiant ſæpius deeſſe peccatoribus, immo & juſtis conantibus, concedo: ſecus, nego. Sic ſentit, ſic ſcribit, ſic iterum atque iterum inculcat dicendo eam ineſſe juſtis præcepta adimplendi potentiam non abſimilem potentiæ hominis, qui, abſciſſis pedibus, poteſt tamen currere, nempe quia Deus poteſt reſtituere pedes: quale potentiæ commentum, judicate pii, juſti & Catholici Lectores.

Ad ſecundam confirmationem nego paritatem, quia Spiritus ſanctus pluries alibi ſe explicat circa ſalutis & pœnitentiæ poſſibilitatem. Alloquendo enim Iſrael dicit: *Mandatum meum non eſt ſupra te*: quandoque etiam provocat homines, ore Chriſti ad virtutem: *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Rurſus: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Igitur locus Apoſtoli non debet intelligi de impoſſibilitate abſoluta pœnitentiæ. Verum non ſic de propoſitione Janſenii. Enim vero non ſolum grammaticaliter ſumpta ſonat & infert impoſſibilitatem abſolutam adimplendi præcepta, ſed etiam ſecundum omnia Janſenii principia & ſenſum ejus contextus, quia ipſo teſte deeſt quandoque gratia juſtis qua præcepta poſſibilia fiant: deeſt inquam, quia pro præſenti ſtatu ſolum admittit auxilium *quo*: ſeu gratiam efficacem, quam multis ſæpe deeſſe nemo diffitetur, l. de gratia primi hominis cap. 14.

Inſtant: Concilium Tridentinum non aliam agnoſcit in peccatoribus & juſtis poſſibilitatem adimplendi præcepta quam mediatam, qualem celebrat Janſenius: Igitur prima propoſitio damnata eaque hæretica, non eſt in libro Præſulis Iprenſis. Probatur antecedens: Trid. ſeſſ. 6. c. 11. ſic loquitur: *Deus... jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. Si petis quod non poſſis, jam igitur præceptum eſt tibi impoſſibile, maxime quia ut poſſis adimplere, adjuvat Deus: ſi bene & ſicut oportet petis: Igitur Concilium ſupponit ineſſe peccatoribus & juſtis potentiam adimplendi præcepta ad ſummum remotiſſimam & imperfectam. Confirmatur: Multi Thomiſtæ hunc ita interpretantur locum, dicendo hominem habere duntaxat per gratiam efficacem potentiam completam adimplendi præceptum.

Reſpondeo negando majorem. Ad probationem diſtinguo: Tridentinum injungit petere ut poſſis potentia conjuncta cum actu, concedo: potentia ut ſic, ſubdiſtinguo: fortiori, concedo: ita ut non ſit vera pro adimpletione præcepti potentia, nego. Multiplex potentia adimplendi præcepta diſtinguitur, una remota, quæ habetur per fidem & per alias virtutes; alia proxima, quæ datur per gratiam ſufficientem, qua præparatur voluntas a Domino, & ſit ad agendum expedita:

Et

Et vero voluntas mota & excitata per gratiam prævenientem, eſt profecto accincta ad actionem; tertia conjuncta cum actu, & eſt a gratia efficaci quæ applicat ad actum. Tridentinum agit contra Lutherum & Calvinum propugnantes præcepta Dei eſſe omnino impoſſibilia: illos autem revinxit, primo definiendo nulla præcepta eſſe impoſſibilia; deinde reddit rationem, quia Deus jubendo monet petere quod non poſſis, id eſt potentia conjuncta cum actu, potentia qua actu obſervantur mandata, quæque habetur per gratiam efficacem. Utique dici poteſt Concilium nos adhortari ut gratias ſufficientes uberiores petamus, quibus vehementer moti, citius amplectamur bonum, & proſequamur ardentius. Igitur Tridentinum agnoſcit in omnibus potentiam proximam ad actum per legem imperatum, cum mandata omnibus eſſe poſſibilia contendat.

Dices: Infidelis non habet potentiam proximam ad legem obſervandam, ſi quidem illam ignorat; neque obduratus ad conterendum, quippe qui ne quidem audire velit de pœnitentia: Igitur ſæpius deeſt potentia proxima adimplendi præceptum.

Reſpondeo, infidelem habere gratiam ſufficientem ad legem naturalem obſervandam, adeoque potentiam proximam, cum ad obſervationem præceptorum proxime & immediate illum moveat & ſtimulet gratia præveniens. Dicimus quoque obduratum habere potentiam proximam ad orandum, ut ſupplici deprecatione gratiam uberiorem habeat ad conterendum. Pulſat igitur Spiritus ſanctus ad cor obdurati: Quot enim conſcientiæ ſtimuli? Quot inferni terrores? Unde tot & tantæ converſionis inſpirationes, niſi a gratia ſufficiente? Igitur habet ejus beneficio potentiam proximam ad præcepta adimplenda. Dico proximam, majorem quippe tunc habet, quam per liberum arbitrium, quod ſe ſolo præceptum non valet adimplere: cum igitur gratia ſufficiens actu moveat & excitet obduratum ad pœnitentiam, certe cenſetur habere potentiam proximam ad obediendum legi: quod ſi deſit gratia efficax ut actu adimpleat omnem juſtitiam, oret, inquit Auguſtinus, ut tanta fiat bona voluntas, quanta requiritur ad perfectam converſionem. Verum manifeſte convincitur Janſenius ſe non admittere potentiam ſufficientem ad præcepta Dei ſervanda, quia gratiam orationis, qua præcepta poſſibilia fiant, etiam juſtis deeſſe contendit. De hoc momento fuſius ſuo loco dicemus.

Ad confirmationem ex auctoritate Thomiſtarum deſumptam, diſtinguo: Quidam Theologi Thomiſtæ tenent potentiam eſſe phyſice completam tantum per gratiam efficacem, & loquuntur de potentia conjuncta cum actu, concedo: de potentia ſecundum ſe conſiderata, nego. Omnes fatentur gratiam ſufficientem proxime diſponere voluntatem ad actum. Præter Bannem, Alvarum Gonetum, ita cenſet Cardinalis Noricius, & ipſe P. Maſſouillie primus quidem in ſuo tractatu, cujus titulus eſt, *Vindiciæ Auguſtinianæ*, ubi dicit iſta verba Conc. Trident. Deus, *adjuvat ut poſſis*, eſſe intelligenda in ſenſu abſoluto & damnat atque rejicit Janſenium, qui addidit, *ſi exaudiat*. Tum gratulatur Facultati Theologiæ Pariſienſi, quod illam Arnaldi propoſitionem: *Gratia ſine qua nihil poſſumus defuit Petro*, proſcripſerit. Alter vero explicat quidem verba illa Tridentini, *Adjuvat ut poſſis*, de gratia efficaci: Sed tom. 1. pag. 181. aſſerit gratiam ſufficientem dare completiſſime poſſe agere, ex quibus apparet ſcholam Angelicam toto cœlo differre a Janſeniana. Denique Thomiſtæ tenent obduratum habere gratiam ſufficientem, quæ dat poſſe proxime orare, mediante vero oratione poſſe gratiam uberiorem obtinere, qua quidem habebit converſionem.

Inſtant: Atqui Concilium Trid. loquitur tantum de potentia imperfecta, nec alio prorſus ſenſu credit poſſibilia; ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens: Sacra Synodus, præcipit juſtis perſeverare in juſtitia: & tamen ſubdit hæc fieri non poſſe ſine gratia ſpeciali, quæ certe neque omnibus, neque ſemper confertur: Igitur Tridentinum exigit ſolum poſſibilitatem imperfectam, ut lex obliget. Et vero hortatur juſtos ut in juſtitia accepta perſeverent: ſupponit igitur hoc eſſe poſſibile: addit ad hoc opus eſſe dono ſpeciali, quod quidem Deus non elargitur omnibus; ex quo ſequitur juſtos abſque illo auxilio habere ſolum potentiam perſeverandi in juſtitia accepta, imperfectam. Et hoc ipſum ſufficere ut præceptum perſeverandi in bono, & abſtinendi dicatur poſſibile.

Re-

Reſpondeo negando ſubſumptum : Ad probationem diſtinguo : Concilium Tridentinum exigit donum ſpeciale , nempe gratiam efficacem , ut juſtus actu perſeveret in juſtitia accepta, ſed ſupponendo potentiam gratia præveniente expeditam ad agendum , concedo : & non ſupponit , nego . Tridentinum ibi loquitur contra Proteſtantes , qui juſtitiam inamiſſibilem credentes , gratiam ſpecialem ad bona opera facienda conſequenter inutilem eſſe propugnabant : Hos autem debellat ſeſſ. 6. can. 22. definiendo neminem poſſe perſeverare in juſtitia accepta, ſine dono ſpeciali : *Si quis dixerit , juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe , vel cum eo non poſſe ; anathema ſit*. Qua quidem definitione utramque gratiam actualem , nempe ſufficientem & efficacem complectitur : ſufficientem quidem , qua præparatur voluntas a Domino , ut habetur Proverb. 9. efficacem vero , qua voluntas præparata producit & elicit actum. Igitur Tridentinum intelligit juſtum habere poſſe proximum per gratiam ſufficientem ; quod quidem ſequitur ex ejus ſententia : hoc ultro Novatores aut concedere debent , aut rejicere Concilium ; nam ſacra Synodus ſeſſ. 6. can. 7. dicit juſtificationem fieri per infuſionem gratiæ & donorum , maxime charitatis , & tamen Janſenius dicit præcepta quædam etiam juſtis habentibus charitatem impoſſibilia : Trid. vero e contra dicit poſſibilia : Igitur intelligit quod fiant poſſibilia non ſolum per charitatem quæ , teſte Janſenio, ad hoc non ſufficit, ſed per gratiam ſufficientem : Igitur & proxime atque vere, quia ex eodem Janſenio potentia adimplendi præceptum quæ habetur per fidem & charitatem (ita imperfecta & fucata eſt, ut præcepta dicantur cum ſolis iſtis virtutibus reipſa impoſſibilia; quod ita abhorret Trident. ut ne quidem illud nominari ſinat : Sic enim loquitur ſeſſ. 6. c. 11. " Nemo temeraria illa & a Patribus ſub „ anathemate prohibita voce uti debet, „ Dei præcepta homini juſtificato ad ob„ ſervandum eſſe impoſſibilia . „ Igitur Tridentinum agnoſcit in juſtis potentiam veram & proximam obſervandi præcepta .

Urgent : Juſtus ſine Privilegio , quod ſoli Mariæ conceſſum eſt , ex eodem Tridentino non poteſt vitare omnia venialia : item nec ſine gratia ab actuali ordinaria diſtincta, & ſpecialiſſima perſeverare finaliter in bono : Igitur juſtus habet potentiam dumtaxat imperfectam, ſive ad vitanda omnia venialia , ſive ad perſeverandum finaliter in juſtitia , & tamen utrumque eſt juſto poſſibile , quia utrumque illi præcipitur : utrumque poſſibile quidem , ſeu potentia tantum imperfecta, quatenus habet , ut ſupponitur , potentiam proximam ad actum juſtitiæ ordinarium , ad quem eliciendum ſufficit gratia efficax : Igitur ſolum remotiſſimam & valde imperfectam ad vitanda omnia venialia , quia ad hoc requiritur Privilegium : ad perſeverandum vero opus eſt etiam gratia extraordinaria .

Reſpondeo , argumentum nihil concludere, quia fit tranſitus a potentia ad actum : juſtus poteſt cum gratia ſufficiente vitare omnia diſtributive venialia : cum gratia efficaci ordinaria permulta de facto & longo tempore vitat ; ſed omnia collective ſine privilegio non vitabit , ut diximus ſuo loco . Item juſtus poteſt cum gratia ſufficiente perſeverare in bono : actu perſeverat multis quidem annis cum gratia efficaci ; ſed non perſeverabit finaliter ſine gratia extraordinaria , & providentia quæ jungat mortem cum gratia.

Opponunt : Secunda propoſitio damnata non reperitur in Janſenio : & ſic probant. Propoſitio damnata, eſt, quod in præſenti ſtatu gratiæ interiori numquam reſiſtitur : Sed Janſenius dicit contrarium : Ergo &c. Probant minorem multipliciter . I. Quia Janſenius agnoſcit motus interiores quibus voluntas quandoque reſiſtit . II. Docet gratiam non eſſe ſemper victricem . III. Lib. 2. de gratia Salvat. cap. 27. dicit voluntatem internæ ſuaſioni ſæpe diſſentire. IV. Lib. 8. cap. 2. adjutorium Chriſti diſtinguit a præmotione phyſica Thomiſtarum in eo, quod iſta ſuum ſemper habeat effectum, ſecus vero adjutorium Salvatoris.

Reſpondeo negando antecedens : Conſtat ex citatis Janſenii locis propoſitionem damnatam eſſe ipſius fœtum ; unde perperam declinare ſatagunt aſſeclæ propoſitionis ſecundæ condemnationem, præſertim vero quia tota doctrina Janſeniana eo potiſſimum innititur fundamento, quod gratia ſufficiens, quæ ab ipſo vocatur auxilium *ſine quo* , ſit penitus ad ſtatum inno-

innocentiæ releganda : ita habetur apud Janſenium lib. unico de gratia primi hominis cap. 14. lib. 2. de grat. Salv. cap. 4. & 5. jam ad ſingula reſpondendum eſt.

Ad primam probationem, diſtinguo: Janſenius admittit motus interiores quibus reſiſtitur quoad effectum ad quem non datur illa gratia, concedo: illi reſiſtitur quoad effectum ad quem per ſe primo tendit, nego. Solutio eſt ipſius Janſenii, qui lib. 2. de gratia Salv. cap. 27. dicit gratiam cui reſiſtit voluntas, datam fuiſſe ſolum ad motus interiores imperfectos, & non ad ulteriores, adeoque ſuum ſemper ſortiri effectum.

Ad ſecundam probationem, ſimiliter diſtinguo: Et illa gratia, quæ non eſt victrix non datur, teſte Janſenio, ad vincendam ardentem concupiſcentiam, concedo: & datur, nego. Ea ſolum intentione datur ſecundum iſtum Præſulem, ut quædam dumtaxat inefficacia deſideria, quæ velleitates nominant Theologi, formentur, & in hoc dumtaxat ſenſu non habet effectum; namque ex auctoris principio habet alterum, quippequi contendat gratiam Salvatoris ſemper habere aliquem. Verum & in hoc apparet æquivocatio ſumma: Enim vero vel Janſenius & ſui propugnant iſtam gratiam, cui reſiſtitur, dare ſolum velleitates imperfectas, producere illuſtrationes & motiones, ſimileſque actus incompletos, quos gratiæ ſufficienti tribuimus; vel etiam velle perfectum, & boni atque virtutis deſiderium efficax: ſi primum cadunt & evanaſcunt illorum principia, & admittunt auxilium *ſine quo* in ſtatu hominis lapſi quale fuit in Adam innocente, & qualem propugnamus: ſi ſecundum, fucum faciunt & illudunt omnibus: quia velle perfectum, & bonum virtutis deſiderium eſt actus deliberatus a gratia efficaci promanans; Præterea Theologi Orthodoxi contendunt gratiam prævenientem ejuſque illuſtrationes & motiones per ſe & ex natura ſua tendere ad actum perfectum ut ad finem ad quem terminantur; ſecus vero Janſenius, qui dicit gratiam iſtam non dari ad actum completum & deliberatum.

Ad tertiam probationem, eadem ſolutio datur; unde diſtinguo: Quidam divinę ſuaſioni diſſentiunt quoad aliquid, quod quidem non impedit, quin habeat effectum, concedo: ſecus, nego. Vult Janſenius gratiam Chriſti ſuo numquam fruſtrari effectu, quod claret ex ipſo capitis textu; ſic enim incipit: " Nec vero moveat quemquam quod conſtet, multos divinitus mente colluſtrari, immo vero & in ipſa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt, ut propterea falſum putet gratiam in eo, cui datur, ſemper operari effectum ob quem datur; conſiderandum eſt enim. ,, &c.

Ad quartam probationem, diſtinguo: Janſenius ſecernit gratiam Chriſti a præmotione phyſica, quod iſta ſemper habeat effectum, ſecus vero adjutorium Chriſti, Id eſt, quod adjutorium Salvatoris habeat gradus, concedo: quod aliquando omni defraudetur effectu, nego. Fucum in hoc facit, nam revera non intendit admittere gratiam cui reſiſtitur, ſed ſolum diſtinguere diverſos gratiæ efficacis gradus, videlicet quod gratia efficax quandoque ſit parva, & ad actus religionis minus perfectos, quandoque fortior, & ad actus præcellentes: gratiam parvam dicit carere effectu propter exardeſcentem concupiſcentiam, quæ ſi decreſcat, tunc, gratiam neceſſario producere effectum. Cæterum differt a Thomiſtis in multis. Iſti admittunt gratiam ſufficientem cui reſiſtitur: Janſenius vero minime. Primi agnoſcunt potentiam veram & proximam agendi per gratiam ſufficientem dari, at Janſenius lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 23. p. 269. docet voluntatem ligari per concupiſcentiam, nec magis poſſe viam mandatorum currere, quam volando ambulare: denique Thomiſtæ pro focis & aris defendunt indifferentiam activam, & vim eligendi bonum & malum ab ipſa voluntate humana fluentem, Præſul vero Ipreñſis contendit liberum arbitrium neceſſitari; ad bonum quidem per delectationem victricem, ad malum vero per concupiſcentiam exardeſcentem: ſicque opinionem Lutheri & Calvini ex parte delineat, & defendit.

Inſiſtunt: Omnis gratia a voluntate conſequente prodiens ſuum ſemper ſortitur effectum, quia talis voluntas efficaciſſima eſt, quandoquidem non ſolum actus ſubſtantiam, verum etiam omnes circumſtantias attingit: Sed omnis gratia Chriſti a

ſti a voluntate Dei conſequente promanat: Igitur ſuum ſemper conſequitur effectum, & nunquam illi reſiſtitur. Confirmatur: Voluntas conſequens in hoc maxime diſtinguitur ab antecedente, quod actum & ſecundum ſe, & ſecundum media ad ipſum conducentia ſpectet; ſecus vero antecedens, quæ quidem attendit ad ſalutem, ſed tantum in genere. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: Enim vero gratia ſufficiens a voluntate antecedente, qua Deus vult omnes & ſingulos homines ſalvos fieri, promanat.

Ad confirmationem, nego utique voluntatem conſequentem ab antecedente diſtingui penes alicujus actus circumſtantias; ſed verius dicitur ſecerni penes effectum perfectum & imperfectum ſeu incompletum. Voluntas enim antecedens non eſt vaga & indeterminata, quippe quæ reſpiciat media ad ſalutem ſufficientia, & ordinet hominem ad finem ſupernaturalem. Si qui ſint Thomiſtæ qui aliter ſentiant, profecto hallucinantur, & D. Thomæ manifeſte reſiſtunt. Nam in 1. diſt. 46. quæſt. art. 1. ſic loquitur: " Dicendum, ſecundum Damaſcenum, ,, quod voluntas eſt duplex, ſcilicet an- ,, tecedens & conſequens; & hoc con- ,, tingit non ex aliqua diverſitate volun- ,, tatis divinæ, ſed propter diverſas con- ,, ditiones ipſius voliti. Poteſt enim in ,, uno quoque homine conſiderari natura ,, ejus & aliæ circumſtantiæ ipſius, & ,, quod eſt volens & præparans ſe ad ſa- ,, lutem ſuam, vel etiam repugnans & ,, contrarie agens. Effectum hujus vo- ,, luntatis antecedentis eſt ipſe ordo na- ,, turæ in finem ſalutis, & promoven- ,, tia in finem omnibus communiter pro- ,, poſita, tam naturalia quam gratuita. ,, .. Bonum eſt cum quis ſe præparat & ,, conſentit, ſalvari per largitatem gratiæ ,, divinæ: nolentem vero & reſiſtentem ,, non eſt bonum ſalvari. ,, Igitur ex D. Thoma voluntas antecedens etiam attendit ad quaſdam circumſtantias, quandoquidem reſpicit media, & ea ordinat ad finem. Si vero unus conſentiat gratiæ moventi & ſuam operetur ſalutem: alter vero reſiſtat, & reprobetur, hoc ſpectat voluntatem conſequentem Dei, qui unum coronare, alterum vero punire juſto decernit judicio. Hæc autem nedum circumſtantias aliquas, & in genere ut antecedens, ſed omnes & in individuo reſpicit.

Inſtans: Gratia ſemper aſſequitur effectum ad quem datur, unde ſi ſit tantummodo ad illuminationem & inſpirationem ut ſic, utramque producit & hæret in deſideriis, uti non ſemel prædicat Iprenſis: Igitur nulla datur Chriſti gratia, cui de facto reſiſtatur.

Reſpondeo diſtinguendo: Gratia ſemper habet effectum incompletum & indeliberatum, de quo nec agitur, nec eſt quæſtio, concedo: deliberatum, eumque completum, ſubdiſtinguo. Si non ſit obex exæſtuantis concupiſcentiæ, concedo: ſecus, nego. Jam ſupra attigimus, & ſolvimus difficultatem falſa ſecernendo a veris. Duplex igitur diſtinguitur effectus: alter incompletus, alter vero completus. Prior eſt actus primoprimus & indeliberatus qui eſt in nobis ſine nobis, & hic a gratia ſemper producitur. Poſterior vero eſt actus deliberatus a libero arbitrio adjuto, ſed prævia electione emanans; iſte autem a gratia efficaci producitur. Iprenſis non loquitur de primó effectu, nullam quippe agnoſcit gratiam ſufficientem; hinc ineſt animæ tunc temporis potentia ad agendum ita remota & ſic ligata ad bonum faciendum, ut impoſſibile ſit relative illud operari: Igitur de altero a gratia efficaci ineluctabili fluente: iſtam tamen in deſideriis ineſſicacibus, ſi concupiſcentia ſuperexardeſcat fluctuare cenſet: quod ſi decreſcat delectatio terrena, eamdem in gradu & entitate gratiam tunc iſtum producere effectum autumat, ut non ſemel dictum eſt.

Reponunt: Tertia propoſitio damnata ea cenſetur, quæ tollit liberum arbitrium: Atqui Janſenius firmiter tenet pro libero arbitrio: Igitur propoſitio tertia proſcripta, non eſt Janſenii: ſic probant minorem. Ille tenet pro libero arbitrio, qui docet voluntatem ſeipſam determinare; enim vero ad ſolum agens liberum pertinet ſeipſum ad actum applicare, unde Lutherus illud de medio tollit, quia vult quod voluntas mere paſſive ſe habeat: Atqui Janſenius lib. 6. de gratia Chriſti cap. 35. docet liberum arbitrium ſeipſum determinare: Igitur partes agit liberi arbitrii Iprenſis.

Reſpondeo I. Ut ſupra, textus definiri & qualificari, ut ſonant: iterum atque iterum propugnat Janſenius indifferen-

tiam activam non eſſe de eſſentia libertatis: Igitur illam de medio tollit; quia hoc poſito principio, non datur vis electiva, ſed voluntas neceſſario determinatur vel ad malum per concupiſcentiam, vel ad bonum per gratiam, & hoc defendit paſſim in ſuo libro auctor propoſitionis.

Reſpondeo II. negando minorem: Ad probationem, diſtinguo majorem: Ille tenet pro libertate, qui tenet voluntatem ſeipſam determinare eligendo active, concedo: ſe determinare ſolum reflectendo ſuper actum ſuum, ad quem per aliquid determinatur, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam: concedit quidem Janſenius voluntatem active ſe habere ad bonum, quia actus amoris v. g. ab ipſa vitaliter procedit, ſed non per electionem, namque a gratia neceſſitatur: unde ſecundum ipſum voluntas quæ ſe habet active reſpectu actus ut actus eſt, paſſive ſe habet reſpectu actus ut liber eſt libertate indifferentiæ & electionis; & ſi quam admittat indifferentiam, profecto admittit ſolum indifferentiam ſtatus, qua voluntas bona poteſt fieri & evadere mala. Igitur totam reponit voluntatis determinationem in reflexione ſuper actum, qua quidem homo differt a belluis, ſed non adæquate; in eo enim potiſſimum ab illis ſecernitur, quod eligat pro libito bonum vel malum. Ecce Janſenius ſui ipſius interpres: in loco quippe citato, ſic loquitur: “ Hoc autem omnino poſtulat ut ſupra actum ſuum reflectere poſſit . . . . Hæc autem poteſtas reflectendi ſe ſe ſuper actum ſuum . . . . Rationi & voluntati creaturæ rationalis propria eſt . . . . Et in hoc proprie ſita eſt poteſtas movendi ſe ... Et quia in omni motu rationali eſt reflexio, in omni motu movet ſe ac dominatur. ”

Difficultates circa quartam propoſitionem ſolutæ manent ex iis quæ diximus de hæreſi Semipelagiana: quæ vero militant pro quintæ propoſitionis defenſione adamuſſim jam ſolvimus Tract. de voluntate Dei: de his tamen infra quæſtio mox redibit, & omni argumentorum genere probabimus Chriſtum ſuum pretioſum ſanguinem fudiſſe pro omnibus & ſingulis hominibus.

Evertuntur nova fundamenta de gratia ſufficiente, quam admiſiſſe Janſenium quidam effutiunt, ut ejus doctrinam ab hæreſeos labe immunem eſſe oſtendant.

DUOBUS potiſſimum fundamentis defenſores Janſeniſmi innituntur, tum ut ſuam tueantur perverſam ſententiam, tum ut iteratum fulmen Eccleſiæ a doctrina Janſenii avertere conentur, videlicet aſſerendo doctrinam Iprenſis affinem penitus eſſe cum doctrina beati Auguſtini. Deinde vero cum Catholicorum Doctorum præmuntur argumentis, ad iſtud confugiunt commentum, dicentes Janſenium gratiam non abnegare ſufficientem, eam nimirum qua Dei præcepta poſſibilia evadant, ita ut peccatores in prævaricatione ſint inexcuſabiles: oſtendimus in reſponſione ad objectiones ex D. Auguſtini auctoritate depromptas, quænam ſit diſcrepantia inter verum & fucatum Auguſtinum. Operæ-pretium eſt ut impræſentiarum faciamus ſatis objectionibus ſeu doloſis rationibus, quibus recentiores probare perperam volunt Janſenium admiſiſſe gratiam ſufficientem, qua præcepta Dei fiant poſſibilia.

Replicant: Janſenius auctoritate S. Auguſt. innixus, non in uno aut altero loco, ſed in multiplici gratiam Chriſti vocat ſufficientem, aſſerendo ſufficientiſſimam dare poteſtatem actus eliciendi ſupernaturales, ut lib. 3. de gr. Salvat. cap. 13. pag. 138. col. 1. cap. 13. “ Oret, *ait*, ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. ” Ibidem loquens de ejuſdem S. Auguſtini ſententia quam ſequi credit, hæc habet pag. 13. col. 3. “ Non judicat illud opus juſtitiæ eſſe prorſus impoſſibile, ſed opus eſſe gratia Dei, quæ ex Judicio Dei profundo diſtribuitur, pugnam magnitudo tantæ voluntatis quanta ſufficit, & operis juſti poſſibilitas datur. ” Igitur abſque fidei diſpendio & catholicæ doctrinæ periculo Iprenſis propugnat gratiam Chriſti medicinalem.

Reſpondeo I. Janſenium omnem gratiam ſufficientem veram, quæ dat poſſe proximum in actu primo, qualem delineant & admittunt omnes Theologi, & qualem ipſe admittit pro ſtatu naturæ integræ, ab hoc præſenti ſtatu exterminare, & quidem ex profeſſo in toto libro

Digitized by Google

libro tertio de gratia Salvatoris ; namque cap. 1. docet omnem Chriſti gratiam eſſe efficacem. Cap. 2. omnem ſufficientem præſenti ſtatui eſſe inutilem, immo & perniciofam. Cap. 3. eſſe monſtruoſam. Cap. 4. eſſe a mente S. Auguſtini prorſus alienam. Cap. 20. Deum nolle omnium ſalutem. Cap. 21. Chriſtum non eſſe pro ſingulis mortuum, qua quidem doctrina in his duobus poſtremis capitibus gratiæ veræ ſufficientis evertit fundamenta.

Reſpondeo II. diſtinguendo : Janſenius gratiam Chriſti efficacem aſſerit eſſe ad agendum ſufficientiſſimam, concedo: gratiam quæ ſe teneat ex parte actus primi, nego. Gratia dicitur ſufficiens dupliciter. Primo quidem ex parte actus primi, & ea cenſetur qua homo habet poſſe proximum & expeditum agendi ſi velit: altera vero quæ infert ipſum actum, & dicit agere. Primam abhorret Janſenius, ſecundam tantummodo admittit : ſed iſta proprie loquendo non dat poſſe agere, ſed ipſum agere : ſufficienti quandoque reſiſtitur, nullus vero ex mente Janſenii neque reſiſtit alteri, neque reſiſtere poteſt & ſic ejus opinio in Calvinianam collimat.

Inſtant : Gratia ſufficiens eſt ea qua præparatur voluntas a Domino : ſed talem admittit Janſenius lib. 4. de gr. Salv. & hoc quidem ex profeſſo cap. 19. cujus hic eſt titulus : *Gratia præparans voluntatem, quid ſit?* Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem : Gratiam, qua præparatur voluntas a Domino, ſed a gratia efficaci indiſtinctam propugnat, concedo : & illam ab ea ſecernit, nego. Quippequi illuminationem & motionem, cito rapientes voluntatem ad actum eſſe contendat ; ſic enim loquitur p. 201. col. 2. " Ex eadem vena fluit, quod ,, illam gratiam, qua præparatur voluntas ,, a Domino, quæ tantopere a S. Augu- ,, ſtino decantata eſt, non recte recentio- ,, res intelligunt. Putant enim ſignifica- ,, ri gratiam aliquam qua potentia volun- ,, tatis quodammodo proxime præparetur, ,, ut in actum influat, ita ut videlicet ut ,, voluntas a Domino præparata ſit, quam- ,, vis nullus conſenſus ejus conſequatur ; ,, quemadmodum etiam paratus ad iter ,, eſſe dicitur, qui impedimento ſuper- ,, veniente retinetur ; ſed revera phraſin ,, Scripturæ & Auguſtini non ſatis aſſe- ,, quuntur. Voluntas enim non ſumitur ,, ab Auguſtino, quando de præparatione ,, voluntatis loquitur, pro potentia, ſed ,, pro actu voluntatis ; ut ſit idem quod ,, volitio. Itaque præparari voluntatem ,, a Domino, non eſt ei aliud, quam ,, per gratiam voluntatem ſeu volitionem ,, fieri, ſeu effici a Domino ; quod alia ,, phraſi active dicere ſolet : Deus operatur ut velimus. ,,

Urgent : Gratia ſufficiens eſt præveniens atque ſimul præparans voluntatem ad bonum, eaque a gratia efficaci conſequenter eatenus diſtincta ; quatenus inchoative ſolum, altera vero complete, & perfecte infert actum : ſed talem admittit Janſenius : Igitur & ab efficaci diſtinctam. Probatur minor : Ipreſis ibidem lib. 4. de gratia Salv. cap. 14. pag. 103. col. 1. ſic loquitur : " Itaque in primis ſanctus Proſper ,, non aliam gratiæ prævenientis conſe- ,, quentiſque naturam intellexit, niſi il- ,, lam quam ſuperius explicamus : ut illa ,, præveniens dicatur, quæ prævenit ,, bonam voluntatem, ſeu bonum volun- ,, tatis motum ; nec enim invenit in cu- ,, juſquam corde, ſed facit ut gratia ,, vere ſit gratia, hoc eſt, gratuita : con- ,, ſequens vero quæ etiam ſequitur bo- ,, nam voluntatem, quam homo ex gra- ,, tia præveniente concepit. ,, Rurſus ,, cap. 13. ſic fatur p. 192. col. 2. " Quæ ,, quidem quiſquis recte intellexerit, ni- ,, hil etiam laborabit ut intelligat quid in ,, Scripturis & Patribus gratia conſequens ,, nominetur. Eſt enim illa gratia, quæ ,, conſequitur illa inchoata ſtudia bonæ ,, voluntatis, eaque tamquam adhuc in- ,, firma fovet, juvat, roborat, donec ita ,, perfecta robuſtaque voluntas efficiatur, ,, ut nullis blandientium rerum amoribus ,, cedat, nullo comminantium pœnarum ,, terrore frangatur. A qua ſane perfectio- ,, ne bonæ voluntatis ii qui a peccatis in- ,, cipiunt reſipiſcere, conflictumque cum ,, diverſarum cupiditatum ſuarum exerci- ,, tu meditantur, plerumque longe diſtant. Rurſus lib. 3. de grat. Salv. cap. 15. " ,, Voluntas enim bona initio infirma eſt ; ,, paulatimque gratia Dei abundantius ef- ,, fuſa inſtar arboris creſcit donec eouſ- ,, que virium adoleſcat, ut cuncta invitan- ,, tia, cuncta minantia, cuncta crucian- ,, tia ſuperentur. Et iſta quidem quæ de ,, poſſe diximus, quod per fidem & cha- ,, ritatem

,, ritatem datur, de donis iſtis habitua-
,, libus potiſſimum intelligenda ſunt. Nam
,, per illa dicuntur juſti orare, diligere,
,, vivere, tentationeſque ſuperare poſſe,
,, etiam quando nihil iſtorum agant, im-
,, mo dormiunt. ,,

Reſpondeo diſtinguendo: Janſenius diſtinguit gratiam conſequentem a præveniente voce-tenus, & penes effectum deliberatum magis vel minus perfectum, concedo: abſolute diverſum, nego. Gratia præveniens ſecundum communem Theologorum ſententiam eſt ad actum indeliberatum, & incompletum, ejuſque præcipuum munus eſt excitare & præparare voluntatem ad actum perfectum ſeu conſenſum; ſubſequens vero ipſum infert, & ipſi conjungitur, & ideo ſubſequentis nomine celebratur; agere quippe ſequitur ad poſſe agere: ſed in ſententia Janſenii utraque gratia immediate & per ſe infert conſenſum; unde illam prævenientem dicit, quæ inchoative producit volitionem, plenam tamen & deliberatam, qualis eſt actus fidei, ſpei, & amoris concupiſcentiæ; perfectam vero quæ producit converſionem & actum charitatis perfectiſſimum; ita tamen ut utraque neceſſario, ſecluſa indifferentia, conſenſum operetur: quæ quidem notiones gratiæ prævenientis & ſubſequentis a mente S. Auguſtini & D. Thomæ peregrinæ ſunt.

Quod autem Iprenſis doceat utramque gratiam inferre immediate conſenſum, docet ibidem ex profeſſo libr. 4. de gratia Chriſti cap. 12. colum. 1. ubi ſic loquitur: " Præveniens igitur, & ſubſe-
,, quens nomina reſpectiva ſunt, quorum
,, terminus eſt, non gratia, quaſi una
,, gratia aliam prævenire aut ſubſequi
,, diceretur, ſed actus voluntatis. Præve-
,, niens enim dicitur quia prævenit omnem
,, omnino etiam primum bonum volun-
,, tatis humanæ motum; ſubſequens,
,, quia bonum voluntatis humanæ motum
,, ſequitur, motum intelligo liberum vo-
,, luntatis conſenſum, quo aliquid præ-
,, mii homo a Deo ſive de congruo,
,, ſive de condigno promeretur. " Quod vero omnem explodat gratiam vere ſufficientem, ibidem col. 2. ſine fine prædicat: " Ex quibus, *ait*, profecto mani-
,, feſtiſſime conſtat, quando de præve-
,, niente gratia & ſubſequente diſputa-
,, tur, non hic quæri, utrum gratia po-
,, tentiam voluntatis in operibus quibuſ-
,, que bonis quaſi excitando præcedat,
,, cum qua deinde in actum influat; ſed
,, iſtud utrum gratia præcedat omnes actus
,, bonos voluntatis, etiam primum illum
,, quo incipit ex nolente velle bonum?
,, An e contrario bonus aliquis motus vo-
,, luntatis præcedat gratiam, ita ut eum
,, gratia veluti merces meriti illius ſub-
,, ſequatur. Non enim vocatur gratia
,, præveniens reſpectu bonorum operum
,, qua juſtificati per totam vitam operan-
,, tur, quamvis ad ea voluntatem exci-
,, cet, ſed tantum reſpectu illius muta-
,, tionis ex malo in bonum, per quam
,, incipit juſtificari, hoc eſt, ex nolente
,, volens, ex averſa converſa, ex inju-
,, ſta, juſta fieri: reſpectu vero operum
,, jam a credente ac diligente profluen-
,, tium gratia vocatur ſubſequens, quia
,, ſequitur meritum jam converſæ & ju-
,, ſtificatæ voluntatis. ,,

Inſiſtunt: Gratia genuine ſufficiens ea eſt, qua præcepta redduntur proxime poſſibilia: Atqui talem admittit ex profeſſo Janſenius lib. 3. de grat. Salvat. cap. 15. Ergo &c. Confirmatur: Gratiam ſufficientem, qualem delineant Thomiſtæ & Congruiſtæ non abnegat Iprenſis: ſed unum exigit, nimirum ulteriorem requiri gratiam ad actionem; quod quidem cæteri Theologi non diffitentur: ſubditque Janſenius de gratia ſolum actionis controverſiam ſe movere; ſic enim ibidem loquitur c. 1. p. 102. col. 2. " Quod ſi vero ſic accipiatur ut ſufficiens dicatur, ſicut
,, a quibuſdam dicitur, quod ſatis eſt, ut
,, homo dicatur poſſe operari, quamvis
,, aliud adhuc neceſſarium ſit ut de facto
,, operetur, de hujuſmodi ſufficienti gra-
,, tia, non eſt hic noſtra controverſia,
,, talem enim ſufficientem fortaſſe non
,, difficulter S. Aug. admitteret, quam-
,, vis eſſe veram illam Chriſti gratiam,
,, de qua quæſtio eſt, pernegaret. Nul-
,, lum igitur jam dari hominibus lapſis
,, adjutorium ſufficiens juxta primum ſen-
,, ſum, quin ſit ſimul efficax in Augu-
,, ſtini principiis exploratum eſt. Ergo &c.

Reſpondeo, jam factum eſſe ſatis ſupra primo argumento: non aliud quippe poſſe agere proximum agnoſcit Iprenſis, quam ipſum agere. Ibidem libr. 3. de
,, grat. Salv. cap. 15. " Hoc poſſe num-
,, quam

Digitized by Google

„ quam habetur niſi quando reipſa quoque „ agitur. „

Dices: Multi Theologi etiam Sorbonici actum deliberatum ſeu conſenſum, ſaltem in facilibus tribuunt gratiæ ſufficienti, cui ſententiæ ſuffragatur Cardinalis Noricius; non ideo igitur Janſenius gratiam explodit ſufficientem, eo quod aſtruat omnem gratiam producere effectum deliberatum ſeu conſenſum.

Reſpondeo, non unam eſſe diſcrepantiam inter Novatorem, & inter cæteros Theologos. Prima quidem eſt, gratiam ſufficientem eſſe ab efficaci diſtinctam, & utrique poſſe reſiſti omnes una voce conclamant Theologi Orthodoxi; utrumque vero gratiæ medicinali abjudicat Janſenius. Secunda ea eſt, gratiam ſufficientem ſe tenere ex parte actus primi, ejuſque primarium munus hoc eſſe, videlicet diſponere ad actum perfectum; e contra vero contendit Iprenſis, omnem Chriſti gratiam per ſe primo inferre conſenſum, nec dari præparationem præviam ad actum ab ipſo actu diverſam & diſtinctam. Tertia, quæque eſt multorum Theologorum, maxime noſtrorum Thomiſtarum hæc adducitur: gratia ſufficiens nullum elicit niſi mediante efficaci conſenſum; quod quidem longe eſt à Janſenii doctrina.

Ad confirmationem dico I. Janſenium omnem gratiam vere ſufficientem, ab hoc præſenti ſtatu explodere. Secundo, nuſquam concedere gratiam ſufficientem, qualis propugnatur in Scholis Catholicis, dare poſſe proximum & expeditum ad agendum; quinimmo, ſecluſa gratia efficaci, homo etiam in fide & charitate conſtitutus, non poteſt bene agere, ſed neceſſario titillanti cedit tentationi: ſic ipſe loquitur lib. 3. de gratia Chriſti cap. 15. pag. 144. colum. 2. " Nam quantumcumque fide & charitate ſeu habituali „ voluntate præditus aliquis fuerit, etiam robuſtiſſima; niſi tentatione quamvis levi oboriente tali ſpiritus inſpiratione muniatur, ſine dubitatione ſuccumbet. „ Rurſus ibidem: " Hæc igitur actualis gratia completum poſſe tribuit; hoc ipſo quo velle tribuit, ſine qua voluntas ſeu charitas habitualis, quantumcumque magna, poſt lapſum primi hominis inactum exire non poteſt. „

Sed juvat totum Janſenii textum, ex quo de ſumpta eſt objectio, referre, ut ex antecedentibus & conſequentibus quiſque intelligat Iprenſem veram ſufficientem gratiam ab hoc præſenti ſtatu penitus excludere. Igitur ibidem cap. 3. pag. 102. col. 2. ſic loquitur: " Quapropter „ ſufficientem illam gratiam, quam Scholaſtici multi in Theologiam velut adjutorium Salvatoris intulerunt, ab Auguſtino deſtructam, funditusque everſam eſſe, libens fateor. Hoc enim „ principia hactenus ex eo tradita, cum „ quibus illa gratia ſubſiſtere nullo pacto „ poteſt, perſpicue probant. Vocamus „ autem illam ſufficientem gratiam, ſeu „ ſufficiens adjutorium, propter quod nihil aliud ex parte Dei per modum „ principii neceſſarium eſt, ut homo velit aut operetur. Sic enim a multis „ recentioribus & vulgo fere accipi ſolet. Quod ſi vero ſic accipiatur, ut „ ſufficiens dicatur.... quod ſatis eſt ut „ homo dicatur poſſe operari, quamvis „ aliud adhuc neceſſarium ſit ut de facto „ operetur, de hujuſmodi ſufficienti gratia, non eſt hic noſtra controverſia. „ Talem enim ſufficientem fortaſſe non „ difficulter S. Auguſtinus admitteret, „ quamvis eſſe veram illam Chriſti gratiam, de qua quæſtio eſt, pernegaret. Nullum igitur jam dari hominibus lapſis adjutorium ſufficiens juxta „ primum ſenſum, quin ſit ſimul efficax „ in Auguſt. principiis exploratum eſt. „

Dices: Janſenius ibidem libr. 3. de gr. Salvat. cap. 15. refundit peccati actualis culpam, modo in malitiam, modo in obdurationem hominis qui gratiæ reſiſtit: Igitur non abnuit gratiam cui reſiſti poteſt, adeoque nec ſufficientem. Probatur antecedens pag. 146. col. 1. ſic loquitur: „ Hæc impotentia non faciendi nullo modo excuſat eum, qui non implet, quod „ præcipitur: poſſet enim implere ſi vellet. Quod ſi voluerit atque ideo non „ potuerit, quis non eum dixerit, pro „ ipſa tam perverſa obdurataque voluntate culpandum? „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Refundit culpam in hominem peccantem, quia voluit prævaricari, concedo quia potuit non prævaricari, ſubdiſtinguo: ſi adfuiſſet illi gratia efficax, concedo: quia non potuit non prævaricari cum ſola gratia ſufficiente,

 nego.

nego. Janſenius exiſtimat, ſed perperam, ſolam a coactione exemptionem ſufficere ad meritum & demeritum: adeoque actum eſſe bonum vel malum, eo ipſo quo eſt voluntarius: unde, inquit, in loco objectionis, ſi nolint homines propter obdurationem obedire mandatis, culpabiles ſunt: ſed non exiſtimat eos poſſe obedire cum ſola gratia ſufficiente: poſſe vero cum efficaci, ſed cui reſiſtere non poſſunt, quæ quidem omnia a doctrina catholica penitus abſtruſa ſunt.

Repones: Gratia ſufficiens quæ dat poſſe operari & ſalvari ea eſt, quam Chriſtus pro ſingulis promeruit: Sed hanc ipſam admittit Janſenius ibidem cap. 21. quippe qui propugnet cum ſancto Proſpero Chriſtum pro omnibus mortuum, non ſolum quatenus dedit auxilium ſufficiens, quo ſenſu poſſet dici etiam pro dæmonibus mortuus, quatenus ejus mortis pretium eſt infiniti valoris, verum etiam pro reprobis quoque meruit gratias temporales, nimirum ſufficientes: Ergo &c.

Reſpondeo I. ex Janſenio ibidem p. 166. col. 1. Chriſtum non magis mortuum fuiſſe pro hominibus quam pro diaboli ſalute: "Ex „ quo *inquit*, principio, in ſancti Præſulis „ iſtius doctrina fluit, ut non ſolum a Ju„ dice aut Mediatore omnia præſciente, „ ſed etiam a nobis ipſis, qui ſinceram „ omnibus proximis debemus ſalutis pro„ curandæ charitatem, non magis Deum „ pro reprobatis, quam pro diabolo de„ precandum eſſe pronuntiet."

Reſpondeo II. diſtinguendo: Chriſtus juxta Janſenium promeruit gratias temporales abſque ordine ad ſalutem, concedo: cum ordine ad ſalutem, nego. Nos vero catholice ſentientes dicimus Deum non ſolum complacere in hominum ſalute, ita ut quantum ex ſe eſt, vellet omnes ſalvari, ſed & ſincere velle, & ad hoc præparare media per mortem dilectiſſimi Filii ſui, ut ſinguli homines & poſſint ſalvari, & de facto, ſi gratiæ cooperari velint, ſalventur: quod ſolum admittit Janſenius pro Electis.

Dices: Gratiæ ſufficientes, quales cæteri Theologi admittunt pro iis qui in charitate finaliter non perſeverant, ſunt ſolum utique temporales: Igitur nihil diſcriminis eſt inter eos & Janſenium. Secundo eo duntaxat ſenſu negat Iprenſis Chriſtum non mortuum pro ſingulis, quia ſinguli de facto non ſalvantur: ſed hoc ipſum aſtruit Conc. Tridentinum, dicens omnes fructum Chriſti mortis non percipere: Igitur non ſcatet error pro hoc momento in ſententia Janſenii.

Reſpondemus ad primum argumentum, Iprenſem non admittere pro reprobis gratias, quæ illos ad finem ultimum ordinent, & ideo mortem Chriſti nec illis prodeſſe, nec pro eis fuiſſe adimpletam; quod eſt a mente Conc. Tridentini alienum, quandoquidem aſſerit Chriſtum eſſe propitiationem non ſolum pro noſtris tantum, ſed pro totius mundi delictis.

Janſenius eſt ſui ipſius interpres; ibidem enim pag. 166. col. 2. ſic loquitur: *Quæ ſane cum in Auguſtini doctrina, perſpicua, certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus, vel pro Infidelium in infidelitate morientium, vel pro Juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur. Scivit enim quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat, ſcivit hoc decretum, neque ullius pretii oblatione mutandum eſſe, nec ſe ipſum velle mutare. Ex quo factum eſt, ut juxta ſanctiſſimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit. Sed ſi quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibuſdam juſtitiæ effectibus rogavit, & pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, fuditque ſanguinem ſuum.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum propoſitiones ſint damnatæ in ſenſu Janſenii?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur ex ſenſibus Auctoris.

Senſus primæ propoſitionis.

SENSUS primæ propoſitionis iſte eſt, aliqua Dei præcepta aliquando juſtis quibuſdam etiam cum aliquali gratia volentibus, & conantibus illa obſervare, ſunt relative impoſſibilia; hoc eſt, quamvis velint & conentur ea ſervare, non poſſunt tamen, quia ad illa implenda nec proximam

habent

habent gratiam, nec remotam, ſeu gratiam orationis per quam impetrare poſſent gratiam proximam.

Ad pleniorem intelligentiam advertendum eſt, I. gratiam in gradu vel ipſa concupiſcentia inferiorem victricem eſſe non poſſe. II. E contra vero ſi ſit robuſtior; tunc enim actum ſemper ſibi conjunctum neceſſario habet. Primum docet Iprenſis lib. 4. de grat. Chr. cap. 9. alterum vero lib. 2. de grat. Chr. cap. 4. III. Gratiam efficacem, cujus effectum impedit concupiſcentia ferveſcens, ab eodem eatenus proximam agendi potentiam dare, quatenus imminuente delectatione terrena, valet ſe ſola actum producere, & de facto producit. IV. Non omittendum eſt gratiam ſufficientem orationis, qua obduratus orando uberiorem pro converſione obtinere valet, ſecundum placita Orthodoxorum omnibus adeſſe.

Janſenius autem vult aliquando quibuſdam juſtis, quum præceptum urget, deeſſe tum gratiam proximam, ſeu operis & efficacem; tum ſufficientem; tum etiam gratiam orationis qua poſſent proximam impetrare, & tamen illos peccare præceptum non adimplendo.

Hæc eſt prima propoſitio, taliſque ejus ſenſus; eſt in libro Janſenii, ut patet ex ipſius lib. 3. de gr. Chr. cap. 13. ubi ſic ait: *Præcepta quædam hominibus non tantum Infidelibus, obcæcatis, induratis, ſed Fidelibus quoque & juſtis, volentibus, conantibus, & ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque gratia qua poſſibilia fiant.* Id eſt cum parva gratia impoſſibile eſt impoſſibilitate relativa adimplere præcepta, quia delectatio cæleſtis, utpote delectatione terrena inferior in gradu, non poteſt ſuperare concupiſcentiam; deeſt quoque gratia orationis, qua gratiam uberiorem impetret juſtus, ut mandata ſervare valeat. Ita explicat Janſenium Paulus Irenæus diſp. 2. art. 2.

Ut cuncta paucis complectar: Senſus primæ propoſitionis eſt, quædam præcepta, etiam juſtis conantibus impoſſibilia eſſe defectu auxilii ſufficientis, quo poſſent ea vel adimplere, vel neceſſariam ad ea adimplenda gratiam petere. Obſerves velim, benevole Lector, per has voces, defectu auxilii ſufficientis, Janſenium intelligere gratiam quæ revera facultatem tribuat juſto aut implendi præceptum, aut petendi gratiam neceſſariam ad illud adimplendum, ita ut per eam juſtus inexcuſabilis reddatur, quando prævaricando præceptum tranſgreditur.

Senſus ſecundæ Propoſitionis.

SENSUS & quidem Janſenii ille eſt, in ſtatu naturæ lapſæ nulla datur gratia interior actualis voluntatis, quæ ita det poteſtatem volendi & agendi, ut tamen careat effectu ad quem a Deo datur; quia ex Iprenſi poſſe & facere, gratiæ Chriſti ſemper ſimul & conjunctim convenit l. 2. de gr. Chr. c. 4. Senſus igitur eſt: gratia relative ſuperior concupiſcentia, ſemper & neceſſario producit effectum.

Notandum eſt I. gratiam eſſe internam vel externam; internam eſſe habitualem vel actualem: actualem eſſe gratiam intellectus vel voluntatis.

Notandum eſt II. gratiam poſſe intelligi ſuo carere effectu dupliciter. Primo, ita ut ſenſus ſit, gratiam carere effectu quem ex natura ſua habere poſſet, v. g. gratia actualis voluntatis intenſa ut ſex, ex natura ſua poſſet efficere conſenſum voluntatis efficacem, & tamen ſi detur habenti concupiſcentiam ut ſeptem, efficiet ſolum volitionem inefficacem, & quamdam velleitatem, ſicque non habebit omnem effectum quem ex natura ſua poſſet habere; niſi decreſcat concupiſcentia: ita docent Novatores. Senſus igitur eſt; gratiam carere effectu ad quem a Deo tali homini datur, & quem habere poteſt in eo, etiam in ſenſu compoſito ejuſmodi concupiſcentiæ multum intenſæ, cujus rei argumentum eſt, inquiunt, quod eadem entitative gratia ſine ullo auxilio ſuperaddito hunc eumdem operatura ſit effectum ſi concupiſcentia minuatur.

Fatetur Janſenius reſiſti gratiæ tum exteriori, tum interiori habituali, quia per peccatum mortale expellitur. Immo & reſiſti gratiæ interiori etiam actuali intellectus: ſi præciſe ſecundum ſe ſumatur: ſimiliter & gratiæ voluntatis quoad effectum, quem ex natura ſua haberet, ſi eſſet in ſubjecto tantum concupiſcentiæ ardorem non patienti. Et ut paucis cuncta complectar, ex Janſenio omnis gratia medicinalis eſt efficax & effectum ſemper habet completum, ita ut illi reſiſtendi nuſquam ſit locus: unde ſi quis motioni

inte-

interiori reſiſtat, non per gratiam ſed per legem audit.

Hæc propoſitio taliſque ejus ſenſus eſt Janſenii; namque lib. 2. de grat. Chr. pag. 86. cap. 27. col. 1. ſic ait: " Nemo „ falſum putet gratiam in eo cui datur, „ ſemper operari effectum ob quem da„ tur „ Addit omnem gratiam eſſe talem, nec ullam aliam Auguſtinum agnoviſſe, ibidem infra pag. 87. col. 1. „ ſubjungit: " Reſpondebit fortaſſis ali„ quis . . . hæc omnia quæ produximus, „ nempe S. Auguſtinum, de gratia tan„ tum efficaci tradidiſſe, nihil vero im„ pedire, quin aliæ nonnullæ gratiæ per „ hominis voluntatem effectu careant. „ Tunc ſic reſpondet: " Nihil verius di„ ci poſſe, quam quod omnia quæ hacte„ nus protulimus de gratia efficaci, Au„ guſtinus dixerit & intellexerit; cujus „ rei cauſa eſt, quod nullam agnovit a„ liam actualem Chriſti gratiam nec agno„ ſcere potuerit. „ Igitur ex Janſenio gratiæ nullus reſiſtere poteſt.

Quidam hanc etiam erga Janſenium humanitatem habent, ut ab erroris nævo, & ab anathemate ejus de gratia doctrinam purgare velint: quocirca huic graviſſimæ difficultati de efficatia gratiæ neceſſitanti reſpondent, eum eſſe Iprenſis ſenſum, omnem gratiam modo aliquo ſuum ſortiri effectum, puta illuminando, movendo, excitando, quos quidem effectus Orthodoxi Theologi gratiæ ſufficienti recte tribui non diffitentur. Sed fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. Senſus ſecundæ propoſitionis ille eſt, gratiæ interiori numquam reſiſtitur, quippe quæ ſemper habeat non quemcumque effectum indeliberatum, & actum primo primum, qualem tribuimus gratiæ ſufficienti, ſed etiam deliberatum, ſed perfectum, ſeu completum, qualis eſt velle efficaciter bonum, & illud operari. Novatoris mentem non ſiſtere in illuſtrationibus & piis motionibus incompletis luce clarius patet ex pluribus momentis: Primoquidem quia nullam agnoſcit gratiam ſufficientem, ſed eam aperte & ubique ex profeſſo debellat. Secundo, omnem Chriſti gratiam efficacem prædicat, illudque ſtatuit inter gratiam primi hominis, & gratiam Mediatoris diſcrimen, quod illam dicat per omnia humanæ ſubditam voluntati, quæ ipſi ad nutum reſiſtere poterat, iſtam ſtero e contra ita dominam & imperantem, ut non ſolum ſuum ſemper habeat effectum, ſed & neceſſario, ita ut illi reſiſtere non queat voluntas. Tertio denique quod & ſtupendum profecto eſt, omnem hominem tametſi piis tum illuſtrationibus, tum motionibus ad bonum excitatum, ſolummodo audire per legem & doctrinam, niſi audiat per gratiam ut finem perfectum, videlicet actum completum aſſequatur: " Itaque, *ait ibi„ dem pag.* 87. *col.* 1. optime ſubjungit „ Aug. hoc modo per gratiam quiſquis „ diſcit, agit omnino quicquid agendum „ didicerit. Nempe quia quicquid non„ dum agit, id nondum agendum didicit „ ſecundum gratiam, ſed tantummodo „ ſecundum legem. " Tum cap. 24. pag. 82. col. 2. propoſitionis hunc ipſe prodit ſenſum: " Gratiam Dei Auguſtinus ita „ victricem ſtatuit ſupra voluntatis ar„ bitrium, ut non raro dicat homi„ minem operanti Deo non poſſe reſiſte„ re. „ Iſtis principiis poſitis, nullam aliam præter efficacem & neceſſitantem gratiam agnoviſſe, immo & propugnaſſe, luce clarius apparet.

Janſenius omnem negat gratiam ſufficientem pro præſenti ſtatu, omnem cui reſiſti poſſit, & hoc ex profeſſo, in toto libro tertio de gratia Salvatoris, quem & de gratia ſufficienti nominat. Cap. 1. cujus hic eſt titulus: " Tangitur natura „ adjutorii ſufficientis, & oſtenditur nul„ lum dari poſt lapſum, quin ſit ſimul ef„ ficax. „ Pag. 102. col. 2. ait: " Quapro„ pter ſufficientem illam gratiam quam „ Scholaſtici multi in Theologiam velut „ adjutorium Salvatoris intulerunt, ab „ Auguſtino deſtructam funditusque ever„ ſam eſſe libens fateor. „ Cap. 2. pag. 104. col. 2. dicit: " Adjutorium ſuf„ ficiens prout a recentioribus explicari „ ſolet, non tam ad gratiam, quæ pro„ prie nunc g atia vocatur, quam ad na„ turam pertinere. „ Tum lib. 3. pag. 106. col. 1. aſſerit gratiam ſufficientem eſſe quid monſtruoſum.

Rurſus l. 2. de gratia Chriſti Salvatoris cap. 4. cujus hic eſt titulus: " Diſcri„ men adjutorii ſanæ voluntatis & ægro„ tæ, hoc eſt, adjutorii ſanitatis & me„ dicinalis, ſeu adjutorii *ſine quo non*, „ & *quo*. „ Ecce reſponſio ejus pag. 41. col. 1. " Hoc ergo verum & genuinum diſcrimen

,, men eſt inter utriuſque ſtatus adjuto-
,, rium, quod adjutorium ſanitatis ſeu in-
,, tegræ libertatis influeret, aut non in-
,, flueret cum voluntate, prout voluntas
,, vellet aut nollet, pleniſſimeque ipſius
,, arbitrio in agendo & quieſcendo ſubde-
,, retur: medicinale vero ipſum bene vel-
,, le faſtidienti ægrotæque voluntati tri-
,, buat, utpote quod ipſa concupiſcentiæ
,, dominanti ſubjugata de ſeipſa ſuæque li-
,, bertatis impulſu etiam cum gratia quan-
,, tumcumque magna ſibi aſſiſtente, habe-
,, re non poſſet, quemadmodum olim po-
,, tuit. Quod clarius fortaſſis ita dici poſ-
,, ſet, quod gratia ſanæ voluntatis, in
,, ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam
,, ſi vellet, deſereret, aut ſi vellet utere-
,, tur, gratia vero lapſæ, ægrotæque vo-
,, luntatis nullo modo in ejus relinquatur
,, arbitrio, ut eam deſerat aut arripiat ſi
,, voluerit, ſed ipſa ſit potius illa poſtre-
,, ma gratia quæ invictiſſime facit ut ve-
,, lit, & a voluntate non deſeratur.,,

Ibidem cap. 5. pag. 43. col. 1. quod
iſtum præ ſe fert titulum: " Rejiciun-
,, tur lex, revelatio, remiſſio peccatorum,
,, gratia ſufficiens, &c. ,, Sic ergo eam-
dem proſequitur materiam: " Primum eſt,
,, nullum adjutorium gratiæ, cujus uſus ita
,, ponitur in arbitrio voluntatis, ut illud
,, amplectatur aut deſerat, ut illi conſen
,, tiat aut non conſentiat, ſi voluerit,
,, quantumvis ſine illo non velit, aut velle
,, non poſſit, eſſe adjutorium quo fit ut ve-
,, lit, ſed tantum ſine quo non, & proinde
,, ad medicinale adjutorium Chriſti nullo
,, modo poſſe pertinere, ſed ad adjutorium
,, primi hominis & ſanæ voluntatis eſſe
,, referendum. Nam in eo conſiſtit eſ-
,, ſentialiter differentia útriuſque adjuto-
,, rii ſine quo non fit actio, & quo fit, &
,, conſequenter ſanæ voluntatis; & infir-
,, mæ, Adami, & Chriſti, quod auxi-
,, lium ſine quo non voluntatis, ut influat
,, in volitionem & actionem pendet eſſen-
,, tialiter á nutu voluntatis, illud ad in-
,, fluendum applicante: quod niſi conſen-
,, tiendo vel volendo fecerit, nullus in-
,, fluxus in actionem effectuſque ſecuturus
,, eſt. ,,

Iprenſis, Omnem gratiam pro præſenti
ſtatu vult efficacem, & eodem libro ca-
pite 24. ex profeſſo probat octo argumentis
gratiam Chriſti eſſe per ſe efficacem: capi-
te 25. ait nullam Chriſti gratiam ſuo care-
,, re effectu. Hic eſt titulus: " Decimo
,, ejus efficaciſſima natura declaratur, ex
,, eo quod nulla prorſus effectu caret, ſed
,, eum in omnibus, quibus datur infalli-
,, biliter operatur. ,, Sic poſtea loquitur:
Primo pag. 83. col. 2. igitur hoc probat
,, quod apud Auguſtinum gratia & opus
,, bonum ita reciprocentur, ut quemad-
,, modum ex gratia data mox effectum ope-
,, ris conſecutum inferre ſolet, ita vice
,, verſa, ex defectu operis, gratiam non
,, eſſe datam. ,,

Et iterum ibidem pag. 84. col. 1. ,,
,, Quod ſi jam volumus, quando miſere-
,, tur Deus, profecto gratia quæ eſt effe-
,, ctus miſericordiæ & voluntatis effe-
,, ctrix, non poteſt ab hominis, cujus mi-
,, ſeretur Deus, voluntate ſeu volitione
,, ſeparari. ,,

Rurſus ibidem: " Sicut ſignificat Au-
,, guſtinus hoc ipſo quo data eſt homini
,, gratia, mox effectum ſequi, ſic e contra-
,, rio negative ſubinde ratiocinando docet,
,, hoc ipſo quo effectu homo deſtituitur,
,, nullam ei gratiam collatam eſſe, ſed
,, ſolo Pelagianæ gratiæ adjutorio, hoc
,, eſt lege doctrinaque.... niti. ,,

Janſenius: nullum tribuit effectum ſeu
actum completum gratiæ ſufficienti, ſed
tantummodo efficaci, ita ut qui illuſtra-
tionibus & piis motionibus donatur &
excitatur interius, ſi non venit ad Pa-
trem & operetur, audit tantummodo per
legem; quo quidem principio funditus e-
vertit gratiam ſufficientem, nec aliud præ-
ter gratiam efficacem agnoſcit auxilium
ſufficiens niſi legem. Ita ex profeſſo ibi-
dem capite 27. quod hic ex integro aut
ſaltem magna ex parte ad confundendum
os loquentium iniqua & doloſa, texere
juvat, ut capiant lectores cordati, quan-
tum ſit mendacium, & quam mala fides
Janſeniſmum tamquam phantaſma habere,
& quod pejus prædicare: ſic intonat &
incipit Iprenſis.

,, *Nec* vero moveat quemquam quod con-
,, ſtet, multos divinitus mente colluſtrari,
,, immo vero & in ipſa voluntate moti-
,, bus divinæ gratiæ percelli, qui tamen
,, ab eius interna ſuaſione & inclinatione
,, diſſentiunt, ut propterea falſum pu-
,, tet gratiam in eo cui datur ſemper ope-
,, rari effectum ob quem datur. ,, Ecce
ſtatus quæſtionis igitur, tum de illuſtra-
tionibus, tum de motionibus. Videamus
nunc

nunc utrum ex eis agnoſcat gratiam aliquam quæ ſit vera gratia, habeatque actum completum.

Pergit Janſenius: " Conſiderandum eſt
„ enim, multiplices eſſe divinæ gratiæ
„ effectus, quemadmodum & voluntatis:
„ eſt enim velle perfectum quod Auguſti-
„ nus poſſe vocat, eſt & imperfectum,
„ quod velleitatem appellare ſolent: &
„ hoc ipſum diverſos gradus habet, do-
„ nec ad ipſam primam tenuiſſimamque
„ boni complacentiam veniatur. Hic
„ ergo primus eſt cæleſtis iſtius roris ef-
„ fectus, quem ut minimum in omnibus
„ operatur, quibus eum infundit Deus.
„ Nam quemadmodum inundatio divinæ
„ gratiæ, totam hominis voluntatem ſe-
„ cum inſtar impetuoſi cujuſdam torren-
„ tis rapit, ſic ut omnia humani cordis
„ retinacula, quibus terrenis rebus irreti-
„ tur, velut violenta quadam tempeſtate
„ dirumpat; ita lenis ille velut auræ te-
„ nuis afflatus complacentiam quamdam
„ voluntatis tenuiſſimam, rei tam pulchræ,
„ quæ ſimul objicitur contemplanda,
„ contemperatam ſuaviter impetrat, & ce-
„ lerrime quaſi furtim poſt ſe rapit. Hæc
„ igitur gratia quamvis nullo modo ſuf-
„ ficiat, ut homo Dei mandatum ope-
„ retur, ut Deum ſuper omnia diligat,
„ ut ſperet, ut oret, ut credat, ad hoc
„ tamen facit aliquid, ut iſtarum, vel al-
„ terius cujuſdam cæleſtis rei liberas quaſ-
„ dam non voluntates, ſed velleitates &
„ complacentias excitet .... Non enim
„ quævis gratia, ad quoſvis effectus in-
„ ferendos ſufficit, ut quidam imaginati
„ ſunt, ſed poteſtates operationum diffi-
„ cultati attemperandæ ſunt. „

Ecce Ipreſis ſui ipſius interpres. Diſtinguit ibi duplicem gratiam excitantem unam producentem effectum perfectum: alteram vero imperfectum, quem velleitatem & quamdam complacentiam vocat. His ultimis verbis delineatur gratia cui poteſt conſentire, vel reſiſtere voluntas, gratia quam volumus dare poſſe bonum & auxilium ſufficiens tum ad amandum, tum ad orandum Deum, tum etiam ad ſperandum in eum. Novator vero negat & dare poſſe, & ſufficientem eſſe ad amandum Deum, ad orandum & ſimiles actus. Igitur illudunt illi, qui ut anathema avertant a Janſenii doctrina, fatue aſſerunt, illum admittere gratiam quam vocamus ſufficientem, cum ipſe illam aperte neget; eam enim ſolum appellat gratiam, quæ habet non quemcumque effectum etiam incompletum ut velleitatem, & ad bonum excitationem, ſed illam tantummodo quæ effectum habet completum, eamque perfecte efficacem: quinimmo omnem aliam nomine gratiæ non celebrat; nec dubitat aſſerere eum qui audit per aliam gratiam quam per efficacem; audire tantummodo per legem & doctrinam.

Sic confidenter pronuntiat, ſic proſequitur p. 87. col. 1. " Qui ergo ſcit Deum
„ ſuper omnia diligere, ſpe ac fide co-
„ lendum, & ſimilia, & nondum ita di-
„ ligit, ſperat, & credit ut lex jubet,
„ nondum illa ipſa quidem didicit ſecun-
„ dum gratiam, ſed tantummodo ſecun-
„ dum legem? quamvis interim aliud
„ quippiam quod prævium eſſe ſolet, ut
„ v. g. quod in Deo vel charitate ac fide
„ ipſius ſibi quoquo modo placeat, illoſ-
„ que actus quadam velleitate deſideret,
„ & ſimilia ſecundum gratiam potuerit
„ didiciſſe. Sic enim vidimus plurimos,
„ qui nec dum ab immunditiis carnis ſe
„ continere poſſunt, vehementer tamen
„ optare continentiam, cujuſmodi vota
„ divinæ gratiæ ſunt munera, & majoris
„ gratiæ provocativa, quamvis nullo mo-
„ do veræ perfectæque continentiæ com-
„ paranda ſint. Itaque optime ſubjungit
„ Auguſtinus: (hoc modo per gratiam)
„ quiſquis diſcit, agit omnino quidquid
„ agendum didicerit. Nempe quia quic-
„ quid nondum agit, id nondum agendum
„ didicit, ſecundum gratiam, ſed tan-
„ tummodo ſecundum legem. „ Vides velim pie & docte Lector Janſenium velle ſolam operis gratiam, eam vero quæ non infert effectum completum, non eſſe gratiam; eum qui audit, ea tantum flante, audire dumtaxat per legem. Sed ne quis nos Janſenio imponere credat, audiat ipſum aliquam ſibi in hoc puncto difficultatem ſibi proponentem, eamque ſecundum ſtabilita jam jam principia ſolventem.

" *Reſpondebit*, *inquit*, pag. 87. col. 1. &
„ 2. fortaſſis aliquis, magis in ſcholaſti-
„ corum ſcriptis quam Auguſtini revol-
„ vendis exercitatus, hæc omnia quæ
„ produximus, eum de gratia tantum ef-
„ ficaci tradidiſſe, nihil vero impedire,
„ quin aliæ nonnullæ gratiæ per hominis
volun-

,, voluntatem effectu careant. ,, Hæc objectio ex Orthodoxis procedit doctoribus, qui præter gratiam efficacem, admittunt ſufficientem, cui non ſolum poſſe reſiſti conſtat, ſed de facto reſiſtitur, ſuoque nonnumquam caret effectu: verum & hanc gratiam ſic delineatam prorſus abjicit Janſenius. Sic enim ibidem proſequitur.

" *Reſpondeo* nihil verius dici poſſe, quam
,, quod omnia quæ hactenus protulimus,
,, de gratia efficaci Auguſtinus dixerit,
,, atque intellexerit. Cujus rei cauſa eſt,
,, quod nullam agnovit aliam actualem
,, Chriſti gratiam, nec agnoſcere potue-
,, rit, niſi regulas omnes fundamentales,
,, quibus innixus naturam gratiæ medici-
,, nalis tradidit, & explicuit, vellet in-
,, terimere.... Quapropter quiſquis jam
,, alia divinæ gratiæ adjutoria infirmis ho-
,, minibus afferre nititur, quæ deſerant
,, ſi velint, & in quibus permaneant ſi
,, velint, cum quibus tamquam ſufficien-
,, tibus operentur ſi velint, nihil aliud
,, imprudens facit, niſi ut originalis pec-
,, cati virus evacuet, illæſas liberi arbi-
,, trii vires eſſe, Chriſtum fruſtra veniſ-
,, ſe, & gratis mortuum eſſe perſuadeat.
,, Audiſne, docte Lector, quibus momentis gratiam cui reſiſti poteſt longe facit Janſenius, & quantis laceſſit injuriis eos qui eam pro virili defendunt. Igitur luce clarius apparet ſenſum ſecundæ propoſitionis ab auctore intentum, illum eſſe, neminem in hoc præſenti ſtatu poſſe gratiæ interiori reſiſtere.

Revera quidem Novator nullam aliam pro ſtatu naturæ lapſæ agnoſcit gratiam præter efficacem eamque neceſſitantem; unum inter multa quæ adduci poſſunt pro probatione teſtimonia, in medium producere juvat, quodque e libr. 4. de gratia Chriſti Salvatoris eruitur cap. 10. pag. 184. col. 2. ubi pro gratia efficaci neceſſitante ex principiis ſupra in novem præcedentibus capitibus ſtabilitis, ſic concludit: " Sexto hinc etiam claret cur Au-
,, guſtinus omnem omnino gratiam pure
,, ſufficientem, ſive ante fidem, ſive etiam
,, poſt fidem auferat. Ratio enim perſpi-
,, cua eſt, quia cum ei nulla ſit gratia
,, operandi præter iſtam ſuavitatem Dei,
,, niſi iſta tanta fuerit ut ei delectatio-
,, nes rerum creatarum ceſſerint, vel
,, peccabitur, vel alternante delectatio-
,, num fluctu, in medio remanebitur;
,, ſin autem iſta ſuperaverit, jam ſine du-
,, bio bene voluntas operabitur: (quod
,, enim nos amplius delectat, ſecundum
,, id operemur neceſſe eſt) ſed utrum-
,, libet fiat, non erit ſufficiens gratia,
,, ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex
,, qua operatio quidem poſſit ſequi, niſi
,, ejus inefficacia per aliam ſuppleatur.,,
Quibus verbis per omnia ſuam de gratia neceſſitante opinionem promit: Et vero ſi delectatio cæleſtis exuberet, neceſſario voluntas bene operatur, ſin minus, neceſſario peccat: ſi delectatio cæleſtis & terrena in æquilibrio maneant, neceſſario utique pendula manet inter bonum & malum eadem hominis voluntas: cæterum gratiam ſufficientem qua bonum poſſibile fiat, in omni rejicit ſenſu.

Senſus tertiæ propoſitionis.

HÆC eſt genuina mens Iprenſis. Ad merendum, vel demerendum ſufficit exemptio a coactione, immo a neceſſitate cæca, quæ, vel ex impetu naturæ, ut in repentinis, proſilit, vel ex dementia, ut in iis qui inſipientiæ furore aguntur. Uno verbo, Janſenius neceſſitatem ſimplicem, ſeu ſpontaneitatem ad eſſentiam libertatis tantummodo requiri autumat; ita ut actus ſit liber eo ipſo quo voluntarius eſt.

Quem ſenſum ut melius capias tria ſunt diſtinguenda, nempe coactio, neceſſitas naturalis, & cæca, denique neceſſitas ſimplex & non cæca. Coactio eſt motus a principio extrinſeco, paſſo nihil conferente, ſed potius renitente, uti quum aliquis vi propellitur & transfertur ad aliquem locum: neceſſitas naturalis & cæca eſt determinatio motus ab intrinſeco quidem, ſed nullo rationis judicio prævio: ſic motus primo-primi appetitus inferioris ſunt neceſſarii. Idem dicendum de actibus hominis qui dementia laborat. Neceſſitas ſimplex non cæca, ſeu non pura, eſt determinatio motus ab intrinſeco principio cum aliqua intellectus cognitione aut judicio, ſeu potius reflexione; attamen abſque ulla voluntatis indifferentia, eo prorſus modo quo amor beatificus eſt neceſſarius: enim vero a principio intrinſeco, videlicet & ab intellectu, & a voluntate promanat; verum omni ſecluſa indifferentia & electione circa finem, & objectum amatum.

Itaque libertas a coactione ea eſt, qua homo aliquid non invitus, ſed voluntarie operatur: hoc eſt quum agit ex principiis intrinſecis; tunc enim coactione & vi, ſeu violentia non ligatur & tenetur, unde & liber a coactione dicitur. Libertas a neceſſitate naturali & cæca ea cenſetur, ſecundum quam homo aliquid operatur per principia quidem intrinſeca, immo & cum aliquo rationis judicio, ſive aliunde habeat indifferentiam, ſive non habeat. Libertas a neceſſitate ſimplici eſt illa, ſecundum quam operamur per principia intrinſeca, prævia cognitione & deliberatione matura intellectus cum indifferentia voluntatis ad utrumque extremum: Et ut ad trutinam ſcholæ loquamur, libertas a neceſſitate ſimplici ea eſt, ſecundum quam poſitis ad agendum prærequiſitis, poteſt voluntas humana agere, vel non agere, aut etiam contrarium bono propoſito facere, juxta illud Eccli. 31. *Qui potuit transgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit*. Unde iſta libertas duplex diſtinguitur, videlicet una contradictionis, contrarietatis altera. Prima eſt ndifferentia ad agendum, vel non agendum: ſecunda vero indifferentia ad bonum, vel malum.

Janſenius in hoc præſenti ſtatu ad merendum vel non merendum exigit quidem libertatem a coactione, immo & a neceſſitate naturali & cæca, ſed nuſquam a neceſſitate ſimplici: neceſſitatem naturalem reducit ad coactionem lib. 6. de gr. Chriſti cap. 6. ibi enim dicit iſtam neceſſitatem, quæ nihil eſt aliud quam coactio, complecti etiam naturalem, id eſt, motus indeliberatos, ſicut & amentium atque infantium actiones.

Quod autem hæc propoſitio, & talis ejus ſenſus ſit Iprenſis, colligitur ex lib. 6. de gr. Chriſti cap. 24. ubi ait opus eſſe laude, aut vituperio dignum, meritorium, vel demeritorium, ex hoc quod ſit voluntarium, ſpontaneum, & non coactum, quamvis ſit ad unum prorſus determinatum: Cap. 38. multa profert Patrum, præſertim Auguſtini teſtimonia, in pravum ſenſum detorta, ut ſuum probet intentum. Deinde ſic concludit pag. 306. col. 2. " Habes Lector conſenſum admi-„ rabilem tot ſanctiſſimorum & eruditiſ-„ ſimorum.... Qui, ... unanimiter „ conſtantiſſimeque docent, voluntatem „ hoc ipſo quo rationalis voluntas eſt, „ eſſe liberam: ... Nullam immutabili-„ tatis, inevitabilitatis, vel quocumque „ voces nomine, ſed ſolam coactionis ne-„ ceſſitatem, ei repugnare. „

Rurſus ibidem cap. 12. pag. 278. col. 2. ſic loquitur: " Numquam videlicet inte-„ ritum libertati timet, niſi a neceſſita-„ te violentiæ, atque coactionis: qua ab-„ ſente, ſatis ei eſt quod ſponte, volen-„ teſque peccant, & bene faciunt.

Janſenius ſuam ubique prodit de gratia neceſſitante, ſublata indifferentia actus ad oppoſita extrema, ſententiam, maxime lib. 6. de gr. Chriſti Salvatoris: contenditque ſolam neceſſitatem ex violentia promanantem libertatem perimere, nuſquam vero eam quæ ſimplex & voluntaria dicitur & habetur: hinc ſicut indifferentiam actus non exigit ad libertatis eſſentiam, ita conſequenter nec ad merendum vel demerendum. Ratio Iprenſis ea eſt, quia libertas ad meriti vel demeriti actum requiſita, non conſiſtit in indifferentia illa, quæ quidem, inquit, eſt ſignum libertatis, ſed non eſſentia, quippe quæ in voluntario & in exemptione tantum a coactione prorſus ſita ſit. Hanc tradit doctrinam ibid. cap. ... pag. 264. col. 2. cujus hic eſt titulus: " Duplex neceſſitas „ Auguſtino, coactionis, & ſimplex ſeu „ voluntaria. Illa, non hæc repugnat li-„ bertati. „ Poſtea ſic incipit: " Jam „ videndum eſt, quo pacto ad libertatem „ arbitrii ſe habeat neceſſitas in ſenten-„ tia Auguſtini, ex qua tamquam oppoſi-„ ta libertati multo clarius intelligetur, „ quo pacto libertatem arbitrii accipien-„ dam eſſe velit. Duplex autem in do-„ ctrina ejus neceſſitas reperitur; una quæ „ operatur effectum ſuum & ſi nolis, ſeu „ quantumcumque renitaris, altera quæ „ ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri ſine „ reniſu voluntatis: Prima illa neceſſi-„ tas, qua ſit aliquid & ſi nolis, ſemper „ apud Auguſtinum opponitur voluntati. „ Impoſſibile eſt enim, ut id quod ſit vo-„ luntate noſtra, ſiat nobis etiam nolen-„ tibus, & e contrario, ut id quod ſit „ neceſſitate ſeu nobis nolentibus ſiat no-„ ſtra voluntate ... Et quia voluntatis eſſe „ & poteſtatis, ſeu voluntate poſſe fieri, „ & poteſtate, idem Auguſtino ſunt, quia „ hoc dicitur eſſe in poteſtate, quod facimus cum volumus; hinc ſæpiſſime talis „ neceſ-

,, neceſſitas opponitur non ſolum volun-
,, tati, ſed poteſtati. ,, Ex his liquido
patet Janſenium contendere ſolam coactio-
nem non ſimplicem neceſſitatem opponi li-
bertati: opus enim liberum illud ex ejus
ſententia eſt, quod in poteſtate voluntatis
eſſe concipitur; porro in ejuſmodi pote-
ſtate cenſetur eſſe ex eodem quum illud
voluntate ſeu voluntarie agimus. Libertas
primi hominis in indifferentia ad oppo-
ſita, quorum unum poteſt eligi & relin-
qui, ſita erat, ait; hominis vero lapſi non
ſic, ſed quod neceſſitetur & determine-
tur ad unum, quod illud tantummodo vo-
luntarie & non coacte fiat.

Iprenſis eſt ſui ipſius interpres. Ibidem
enim pag. 266. col. 1. ſic habet: " Do-
,, ctrina igitur Auguſtini eſt, neceſſitatem
,, illam primam, prout etiam naturam
,, ſic explicatam complectitur, nec aliud
,, eſt reſpectu voluntatis, quam quædam vis
,, aut coactio, qua operatur id quod poteſt,
,, etiam aut violentia nolente voluntate,
,, capitaliter repugnare libertati, eamque
,, funditus perimere, non autem illam ne-
,, ceſſitatem quæ eſt ſimul voluntaria, qua
,, ſcilicet ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fie-
,, ri non repugnante, ſed immutabiliter
,, volente voluntate.,,

Pergit ibidem pag. 267. col. 1. " Ex
,, his, *inquit*, vides quam enormiter ab-
,, errent illi, qui ut probent ad liberta-
,, tem arbitrii requiri indifferentiam, &
,, abeſſe debere neceſſitatem illo loco utun-
,, tur Auguſtini de civitate Dei, cum non
,, tantum ex uſu vocis neceſſitas, quem
,, apud Auguſtinum & veteres ſcriptores
,, habet, ſed ex ipſa contextus evidentia
,, perſpicuum ſit, eum de neceſſitate coa-
,, ctionis loqui. ,, Qua phraſi nedum indif-
ferentiam a ratione libertatis propellit
Novator, verum etiam de hoc contrariam
ſententiam uti ab Auguſtini mente alienam
rejicit, immo & errorem proclamat.

Subdit ibidem col. 2. " Nunc vero in
,, Auguſtini ſenſu aſtruendo pergamus.
,, Nam eadem illa doctrina, quod ſola
,, neceſſitas coactionis adimit libertatem,
,, non neceſſitas illa ſimplex & voluntaria,
,, ex aliis ejus locis non difficile demonſtra-
,, ri poteſt. ,, Profecto circa Janſenii ſen-
ſum pro gratia neceſſitante non eſt ambi-
gendi locus, cum verbis claris & expreſ-
ſis dicat ſolam coactionem, non ſimplicem
neceſſitatem libertatem adimere, quod qui-
dem variis Auguſtini locis ſe probare jacti-
tat, ſed prorſus in vanum, cum ſanctus
Doctor contrarium adaperte propugnet:
lib. de ſpir. & litt. cap. 33. *Sed conſen-
tire*, ait *vel diſſentire* (*gratiæ*) *propriæ vo-
luntatis eſt*.

Attamen ſuam probare Theſim enititur,
videlicet libertatem hominis lapſi conſiſte-
re in neceſſitate voluntaria, vel ad bo-
num, ſi delectatio cæleſtis ſit ſuperior,
vel ad malum ſi terrena exuberet. Pro
hoc momento cap. 7. fuſe explanat exem-
plum libertatis Dei. Cap. 8. libertatem
Beatorum, qui omnes, ait, abſque ulla
operantur indifferentia, ſed ſane incaſſum.
Quamvis enim Deus non ſit liber ad ſe
amandum, bene tamen ad amandum crea-
turas, quas quidem ad nutum ita amat,
ut eas poſſit non amare: ſimiliter Beati
amant quidem neceſſario Deum, libere ve-
ro ea quæ ſunt extra Deum. Quidquid
ſit, quæſtio præſens eſt, eam fuiſſe No-
vatoris opinionem docere neceſsitatem ſim-
plicem libero non adverſari arbitrio. Phan-
taſma profecto libertatis: ubi enim adeſt
neceſsitas, ibi vel ex ipſis terminis nulla
libertas.

Audiamus Janſenium pro ſua ſententia
loquentem. Caput ſeptimum ſic incipit
pag. 268. col. 1. " Conſtabunt vero hæc
,, omnia, de duplici iſta neceſsitate, una
,, violentiæ, altera ſimplici, cum qua li-
,, bertas voluntatis manet integerrima,
,, longe evidentius, ſi ſenſum Auguſtini
,, de libertate ipſius Dei & beatorum ho-
,, minum, Angelorumque protulerimus. ,,
Capitis vero octavi illud initium eſt: "
,, Sed libertas Beatorum ſive hominum,
,, ſive Angelorum, multo invictius de-
,, monſtrat, ſimplicem illam neceſsitatem,
,, ſublata omni omnino indifferentia &
,, contrarietatis & contradictionis, non
,, officere in doctrina S. Doctoris, liber-
,, tatis arbitrio. Pro quo intelligendo
,, notandum eſt, doctrinam Auguſtini
,, eſſe conſtantiſsimam adverſus Pelagia-
,, nos, primum hominem quidem fuiſſe
,, liberi arbitrii, ſed ita ut bene velle
,, poſſet & male, ſed in futura vita arbi-
,, trium fore liberrimum in bono, uſque ad
,, eo ut male velle non poſsit. ,, Rurſus p.
269. col. 2. " Quamvis non neget Au-
,, guſtinus talem indifferentiæ ſtatum
,, etiam ſub arbitrii voluntate, quamvis in-
,, ſimum & abjectiſsimum, comprehendi, ſo-

lum

„ lum tamen iſtum eo nomine deſignari
„ capitaliter ejus doctrinæ adverſatur. „

Jam multa in his omnibus obſervanda ſunt. 1. Janſenium propugnare gratiam neceſſitantem conſtat. 2. Ut declinet anathema quo Concilium Tridentinum percellit Proteſtantes liberum negantes in homine arbitrium, libertatem ſub dominio tum gratiæ efficacis, tum concupiſcentiæ exæſtuantis manere quidem contendit, ſed voce tenus, & ut titulum ſine re, quandoquidem ſicut Calvinus neceſſitatem vult, ita & ipſe prędicat: ultro quidem concedit libertatem deſignari per indifferentiam actus ad oppoſita extrema, nuſquam vero in hoc eſſentialiter ſitam eſſe pronuntiat; unde ſi quam admittere quandoque videatur, non aliam ſane quam indifferentiam ſtatus laudat, quatenus peccator poteſt tranſire a ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ; quam variationem ipſe non rejicit Calvinus. Nec mirum, indifferentiam actus ad hominem ſanum dumtaxat pertinere propugnat Ipreſis. Denique lib. 7. de gratia Salv. cap. 10. iterum atque iterum debellat indifferentiam actus pro præſenti ſtatu. Pergit cap. 11. aſſerendo eos qui illam admittunt, in errorem Pelagii impingere. Cap. 13. pag. 280. ſic concludit detortis S. Auguſtini & S. Proſperi locis: “ Nunc ſatis eſt oſten-
„ diſſe Proſperi doctrinam eamdem eſſe
„ quæ fuit Auguſtini, dum ad veram li-
„ bertatem arbitrii, nullam omnino in-
„ differentiæ rationem habet. „

Dices: Janſenius lib. 8. de gr. Ch. cap. 21. profitetur ſe ab erroribus Calvini circa liberum arbitrium diſcedere: Atqui Calvinus lib. 2. inſt. cap. 2. & lib. 2. cap. 15. negat ineſſe homini liberum arbitrium ſecundum electionem boni & mali: Igitur Janſenius admiſit libertatem ab omni neceſſitate immunem.

Reſpondeo diſtinguendo: Janſenius a Calſtino recedit quoad aliquid, concedo: Quoad omnia, nego. In aliquo differt, in aliquo etiam convenit. Differt quidem in eo, quod Calvinus dicat neceſſitatem naturalem non impedire quin motus primo primi concupiſcentiæ & indeliberati ſint peccata etiam formaliter, & gratiam efficacem funditus evertere libertatem. Utrumque Janſenius negat: convenit vero in eo, quod dicat gratiam liberum neceſſitare arbitrium; verum ut Tridentini declinet anathema, Identem propugnat libertatem ſub dominio ejuſmodi gratiæ eſſentialiter permanere, quippequi ad libertatem ſolummodo exigat a coactione immunitatem: Igitur in re conciliatur cum Calvino, & idem propugnat.

Inſtabis: Janſenius non ſemel dicit pueros & amentes nec agere libere, nec quidquam mereri: Igitur exigit ad merendum exemptionem a neceſſitate.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Exigit libertatem a neceſſitate naturali & cæca: concedo: a neceſſitate ſimplici & relativa, nego. Hoc ipſum ex textibus allatis patet.

Repones: Ipreſis lib. 6. de gr. Ch. cap. 34. exigit ad merendum & demerendum immunitatem a neceſſitate etiam ſimplici: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Exigit exemptionem a neceſſitate ſimplici quoad ſtatum, concedo: quoad actum, nego. Admittit quidem variationem ſtatus, in quo viatores a comprehenſoribus ſecerni non diffitetur: aſt per omnia & ubique indifferentiam actus debellat.

Senſus quartæ propoſitionis.

UT ſenſus ejuſmodi propoſitionis aperiatur, duæ partes in ea diſtinguendæ ſunt: una facti, altera juris. Prima eſt an de facto Semipelagiani gratiam prævenientem ad initium fidei admiſerint. Secunda, hoc dato & non conceſſo, an fuerint hæretici in eo quod vellent gratiam eſſe talis naturæ, cui voluntas humana poſſet ad nutum vel reſiſtere, vel etiam obtemperare.

Prima pars, ejuſque ſenſus claret; namque Janſenius lib. 2. de gr. Chriſti cap. 12. pag. 55. col. 1. ſic loquitur: “ Me-
„ moria recolendum eſt id quod latiſ-
„ ſime alio loco tradidimus, Semipelagia-
„ nos ad illud initium fidei, orationem,
„ deſideria ſimileſque actus bonos, quos
„ hominis in poteſtate remanſiſſe ſentie-
„ bant, veræ, iuternæ, actualiſque gra-
„ tiæ adjutorium ſtatuiſſe neceſſarium. „
Tum cap. 5. & 12. aſſerit Maſſilienſes eamdem admiſiſſe gratiam ad initium fidei, cæteroſque bonos actus, quam admittunt Suarez, Vaſquez, & Molina. Porro certum eſt iſtos auctores admittere gratiæ prævenientis neceſſitatem ad initium fidei.
Igi-

Igitur exiſtimat Iprenſis Semipelagianos vere admiſiſſe gratiam ad initium fidei.

Secunda pars, ejuſque ſenſus habetur lib. 8. de gratia Chriſti cap. 12. pag. 56. col. 1. his verbis: " Hoc igitur modo quia „ Maſſilienſes cum gratiæ præſentis adjutorio putabant hominem per naturalis primæ integritatis reliquias poſſe „ credere, orare, ac deſiderare Deum, „ tamquam gratiæ medicinalis deſtructores, & liberi arbitrii præſumptores merita cenſuræ ſeveritate damnati ſunt. „ Scilicet quod dicerent hominem gratiæ reſiſtere, vel obedire poſſe. Rurſus cap. 15. ſic habet, Maſſilienſium error erat: „ Quod initium fidei, orationem, gemitus, deſideria & hujuſmodi ex nobis, „ hoc eſt ex arbitrio libero provenire „ ſentirent, & tamen gratiam etiam „ actualem in eorum opinione fuiſſe ad „ iſtos actus neceſſariam, cujus influxus „ in eorum libero relinqueretur arbitrio. „ Denique libr. 8. de hær. Pelag. cap. 6. aperte propugnat Semipelagianos in hoc erraſſe quod vellent hominem lapſum adjutum gratia interiori poſſe ei conſentire, vel diſſentire, ſicut Adam poterat in ſtatu innocentiæ.

Dices: Janſenius pluribus in locis agnoſcit indifferentiam liberi arbitrii: Igitur non eſt veriſimile eum erroris notam Semipelagianis inurere, eo quod voluntatem humanam gratiæ interiori poſſe reſiſtere, vel conſentire autumarent.

Reſpondeo diſtinguendo: Agnoſcit indifferentiam paſſivam, ſecundum quam voluntas humana trahi poteſt & neceſſitari a gratia ad bonum, a concupiſcentia vero ad malum, concedo: indifferentiam activam, cujus virtute poſſit eligere bonum vel malum, nego.

Senſus quintæ propoſitionis.

Hujusce propoſitionis ſenſus non eſt gratiam ſufficientem quandoque deeſſe obduratis & infidelibus, hoc quippe dato & non conceſſo, minime ſequeretur Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, cum pro ſingulis ſuum fuderit pretioſum ſanguinem, & promeruerit gratias quibus omnes ſuam poſſint operari ſalutem, tametſi non omnes, teſte Concil. Tridentino ſua culpa paſſionis Chriſti fructum percipiant. Senſus igitur propoſitionis proſcriptæ duplex aſſignatur. Primus, Chriſtum pro prædeſtinatis ſolum mortuum eſſe, ita ut cæteri gratiis quibus poſſint ſalvari careant; ſi quas vero habeant, mere temporales eſſe & ad ſalutem nuſquam ordinatas. Secundus vero ille eſt, Semipelagianum eſſe propugnare Chriſtum pro ſingulis hominibus paſſum eſſe & mortuum.

Janſenius libr. 3. de gratia Chriſti cap. 21. pag. 164. colum. 2. ſic loquitur: " „ Nec enim juxta doctrinam antiquorum „ pro omnibus omnino Chriſtus paſſus aut „ mortuus eſt, aut pro omnibus omnino, „ tam generaliter ſanguinem fudit, cum „ hoc potius tamquam errorem a fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum. „

Quod autem ibi loquatur de errore Semipelagianorum, ipſe declarat initio capitis: Et vero cum ſibi objeciſſet aliud argumentum pro gratia ſufficiente omnibus conferenda, eo quod Chriſtus ſit omnium Redemptor, ſic reſpondet pag. 162. colum. 1. " Hoc argumentum, ſicut omnia præcedentia, jam olim ad nauſeam „ uſque a Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus inculcatum fuit, ut mirum „ ſit recentiores tanto ſtudio trita hæreticorum arma colligere. „ In fine ejuſdem capitis proſequitur, pag. 166. col. 2. „ Illa extenſio tam vaga, *extenſio ſcilicet mortis Chriſti ad omnes*, Modernorum Scriptorum, non alio ex capite „ quam ex iſta generali & indifferenti „ voluntate Dei, erga ſalutem omnium; „ & ex illa ſufficientis gratiæ omnibus „ conferendæ præparatione fluxit; quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, „ Fulgentius, & antiqua Eccleſia velut „ machinam a Semipelagianis introductam „ repudiavit.

Ex his patet Janſenium docuiſſe, Pelagianum eſſe dicere Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus ſuum pretioſum fudiſſe ſanguinem: addiderunt ſummi Pontifices, illam propoſitionem in iſto intellectam ſenſu, quod Chriſtus dumtaxat pro prædeſtinatis ſalvandis mortuus ſit, & nullo modo pro reproborum ſalute, erroneam eſſe.

Quod autem hæc pars, ejuſque ſenſus talis ſit, patet ex lib. 3. de grat. Chriſti cap. 21. p. 164. col. 2. ubi ſic loquitur pro electis: " In æternum vivificandis mortuus eſt; pro iſtis ab omni malo libe- „ ran-

,, randis rogavit Patrem ſuum, non pro
,, cæteris qui a fide & charitate deficien-
,, tes in iniquitate moriuntur. Pro his enim
,, in tantum mortuus eſt, & in tantum
,, propitiatio peccatorum eſt, & in tan-
,, tum rogavit Patrem, in quantum tempo-
,, ralibus quibuſdam divinæ gratiæ effecti-
,, bus exornandi ſunt. ,, Subdit in fine
,, ejuſdem capitis: " Nullo modo princi-
,, piis ejus, ſcilicet Aug. conſentaneum
,, eſt, ut Chriſtus Dominus, vel pro infide-
,, lium in infidelitate morientium, vel pro
,, juſtorum non perſeverantium æterna ſalu-
,, te mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſe-
,, metipſum Redemptionem dediſſe, Pa-
,, trem oraſſe ſentiatur. ,, Tum ſic bla-
ſphematorie concludit: " Ex quo factum
,, eſt ut .... non magis Patrem pro æterna
,, liberatione ipſorum reproborum, quam
,, pro diaboli Chriſtus deprecatus fuerit. ,,

Jam oſtenditur propoſitiones fuiſſe proſcriptas in ſenſu Janſenii.

PROBATUR 1. Ex Bullis ſummorum Pontificum & aliis Inſtrumentis authenticis. S. Pius V. anno 1569. Bulla quæ incipit: *Ex omnibus afflictionibus*, damnat propoſitiones Baji inter quas 25. dicit. *Omnia opera*, infidelium eſſe peccata 27. *Liberum arbitrium ſine gratiæ adjutorio non niſi ad peccandum valere*. 39. *Quod voluntarie fit etiam ſi neceſſario fiat, libere tamen fieri*. 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis* & ſimiles ſic damnat, *quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſint, in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*, hæreticas, *erroneas .... præſentium auctoritate damnamus*; obſerves velim quod damnentur propoſitiones in ſenſu verborum, & ab aſſertoribus intento; nec mirum, verba habent ſuum ſenſum, & ſuum explicat auctor per verba, quod dicimus pro aliis Bullis contra Janſeniſmum, ex quo patet propoſitiones Janſenii utique damnatas fuiſſe in ſenſu auctoris.

Gregorius XIII. anno 1579. Bulla quæ incipit *Proviſionis noſtræ*, eodem modo & eodem tenore dictas Baji damnat propoſitiones. Cardinalis Toletus tulit Bullam Lovanium ad Doctores Univerſitatis ejuſdem urbis, qui eam ſumma cum reverentia ſuſcepere, Bajus vero Toleti opera de errore convictus ſe retractavit, ſuamque retractationem propria manu ſubſcriptam Lovanii 24. Martii anno 1580. miſit ad ſummum Pontificem. Tum Univerſitas Lovanienſis decretum fecit, quo utramque Bullam recepit, ut patet ex regiſtris ejuſdem Univerſitatis, quorum exemplar factum & impreſſum eſt anno 1650. Duacenſis Univerſitas anno 1688. 27. Julii aliud edictum protulit, quo doctrinam Baji & Janſenii rejicit. Incipit per iſta verba: *Certiores facti*.

Urbanus VIII. certior factus doctrinam Janſenii in ſcandalum animarum ſerpere in Beglio anno 1641. Bullam quæ incipit, *In Eminenti Eccleſia*, dedit, in qua, relata prius condemnatione propoſitionum Baji per ſuos Prædeceſſores, procedit ad condemnationem ipſius libri Janſenii, his verbis: *Cum autem ex diligenti & matura ejuſdem libri, cui titulus, Auguſtinus, lectione poſtmodum compertum fuerit in eodem libro mul as ex propoſitionibus*, intellige, Baji, *a Prædeceſſoribus noſtris olim ut præfertur damnatas contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & auctoritatis Apoſtolicæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones deffendi ..... Conſtitutiones prædictas omniaque, & ſingula in eis contenta, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo confirmamus & approbamus; librumque prædictum, cui titulus eſt Auguſtinus, articulos, opiniones & ſententias in dictis Conſtitutionibus reprobatas atque damnatas, ut a nobis compertum eſt, continentem & renovantem, aliaque omnia opera ..... omnino prohibemus &c.* Idem Urbanus Breve Apoſtolicum direxit anno 1643. ad Archiepiſcopum Mechlinienſem, ut operam daret pro executione ſuæ Bullæ contra Janſeniſmum; quod quidem diploma verificavit Congregatio generalis Romæ habita ad hunc effectum die 26. Junii anni 1644. ut in poſterum nullæ eſſent in ore adverſariorum redargutiones. Innocentius X. poſtea reſcripſit ad Marchionem Caſtrirodrici Belgii gubernatorem, ut auxilium præberet ad executionem Conſtitutionum prædictarum. Hoc Breve datum eſt Romæ die 2. Martii an. 1645.

Epiſcopi Galliæ animadvertentes nihilominus hæreſim Janſenianam graſſari in regno, reſcripſerunt ad Innocentium X. anno 1651. & ad ſuum tribunal detulerunt

li-

librum Janſenii, ut prævio examine ſummus Pontifex procederet ad talis libri condemnationem. In hac epiſtola profitentur ſe ſeria & longa inquiſitione ac ponderatione extraxiſſe quinque propoſitiones ſummam doctrinæ hujus libri continentes.

Tum Innocentius X. ann. 1653. procedit ad propoſitionum condemnationem, Bulla quæ incipit: *Cum occaſione impreſſionis libri, cui titulus Auguſtinus, Cornelii Janſenii Epiſcopi Ipreneſis: Inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galiis controverſia ſuper quinque ex illis. Complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, ut eaſdem propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam ac perſpicuam ferremus ſententiam.* Tum relatis propoſitionibus, ſic proſequitur. *Pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, a pluribus in ſacra Theologia magiſtris, eaſdem quinque propoſitiones, fecimus ſingillatim diligenter examinari, eorumque ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata mature conſideravimus . . . . Cum autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſionis ad divinum implorandum auxilium multorum Chriſti Fidelium preces, tum privatim, tum publice indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem ferventius, ac per nos ſolicite implorata ſancti Spiritus aſſiſtentia, tandem divino numine favente, ad infra ſcriptam devenimus declarationem & definitionem.*

Primam prædictarum Propoſitionum: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant: temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Secundam: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur: hæreticam declaramus, & uti damnamus.*

Tertiam: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare: falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Quintam: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe: falſam, temerariam, ſcandaloſam: & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Idem Summus Pontifex anno 1653. reſcripſit ad Epiſcopos Galliæ, & ad Ludovicum XIV. pro executione ſuarum Conſtitutionum. Rex vero in zelo fidei nulli ſecundus, Edictum protulit eodem anno, quo vult & præcipit omnes Galliæ Epiſcopos recipere Bullam Innocentii, & executioni cum omni diligentia mandari. Eodem anno Galliarum Epiſcopi reſcripſerunt ad Innocentium, ut gratias agerent pro ejus contra Janſeniſmum Conſtitutionibus, aſſerendo ſe eas omni qua par eſt reverentia & obedientia, recipere.

Congregatio generalis Romæ habita anno 1654. die 23. Aprilis damnat Janſeniſmum, & multa alia opera eamdem doctrinam continentia.

Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopi Pariſiis congregati audientes diſcipulos Janſenii declinare anathema Innocentii contra Propoſitiones latum; dicendo eas non reperiri in libro Janſenii, repetito libri examine, reſcripſerunt ad Innocentium X. ut ſuam aperiret circa ſenſum Propoſitionum mentem.

Innocentius ad eoſdem miſit anno 1654. Breve 29. Septemb. Apoſtolicum, in quo ſic loquitur: *Damnavimus in quinque Propoſitionibus Cornelii Janſenii doctrinam ejus libro contentam, cui titulus Auguſtinus.*

Galliæ Epiſcopi reſcripſerunt pro eodem momento ad Alexandrum VII. qui anno 1656. dedit Breve Apoſtolicum, quo conqueritur quoſdam Eccleſiæ perturbatores Bullam Innocentii X. evacuare ſatagentes, dicere propoſitiones non eſſe in libro Janſenii, nec in ipſius ſenſu damnatas. Tum recenſito Innocentii X. diplomate, ſic loquitur: *Nos qui omnia quæ hac in re geſta ſunt ſufficienter & attente perſpeximus, utpote qui ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris juſſu dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalatus munere fungeremur, omnibus illis congreſſibus interfuimus, in quibus*

Apoſtolica auctoritate eadem cauſa diſcuſſa eſt, ea profecto diligentia qua major deſiderari non poſſet, quantumque dubitationum ſuper præmiſſis in poſterum auferre volentes, ut omnes Chriſti Fideles in ejuſdem fidei unitate ſeſe contineant, ex debito noſtri paſtoralis officii, ac matura deliberatione præinſertam Innocentii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem declarationem & definitionem harum ſerie confirmamus, approbamus & innovamus, & quinque illas Propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Ipreuſis, cui titulus Auguſtinus, excerptas ac in ſenſu ab eodem Cornelio intento damnatas fuiſſe declaramus, & definimus. Et uti tales, inuſta ſcilicet eadem ſingulis nota quæ in prædicta declaratione & definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus.

Quibus peractis Alexander zelo zelatus pro Domino Exercituum, omnia movit & fecit ut ſua Conſtitutio Apoſtolica debitum ubique ſortiretur effectum: qua de cauſa eodem anno die 23. Decembris ſcripſit ad Domnum Joannem Auſtriacum in Belgio Proregem, ut manum & auxilium pro executione ſuæ Bullæ præbere dignaretur. Elapſis vero aliquot annis, non ſine magno animi mœrore didicit Diœceſis Pariſienſis Vicarios Generales non modicum ſuam infirmaſſe Conſtitutionem in Mandato quodam publico ad omnes prædictæ Diœceſis Fideles directo, quo quidem aut probare aut inculcare ſatagebant Bullam Pontificiam Janſenii doctrinam ſolum in genere proſcribere, ita ut quæſtionem facti ne quidem implicite attingeret & definiret. Quibus permotus Alexander reſcripſit ad eos anno 1661. die primo Auguſti, ut quam primum ſe retractantes, novo inſtrumento publico certos facerent Fideles Diœceſis Propoſitiones Janſenii & quoad jus, & quoad factum eſſe proſcriptas atque damnatas: cui monitioni omni qua par eſt reverentia obtemperantes, novum Mandatum ad hunc effectum anno 1661. die ultimo Decembris dederunt. Subſignatum apparet a DD. Deſcomte & Debandinch Eminentiſſimi Cardinalis de Rets Pariſienſis Archiepiſcopi Vicariis.

Anno 1657. Epiſcopi Eccleſiæ Gallicanæ protulerunt formularium damnationis Propoſitionum tum in jure, tum in facto ab omnibus regni Clericis, Monachis & etiam Monialibus ſubſcribendum. Eodem anno acceſſit Edictum Regis pro executione.

Quatuor Epiſcopi ſub Pontificatu Clementis IX. renuerant damnare factum, ſed poſtea obedientes receperunt Conſtitutiones prædictas, ut patet ex eorum epiſtola 1. Septembris anno 1658. ſic ſubſcripta: *Nicolaus Epiſcopus Alectenſis, Franciſcus Epiſcopus Apamienſis, Henricus Epiſcopus Andegavenſis, Nicolaus Epiſcopus Bellovacenſis.* Illuſtriſſimus Domnus Cæſar d'Eſtrees Epiſcopus & Dux Laudunenſis certum fecit Clementem quatuor Epiſcopos Formulario ſubſcripſiſſe. Ipſius epiſtola ſubſcripta apparet die 22. Septemb. 1668. Poſtea Clemens Breve Apoſtolicum direxit ad Regem eodem anno die 28. Septembris quo gaudium ſummum ſe habere manifeſtat, quod Epiſcopi ſubſcripſiſſent Formulario. Igitur ſine cauſa quidam eos non ſubſcripſiſſe prædicant, ut jam dictum eſt.

Quia vero novas movere tragœdias Janſenii aſſeclæ, non ceſſantes in dubium revocare factum, Innocentius XII. Breve Apoſtolicum 28. Januarii anno 1694. dedit, quo prohibet alterum ſenſum dare Formulario, his verbis: *Nuper ex Litteris fraternitatum veſtrarum primum accepimus orta eſſe inter Theologos Belgii diſſidia, dum alii alios incuſant tamquam novarum opinionum ſectatores, qui tum verbo, tum ſcriptis, Conſtitutiones felicis recordationis Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum noſtrorum, in quibus quinque Propoſitiones ex libro Cornelii Janſenii, cui titulus eſt, Auguſtinus, excerptæ & damnatæ una cum formulario juramenti in earumdem condemnationem præſtandi continentur variis interpretationibus inutiles & inefficaces quodammodo reddere, non ſine gravi animarum detrimento conantur . . . exemplo Prædeceſſorum noſtrorum firmiter inhærentes, eaſque in ſuo robore fuiſſe & eſſe declarantes, fraternitatibus veſtris mandamus ut contra omnes & quoſcumque cujuslibet ſtatus, gradus & conditionis conſiſtent, qui auſu temerario prædictas quinque Propoſitiones ſic damnatas . . . . verbo vel ſcripto deffendere præſumpſerint, ſervato tamen juris ordine procedatis, eoſque debitis pœnis in eiſdem Conſtitutionibus contentis puniri curetis, &c.* Inſuper hortatur Epiſcopos Belgii ad quos direxit illam Bul-

lam

ſiam, ut juramentum & Formularii ſubſcriptionem exigant ab omnibus Fidelibus ſuæ Diœceſeos, his verbis. *Quare præcepimus ut quemadmodum ii qui ad juramentum adigendi ſunt, illud præſtare debeant ſincere, abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu oppoſitione damnando eas Propoſitiones ex libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio, quem ipſamet Propoſitionum verba præ ſe ferunt, pro ut ſenſum illum damnarunt ſummi Pontifices Prædeceſſores noſtri.* Adjunxit epiſtolam Innocentius ad Epiſcopos Belgii ſubſcriptam die 24. Novembris anni 1696. ut executioni mandent ſuam Bullam. Hæc eſt epiſtolæ ſubſcriptio. *Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Mechlinienſi, Epiſcopis Antuerpienſi, Ruremondenſi, Brugenſi, Gandavenſi.*

Certe poſt tam claram tamque apertam explicationem juris & facti nullus remanebat circa condemnationem Propoſitionum Janſenii ambigendi locus. Quidam tamen caſus extraordinarius volatilibus in foliis expreſſus poſt aliquod tempus, non ſine multorum admiratione, & ne dicam ſtupore Pariſiis apparuit, quo quidem caſu anonymus quidam petit a Confeſſario ſuo an abſolute & in conſcientia teneretur ſubſcribere Formulario ſine reſtrictione. Permulti Doctores aut incauti, aut re non ſufficienter ponderata, reſponderunt negative. De quo certior factus Clemens XI. anno 1703. die 12. Februarii Breve multiplex Apoſtolicum dedit. Alterum quo renovat omnes Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones pro condemnatione & juris, & facti quinque Propoſitionum, & pro Formularii ſubſcriptione: Alterum pro Eminentiſſimo Cardinali de Noailles Archiepiſc. Pariſienſi ut Conſtitutionem Alexandri VII. pro Formulario executioni mandari curaret; pro quo etiam interpellat tertio reſcripto Regis Chriſtianiſſimi auxilium & auctoritatem. Deinde ſubſecuta ſunt varia Epiſcoporum Galliæ Mandata, quibus ad inſtar Summi Pontificis iterum atque iterum proſcribunt Propoſitiones Janſenii quoad jus & factum. Igitur Propoſitiones quinque fuerunt in ſenſu Janſenii damnatæ.

Probatur ſecundo variis rationibus.

Prima: In opere trium columnarum ſenſus Janſenii propugnatur a ſuis, qui tamen proſcriptus eſt: Igitur Propoſitiones ſunt damnatæ in ſenſu Janſenii.

Secunda: Sic declarant Summi Pontifices relati, & quæſtio facti iterum atque iterum mota damnata eſt in ſenſu obvio & ſecundum ſenſum, quem Propoſitiones præ ſe ferunt, ut ſonant verba, adeoque ſecundum ſenſum auctoris, ſi quidem auctor ſe explicat verbis & ſcriptis. Ergo &c.

Tertia: Propoſitiones damnatæ ſunt in ſenſu in quo erant controverſæ, alias deciſio non tantum fuiſſet inutilis, ſed & nociva, & conſcientiarum perturbatrix, eo quod expectaretur citra controverſiam: Atqui erant controverſæ in ſenſu Janſenii: Ergo &c.

Solvuntur objectiones Novatorum.

Objiciunt: Propoſitiones non ſunt damnatæ in ſenſu Janſenii: Igitur manet intacta ejus doctrina. Probant antecedens. Senſus primæ Propoſitionis damnatæ, hic eſt, præcepta ſunt impoſſibilia impoſſibilitate abſoluta & invariabili omnibus juſtis dum vivunt, quantumlibet conatum adhibeant ad ea obſervanda cum gratia efficaciſſima; juſti enim non poſſunt habere in hac vita aliquam gratiam quæ det aliquam poteſtatem, immo ne quidem inchoatam obſervandi præcepta. Ita refertur in opere trium columnarum, tum in ſcripto cujus titulus: *Defenſio Conſtitutionis Innocentii X.*

Reſpondeo negando antecedens. Enim vero in opere trium columnarum triplicem exhibuerunt Propoſitionum ſenſum Novatores: Alterum Lutheri & Calvini: alterum Molinæ affixum: tertium vero quem tamquam genuinum Auguſtini defendebant, & Janſenii Propoſitionibus accommodabant: Proſcriptus eſt autem & ille tertius ſenſus: Igitur ſequitur Propoſitiones fuiſſe damnatas in ſenſu Janſenii, ſi quidem damnatæ ſunt in ſenſu quem ipſi Janſeniſmi fautores exhibebant, & quem affirmabant eſſe Janſenii. Ad probationem dico, propoſitiones proſcriptas fuiſſe in ſenſu obvio & quem præ ſe ferebant: Senſus autem quem prima Propoſitio exhibet eſt, quod præcepta ſint impoſſibilia etiam juſtis ſecundum præſentes quas habent vires: Propoſitio igitur eſt erronea non ſolum in ſenſu a Novatoribus exhibi-

hibito, ſed in proprio & connaturali ipſius Janſenii ſenſu; qui quidem admittit impoſſibilitatem abſolutam relativam, cum ipſe admittat ſolum variationem ſtatus, non electionis & indifferentiæ; nam aſſerit deeſſe quoque juſtis gratiam qua poſſibilia fiant: Quid plura? In capite ex quo prima propoſitio excerpta eſt, eodem modo loquitur de Fidelibus ac de Infidelibus: Conſtat autem nullam omnino agnoſcere in iſtis gratiam qua præcepta reddantur poſſibilia: Igitur nec in illis: Igitur juſte & in ſenſu Præſulis atque libri qui inſcribitur Auguſtinus, &c. Summus Pontifex notam inurit primæ propoſitioni.

Inſtant: In cenſura propoſitionis habetur, quod propoſitio jam ſit a Concilio Tridentino proſcripta: ſed Tridentinum eam damnat in Calvini ſenſu, a quo multum diſcrepat Janſenii ſenſus: Igitur prima propoſitio non fuit in ſenſu Præſulis anathemate percuſſa. Confirmatur: Sine gratia efficaci præceptum non eſt poſſibile, quia eſt aliquid ad agendum prærequiſitum: ſed Janſenius in eo ſolum ſenſu dicit præcepta impoſſibilia, quod requiratur gratia efficax ad illa adimplenda: Igitur ſicut propoſitio non eſt in ſenſu Janſenii erronea, nec utique in eodem proſcripta dicenda eſt.

Reſpondeo diſtinguendo: Senſus Janſenii differt a ſenſu Calvini in aliquo, ſed convenit in multis, maxime in extinctione liberi arbitrii, concedo: ſecus, nego. Diſcrepat a Calvino, I. In eo quod Calvinus impoſſibilitatem adimplendi præcepta dicat habitualem, fixam, permanentem & abſolutam, ipſe vero Janſenius dicit ſolum tranſitoriam, & œconomiæ cauſa partim relativam, nempe ſecundum præſentes quas juſtus habet vires, & relative ad delectationem terrenam exuberantem: Ille quandoque admittit neceſſitatem coactionis: iſte vero ſpontaneitatis: ſed Janſenius convenit in multis cum Calvino. I. Dicit præcepta eſſe impoſſibilia ſicut iſte: dicit voluntatem neceſſitari tum ad malum per concupiſcentiam exardeſcentem, tum ad bonum per gratiam victricem & dominantem: merito igitur ſummus Pontifex declarat propoſitionem jam fuiſſe damnatam in Concilio Tridentino; quia in multis maxime in capitali errore, ejus opinio in ſententiam Calvini collimare creditur.

Ad confirmationem, diſtinguo: Sine gratia efficaci præceptum non eſt poſſibile poſſibilitate conjuncta cum actu, concedo: poſſibilitate vera & ſecundum ſe conſiderata, nego. Gratia efficax ſe tenet ex parte actus ſecundi, quem quidem producit cum potentia prævie & proxime diſpoſita per gratiam ſufficientem: Et vero nulla poteſt dari potentia magis proxime ad agendum quam ea quæ habetur per gratiam ſufficientem, ſi quidem movet voluntatem ad actum; voluntas autem mota eſt completa in ratione potentiæ per hanc gratiam ſufficientem, nec aliud poſt iſtam præparationem expectatur, niſi actus. Ultro fatemur ad hunc requiri gratiam efficacem, ſed de hoc non controvertitur, verum potius de poſſe, quod habetur proxime per gratiam ſufficientem quæ datur omnibus; Janſenius illam totis viribus abnegat: Igitur manet conſtanter ex ejus doctrina quædam præcepta eſſe impoſſibilia, videlicet quum deeſt gratia ſufficiens qua poſſibilia fiant; eam autem multis deeſſe, vel etiam ipſis juſtis aſſerit. Igitur luce pomeridiana clarius affulget juxta Janſenii ſenſum, præcepta quædam vere eſſe impoſſibilia.

Opponunt II. Hic eſt ſecundæ propoſitionis ſenſus: " Gratia facit ſemper omnia in nobis ſine ulla ex parte noſtri actione, & ſine reſiſtentia, etiamſi foret in nobis voluntas." Ita habetur in opere trium colum. Et apud auctorem libri cujus titulus *de gratia victrici*, ita & paſſim diſcipuli Janſenii. Præſul autem, inquiunt, ubique docet voluntatem cooperari cum gratia, quæ vim non infert libero arbitrio, concupiſcentiam ſæpe debellare gratiam, & ipſam non ſemper producere bonum ad quod tendit & datur; quæ quidem omnia longe ſunt a ſenſu propoſitionis damnatæ: Igitur ſecunda propoſitio non fuit damnata in ſenſu Janſenii. Confirmatur: Janſenius libr. 8. de gratia Chriſti cap. 2. ſcribit delectationem quandoque eſſe victricem, quandoque non, puta quando exardeſcit concupiſcentia: tunc hominem ſuum denegare inſpirationibus conſenſum, tunc animum inhærere in quibuſdam inefficacibus deſideriis. Igitur cenſet Janſenius hominem in præſenti ſtatu poſſe reſiſtere gratiæ, adeoque ſecunda propoſitio

Digitized by Google

tio non fuit in ſenſu ab ipſo intento damnata.

Reſpondeo, ut ſupra, non eſſe impræſentiarum quæſtionem de ſenſu, quem novatores propoſitioni Janſenianæ affingere poſſunt, ſed de ſenſu obvio quem propoſitio, ex ſola terminorum aprehenſione exhibet: hic eſt ſenſus libri Janſenii, cuilibet eum legenti obvius; certum eſt autem exhibere hæreticum, quia nedum erroneum eſt & falſum voluntatem cogi, & paſſive ſe habere in actionibus moralibus, ſed & neceſſitari ad unum ſive per concupiſcentiam, ſive per gratiam: iſtum eſſe propoſitionis ſenſum, non ſolum patet ex terminis, ſed & ex omnibus principiis Janſenii, quippe qui lib. 2. de gratia Chriſti paſſim doceat. I. Hominem cum gratia facere in præſenti ſtatu omne bonum quod fieri poteſt, & quod a Deo per hanc gratiam fieri ſtatuit. II. Diſcrimen illud eſſe inter gratiam ſtatus innocentiæ & gratiam præſentis, quod illa daret poſſe agere, iſta vero det actu agere & ſemper. III. Hominem lapſum nullam recipere gratiam ſufficientem, quia gratia Chriſti ſuum ſemper ſortitur effectum. IV. Gratiam ſufficientem eſſe in noſtro ſtatu inutilem. V. Hominem quandoque omni gratia carere, ut quando non operatur bonum, ejuſque inertiam & inactionem magnum eſſe argumentum omnem illi defuiſſe gratiam.

Ad confirmationem, diſtinguo: Gratia ex Janſenio non habet ſemper effectum ad quem datur, & hoc per reſiſtentiam concupiſcentiæ, non per electionem voluntatis, concedo: per electionem, nego. Duo ſuut apud Janſenium pro hoc momento inconcuſſa: alterum gratiam actualem ſemper ſortiri in præſenti ſtatu effectum: alterum vero quandoque non habere omnem ad quem tendit, premente concupiſcentia, quæ quia vehementior, ligat voluntatem veluti compedibus, & ad malum neceſſario inclinat, immo & determinat, ita ut abſque ulla ex parte ſui electione operetur malum: quod certe libertatem funditus evertit, & ſapit Calviniſmum. Nos vero Catholici concedimus concupiſcentiam quidem inclinare ad malum, ſed voluntatem numquam illud operari niſi eligat: immo quotidiana comprobat experientia hominem juſtum ab angelo ſatanæ vehementer ſtimulatum, modo oratione, modo ad alia divertendo animum, modo Noviſſima ſcrutando & meditando, a laqueo liberari & vincere. Igitur propoſitio ſecunda damnata eſt in ſenſu Iprenſis, quia ejus ſenſus falſus & manifeſte erroneus eſt, immo & hæreticus.

Replicant III. Fautores Janſeniſmi: Hic eſt tertiæ propoſitionis damnatæ ſenſus, homo poteſt mereri & demereri ſine immunitate a neceſſitate naturali, id eſt, a neceſſitate a natura promanante; ſic legitur in opere 3. col. ſic etiam in variis pro defenſione Janſenii exhibitis libris; hic eſt autem propoſitionis Janſenii ſenſus: homo poteſt mereri & demereri operando bonum & malum cum neceſſitate voluntaria, licet ſit abſoluta & intrinſeca. Igitur propoſitio non eſt damnata in ſenſu Janſenii.

Reſpondeo, gratis omnino hæc afferri: Ad abundantiam juris, & veritatis triumphum, diſtinguo: Janſenius rejicit neceſſitatem cæcam & a natura fluentem, qualis eſt illa quæ in pueris & amentibus, & quæ in motibus primo-primis invenitur, concedo: neceſſitatem a concupiſcentia vel gratia emanatam, ab illa ad malum, ab iſta ad bonum, nego. Teſtis ipſe Janſenius, ut ſupra retulimus: teſtes ipſius aſſeclæ; Teſtis auctor libri, cujus titulus *Auguſtinus Victor*. 1. col. cap. 53. pag. 142. teſtis auctor Apologiæ pro SS. Patribus 3. part. p 627. teſtis Dionyſius Raymundus 1. part. cap. 4. art. 9. pag. 186. qui omnes propugnant ſolam coactionem opponi libertati, minime vero eam quæ eſt vel a concupiſcentia, vel a gratia, quod ſane erroneum eſt, & ab eſſentia libertatis, qualem docent Patres, prorſus alienum.

Objiciunt IV. Hic eſt quartæ propoſitionis ſenſus, homo non poſſet denegare conſenſum gratiæ efficaci quando vellet denegare, ſicque facit eum coacte agere. Ita in ſcripto 3. col. vel ut alii interpretantur, in hoc error poſitus eſt, quod gratia ſemper neceſſitet, ita ut homo ſtatum non valeat immutare.

Reſpondeo, etiam ut ſupra, ſine fundamento hæc proferri; fuit enim propoſitio proſcripta in eo ſenſu quod gratia faciat ſemper agere, ita ut nullus ei reſiſtere poſſit: hunc autem ſenſum ubique aperit & propugnat Janſenius, propugnant & ſui, ut actor libri de gratia victrici pag. 449. item in opere inſcripto *in nomine*

Digitized by Google

Domini pag. 28. ita etiam refert liber *Expoſitio fidei* inſcriptus pag. 211.

Neque vero magis proficiunt Novatores hunc pro quinta propoſitione adinveniendo ſenſum proſcriptum in op. 3. colum. (Chriſtus paſſione ſua pro ſolis electis meruit veram fidem & juſtitiam) damnata quippe eſt etiam in ſenſu auctoris. Enim vero quamvis primus ſenſus, ex parte pertineat ad Janſenium, non tamen omnino; concedit enim Chriſtum in aliquo ſenſu etiam pro reprobis mortuum, nempe quia gratias eis promeruit temporales; ſic enim loquitur: " Unde ſi quid pro reprobis „ rogavit patrem, pro temporalibus qui- „ buſdam juſtitiæ effectibus rogavit, & „ pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, „ fuditque ſanguinem. „ Et vero multi reprobi etiam juſti ad tempus fuerunt, ut Judas: Gratias vere interiores habuit: A quo iſtæ gratiæ? niſi a Chriſto. Igitur mortuus eſt vere & ſincere pro omnibus, & gratias interiores eis promeruit. Heu quot in inferno cruciantur qui non ſemel gratiam efficacem habuerunt: quippe a juſtitia propria culpa in peccatum lethale prolapſi, mortui ſunt reprobi; vere igitur oraverat etiam pro ipſis Salvator, ut ſalutem operarentur: igitur hæretica eſt & prorſus impia quinta propoſitio. Namque mors Chriſti ex collatione gratiæ interioris ad ſalutem colligitur: Chriſtus autem promeruit omnibus gratiam interiorem. Igitur vere pro omnibus & ſingulis mortuus, quod tamen tota fortitudine negat & probare contendit Janſenius.

Objiciunt V. Clemens IX. in gratiam quatur Epiſcoporum Janſenii partes propugnantium, poſtea vero obedire ſummo Pontifici paratorum, permiſit, ut ſubſcriberent condemnationi propoſitionum abſque eo quod ipſas Janſenio tribuerint: Igitur patet ex illo momento Clementem non crediddiſſe propoſitiones fuiſſe in ſenſu Janſenii proſcriptas.

Reſpondeo negando, Clementem aliquid roboris detraxiſſe a Conſtitutionibus ſuorum prædeceſſorum circa propoſitionum condemnationem, quin potius contrarium aperte declarat, his verbis: " Prædeceſ- „ ſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſ- „ ſime inhærentes nullam exceptionem, „ aut reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſ- „ ſemus. „ Unde dato quod honoris cauſa permiſerit eis non nominare Janſenium, in nullo tamen, ut patet, derogavit Conſtitutionibus Innoc. X. & Alexandr. VII. Quinimmo dato & non conceſſo derogaſſe, hoc enim falſum eſt; Clemens XI. in ſua Bulla quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth*, data 15. Maji anno 1705. contra Janſeniſmum data, quæque non eſt ſimplex Breve Apoſtolicum, vel Congregationis decretum, ſed vero Conſtitutio, eaque in Galliis cum ſolemnitatis jure ſuſcepta, reſtituit omnes condemnationes propoſitionum, ſive quoad quæſtionem juris, ſive quoad quæſtionem facti a ſummis Pontificibus felicis recordationis Innocent. X. & Alexandr. VII. factas; ſic enim loquitur: " Perinde „ ac ſi memoratus Clemens prædeceſſor. „ .... In tam gravi negotio exceptio- „ nem ſeu reſtrictionem, cum nullam „ prorſus ſe unquam admiſſurum fuiſſe „ proteſtatus fuit, reipſa admiſiſſet. „

Inſtant: Quidam Epiſcopi, & Belgii Doctores volentes aliquid ſubſcriptioni Formularii ſuperaddi, iis fortiter & zelo vere Apoſtolico reſtitit Innocentius XII. ſtricte injungens condemnare propoſitiones in ſenſu obvio, nulla tamen facta mentione de libro Janſenii: quod quidem argumentum eſt, propoſitiones non fuiſſe proſcriptas in ſenſu Janſenii.

Reſpondeo diſtinguo: Argumentum eſt propoſitiones non fuiſſe damnatas in ſenſu Janſenii, ſi Innocentius XII. declinavit conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. concedo: ſecus, nego. Aſſerit autem inhærere conſtitutionibus ſuorum prædeceſſorum: ſic enim habetur in ſuo Brevi die 6. Februarii anno 1694. ad Epiſcopos Belgii, in quo poſt confirmatas Conſtitutiones Innocent. X. & Alexandri VII. ait: *Præcipimus, ut quemadmodum ii qui ad juramentum adigiendi ſunt, illud præſtare debeant ſincere, abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu expoſitione, damnando eas propoſitiones ex libro Janſenii excerptas, in ſenſu obvio quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt, prout ſenſum illum damnarant ſummi Pontifices prædeceſſores noſtri*. Certum eſt autem Innocentium X. & Alexandrum VII. notam inuſſiſſe propoſitionibus nedum in abſtracto & ſecundum ſe ſpectatis, ſed reduplicative ut ex libro Janſenii excerptis.

Quia

Quia vero quidam in Belgio iterum muſſitantes cavillis a ſubſcribendo Formulario ſicut oportet, fideles deterrere conabantur, omnem effugii locum eis præcluſit ulteriori Brevi 24. Novemb. anno 1696. ad eoſdem Belgii Epiſcopos directo, ubi ſic loquitur idem Papa: *Non ſine admiratione intelleximus nonnullos iſtis in Diœceſibus reperiri, qui verbis & calamo auſi fuerint affirmare, ſupradicto noſtro Brevi alteratam ſeu reformatam eſſe Conſtitutionem Alexandri VII. 16. Oct. anno 1656. editam, nec non formularium ab ipſamet pronuntiatum, cum dicto Brevi utrumque ſpecifice confirmetur, & omnino intenderimus & intendamus iiſdem adhærere, & nequaquam ſinere ut aliquid addatur vel detrabatur a prædicto formulario.*

Objiciunt VI. Profeſſio fidei edita anno 1663. quam Illuſtriſſimus Dominus De Choiſeul Convennarum Epiſcopus, miſit ad ſummum Pontificem, continet ſanam de gratia doctrinam, ipſo teſte Alexandro VII. qui de fautoribus Janſenii in ſuo Brevi Apoſtolico loquens, ait: *Ad saniorem doctrinam inducti*; & tamen in his articulis altum eſt ſilentium de Janſenio: Igitur non opus eſt damnare propoſitiones in ſenſu iſtius Præſulis, maxime cum quidam Thomiſtæ receperint illos articulos ut Orthodoxos.

Reſpondeo I. Parum referre ad propoſitum, utrum illa profeſſio ſit bona vel non. Certum eſt enim non eſſe fidei noſtræ regulam, ſed potius ſummorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. Conſtitutiones novis de die in diem roboratas Decretis.

Reſpondeo II. diſtinguendo: Profeſſio illa eſt ſana quoad aliquid, & illam benigne interpretando, tranſeat: eſt ſana ſufficienter, nego. Igitur ſi ad apices juris ponderetur, invenietur profecto minus habens, quippe quę ambigua ſit, & Janſenii de gratia doctrinam non modicum redoleat. Idem enim ſit judicium de cæteris articulis ac de primo: *Poteſt*, inquit illius profeſſionis auctor, *dici juſtos qui carent magna illa gratia, licet babuerint parvulam & minus perfectam potuiſſe in uno ſenſu obſervare præcepta & reſiſtere tentationi, & in alio ſenſu non potuiſſe . . . Potuerunt quia non ſolum babuerunt liberum arbitrium & gratiam babitualem, ſed etiam gratiam actualem quæ poteſt vocari ſufficiens eo ſenſu quo illud vocabulum ſumunt Thomiſtæ, ſcilicet quod ſupponit neceſſitatem gratiæ per ſe efficacis, ſed quia qui caret gratia efficaci numquam ſuperat tentationem, cum conſtet inter Thomiſtas gratiam ſufficientem ſeparatam ab efficaci non comprebendere id omne quod eſt neceſſarium ad bene agendum, poteſt dici juxta Scripturam, Patres & Theologos illos, juſtos cum illis gratiis ſufficientibus non potuiſſe reſiſtere tentationi.* Ecce impoſſibilitas fucatis relata terminis: quis jam rerum æquus æſtimator credet iſtam fidei profeſſionem in rei veritate ſanam, atque Catholicam eſſe, eſto contineat quod paululum accedit ad fidem; unde quidem potuit dicere *ad ſaniorem doctrinam* inductos eos qui illi ſubſcripſerunt; ſed nondum perfecte.

Synopſis de ſenſibus propoſitionum.

SENSUS primæ propoſitionis ex re nata erumpit obvius, videlicet: " Eſſe in aliquibus juſtis, urgente præcepto, eam ,, dumtaxat gratiam, qua, relative ad ,, actualem eorum majorem concupiſcentiam, illorum voluntas non poteſt & ,, iſtam ſuperare, & mandatum obſervare; nec ad utrumque præſtandum, auxilium impetrare, quia minor delectatio cæleſtis non poteſt relative ſuperare ,, terrenam majorem. ,, Ita Janſenius lib. 4. de gratia Chriſti cap. 9. his verbis: *Urgente enim delectatione carnali, impoſſibile eſt, ut virtutis & boneſtatis conſideratio prævaleat.* Hunc propugnat Hallerius Diar. p. 284. col. 2. ubi ſic loquitur: *Senſus eſt, mandata Dei bominibus juſtis qui præcepta divina tranſgrediuntur eſſe impoſſibilia defectu auxilii ſufficientis, quo poſſint eadem implere, vel neceſſariam ad ea implenda gratiam petere.*

Senſus catholicus errori primæ propoſitionis oppoſitus talis eſt, & quidem alteri contradictorius: " Juſti ex gratia non inferiores aut inæquales, ſed pares vires ,, habent, quibus poſſunt vel mediate, ,, vel immediate ſuam actualem oppoſitam vincere concupiſcentiam, ac præceptum adimplere. ,,

Senſus ſecundæ propoſitionis, hic eſt: ,, Gratia Chriſti eum omnem effectum ,, ſemper habet, cujus eſt capax relative ,, ad oppoſitam cupiditatem; ſeu quem ,, ipſi permittit oppoſita concupiſcentia:

tia · hinc ſi iſta prævaleat, gratia non„ niſi inefficaces & imperfectos ad bo„ num motus excitat „ Concinit Hallerius ibidem, Diar. 283. col. 1. *Senſus eſt*, inquit, *in ſtatu naturæ lapſæ nullam eſſe gratiam Chriſti actualem internam in voluntate reſidentem, cui voluntas humana de facto diſſentiat.*

Senſus catholicus: " In ſtatu naturæ la„ pſæ, homo etiam exorbitante concu„ piſcentia, poteſt operari bonum, & „ cuilibet gratiæ reſiſtere. „

Senſus tertiæ propoſitionis ex ejus principiis, hic ſequitur: " Ad merendum & „ demerendum ſufficit, ut voluntas hu„ mana aut coactione, aut neceſſitate cæ„ ca, qualis comperitur in amentibus, ad „ actum non compellatur. „ Hallerius hunc ipſi propoſitioni affingit ibidem, Diar. p. 285. col. 1. " Senſus eſt, *ait*, ut „ actio, quæ meritoria, aut demeritoria „ eſt, libera cenſeatur, non requiritur „ ut fiat cum indifferentia, ſed ſufficit „ quod voluntarie & ſine coactione fit.

Senſus catholicus, ſic habetur: " Ad „ merendum vel demerendum requiritur „ indifferentia actus, ita ut non ſufficiat „ actionem eſſe voluntariam, ſed inſu„ per fieri debet cum electione & po„ tentia ad oppoſitum. „

Senſus quartæ propoſitionis: " Semipe„ lagiani admiſerunt neceſſitatem gratiæ „ interioris etiam ad initium fidei, & in „ hoc erant hæretici, quod rejecta Chri„ ſti gratia efficaci, hoc eſt, delectatio„ ne cæleſti ſuperiori voluntatem neceſ„ ſitante inſuperabiliter ac indeclinabili„ ter determinante, ſolam admitterent „ gratiam, cui poſſet humana voluntas „ reſiſtere vel obtemperare. „ Non levius Novatores hunc ſubindigitant ſenſum in ſcripto non ſemel laudato: *In nomine Domini* p. 26. *Cum dicunt in ea tam vehementi inter Catholicos & Semipelagianos concertatione, hanc unam gratiam Catholici propugnaren: quæ inſuperabilem prædeſtinationem & promiſſionem Dei virtute pariter inſuperabili in effectu demandaret, clarum eſt illam unam inflexibilem & indeclinabilem gratiam Semipelagianos Catholicis eripere voluiſſe.* Tum ſubdit: *Quis, quæſo, dubitet Semipelagianos hæreticos habitos fuiſſe materialiter ſaltem, quod ad fidei initium gratiam admitterent, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare proxime & immediate.*

Senſus catholicus contradictorie ad erroneum conſequens ille eſt: " Semipe„ lagiani non admittebant prævenientis „ gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingu„ los actus, etiam ad initium fidei, & in „ hoc non fuerunt hæretici, quod vellent „ eam gratiam talem eſſe, cui poſſet huma„ na voluntas reſiſtere, vel obtemperare. „

Senſus quintæ propoſitionis ex præcedentibus, ſic ſequitur, ſeu potius erumpit: „ Semipelagianum eſt dicere Chriſtum „ pro omnibus hominibus mortuum fuiſ„ ſe, omnibuſque gratias vere ſufficien„ tes quibus ſalvari poſſint, præparaſſe; „ quia præter delectationem ſuperiorem „ cæleſtem, non dantur gratiæ vere ſuf„ ficientes: Chriſtus pro ſalute dumtaxat „ prædeſtinatorum mortuus eſt, ita ut „ omnibus reprobis negata ſint auxilia „ ſufficientia quibus poſſint ſalvari. „ Textus Janſenii de hoc momento, ita apertos ſupra retulimus, ut ulteriores hic texere ſupervacaneum ſit.

Senſus catholicus. Ad removendum errorem, dicendum eſt Chriſtum, nedum pro prædeſtinatis, ſed & pro cæteris mortuum fuiſſe, ipſiſque reprobis præparaſſe, immo & dediſſe media ſufficientia quibus relative ad quemlibet concupiſcentiæ gradum poſſunt ſaltem mediate & urgente præcepto, mandata ſervare, tum & gratias interiores in ordine ad ſalutem eis promeruiſſe.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum ad Eccleſiam ſpectet judicare quæſtionem facti dogmatici?

QUÆSTIO duplex a Canoniſtis diſtinguitur; una juris, altera facti. Prior reſpicit fidei dogma, ut iſta, num Verbum ſit Patri conſubſtantiale? Poſterior aliquod factum, quale eſſet iſtud, num Petrus laurea Doctoratus inſignitus ſit?

Rurſus Quæſtio facti diſtinguitur in factum perſonale, & dogmaticum ſeu univerſale: primi generis factum aliquem particularem ſpectat, ut jam enuntiatum: ſecundi generis ad univerſalem fidem pertinet, quippe quod aliquem fidei articulum complectatur: quod poteſt iſto illuſtrari exemplo iſtius textus

Pſal.

Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*. Namque ipſo Chriſti interprete Matth. 22. ſignificat Filium Dei incarnatum eſſe Deum.

In præſentiarum non movemus quæſtionem de quæſtione facti mere perſonalis, & particularis, cum nullus teneatur credere ducem Galliæ exercitus v. g. reportaſſe ſuper inimicos victoriam, ſed de quæſtione facti dogmatici; num ſcilicet Eccleſia poſſit judicare de textibus, ita ut ejus definitio ſit regula fidei?

CONCLUSIO.

Ad Eccleſiam ſpectat judicare irrevocabiliter quæſtiones facti dogmatici.

Probatur argumento Theologico irrefragabili.

AD eam ſpectat judicare irrevocabiliter quæſtiones facti dogmatici, quæ ex jure avito donatur auctoritate ſupremi controverſiarum judicis in materia religionis; quales ſunt textus qui modo fidem, modo etiam errorem continent, modo virtutem, modo alternata vice malum & vitium indagant: Atqui Eccleſia eſt in his momentis ſupremus controverſiarum judex: Igitur ad eam ex jure avito pertinet judicare irrevocabiliter de textibus dogmaticis. Probatur minor ex multis capitibus.

Primo: Vel ipſe Deus jubet Iſraelitis conſulere magnum Sacerdotem, ut primum aliquid dubii emerſerit circa legem, adeoque circa factum dogmaticum, videlicet textum Legis in quinque libris Moyſis contentæ, qui textus quandoque tantas ſubibat difficultates, ut ex ſola traditione nomine cabalæ celebrata, genuinus haberetur ſenſus: Sacerdoti vero loquenti fidem ſub mortis interminatione adhibere tenebantur fideles, ſic habetur Exod. 24. 29. *Habetis Aaron & Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos*. Rurſus Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris ... Facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus: ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram atque ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille*. Et Malach. 2. 7. *Labia enim Sacerdotis cuſtedient ſcientiam, & legem requirent de ore ejus*.

Secundo: Hoc ipſum patet ex poſſeſſione & uſu perpetuo Eccleſiæ: ſic Concilium Nicænum I. judicavit textum Thaliæ Arii, Epheſinum, textus Neſtorii; Conſtantinopolitanum II. tria capitula; Conſtantinopolitanum III. ſcripta Macharii Patriarchæ Antiocheni Monothelitæ. Leo X. libros Lutheri; quæ quidem omnia facta ſeu textus damnavit Eccleſia: & iſtas condemnationes ratas habuere fideles: quidni & ratas haberent quæſtionem tum juris, tum facti propoſitionum Janſenii?

Tertio: Eccleſia ab ipſo Chriſto in nova Lege conſtituta eſt controverſiarum religionis Judex, ita ut qui illam audire renuunt, ut Ethnici & Publicani habendi ſint. Ergo &c. Probatur antecedens: Matth. 17. 18. Chriſtus, ſic loquitur: *Dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Eo loci loquitur Dominus de errantibus corrigendis, qui ſi in errore pertinaces ſint, ad Eccleſiam judicandos remitti vult. Sed errores & defectus corrigendi nedum viva voce, ſed & ſcriptis in judicio exhibentur: Ergo &c.

Quarto: Non omittendum judicium quod de textibus ſacris ab omni ævo tulit Eccleſia. Norunt omnes in Hiſtoria Sacra gnari Synagogam non ſemel diſcuſſiſſe genuinitatem librorum ſacrorum, & alternatis judiciis adſciviſſe primum non omnes, ſed ſolum celebriores in Canone, tum præviis decurſu temporum iteratis examinibus libros Judith, Sapientię, Eccleſiaſtici, duos priores Machabæorum; inde natus duplex librorum ſanctorum Canon, videlicet Protocanon, & Deuterocanon. Non abſimili modo Eccleſia in nova Lege judicavit de libris ſacris: quoſdam Apocryphos cenſuit, plures genuinos, poſtea vero Epiſtolam ad Hæbreos &c.

Quinto: Nedum de Scripturis ſacris, ſed & de textibus Patrum variis quandoque ſpinarum congerie circumſeptis Eccleſia judicavit. Anaſtaſius Papa damnavit varios Origenis libros, e contra vero Pelagius II. Hormiſdas; & alii nonnulli ſummi

ſummi Pontifices multos longoſque B. Auguſtini textus probaverunt, & ejus de neceſſitate gratiæ doctrinam, ut fidei regulam haberi voluere. Iſtud ultro concedunt Novatores: numquid, quæſo, non ejuſdem ponderis eſt Eccleſiæ auctoritas ut ſanum & infallibile de textibus Janſenii judicium ferat?

Sexto: Anathemate in rebelles ſuo de textibus judicio animadvertit Concilium Tridentinum ſeſ. 4. decreto de Canonicis Scripturis. Recenſitis enim libris quos in ſuo admittit Canone, ſic pronuntiat: *Si quis autem libros ipſos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata latina editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit; & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit; anathema ſit*. Idem dicendum eſt de aliis textibus qui religionem ſpectant, cum ad Eccleſiam irrefragabiliter judicare ſpectet de iis quæ ſunt vel pro fide ſuſcipiendis, vel contra fidem, eliminandis; ſin minus portæ inferi adverſus eam prævalerent, quod Chriſti promiſſioni opponitur, Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*.

Septimo: Niſi judicio Eccleſiæ ad metam perduceretur religionis controverſia, daretur proceſſus in infinitum; tot enim forent religiones, quot capita & ſenſus, & nihil certi in materia ſalutis haberetur, quem quidem Pironiſmum, vel ipſi Proteſtantes in Synodo Charentana ubi præerant d'Allæus, Bochardus & Derelincour damnarunt: ſed circuitus iſte vitioſus & defectus prævaleret, ſi Eccleſiæ judicium non eſſet in materia religionis, qualis eſt factum dogmaticum irrevocabile; quis enim certo ſciret quinam ſunt Scripturæ ſacræ libri genuini? Quinam verus Patrum operum ſenſus? Ergo &c.

Octavo: Quotquot Eccleſiam loquentem pro textibus audire noluerunt, velut hæretici proſcripti ſunt: ſic abjecti ſunt Ariani qui loca Scripturæ de divinitate Verbi ab Eccleſia explicata, uti talia credere noluerunt: ſic proſcripti Neſtoriani, qui alia de Incarnatione Verbi expoſita abnuerunt, & ita de cæteris Hæterodoxis.

Fit ſatis objectionibus Hæterodoxorum.

Objiciunt: Judicium certum non habetur de factis, utpote contingentibus: Igitur Eccleſia nequit ſaltem irrevocabiliter judicare de propoſitionibus Janſenii.

Reſpondeo I. Non minorem deberi judicio Eccleſiæ reverentiam & obedientiam quam judicio civili exhibetur; ut primum tamen Rex ſedens pro tribunali, interrogatis Conſiliariis, mittit vel per ſe, vel per Senatum Conſultum ſententiam, cauſa finita eſt; a fortiori & finita cenſenda eſt per Eccleſiæ oraculum.

Reſpondeo II. diſtinguendo antecedens: Judicium certum non habetur de facto puro, concedo: de facto dogmatico, nego. Factum dogmaticum implicat jus, quis autem cordatus dixerit Eccleſiam non poſſe judicare quiſnam ſit verborum ſenſus obvius, cum vel ipſi humaniſtæ verborum ſignificationem noverint? ita ne cæcutiret columna veritatis, ut quid textus ſacri, quid alii ſignificent, ignoraret? cognita vero verborum ſignificatione, ad ipſam ex jure pertinet definire quinam textus fidei affines, quinam vero contrarii ſint, definire. Igitur potuit Eccleſia declarare textum libri Janſenii erroneum, & uti talem damnare.

Inſtant: Atqui etiam Eccleſia non poteſt ultimo & certo definire quæſtiones dogmaticas Janſenii: Ergo &c. Probatur antecedens multis momentis. I. Quia Eccleſia non eſt infallibilis in definitione facti dogmatici, quippe quod varios ſubeat ſenſus; dum enim unus ei præfigitur, alius cito exurgit, v. g. in prima propoſitione: Janſenius dicit quidem lib. 3. de gr. Chriſti cap. 13. quædam præcepta vel ipſis juſtis etiam conantibus impoſſibilia; capite vero 15. & pag. 143. & 144. aſſerit poſſibilia: Tum lib. 4. in quo paſſim docet juſtum eo ipſo tempore quo exardeſcit concupiſcentia, poſſe ſecundum præſentes quas habet per gratiam vires bonum operari, & ita ſufficienter poſſe, ut decreſcente concupiſcentia, ſive ulteriori gradu gratiæ bonum facere queat. II. Judicium ſupremum debuit eſſe infallibile: porro tale non apparet pro facto etiam dogmatico, cum factum ſit quid humanum. III. Judicium quo cauſa clauditur, ab omnibus univerſim recipitur:

ſed

ſed judicium de quæſtione facti Janſeniani ab anno 1644. pertua controverſia movetur. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad primam probationem, dato & non conceſſo Eccleſiam non eſſe infallibilem in quæſtione facti dogmatici, contrarium enim ſuo loco demonſtrabimus, debetur tamen ejus definitioni humilis & reverentialis obedientia, eo quod ſit ſupremus controverſiarum judex. Sic Regi Monarchæ tametſi non infallibili, utique ei pro civilibus debetur in rebus juſtis ſub pœna peccati obedientia, quia omnis poteſtas eſt a Deo, & ut Monarcha ejus judicio clauduntur cauſæ laicæ.

Ad id vero quod dicitur, propoſitiones varios ſubire ſenſus; dicimus ad Eccleſiam Spiritu ſancto gubernatam ſpectare judicare de ſenſibus, &. quinam ſint obvii, prædefinire. Neque vero aliquod faceſſit negotium, quod Janſenii aſſeclæ ad ſuam phantaſiam præfigant ſenſus cuilibet propoſitioni, cum luce clarius ex ipſo Janſenio, quem confitentem reum ubique habemus, affulgeat ſenſum ab Eccleſia proſcriptum e qualibet propoſitione veluti ex ſpurio fonte connaturaliter erumpere.

Ad Aliud quod in cavilli probationem replicatur, Janſenium in pluribus locis dicere præcepta juſtis conantibus etiam vel ipſa premente libidine eſſe poſſibilia, diſtinguo: ſecundum ſe ſeu in abſtracto, concedo: relative ad concupiſcentiam ſupra modum exardeſcentem, nego. Ultro quidem fatetur gratiam quæ ineſt juſto poſſe operari bonum ad quod invitatur tentatus, ſed in hypotheſi quod concupiſcentia ad inferiorem gradum deſcendat, & tunc juſtum ſecundum præſentis gratiæ vires de facto actum bonum elicere: verum ſi relative ad concupiſcentiæ vires comparetur, propugnat impoſſibile eſſe præceptum adimplere; quinimmo deeſſe orationis gratiam qua uberius auxilium ad ſuperandam tentationem obtineatur, quod eſt contra dogma catholicum: ſic enim Eccleſia propugnat mandata poſſibilia, ut remaneant in tentatis æquales vires vel immediatas, vel ſaltem mediatas ad vincendum; quippe quod de fide ſit Deum non pati hominem tentari ſupra id quod poteſt, Dicente Apoſtolo 1. Cor. 10. 13. *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum ut poſſitis ſuſtinere.*

Cæterum, illudit Janſenius quum lib. 3. de gr. Salv. cap. 13. impoſſibilitatem jam toties decantatam quandoque ſolius difficultatis nomine celebrat; namque iterum atque iterum illam pure & ſimpliciter vocat impoſſibilitatem, & juxta ejus principia eſt vera impotentia. Neque vero ejus adjuvant partes aſſeclæ, dicendo quod Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. præcipiat *petere quod non poſſit*: non enim ſupponit ſacra Synodus veram & abſolutam impotentiam, cum jubeat petere, ut oratione uberius habeat auxilium peccator, quod quidem non admittit Janſenius dominante cupiditate, qua pulſatur ſimul & ſuperatur voluntas; ſed Synodus ſacra ſolum oſtendit potentiam ad converſionem immediatam non ſemper adeſſe, & tunc temporis oratione facile comparari, hinc ait: *Jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. E contra vero Iprenſis contendit in congreſſu concupiſcentiæ ſævientis deeſſe quoque gratiam orationis, qua gratia efficaciſſima ad contundendum carnis ſtimulum obtineatur.

Ad ſecundam inſtantiam, factum eſt ſatis: non enim abſolute requiritur infallibilitas iu Legiſlatore; quandoquidem eo ipſo quo eſt ſupremus à Deo conſtitutus Legiſlator, lex obligat ſubditos, hinc Apoſt. Hebr. 13. 17. ait: *Obedite præpoſitis veſtris*. Sed & infallibilitatis prærogativa non deeſt Eccleſiæ ad judicandum factum dogmaticum.

Ad poſtremam inſtantiam diſtinguo: Judicium quo cauſa clauditur debet acceptari & ſuſcipi a Paſtoribus & Proceribus, concedo: ab omnibus & ſingulis, ſubdiſtinguo: ad melius, concedo: abſolute, nego. Sufficit conſenſus Eccleſiæ expreſſus vel tacitus majoris partis; hinc obſtrepentes cauſa cadunt, cum cuncta contra propoſitiones & Janſeniſmum diplomata, adhibita juris ſolemnitate requiſita ubique recepta ſint. Sed ne remaneat in ore adverſantium redargutiones, oſtenditur impotentiam ád agendum circa extremum delectationis dominantis oppoſitum, eſſe veram & ineluctabilem juxta Janſenium.

Impoſ-

Impoſſibilitas ad agendum oppoſitum ſub dominio delectationis ſuperioris.

Hoc ſemel explicato momento, non relinquitur adverſariis effugiendi locus; ut primum enim adeſt ubique impoſſibilitas faciendi contrarium, & neceſſitas abſoluta cedendi delectationi, quæcumque ſit, ſequitur ſyſtema Janſenianum per omnia, ubique & ſemper eſſe a fide alienum; neque multum eſſe in hæreticitate cujuslibet propoſitionis adinvenienda laborandum; ſiquidem ex eodem principio, videlicet delectatione neceſſitante, quælibet propoſitio velut a primigenio fonte promanat.

Quæres. I. Quænam ſit impotentia relativa quæ invenitur, ut vult Janſenius, nedum in peccatoribus, ſed & in ipſis juſtis, quando carent gratia in gradu concupiſcentiæ luctantis inferiori?

Reſpondeo I. Juxta tritum Iprenſis placitum: *Quod magis delectat neceſſe eſt operari*, quia voluntas ad bonum vel malum pro ut eſt delectationis impetus ita neceſſario determinatur, ut non remaneat ei potentia ad oppoſitum, quandoquidem privatur & gratia efficaci, qua vincat delectationem terrenam ad bonum actu operandum, & ipſa orationis gratia, qua poſſet uberiorem advocare gratiam, ut non ſemel diximus.

Reſpondeo II. Iſtam ad bonum impotentiam, relativam eatenus nuncupari, quatenus gratia quæ ineſt juſto, tametſi ſecundum ſe ſufficiens ad bonum inſpiratum exequendum, non tamen comparative ad delectationem terrenam inundantem.

Reſpondeo III. Iſtam impotentiam in hac hypotheſi eſſe ſimplicem, puram & abſolutam, ex eo quod nec gratia ſecundum præſentes vires concupiſcentiæ ſtimulum acerbe colaphizantem poſſit contundere, nec juxta Novatorem affulgeat gratia orationis ut auxilium uberius a Deo tentatus obtinere poſſit. Dixi in hypotheſi tantum concupiſcentiæ exorbitantis abſolutam, ut hæc impotentia diſtinguatur a neceſſitate cæca, qualis in cæco ad videndum comperitur, quippe quæ ſic afficiat phyſice organum, ut ſecluſo miraculo, quo reſtituatur organum, nuſquam erit nec poterit eſſe viſus; e contra vero decreſcente concupiſcentiæ flamma ad inſimum gradum, gratia quæ ineſt juſto, incipiet operari; ſublato quippe impedimento, cauſa ſuum producit effectum, ait Iprenſis.

Reſpondeo IV. Illam impotentiam eſſe moralem, ſiquidem eſt voluntaria, ſeu a voluntate, quæ eſt actuum moralium immediatum principium, emanat, maxime cum relativa potius, quam naturalis hæc impoſſibilitas dicatur.

Reſpondeo V. Iſtam impotentiam poſſe utique appellari phyſicam, & hoc in multiplici ſenſu. Primo quidem quandiu viget una delectatio in gradu altera ſuperior, tunc enim voluntas ſimpliciter & abſolute contrarium operari nequit. Secundo eſt realis, & nemine cogitante afficit ſubjectum, velit, vel nolit anima. Tertio, tunc voluntas privatur gratia quæ nedum moraliter, ſed & phyſice præmoveatur, ſecundum noſtram Scholam Angelicam, ad bonum.

Quæres II. Num illa neceſſitas in quinque propoſitionibus ſic adſit, ut quælibet neceſſario illam inferat?

Reſpondeo affirmative, ut diſcurrendo breviter per ſingulas propoſitiones, patebit.

In prima quidem, præcepta dicuntur ita impoſſibilia, ut vel ipſa gratia qua poſſibilia fiant deſit, & hanc neceſſitatem ſic deteſtatur Synodus Tridentina, ut ne quidem nominari ſinat. Ita loquitur ſeſſ. 6. cap. 11. " Nemo temeraria illa, ,, & a Patribus ſub anathemate prohibi- ,, ta voce uti, Dei præcepta homini ju- ,, ſtificato ad obſervandum eſſe impoſſi- ,, bilia: nam Deus impoſſibilia non jubet, &c. ,,

In ſecunda habetur, nuſquam reſiſti gratiæ; habetur l. 2. c. 5. & alibi ait Iprenſis nullum poſſe reſiſtere gratiæ, immo ex natura gratiæ efficacis juxta Janſenium ſequitur iſta neceſſitas, cum omnem gratiam interiorem efficacem ſuum ſemper & neceſſario effectum ſortiri contendat.

In tertia, neceſſitas agendi utique ſe prodit; in ea quippe ſtatuit Iprenſis ad merendum vel demerendum immunitatem a coactione ſufficere, quo ſcopo & quo fine? Niſi gratiam principium meriti cum actu voluntario neceſſario connexam habeat.

In quarta, neceſſitas tanto æſtu propugnatur, ut Semipelagianos in hoc quod

dicant

dicant voluntatem poſſe reſiſtere gratiæ interiori, Hæreticos appellare non dubitet Janſenius.

In quinta demum eadem affulget neceſſitas a Jauſenio inducta, quippe qui non ſine blaſphemia aſſerat Chriſtum non pro omnibus hominibus, ſed ſolum pro Prædeſtinatis mortuum: Poſito vero iſto principio, Electi ſoli habent gratias efficaces, immo & efficaciſſimas quibus neceſſario compelluntur ad bonum, reprobi vero iis privati, ex impetu neceſſatio ruunt in damnationem.

Quæres III. Num neceſſitas cuilibet propoſitioni affixa, ex delectatione oriatur?

Reſpondeo juxta ſyſtema Janſenii ſic contingere; cum delectationem neceſſitantem pro principio boni vel mali juxta ejus ſpeciem & naturam habeat.

Prima propoſitio involvit impoſſibilitatem mandatorum ex defectu delectationis cæleſtis exuberantis. Lib. 3. de grat. Salv. cap. 13. pag. 137. col. 1. *Fortitudo*, inquit, *voluntatis, non ea ſola libertate hominis proficiſcitur aut haberi poteſt, ſed ex delectationis magnitudine*. Audis ex delectatione exæſtuante Janſenium inferre bonum agendi, ex ejus vero privatione malum patrandi neceſſitatem. Expreſſius de peccato committendo ſic loquitur pag. 136. col. 1. *Hinc ergo fit, ut non ſemel de S. Petro etiam volente dicat Auguſtinus, cum Chriſtum negaret, invalidas, infirmaſque fuiſſe vires ejus; immo non potuiſſe mortem ferre pro Chriſto, quamvis hoc & vellet, & ſe poſſe judicaret*. Obſerves velim Janſenium aſtruere impoſſibilitatem operandi bonum, vel ipſo inſtanti quo juſtus ad actum heroicum mortis pro Chriſto ſubeundæ pulſatur, & hoc ſe poſſe putat.

Secunda Propoſitio cum delectatione cæleſti connexionem habet: Hoc ex diverſis locis libri Iprenſis eruitur. Lib. 2. de gr. Chr. cap. 24. pag. 81. col. 1. habetur: *Gratia tollit omnem ejus voluntatis reſiſtentiam, rapit eam ſecum, & ex invito volentem ac ſe determinantem ineffabili ſuavitate ac poteſtate facit*. Rurſus pag. 178. col. 2. *Id quod amplius nos delectat, etiam amplius velimus ac diligamus neceſſe eſt; tanto enim quidque vehementius volumus, quanto delectamur ardentius*. Rurſus pag. 179. col. 1. *Voluntas ſine delectatione velle aut moveri nullo pacto poteſt, quod ſane reſpectu cujuſlibet actionis locum habet, unde etiam in peccatis eadem neceſſitas delectationis ad volendum, ac maioris delectationis ad ſuperandam oppoſitam delectationem reperitur*.

Tertia Propoſitio eodem delectationis principio innititur; ſic enim eam demulcere voluntatem vult Janſenius, ut illa velit, & ideo libere quia lubentius neceſſario & ſine potentia ad oppoſitum actus virtutum velit. Lib. 6. de gr. Chr. cap. 35. p. 303. col. 1. ſuam his verbis prodit mentem. *Hæc ergo delectatio ſicut facit voluntatem velle, & ſine qua non poteſt velle quia non lubet, ita facit eam libere velle*. Rurſus lib. 7. de gr. Chr. cap. 3. pag. 309. col. 2. *Quapropter luſtratis diligenter fundamentis Auguſtini .... nihil aliud exiſtimamus quam cognitionem ac delectationem, ſeu delectabilem objecti complacentiam eſſe id quod tantam poteſtatem in liberum arbitrium habet, ut eam faciat velle vel nolle*.

Quarta Propoſitio fundatur utique in delectatione victrici, cui poſſe reſiſtere hæreticum putat cæcutiens Janſenius; ubique iſtud ruinoſum ponit erroris fundamentum, maxime lib. 4. de grat. Chr. cap. 10. pag. 184. col. 2. his verbis: *Nulla eſt gratia operandi præter iſtam ſuavitatem, quæ niſi tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur*.

Hallerius Janſenii aſſecla quartam ſic interpretatur propoſitionem in ſcripto jamjam laudato Diar. pag. 285. col. 2. *Suppoſita enim aliarum Propoſitionum neceſſario debet falſa quarta judicari. Nam ſi impoſſibilia nunquam ſunt Dei præcepta juſtis defectu gratiæ ſufficientis cui actu reſiſtunt; ſequitur poſſe gratiæ reſiſti: nam ab actu ad poſſe valet conſequentia. Secundo, ſi certum ſit ad meritum requiri indifferentiam, cum actio qua gratiæ Dei conſentimus, ſit meritoria, ſequitur conſenſum ei præberi cum indifferentia, ac proinde cum potentia diſſentiendi*. Audis Janſenii interpretem omnem actus ſubmovere ſub dominio gratiæ victricis indifferentiam, & grande ſcelus ducere, ſi gratia cui humana voluntas reſiſtere poſſit, defendatur.

Quinta Propoſitio delectatione relativa neceſſitante etiam innititur, cum in Electis voce tenus Iprenſis, ut illudat legentibus, admittat gratiam ſufficientem, qua mandata Dei poſſint adimpleri, ſed qualem? audi benevole Lector, non aliam certe

præ-

præter eam, quæ dat poſſe ſimul & in eodem inſtanti agere, quippe qui ſolum potentiam cum actu conjunctam admittat. Sic loquitur lib. 3. de grat. Chr. cap. 21. pag. 164. col. 2. *Omnibus vero illis pro quibus ſanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit; etiam ſufficiens auxilium donat, quo non ſolum poſſint, ſed etiam reipſa velint & faciant, id quod ab eis volendum & faciendum eſſe decreverit*. Quod autem gratiam vere ſufficientem, qualem propugnant Theologi Orthodoxi, non admittat, audi loquentem lib. 4. de gr. Salv. cap. 10. pag. 184. col. 2. *Hinc claret*, ait, *cur Auguſtinus omnem omnino gratiam pure ſufficientem ... auferat. Ratio enim perſpicua eſt, quia cum ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit &c.*

Hæc & ſimilia pro elucidatione materiæ proferre æquum duximus, ut Lectores capiant Eccleſiam recte judicaſſe de ſenſu erroneo cujuslibet propoſitionis Janſenianæ, tum ejus patronos mente verſipelli multa ſcribere & dicere ut a ſua & Magiſtri doctrina Eccleſiæ anathemata alternatis vicibus juſte vibratis declinent.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ad Eccleſiam ſpectat judicare de quæſtionibus facti dogmatici circa Religionem.

PRIMO, quia ab ipſo Chriſto Matth. 18. judex controverſiarum circa religionem Eccleſia conſtituta eſt.

Secundo: Uſus & poſſeſſio hoc ipſum probant; Eccleſia quippe modo per Summos Pontifices, modo Conciliorum ore judicavit de hujuſmodi quæſtionibus. Et vero tribus prioribus ſæculis Papæ textus erroneos Tertulliani Montaniſtæ, & aliorum Hæreticorum judicarunt. Anaſtaſius varios Origenis textus damnavit. Concilium Nicænum primum prævio maturo examine, Thaliam Arii abjecit: Epheſinum œcumenicum facta dogmatica Neſtorii proſcripſit. Secundum CP. tria Capitula: Quidni & Eccleſia poſſet facta Janſenii proſcribere?

Tertio: Hanc ineſſe Eccleſiæ poteſtatem declarat Concilium Trid. ſeſſ. 4. decreto de ſacris Scripturis, & anathemate inobedientes ferit. Quia ſi Eccleſia ſupremus controverſiarum judex non exiſteret, unuſquiſque in ſuo abundaret ſenſu, ſicque quotquot capita, tot religionis monſtra forent: Neque vero ullæ hæreſes profligatæ eſſent, cum Heterodoxorum propoſitiones varios ut plurimum ſubeant ſenſus, & aliquis catholicus per fas & nefas poſſit eis affingi.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: ultro concedimus Eccleſiam facta pura non judicare infallibiliter, ſecus dogmatica. Immo, ſi de facto perſonali agatur, auditis teſtibus, cauſam ad ultimam metam poteſt ex avito jure perducere.

Secundo: Gratis diceretur propoſitiones Ianſenii varios ſubire ſenſus; quinam ſit enim propoſitionum erronearum obvius, optime novit Eccleſia: ſicut enim apprime judicat de textibus bonis, tum Scripturæ, tum S. Aug. & aliorum PP. vel ipſis non diffitentibus Janſenii Patronis, pari & conſimili jure de malis & erroneis, qui in Hæreticorum libris ſcatent.

Tertio: Eſto quod multi attendentes ad ſpiritus erroris, non adhæreant diplomatibus errores Janſenii profligantibus: Sed adhæret major & ſanior Eccleſiæ pars: Sed adeſt conſenſus ipſius Eccleſiæ ſæpiſſime per Paſtores ſupremos expreſſus, & pluſquam tacitus in populis & perſonis particularibus; hinc univerſalis Eccleſia adverſus Janſenium ejuſque Patronos & defenſores, nulla facta intermiſſione, ſed quoties congreſſus aliquis ab æmulis fidei provocatur, inſurgit.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Fideles teneantur ſincere ſubſcribere Formulario?

PRÆNOTANDUM eſt I. quod Novatores cauſam Janſenii ex condemnatione quinque Propoſitionum per Innocentium X. deploratam animadvertentes, ad quæſtionem facti veluti ad ſecundam poſt naufragium tabulam confugerint, dicendo, Propoſitiones quidem eſſe erroneas, hinc & juſte damnatas, ſed in libro Iprenſis minime reperiri: de his cavillis certior factus per Galliarum Epiſcopos

pas Alexander VII. diſcuſſo iterum atque iterum poſt Epiſcopos Gallicanos Janſenii volumine, factum dogmaticum alternata vice damnavit; hoc eſt, propoſitiones uti in libro Iprenſis jacent, & in ſenſu auctoris atque obvio quem præ ſe ferunt: ſed ne remaneret aufugiendi locus, miſit in Gallias Formularium ſubſequens ab omnibus Fidelibus ſubſignandum.

FORMULARIUM.

EGO *N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. data die 31. Maii ann. 1653. & Conſtitutioni Alexandri VII. data 16. Octobris ann. 1656. Summorum Pontificum me ſubjicio, & quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen* AUGUSTINUS, *excerptas, & in ſenſu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro; ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia*.

Notandum eſt II. aliquem poſſe ſe habere ad propoſitiones triplici modo: Primo quidem eas condemnando ut hæreticas ſecundum ſe ſumptas: Secundo, eas damnando in ſenſu a Summis Pontificibus attributo, ſed non in ſenſu auctoris. Tertio, eas abnuendo etiam in ſenſu obvio quem præ ſe ferunt, ſed non ut ſunt Janſenii textus.

Notandum III. aliquid dici revelatum tripliciter I. immediate, ſic eſt Evangelium. II. Mediate & conſequenter, talis eſt iſta propoſitio, *Præcepta Dei ſunt impoſſibilia*, quia opponitur iſti quæ eſt immediate revelata, *præcepta ſunt poſſibilia*. Eo enim ipſo quo iſta de fide eſt, per neceſſariam conſequentiam illa tamquam erronea declaratur in Scriptura. III. Mediate ſolum in genere v. gr. eſt de fide quod textus Vulgatæ ſit genuinus, quia promiſit Chriſtus Eccleſiæ infallibilitatem, ne erret circa ea quæ fidem & religionem ſpectant. His ſuppoſitis ſit,

CONCLUSIO.

Fideles utriuſque ſexus tenentur ſubſcribere ex animo, & ſincere formulario, & ſine reſtrictione mentali.

Probatur iſto efficaciſſimo argumento.

ALEXANDER VII. præbuit Formularium ab omnibus ſubſignandum: Igitur omnes bona fide debent ſubſcribere Formulario.

Probatur conſequentia auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

OMNES tenentur obedire fincere & ex animo Eccleſiæ aliquid præcipienti, juxta illud Chriſti Matthæi 18. verſ. 16. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Immo præcipit Chriſtus obedire ipſis Scribis & Phariſæis in his quæ religionem ſpectant. Sic enim habetur ibidem cap. 23. *Tunc Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad Diſcipulos ſuos dicens: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere*. Unde Paulus Hebr. 13. verſ. 17. ait: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*: quod autem loquatur de his quæ ſpectant Religionem, verba ſubſequentia declarant: *Ipſi enim*, inquit, *pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Idem Apoſtolus totum hoc momentum aureis verbis & ſententiis concludit, Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt; itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*. Certum eſt Spiritum ſanctum fugere fictum: certum eſt eum præcipere obedientiam Eccleſiæ; certum utique eos qui non obediunt poteſtatibus, Dei ordinationi reſiſtere; immo Chriſtus vult illos haberi ut Ethnicos & Publicanos: Igitur non licet diſſimulare: Igitur non ponderat ſilentium reſpectuoſum, quia omnes tenentur audire Eccleſiam docentem, & illi credere: Igitur omnes ſub pœna peccati mortalis & damnationis debent ſincere, & ſecundum omnem Eccleſiæ intentionem ſubſcribere Formulario.

Secundo, ex Traditione.

QUOD uſus & traditio obtinuit in materia religionis, ab omnibus ſub pœna peccati graviſſimi tenendum eſt: Atqui uſus ſubſcribendi tum librorum erroribus refertorum, tum ipſorum Hæreticorum damnationi ab omni ævo obtinuit: Igitur omnes Fideles tenentur ſubſcribere ſincero animo, & omni depoſita ſimulatione, formulario. Probatur minor factis omni exceptione majoribus.

Factum Arii & ejus Thaliæ.

DISCUSSA Thalia Arii, in qua quidem diverſæ ſcatebant adverſus Filium Dei blaſphemiæ, ipſe a Patribus primi Concilii Nicæni ſimul & ejus Thalia proſcripta ſunt. Sic ſcribit S. Athanaſius epiſtol. ad Serapionem: Sic Socrates libr. 1. cap. 8. Sic Sozomenus libr. 1. cap. 2. ſed & Patres Synodici omnes Arii aſſeclas ejus damnationi & proſcriptioni Thaliæ ſubſcribere compulerunt, ut habetur apud S. Athanaſium libr. de Decretis Concilii Nicæni, pag. 216. 211. & 212. Idem refert Socrates lib. 1. cap. 8. ubi de Arianis loquens ait, ipſos ne ab Eccleſia ejicerentur, ſuum huic damnationi addidiſſe calculum: "Et libello, *inquit*, qui ,, unanimi omnium conſenſu conſcriptus ,, fuerat, propria manu ſubſcripſerunt. ,, Libello videlicet condemnationis.

Obſerves velim, omnes Synodicos Patres ſubſcripſiſſe condemnationi juris & facti, ſi quinque Præſules excipias, qui abſque mora propter contumaciam damnati ſunt, & degradati a Concilio; tùm & juſſu Conſtantini Magni exularunt. Euſebius vero Nicomediæ, Theognis, & Maris Epiſcopi tanto anathemate perteriti ſubſcripſerunt: ſed dubio-procul mente verſipelli id fecerant; hinc paulo poſt cum Arianis communicarunt, quo quidem cognito, ut ſcribit Socrates libr. 1. cap. 8. in exilium amandati, tædio poſtea pene confecti libellum obedientiæ ad Patres, qui adhuc Nicææ vel propinquis locis aderant, miſerunt, eos deprecantes ut eorum libertatem ab Imperatore obtinere dignarentur. In hoc conteſtabantur libello ſe quidem bona fide ſubſcripſiſſe damnationi Thaliæ, minime vero Arii, quem catholicum arbitrabantur. Factum igitur dogmaticum lubentius damnantes, perſonam dumtaxat ſalvare ſatagebant, ita tamen ut vel ipſum Arium proſcribere parati eſſent, ſi Patres hoc utique æquum ducerent. Socrates lib. 1. cap. 17. de hoc momento ſic loquitur: "Significamus vo- ,, bis nos fidei quidem ſubſcripſiſſe, ana- ,, themati vero noluiſſe ſubſcribere, non ,, quod fidem reprehenderemus, ſed quia ,, minime credebamus iſtum, qui accu- ,, ſatus fuerat, ejuſmodi eſſe..... quod ,, ſi perſuaſum fuerit veſtro Concilio A- ,, rium talem eſſe qualis accuſatur, non ,, repugnantes, ſed conſentientes his quæ ,, a vobis decreta ſunt, etiam hoc libel- ,, lo conſenſum noſtrum confirmamus. ,,

Dominus Abbas Fleury tom. 3. Hiſtor. Eccleſ. lib. 11. pag. 159. ad annum 325. ſcribit Conſtantinum magnum propter perfidiam Euſebii, Theognis, & Maris, exaſperatus eos in exilium apud Gallias tribus poſt abſolutam Nicænam Synodum completis annis miſiſſe, ubi tribus circiter annis commorati ſunt.

Non deſunt qui non ſine perverſa intentione factum iſtud abnegare velint, dicendo Socratem vera in hoc non dixiſſe; at, ſi deceptus in epoca temporis quo libellus pœnitentiæ Epiſcoporum oblatus eſt Conſtantino, citra dubium vera quantum ad libelli oblationem propalavit: ſic propugnat Valeſius in cap. 17. Socratis. Quid plura adjiciam? Vel ipſa Synodus Alexandrina ann. 339. adunata in ſua Epiſtola Synodica hanc commemorat Præſulum retractationem. De eodem libello mentionem facit Theodoretus lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 8.

Ex his liquet non eſſe in Eccleſia novum exigere a fidelibus Formularii pro fide tenenda ſubſcriptionem, contradicentes vero præmaturis veterum hæreticorum innodari cenſuris, dum eorum veſtigiis inſiſtentes, Eccleſiæ ea qua par eſt reverentia ſincere Formulario hæreſim Janſenianam anathematibus feriente, obedire abjudicant.

Non una erat circa libros Origenis apud doctiſſimos ſententia. Vel ipſe Origenes Homil. 15. in Lev. conqueritur quod multi plures illi tribuerent nævos. Idem repetit in una quadam ad amicum Alexandriæ directa epiſtola, quæ legitur in Apol. 2. quam Sanct. Hieronymus adverſus Ru-

Rufinum conſcripſit. Didymus bonum ſenſum iis omnibus quæ de SS. Trinitate ſcriptis mandaverat Origenes, exhibere non dubitabat, ut in eadem Apologia cap. 4. legitur. Rufinus ejuſdem erat labii, contendens ea omnia quæ contra fidem in libris Origenianis reperiebantur, molitione hæreticorum fuiſſe diſſeminata: contrarium propugnabat S. Hieronymus. Tandem, cauſa delata ad Anaſtaſium Papam, libri Origenis a ſummo Pontifice, tum & a Concilio Alexandriæ juſſu illius adunato ann. 399. proſcripti ſunt; ut habetur apud Hieronymum lib. 3. Apol. contra Rufinum cap. 3. Socratem lib. 6. cap. 7. & 10. Sozomenum lib. 8. cap. 41.

Neque vero ſatis habuit Eccleſia libros Origenis proſcribi; ſed vix proſcripti, voluit ut diſcipuli Origenis eorum condemnationi ſcripto ſuum adderent calculum. Hinc ſanctus Hieronymus in ſua ad Pammachium epiſtola ſuo perſtringit ſtylo cenſorio eos, qui non niſi mente verſipelli ſubſcribebant: " Hoc vel maxime, „ ne quando contra auctorem ſuum eorum „ ſcripta teneantur, facile dicunt cum „ juramento, quod poſtea alio ſolvant „ perjurio: ad ſubſcriptionem tergiver- „ ſantur. „ Scribit etiam Sozomenus lib. 8. cap. 92. & 13. eos, qui nolebant huic ſubſcribere anathemati, in ſuſpicionem hæreſeos tunc veniſſe. Socrates lib. 6. cap. 7. refert S. Joannem Chryſoſtomum abſtinuiſſe a duobus Nitriæ monachis, eo quod librorum Origenis damnationi ſuo ſigno manuali obſignare nollent. Ab eiſdem ait Binius in notis ad Concilium Alex. ea de cauſa S. Baſilius divulſus eſt. Quinimmo, Juſtinianus Imperator epiſt. ad Mennam Patriarcham CP. injungit ei adunare Synodum, in qua quidem cautum eſſet & definitum, neminem, aut Epiſcopum, aut Abbatem inaugurari donec textum Origenis proſcriptioni ſubſcriberent.

Diceres: Congreſſus quondam pro condemnatione librorum Origenis factos, noſtris temporibus ex integro renovari: Scatebant errores in voluminibus Origenianis, nec leviores in Janſenianis reperiuntur: Graviſſimi auctores diſceptabant, alii ſenſum catholicum ſcriptis Origenis affingentes, alii e contra eos prorſus abjicietes. Sic opera Iprenſis magnas ab anno circiter 1643. movent in Eccleſia tragœdias: Patronos quidem habet, ſed multo plures adverſarios. Anaſtaſius Papa priores abjec, & acceſſit Eccleſiæ univerſalis conſenſus: SS. Pontifex Innocentius X. & Alexander VII. utique prævio maturo examine doctrinam & libros Janſenii damnarunt; Eccleſia univerſalis ſuum addidit damnationi quæſtionis juris & facti calculum: quorſum igitur non ſubſcribent Formulario ſi Catholici ſe haberi velint? ſi vero id mente verſipelli egerint, perjurii nota inuruntur, & de eis quod Hieronymus Apol. 2. contra Rufinum de Origenianis ait, dicendum eſt: " „ Hoc vel maxime nequando contra aucto- „ rem ſuum eorum ſcripta teneantur, faci- „ le dicunt cum juramento, quod poſtea „ alio ſolvant perjurio: ad ſubſcriptio- „ nem tergiverſantur &c. „

Factum Pelagii, Neſtorii, & Eutychetis, tum & trium Capitulorum.

SICUT Pelagius ſic & Cæleſtius ejus diſcipulos ſuos, quantum potuerunt, involucris errores ſubtexerunt, ita ut prior illuſerit Patribus Palæſtinis, poſterior vero Zoſimo Papæ. Sed, fraude detecta, & ipſos Hæreſiarchas, ſic ordinante Eccleſia, & facta dogmatica erroribus referta voce & ſcripto damnari ab omnibus ſtatuit. B. Auguſtinus lib. de geſtis Pelagii cap. 6. ſcribit Synodum Palæſtinam juſſiſſe vel ipſi Pelagio ſubſcribere damnationi ſuorum librorum: ſic enim Pelagium alloquuntur Patres: " Quoniam ne- „ gas te talia ſcripſiſſe, anathematiza eos „ qui ſic tenent. „ Marius Mercator in ſuo commonitorio ait actitata contra Pelagium & Cæleſtium in Epiſtola Zoſimi fuſo calamo deſcribi, tum ſubdit: " Per totum orbem miſſa, ſubſcripioni- „ bus SS. Patrum eſt roborata. „ Neque vero prætermittendum eſt S. Leonem in ſua ad Epiſcopum Aquilejenſem Epiſtola, quæ eſt ſexta novæ editionis, præcipere neminem ex Pelagianis ad reconciliationem recipi, niſi prius ante omnia damnationi librorum, tum Pelagii tum Cæleſtii ſubſcribant.

Neſtorius, ut norunt omnes, damnatus fuit in Concilio Epheſino Oecumenico, eo quod unionem Verbi cum humanitate non niſi moralem propugnaret. Citatus in

Synodo, non comparuit; ſed lecta ejus ad S. Cyrillum Alexand. Epiſtola, ubi ſcatebant errores, quæſtio & juris, & facti ſimul ſeſſione 1. anathemate animadverſa eſt.

Idem dicendum de Eutychete, ejuſque ſcriptis, qui quidem a judicio comparativo in Concilio Chalcedonenſi abjectus & condemnatus eſt. Quia vero Ægyptii Epiſcopi nolebant ſubſcribere Epiſtolæ S. Leonis, ubi Eutyches proſcribebatur, conteſtando ſe quæſtionem juris damnare, non idem tamen de quæſtione facti ſe judicare, ſed epiſtola S. Papæ ſeſſ. 4. lecta & approbata, utique & iſti facto dogmatico ſub interminatione anathematis ſubſcribere compulſi ſunt. *Epiſtolæ Leonis*, aiunt Patres, *ſubſcribant, anathematizantes Eutychetem & dogmata ejus. Conſentiant epiſtolæ Leonis, eludere nos volunt & diſſidere? Subſcribant epiſtolæ Leonis, qui non ei ſubſcribit hæreticus eſt . . . . Univerſalis hæc Synodus Ægyptiaca major eſt & fide dignior, non eſt juſtum decem hæreticos audiri, & prætermitti mille ducentos Epiſcopos.*

Demum Eccleſia voluit omnes fideles ſubſcribere damnationi trium Capitulorum: ſic refert Facundus Hermianenſis lib. 3. cap. 1. ſic S. Gregorius Magnus in ſua ſecunda ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem epiſtola l. 3. Rurſus lib. 10. epiſt. 5. idem præcepit Pelagius II. Papa; quæ tamen Capitula, vel ipſis non diffitentibus Novatoribus, erant facta dogmatica.

Incaſſum igitur ſubſcribere Formulario abnegant Janſeniſmi fautores, cum Eccleſia hoc ipſum ſub anathematis interminatione exegerit, ne hæreſis lues in perniciem animarum graſſaretur. Non enim alia via pro ſalute ſecurior adeſt, cum ſcriptis malis veluti ex cineribus ignis de novo accenſus ruinas paret & incendia, ut liquido patet ex tribus Capitulis, quæ a celebrato Chalcedonenſi Concilio Oecumenico tantas in Eccleſia unius ſæculi ſpatio movebant tragœdias, ut ſi una aut altera anathematis falce zizanias ad comburendum metere hæſiſſet Synodus quinta generalis, magna pars Orientis redivivum Neſtorianiſmum fuiſſet incaute amplexa.

Morem inoleviſſe in Eccleſia ſubſcribere factis dogmaticis Catholicis pure & ſimpliciter multa probant. Primo quidem S. Auguſtinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 8. de Pelagianis ſermonem inſtituens, ait, Pelagianos compulſos fuiſſe ſubſcribere fidei Catholicæ, de quo non ſine pervicacia querebantur: " Subſcriptionem queruntur extortam. „ Rurſus cap. ultimo de iiſdem ait: " Quid ergo eſt quod dicunt, ſimplicibus Epiſcopis, ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus, extorta ſubſcriptio eſt? „

Celeberrimum eſt pro ſubſcriptione Formularii quod actitatum eſt in 8. Concilio generali, ubi lecta eſt formula fidei Adriani ſecundi Papæ ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Legatis &c. ſubſcribenda: " Ut nullus Antiſtitum vel reliquorum Clericorum in Synodalem fuerit conventum receptus, qui non ſecundum hujus exemplar codicelli chirographum ſcripſit. „ Non minus inſigne eſt quod S. Martinus I. fecit pro hoc momento. Quippequi ad Epiſcopos Galliarum ann. 650. acta Concilii Lateranenſis adverſus Monothelitas ſubſcribenda miſerit: " Studeat, *inquit*, fraternitas tua eadem omnibus innoteſcere, ut tam abominandam hæreſim nobiſcum execrentur, atque Synodali conſenſione omnium fratrum & Coepiſcoporum noſtrarum partium illorum effecta, ſecundum tenorem encyclicæ a nobis directæ epiſtolæ, ſcripta una cum ſubſcriptionibus noſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent, confirmantes atque conſentientes, quæ pro orthodoxa fide a nobis ſtatuta ſunt. „

Eodem prorſus motivo Leo II. Papa miſit ad Patres primi Concilii Toletani acta ſexti Concilii Oecumenici, eis injungendo, ut ipſis ſuum per ſubſcriptionem adderent calculum.

Juvat quæſtionis Formularii ſubſcribendi neceſſitudinem claudere, ſeu potius roborare auctoritatibus trium Conciliorum. Primum eſt Concilium Braccharenſe ann. 563. adunatum, quod ſub anathematis incurrenda pœna præcipit, ut cuncti fideles nedum hæreſum, ſed & hæterodoxi cujuſcumque ſcriptorum damnationi ſubſcribant: " Ut quiſquis Clericus, *inquit*, vel Monachus ſive laicus tale aliquid ſentire adhuc, vel defendere fuerit deprehenſus, tamquam vere putre membrum, continuo de corpore abſcindatur Catholicæ Eccleſiæ, Beatiſſimus

„ Papa

„ Papa Urbis Romæ Leo ..... Contra impiam Priſcilliani ſectam ſcripta ſua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenſes & Carthaginenſes Epiſcopi, Luſitani quoque, & Bætici, facto inter ſe Concilio, regulam fidei contra Priſcillianam hæreſim cum aliquibus capitulis conſcribentes, ad Balearium tunc hujus Braccharenſis Eccleſiæ Præſulem direxerunt. „

Alterum eſt Lateranenſe Oecumenicum ann. 849. adunatum, in quo præcipitur anathemate animadvertere in hæreticos ſimul cum ſuis ſcriptis: “ Si quis, *ait*, ſecundum ſanctos Patres conſonanter nobis, pariterque fide non reſpuit, & anathematizat animo & ore quos reſpuit & anathematizat nefandiſſimos hæreticos cum omnibus eorum ſcriptis uſque ad unum apicem ... damnatus ſit. „

Tertium eſt Conſtantienſe, quod quidem ſeſſ. ult. Wicleſum, Joannem Hus & Hieronymum a Praga eorumque ſcripta proſcripſit. Hæc Conſtans traditio ſubſcribendi factis dogmaticis, vel Catholicis ad fidei robur, vel erroneis ad extirpandas hæreſes ſemper in Eccleſia floruit, ait R. P. Thomaſſinus appendice de Conc. Calced. pag. 470. idcirco ſubdit in antiquis Conciliis ubi ſexcentæ ultra hæreſes proſcriptæ ſunt, Patres Synodicos ſuis definitionibus pure & ſimpliciter omni ſecluſo dolo ſubſcribi voluiſſe: “ Ad hæc, *ait*, Baſilius, teſte Synodo Chalcedonenſi, conſacerdotum ſuorum elicuit ſubſcriptione conſenſum. „

Quarto, rationibus Theologicis.

PRIMA: SS. Patres docent fideles teneri obedire Conſtitutionibus Apoſtolicis: Igitur omnes tenentur ſincero animo ſubſcribere Formulario Alexandri VII. Inſtar omnium SS. Doctorum ſit S. Auguſtinus, tum & S. Proſper, Prior irridet Pelagianos qui nolebant SS. Pontificum adhærere Conſtitutionibus in materia religionis. Sic loquitur lib. 2. oper. imp. Reſp. 103. “ Non eſt bonum contra Apoſtolicum conſenſum exerere, & afferre hæreticum ſenſum. Quid adhuc examen? quod jam factum eſt apud Apoſtolicam ſedem? „ Poſterior vero in Chronichon ait: “ Poſtquam Synodalia decreta Concilii Carthaginenſis ad Zoſimum perlata ſunt, & ab eo approbata, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt. „

Secunda: Regulæ infallibili in materia Religionis tenemur adhærere: Sed Eccleſia eſt infallibilis in definiendo facto dogmatico, adeoque & in proponendo Formulario: Igitur tenentur omnes fideles & animo ſincero ſubſcribere. Minor ex profeſſo tractabitur ſuo loco: Probatur tamen in præſentiarum breviter. Eccleſia eſt infallibilis in quæſtionibus iuris definiendis: Igitur & in determinandis quæſtionibus facti dogma implicantis. Probatur conſequens variis momentis: Primo quidem, in tantum Eccleſia in quæſtionibus juris infallibilis eſt, in quantum irrefragabilitatem habet circa facta quæ dogmata continent. Et vero eatenus infallibilis eſt circa quæſtionem juris, quatenus textus Scripturæ Dei exhibet promiſſiones pro infallibilitate Eccleſiæ, adverſus quam portæ inferi non prævalebunt. II. Eiuſmodi infallibilitas in promiſſione revelata firmatur; revelatio vero habetur in textibus Scripturæ, qui ſunt facta dogmatica, unde ſi circa iſta erraret Eccleſia, neque etiam quæſtionem juris infallibiliter dirimere poſſet. III. Talis infallibilitas pro quæſtionibus juris fundatur quoque in traditione, quæ quidem traditio habetur per textus Patrum qui fidei dogmata continent. Igitur ex his omnibus liquet Eccleſiam ideo eſſe circa queſtiones juris infallibilem, quia eſt circa facta dogmatica continentia. Utraque enim infallibilitatis propoſitio convertitur: hoc eſt, infallibilitas juris revelati infert infallibilitatem facti dogmatici, ſcilicet Scripturæ; infallibilitas vero facti dogmatici, nempe Textus ſacri infert viciſſim infallibilitatem juris. Et vero ſi erraret Eccleſia in textu, nihil certi pro jure haberemus, cum jus includatur in facto, & ab eo ſit indiviſum ſaltem quoad utrumque teſtamentum quod ſcriptis habemus.

Confirmatur: Eccleſia eſt infallibilis in factis revelatis, & hoc ultro Novatores concedunt: Igitur & in aliis quæ non ſunt immediate revelata. Probatur conſequentia: Facta dogmatica neceſſariam habent relationem ad revelata, ſive per modum conformitatis & acceſſus, ſive per modum difformitatis & receſſus: Igitur eo ipſo quo Eccleſia eſt infallibilis in pre-

proponendo iſtud factum revelatum in Evangelio: Verbi gratia, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*: eſt quoque in proſcribendo iſtum Manichæi textum, *Deus eſt malus*; quandoquidem immediate opponitur textui revelato.

Tertia: In quæſtione facti dogma complectentis non attenditur intentio quam auctor potuit habere interius, neque utrum textus ſit talis, vel talis hominis, ſed ſolummodo ſenſus propoſitionis obvius. Verbi gratia: iſte hujuſce propoſitionis Calvini & Janſenii, *Præcepta ſunt impoſſibilia*; Grammaticus judicat ad litteram de ſenſu comparato ad textum, & ſic ſimpliciter reddit, *Præceptum eſt impoſſibile*: Eccleſia vero inſuper definit iſtam propoſitionem eſſe hæreticam, quia eſt immediate oppoſita iſti revelatæ, *Mandatum meum non eſt ſupra te*: Igitur eo ipſo quo Eccleſia proſcribit aliquod factum dogmaticum, tenentur fideles ſubſcribere damnationi.

Quarta: Non licitum eſt in materia religionis diſſimulare: Sed teſte Apoſtolo Phil. 2. unuſquiſque tenetur captivare intellectum ſuum in obſequium fidei: Igitur omnes tenentur ſub pœna peccati gravioris ſincere ſubſcribere Formulario, cum in eo agatur de materia religionis, & de condemnatione propoſitionum quæ fidei adverſantur.

Dirimuntur futiles Novatorum in peccatis excuſationes.

OBJICIUNT: Non eſt neceſſe obſignantes Formularium certiores eſſe propoſitiones eſſe in libro Janſenii; neque vero Eccleſiam in hoc momento determinando eſſe infallibilem; conſequenter ſufficere quod fideles propter Eccleſiæ auctoritatem ſubſcribant, ſervando ſilentium, contrarium ſcriptis, aut verbis non propugnando; ſed neque obſtare quominus de libro Janſenii credant quid quid voluerint. Confirmatur: Facultas Pariſienſis licet non infallibilis, obſtringit tamen ſuos Baccalaureos jurare ſe Immaculatam B. Mariæ Conceptionem colere: Igitur a pari licet Eccleſia non ſit infallibilis circa textus, poteſt tamen obligare fideles ut ſubſcribant Formulario.

Reſpondeo I. Concedendo fideles teneri, vel ex ſola erga Eccleſiam obedientia ſubſcribere Formulario, ſed ſincere, quia ſic præcipit: quocirca ſilentium reſpetuoſum non ſufficit, ſed inſuper neceſſe eſt propoſitiones erroneas intus damnare.

Reſpondeo II. Eccleſiam debere eſſe certam certitudine Theologica & infallibili ad exigendum juramentum in materia fidei, cui non poſſet ſubeſſe falſum: alias perjuro exponeret fideles. Præterea argumentum non probat aliquem poſſe cum juramento Formulario ſubſcribere ficte & ſimulato animo.

Ad confirmationem dico, argumentum nihil urgere. Quinimmo, ſi ſacra Facultas Pariſienſis poteſt ſuos Baccalaureos obligare ut jurent, & ſincero animo ſpondeant tenere & docere Immaculatam Deiparæ Conceptionem, quid ni poterit Eccleſia obligare fideles cum juramento, & ſincere ſubſcribere Formulario?

Reſpondeo III. negando paritatem, quia Facultas aliquos poteſt ſibi adſcire diſcipulos ſub certis conditionibus, quæ ſi deſint, eos non recipiet, ſed non ad docendum tantum, verum etiam obligat Eccleſia fideles ad credendum iis quæ proponit circa fidem & religionem.

Inſtant: Epiſcopi in ſuis mandatis pro recipiendis ſummorum Pontificum decretis, non proponunt fidem pro objecto, ſed obedientiæ meritum. Igitur modo fideles ſubſcribant, ſatisfaciunt præcepto, maxime ſi nihil contrarium dicant. At vero poſſunt interius ſentire librum Janſenii eſſe Catholicum abſque injuria & offenſa erga ſuperiorem. Sic ſervus obediendo Domino ſuo ſatisfacit, quamvis interius ſentiat quod fecit, non eſſe de meliori bono. Confirmatur: Clerus Gallicanus videtur recepiſſe ſummorum Pontificum Conſtitutiones potius propter ſummam erga Regem reverentiam, quam fidei & religionis motivo.

Reſpondeo diſtinguendo: Epiſcopi pro recipiendis Apoſtolicis Conſtitutionibus obedientiam Religionis & ex corde, qualis debetur pro rebus fidem ſpectantibus, tamquam motivum proponunt, concedo: obedientiam pure civilem, nego. Duplex obedientia diſtinguenda eſt: altera interior & Religionis, altera exterior & civilis. Prima a corde & ab anima captivante intellectum in obſequium fidei procedit, & talis debetur ſuperiori ſupremo proponenti & jubenti aliquid ad religio-

gionem pertinens : altera exigit ſolum ſervitium , & quod aliquid fiat , abſtrahendo ab intentione qua fiat. Qui igitur ſubſcriberet Formulario , ſerio quidem , ſed interius nihil credendo , non ſatisfaceret obedientiæ , quia obedientia illa ſpectat religionem & animarum ſalutem .

Ad confirmationem dico , argumentum eſſe excuſationem in peccatis : quaſi vero 80. Epiſcopi contra propriam conſcientiam alterius Epiſcopi memoriam dilacerare , doctrinam a multis & Doctoribus , & etiam Eccleſiæ proceribus publicatam & propugnatam proſcribere voluerint , ut ſatisfacerent Regi Chriſtianiſſimo , qui in nullo Janſenium & ſuos timens , ſolo fidei zelo , ut decet Filium Eccleſiæ dilectiſſimum , ſuis legibus religionem Chriſti contra impugnantes illibatam ſervare decrevit . Socrates lib: 1. cap. 8. refert Arianos ad ſimilia recurriſſe auſugia . Et vero ut anathemata ab Arii doctrina impia averterent , dixerunt Patres Nicæni Conciiii vocem *omouſion* addidiſſe Symbolo in gratiam Conſtantini Imperatoris qui hoc exigere videbatur . Solo igitur fidei & religionis motivo , patrocinante Rege fidei protectore , Clerus ſuſcepit pro more majorum conſtitutiones Apoſtolicas , quia Janſenii doctrinam Scripturæ & traditioni adverſam juſte condemnabant .

Replicant : Clerus Gallicanus non agnoſcit inſallibilitatem Eccleſiæ circa textus : Igitur textus non ſpectat fidem & religionem , adeoque nullus tenetur ex obedientia religionis ſubſcribere Formulario , ſed ſolum extrinſece , pro bono pacis & œconomiæ cauſa . Probatur Antecedens . I. Duæ Epiſcoporum Galliæ Congregationes habitæ anno 1654. & 1656. non probant deciſiones Eccleſiæ circa textus eſſe infallibiles . II. Anno 1681. Epiſcopi iterum Pariſiis congregati approbarunt librum Domini Gerbay Doctoris Sorbonici , qui ſub calculo munivit Epiſtolam novemdecim Epiſcoporum qui ſimilia dicunt . Ergo &c.

Reſpondeo Clerum Gallicanum anno 1654. & 1656. agnoviſſe infallibilitatem Eccleſiæ , quia provocavit ad ſummum Pontificem pro negotio Janſeniſmi , ut ab univerſali Eccleſia proſcriberetur .

Reſpondeo ad ſecundum cum Illuſtriſſimo Trecenſium Epiſcopo , Clerum Gallicanum approbaſſe librum *ſolum circa duo. Primo quidem circa iſtam propoſitionem , Epiſcopi jus habent pronunciandi in materia fidei & diſciplinæ , ſecundo vero circa iſtam : Epiſcopi judicari debent ab Epiſcopis ſuæ Provinciæ .* Verum neutiquam illum approbavere quoad omnia . Unde notat Trecenſis Præſul Innocentium X. notam inuſiſſe libro : " *Non inquit propter duo illa puncta , ſed quia in refellendis difficultatibus incaute quædam dixit ; unde injungimus ei ut novam editionem faciat . In qua emendabit ea quæ notabunt examinatores .*

Urgent : Novemdecim Epiſcopi in ſua Epiſtola , ſic ſcribunt : *Novum & inauditum apud nos nonnulli dogma protulerunt , Eccleſiæ nempe decreta , quibus quotidiana , nec revelata divinitus facta deciduntur , certam & infallibilem continere veritatem .* Igitur rejiciunt infallibilitatem Eccleſiæ circa textus , adeoque ſufficit obedire civiliter & extrinſece ſubſcribendo Formulario .

Reſpondeo I. Non eſſe quid novum Eccleſiam damnare doctrinam , Scripturæ ſacræ & traditioni contrariam , quotieſcumque datur occaſio , cum ad hoc infallibilem a Chriſto acceperit judicandi poteſtatem .

Reſpondeo II. Dato & non conceſſo aliquos recrudeſcere adverſus Eccleſiæ infallibilitatem circa textus , magis credendum Conciliis , magis Auguſtino , Proſpero , Gregorio , & aliis pluribus qui contraria tenent. III. Diſtinguo : Et loquuntur Epiſcopi de factis perſonalibus , concedo ; nam citant Baronium , Bellarminum , Cardinalem Palavicinum : de factis dogmaticis , nego . Enim vero anno 1656. agnoverunt textum Janſenii eſſe quæſtionem juris , ſiquidem involvit dogma : & omnes Formulario ſubſcripſerunt .

Reponunt : Qui ſubſcribere formulario abnegat , non ideo eſt hæreticus , nihil quippe contra fidem facit . Et probatur : Non eſt de fide textum Janſenii eſſe hæreticum , & textum talis perſonæ , ſcilicet Janſenii : Igitur nullus tenetur jurare textum eſſe hæreticum & pertinere ad Janſenium .

Reſpondeo I. Dato & non conceſſo textum non ſpectare fidem , omnes tamen tenentur ſubſcribere ſincere , damnando textum ut hæreticum , quia hæc omnia Eccleſia , cui obedire debent , exigit &

vult ſiquidem ad illam pertinet proponere credenda, & pro morum inſtitutione obſervanda; tum & ſecernere bona paſcua a malis & venenatis. Unde Bellarminus, Suarez & communiter Theologi tenent & docent Eccleſiam eſſe infallibilem pro his omnibus quæ pertinent ad fidem & mores: alias, inquiunt, prævalerent adverſus eam portæ inferi, ſi in aliquo ex his deficeret.

Reſpondeo II. Dictum eſſe ſupra pertinere ad fidem, textum libri, qui dicitur Janſenii, eſſe hæreticum: eſſe vere talis perſonæ, factum purum eſt: ſed cum Janſenius ipſe textum tamquam ſuum agnoverit in Epiſtola ſua quam conſcripſit ad Urbanum VIII. cum novatores hunc & Pariſiis & Romæ, tamquam Janſenii defenderint; omnes tenentur damnare ejuſmodi textum tamquam proprium Janſenii Iprenſis fœtum. Cæterum eſt de fide Eccleſiam eſſe infallibilem circa quęſtionem juris: Igitur & conſequenter circa factum reduplicative ut dogmaticum, quia ut ſic dogma complectitur.

Reſpondeo III. diſtinguendo: Qui non vult ſubſcribere Formulario non eſt hæreticus, ſi damnet quinque propoſitiones, & ipſum textum ſecundum ſenſum obvium, concedo: ſecus, nego. Et vero eſt de fide præcepta eſſe poſſibilia: Igitur prima propoſitio eſt hæretica, quia dicit eſſe impoſſibilia. Jam vero qui iſtam damnare propoſitionem renuit, dicit & propugnat præcepta eſſe impoſſibilia, ergo & ipſe ut hæreticus habendus eſt. Cæterum qui ſubſcribere Formulario renuit, in ſuſpicionem hęreſeos venit; tum quia fidem tempore quo præceptum urget, confiteri abjudicat: tum quia erroribus in Formulario proſcriptis adhærere cenſetur.

Oſtenditur definitionem Eccleſiæ circa factum dogmaticum ſpectare, ſaltem ſecundario, fidem.

HOC variis poſſet illuſtrari factis & exemplis.

Primum, ex actibus Apoſtolorum cap. 15. deſumitur. Ibi quæſtio movetur tantummodo de quibuſdam cæremoniis, pro cujus reſolutione ſic pronuntiant Apoſtoli: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria. ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, a ſuffocato, & ſanguine.* Qua quidem ſententia declarat Concilium ſe hoc definire momentum tamquam de fide, tametſi non videatur eſſe de fide immediata, modo abſtinere a ſuffocato & ſanguine, modo non. Apoſtoli quaſdam reſciudunt legis cæremonias, ut circumciſionem; quaſdam vero relinquunt, uti abſtinentiam a ſuffocato & ſanguine, qui tamen ritus etiam decurſu temporum abolitus eſt; quia vero de fide eſt datam fuiſſe a Chriſto Apoſtolis, diſpenſandi de cæremoniis poteſtatem; etiam reſciſſio quarumdam cæremoniarum, vel tolerantia ad tempus, ad fidem ſaltem indirecte pertinere quis diffitebitur? cum ejuſmodi definitio a Spiritu ſancto procedat, dicentibus Apoſtolis: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis a ſuffocato, & ſanguine.*

Secundum: Felix Papa dum exauctorat Achacium Patriarcam Conſtantinopolitanum, dicit illum eſſe judicio Spiritus ſancti exauctoratum, epiſt.6. tom.4. Conc. p. 1C7.

Tertium: Percelebre exemplum in Concilio Chalcedonenſi legitur, actione 8. ubi Theodoretus ſanam profitetur de incarnatione Dominica fidem, his verbis p. 10. Typographiæ Regiæ: *Theodoretus Reverendiſſimus Epiſcopus dixit: Ego per Dei gratiam ab Orthodoxis ſum nutritus, & orthodoxa ſum edoctus, & orthodoxe prædicavi, & non ſolum Neſtorium & Eutychen, ſed & omnem hominem qui recte non ſapit averſor, & alienum exiſtimo.* Verum ultra ab ipſo exigit ſancta Synodus ut damnet & doctrinam in textibus Neſtorii contentam, & ipſum Neſtorium; ſic enim ibidem habetur: *Et cum dicere, Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt, dic aperte anathema Neſtorio.* Quia vero non ſatis clare & textus, & auctorem proſcribebat Theodoretus, clamaverunt Patres: *Iſte hæreticus eſt, iſte Neſtorianus eſt: hæreticum foras mitte.* Tunc ulla abſque mora obtemperans Theodoretus, dixit: *Anathema Neſtorio, & ei qui non dicit, Dei genitricem Virginem Matrem, & qui in duos filios partitur unum Filium unigenitum.*

Tum vero actum eſt de reſtitutione Theodoreti in ſuam ſedem; omnibus vero æqua lance ponderatis, ſic definiunt & conclu-

concludunt Patres Synodici : *Theodoretus dignus eſt ſede , Eccleſiæ Orthodoxum , Eccleſia Paſtorem recipiat : Orthodoxum Doctorem Eccleſia recipiat : Theodoretus dignus eſt ſede . . . . . . Populus Orthodoxum recipiat dignum ſua ſede , Theodoreto catholico Doctori reddatur Eccleſia* . Rurſus ibidem pag. 13. hæc habetur : *Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt , hoc juſtum judicium , hæc juſta ſententia , hoc Chriſti judicium , his & nos conſentimus , hæc omnes dicimus* .

Certe qui definit aliquem eſſe hæreticum, definit aliquid ad fidem pertinens; in eo enim ſenſu aliquis declaratur hæreticus quod aliquam propugnet doctrinam fidei contrariam : Atqui Concilium declarat Theodoretum hæreticum quatenus doctrinam uti Neſtorii , & ipſum Neſtorium damnare renueret : Igitur ſaltem factum dogmaticum reductive ſpectat fidem .

Rurſus : Quod declarat Chriſtus , ſpectat fidem , cum ſit fidei noſtræ conſummator : Atqui ex Concilio Chalcedonenſi , non ſolum Patres , ſed ipſe Chriſtus definit Theodoretum eſſe Orthodoxum , eumdem in ſedem propriam reſtituendum : Igitur facta religionem ſpectantia reducuntur ad fidem.

Quid plura , factum dogmaticum reſolvitur in quæſtionem juris , & quidem dupliciter . I. Ex parte Eccleſiæ , quæritur utrum ſit infallibilis ? II. Ex parte facti dogmatici , expoſtulatur , num dogma in aliquo textu contentum , ſit fidei conforme vel difforme , verb. gratia iſtud quod prima propoſitio Janſenii exhibet : *Quædam præcepta ſunt impoſſibilia , etiam juſtis conantibus , deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant* . Atqui Eccleſia definit quænam dogmata ſint de fide , quænam contraria ; Atqui factum ſeu textus inſeparabilis eſt a dogmate : Igitur factum , ſaltem ſecundario ſpectat fidem .

Tertium : Omni exceptione majus factum , eſt Vulgata : nemo non novit Concilium Tridentinum declaraſſe eam eſſe authenticam, & certe , ſi non pertineret ad fidem , actum foret de ipſa fide , cum de fide credamus quidquid continet : at, ſi non eſt de fide , ſaltem ſecundario Vulgatam eſſe authenticam, nec quoque ea quæ continet ſunt de fide, cum eis poſſit ſubeſſe falſum . Igitur facta dogmatica ſunt objectum ſecundarium fidei. Namque ut exemplo Vulgatæ inſiſtamus , non eſt de fide immediate revellatum iſtud factum, cùm Vulgata ſit ex Italica & verſione S. Hieronymi complexa . Cæterum facta dogmatica ab Eccleſia definita , vel fide humana & naturali credi debent , vel ſupernaturali : non prima , alias eſſent fallibilia . Igitur altera , adeoque *de fide mediate & indirecte* .

Non abs re erit annotare triplicem poſſe diſtingui fidem ; videlicet unam Divinam, alteram Theologicam , tertiam Eccleſiaſticam . Prima, ea cenſetur quæ eſt de his quæ immediate revelata ſunt in Scripturis Canonicis . Secunda , eſt concluſio Theologica quæ ex una aut altera præmiſſa de fide infertur, unde radicem habet in fide divina , nonniſi tamen mediate de fide dicitur . Fides Eccleſiaſtica, eſt Eccleſiæ circa aliquod momentum non revelatum conſenſus , uti eſt œcumenicitas Concilii Tridentini , Vulgatæ authenticitas ; tametſi enim aliquæ mendæ in ea propter varietatem lectionum & textus originalis diverſas expreſſiones adinveniri poſſint ; illæ tamen mendæ leviores ſunt ponderis ut mutationem eſſentialem in textum originalem inducant . Hinc veram & ſanam , genuinamque auctorum Canonicorum doctrinam in Vulgata contineri declaravit ſacra Synodus Tridentina .

Ultro fatemur facta quædam dogmatica, quæ circa hæreticitatem trium v. g. Capitulorum , librorum Vvicleffi , Baji , Janſenii Eccleſia definivit , qualificavit & damnavit, non eſſe de fide divina , cum ejuſmodi textus proſcripti , neque immediate revelati ſint , neque in divinis contineantur Scripturis . Talia tamen facta definita ad fidem Theologicam catenus pertinere dici poteſt , quatenus Theologi hæreticitatem veram eſſe inferunt ex definitione Eccleſiæ , quæ propter Chriſti promiſſionem circa religionis momenta errare non poteſt . Denique facta dogmatica eſſe de fide Eccleſiaſtica nemo niſi inobedientiæ & rebellionis atque ſchiſmatis reus negabit : grande quippe nefas foret, aliquid ad religionem ſpectans in dubium revocare , quod univerſalis Eccleſiæ affirmat conſenſus .

Cæterum , Si te angat benevole Lector ea facta dogmatica definita dicere de

fide,

fide, eo quod non ſint immediate & in ſe revelata, concedas velim ſaltem eſſe certa certitudine ſupernaturali, cui non poteſt ſubeſſe falſum : alias qua ratione diceret Eccleſia ex Cathedra loquens : *Viſum eſt enim Spiritui ſancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria : ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato.*

Quo ſcopo & fine Felix Papa loquens de Acacii exauctoratione epiſtol. 6. tom. 4. Conc. pag. 107. aſſerit eum eſſe a Spiritu ſancto ab Epiſcopatu depoſitum, & a gradu Clericali dejectum? Quo jure Concilium Chalcedonenſe reſtituendo Theodoretum in ſuam priſtinam ſedem ſic pronuntiat : *Hoc Chriſti judicium?*

Extat ejuſdem auctoritatis percelebre exemplum in Concilio ſecundo Nicæno Act. 7. p. 609. in epiſt. Synodica ad Conſtantinum Imperatorem & Irenem ejus Matrem, in qua ſic loquuntur Patres : “ His ergo ſic comprobatis, veraciter & incunctanter eſſe coram Deo acceptum & beneplacitum conſtat, imaginales formationes diſpenſationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & intemeratæ Dei genitricis Mariæ, ac honorabilium Angelorum, & omnium Sanctorum, adorare & oſtentari. Et quiſquis ſic ſe non habuerit, ſed diſceptaverit, vel etiam elanguerit erga venerabilium imaginum adorationem, hunc anathematizat ſancta noſtra univerſalis Synodus, quæ munita eſt divini Spiritus operatione. „ Quibus ultimis verbis Patres credunt Spiritum ſanctum aſſiſtere definitioni : Igitur fide innixam ſuam definitionem, adeoque certitudinem induere ſupernaturalem autumant.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Omnes fideles tenentur ſubſcribere Formulario.

PRIMO : Hanc obedientiam commendat Scriptura ſacra, Matth. 18. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Rurſus Hebr. 13. *Obedite præpoſitis.* Et iterum Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.*

Secundo : Eamdem firmat traditio. Concilium Nicænum I. injunxit ſubſcribere condemnationi Arii & Thaliæ. Anaſtaſius, librorum Origenis : quinta Synodus Generalis, trium Capitulorum.

Tertio : SS. Patres docent fideles teneri Conſtitutionibus Apoſtolicis, maxime quia ſunt fidei regulæ; ſicut enim Eccleſia infallibilis eſt in quæſtionibus juris, ita & in quæſtionibus facti dogmatici definiendis, quandoquidem factum hujuſmodi jus implicat. Ceterum ſubſcribendum eſt bona fide, nuſquam vero mente verſipelli, cum non licitum ſit in materia religionis diſſimulare.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO : Non ſufficit in materia religionis, ſilentium reſpectuoſum; cum enim formularium ad fidem ſervandam, & probos mores inſtituendos ſpectet, cuilibet ei ex animo ſubſcribere tenetur : ſin minus non ſatisfaceret præcepto.

Secundo : Tametſi Præſules proponendo ſubſcriptionem Formularii, per ſe primo intendant obedientiam Eccleſiæ reddi, ſecundario tamen eo fine mandant obſervari Conſtitutiones Apoſtolicas, ut fides augeatur, vel ſaltem ab incurſione malorum ſervetur incolumis.

Tertio : Qui ſubſcribere Formulario abjudicat, in ſuſpicionem hæreſeos venit, maxime propter duo. Primo quidem, fidem confiteri tempore quo urget præceptum, non vult. Secundo, cenſetur profiteri errores in Formulario proſcriptos.

CONTROVERSIA SECUNDA.

De Doctrina Eccleſiæ circa materiam Quinque propoſitionum.

JANSENIUS & ſui exiſtimant quinque propoſitiones continere doctrinam tum Scripturæ ſacræ, tum Patribus omnino conformem, & nihil fundatius in his reperiri : ſed contra quod dicit S. Stephanus Papa in Epiſtola Decretali : *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt.*

Hæc

Digitized by Google

Hoc veritatem quinque argumentis probatur adverſus negantes.

PRIMO: Quia omnia Dei præcepta omnibus ſunt poſſibilia.

Secundo: Quia de fide eſt hominem poſſe reſiſtere gratiæ interiori.

Tertio: Quia libertas eſſentialiter conſiſtit in indifferentia activa.

Quarto: Quia Semipelagiani non admiſerunt gratiam ad initium fidei, nec fuerunt hæretici in hoc quod dicerent hominem poſſe reſiſtere gratiæ.

Quinto: Quia Chriſtus mortuus eſt pro omnibus & ſingulis hominibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum quædam Dei præcepta ſint impoſſibilia.

PRÆCEPTUM tribus modis intelligi poteſt alicui impoſſibile. I. Ita ut ille non obſervando præceptum, non peccet, ut ſi quis in extremis conſtitutus Sacramenta non ſuſcipiat. II. Ita ut aliquis illud non obſervando peccet, licet nullas pœnas luat, eo quod hujuſmodi peccatum non imputatur: hoc ſenſu Calviniſtæ dicunt illud præceptum, *non concupiſces*, etiam de concupiſcentia involuntaria intellectum, obligare ſub pœna peccati, nec poſſe etiam a ſanctis viris obſervari in hac vita, omnes tamen pro tali peccato non eſſe puniendos. III. Ita ut qui mandatum non obſervat, peccet, & propter prævaricationem ſit puniendus: eo modo Janſenius docet aliquando quibuſdam juſtis præcepta aliqua ad obſervandum impoſſibilia eſſe, & eſt prima propoſitio damnata: quæſtio procedit juxta hunc tertium ſenſum: Unde ſit contra Janſenium.

CONCLUSIO.

Mandata Dei nulli ſunt impoſſibilia.

POSSIBILE dupliciter dicitur. I. Viribus naturæ. II. Viribus gatiæ. Certum eſt præcepta Evangelica ſolis naturæ viribus non poſſe ab hominibus adimpleri, niſi potentia remotiſſima; quatenus homo habet ad hoc liberum arbitrium. Quoniam vero, dictum eſt gratiam nulli deeſſe qua mandata ſiant poſſibilia, ideo dicimus nulla præcepta eſſe homini impoſſibilia.

Probatur auctoritate, & ratione.

PRIMO, ex Scriptura ſacra. Deut. 3. habetur: *Mandatum quod ego præcipio tibi non eſt ſupra te*. Mat. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. 1. Cor. 10. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*: Quem locum S. Thomas, ſic explicat: " Cum dicit, Fidelis Deus, oſtendit paratum adjutorium in tentatione, ubi commendat Deus adjutorium, quia dat nobis reſiſtendi potentiam. " Unde ſic argumentor.

Deus alloquens Judæos, inter quos plurimi erant peccatores, dicit tamen mandatum ſuum non eſſe ſupra Iſrael: Chriſtus etiam loquens omnibus tam fidelibus quam peccatoribus, juſtis & improbis, dicit ſuum jugum ſuave: ipſe Apoſtolus ſcribens ad Corinth. inter quos etiam quidam erant juſti, quidam vero mali, ait tamen, quod Deus non permittet eos tentari ſupra id quod poterant. Igitur præcepta Evangelica nulli ſunt impoſſibilia, alias mandatum Dei eſſet ſupra Iſrael: jugum Chriſti non foret ſuave, & Deus permitteret homines tantari ſupra id quod poſſunt; hoc autem non poteſt fieri, quia, inquit S. Th. per hæc verba Apoſtolus oſtendit paratum eſſe ſemper adjutorium, ut præcepta poſſibilia ſiant, & ut ſupra dictum eſt ex eodem ſancto Doctore, gratia novi Teſtamenti dat omnibus auxilium ſufficiens ad præceptum obſervandum, & ideo prævaricator Legis reus eſt culpæ & pœnæ.

Secundo: ex ſummis Pontificibus. S. Pius V. Gregorius XIII. hanc damnaverunt Baji propoſitionem: *Hac ſententia: Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit*. Urbanus VIII. Innocentius X. & XII. Alexander VII. Clemens IX. & XI. damnaverant unanimiter primam Janſenii propoſitionem, & hæreticam declaraverunt. Ergo præcepta Dei ſunt poſſibilia & nulli impoſſibilia.

Tertio, ex Conciliis. Carthaginenſe ſub Zoſimo Can. 3. quod quidam Milevitanum credunt, dicit gratiam qua juſtificamur non ſolum valere ad remiſſionem præteritorum peccatorum, ſed etiam ut præcaveantur futura. Igitur uulli juſto Dei præcepta ſunt impoſſibilia, immo nec peccatori, alterive homini. Id declarat Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. his verbis: *Nemo temeraria illa & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini juſto ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Quibus verbis oſtendit præcepta non ſolum juſtis eſſe poſſibilia, ſed & peccatoribus, quos hortatur petere quod non poſſunt. Poſtea ſic concludit contra Calviniſtas: *Unde conſtat eos religioni Orthodoxæ adverſari, qui dicunt juſtum in omni opere bono ſaltem venialiter peccare, aut quod intolerabilius eſt, pœnas æternas mereri.* Tandem infra confirmat doctrinam; quod autem loquatur Can. 18. non ſolum contra Calviniſtas, ſed etiam contra omnes qui dicerent præcepta eſſe impoſſibilia, remiſit ad ſummum Pontificem, ſi quod dubium naſceretur circa intelligentiam ſui Canonis, explicare. Atqui ſummus Pontifex Innocentius X. conſultus circa propoſitionem primam Janſenii, declaravit eſſe hæreticam: Igitur &c. Nulla mandata ſunt impoſſibilia; immo Concilium prohibet uti hac voce; quam ne quidem nominari inter nos ſinit.

Quarto, ex Patribus. S. Chryſoſtomus hom. 16. in cap. 9. ad Hebr. ſic loquitur: *Non licet dicere, Non poſſum, hoc eſt enim accuſare Creatorem; ſi enim nos fecit impotentes, & poſtea præcipiat, ipſe accuſandus eſſet: quomodo ergo multi non poſſunt? quia nolunt. Quomodo multi nolunt? præ deſidia.* Ergo &c.

S. Proſper, in reſponſione ad capitula Gallorum cap. 6. dicit homini juſto numquam denegari adjutorium *ſine quo* nec proficere, nec remanere in bono quiſquam poteſt: tum ſentent. 13. ſic loquitur: “ „ Qui dicit quod quibuſdam vocatis & „ pie, juſteque viventibus obedientia ſubtrahatur, ut obedire deſiſtant, male „ opinantur de Dei bonitate . . „. Ergo &c.

D. Thomas, quodlibeto ad 3. ſic habet: “ Nihil impoſſibile præcipi poteſt, „ unde dicit Hieronymus, qui dicit Deum aliquid præcepiſſe impoſſibile anathema ſit. „ Obſerves velim eum loqui univerſaliter pro omnibus hominibus, & in cap. 1. ad Corinth. lect. 1. “ Non „ videretur, *ait*, fidelis Deus ſi nos vo„caret ad ſocietatem Filii ſui, & no„bis denegaret quantum in ipſo eſt ea „ per quæ pervenire ad Deum poſſemus. „ Unde Joſue I. dicit: Non te deſeram „ neque derelinquam. „

Idem S. Doctor pluribus in locis eamdem docet veritatem, ut 1. p. quæſt. 49. art. 2. ad 3. quæſt. 23. art. 3. ad 3. 1. 2. quæſt. 89. art. 6. quæſt. 98. art. 2. ad 3. & 4. quæſt. 100. art. 10. in corpore: qu. 109. artic. in 2. ſentent. Diſſert. 28. qu. 1. artic. 3. in qq. diſputatis, quæſt. 24. artic. 14. 2. 2. quæſt. 10. artic. 1. 3. p. quæſt. 83. artic. 6. lect. 1. in cap. 1. epiſtol. 1. ad Corinth. 1. p. demum lect. 3. in cap. 12. epiſt. ad Hebr. &c.

Quinto, *multiplici ratione* ex Patribus deducta,

Prima: Deus impoſſibilia non jubet, alias non peccator, ſed quod abſit dicere. Legiſlator foret accuſandus; immo Concilia anathematizant dicentes hominem non poſſe adimplere mandata Dei: Igitur relinquitur quod ſint omni homini poſſibilia.

Secunda eſt: Si Deus præciperet impoſſibile, juſtitia ejus læderetur: Abſurdum conſequens: ergo & antecedens. Probatur ſequela; Non ſervaret legem, quæ ſolum puniri reos præcipit, quia mandata forent impoſſibilia; puniret vero homines innocentes, nullus ſiquidem peccat in eo quod vitare non poteſt: Ergo &c.

Tertia: Repugnat bonitati divinæ imputare ad culpam id quod homo vitare nequit, & facere non valet, unde inter homines illi dicuntur crudeles, qui indiſcriminatim verberibus afficiunt ſervos pro factis, quæ quidem operari non poterant: Igitur impium eſt dicere Deum præcipere impoſſibile; ſi enim mandata multa ſunt impoſſibilia, cum tranſgreſſores ſemper puniantur, redundaret in bonitatem quod ſine culpa tam ſevere caſtigarentur.

Quarta: Eſt contra miſericordiam Dei præcipere impoſſibile: Ergo &c. Probatur

tur Ant. Proprium miſericordiæ eſt educere hominem a miſeria: Sed ſi quædam mandata eſſent impoſſibilia ordinatione Dei, homines prolaberentur in ſummam miſeriam, quæ eſt impotentia adimplendi præceptum: ergo &c.

Quinta: Repugnat utique ſanctitati Dei quod præcipiat impoſſibile: Et probatur. Deus videretur auctor peccati, quod nequidem cogitare licitum eſt, quia homo transgrediendo præceptum peccaret propter legem a Deo emanatam, quam abſque ſua culpa non adimpleret: Ergo &c.

Sexta: Repugnat etiam Providentiæ, quod quædam præcepta ſint impoſſibilia: Ergo &c. Probatur Ant. Spectat ad Providentiam dare media ad finem: Sed ſi quædam mandata eſſent impoſſibilia, deficerent media ad finem: Ergo &c.

Septima: Ignorantia invincibilis excuſat a peccato ſecundum omnes, a fortiori impotentia: Igitur cum omnis tranſgrediens mandata ſit reus, & peccet, dicendum eſt nulla eſſe impoſſibilia.

Octava: De fide eſt hominem poſſe mereri & demereri, juxta illud Eccli. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*: Sed ſi mandata eſſent impoſſibilia, homo non poſſet demereri tranſgrediendo præceptum, quia nemo reus cenſetur in eo quod vitare nequit. Ergo &c.

Nona: Præcepta ſunt poſſibilia viribus gratiæ: Sed Deus dat omnibus gratiam qua poſſibilia fiant: Siquidem vult omnes & ſingulos homines ſalvos fieri & vocat ad vitam, adeoque dat media ut finem quiſque poſſit aſſequi: Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES 1. Eſth. 13. habetur *Nemo eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreveris ſalvare Iſrael*. Igitur homo eſt neceſſitatus ad malum, ſi Deus velit eum perdere, quandoquidem nullus poteſt reſiſtere ipſius voluntati. Confirmatur: Eccleſ. 7. 14. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit*: Igitur præcepta ſunt impoſſibilia, ſaltem magnis peccatoribus.

Reſpondeo diſtinguendo Ant. Nemo poteſt reſiſtere voluntati Dei univerſali, concedo: cum enim ambiat omnia, qui reſiſtit illi ut bonum vult, incidit in illam ut juſtitia eſt, & criminum ultrix: voluntati particulari, nego. Nam & Deus queritur de peccatoribus quod illi reſiſtant, juxta illud Act. 7. *Dura cervice & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*. Solutio eſt D. Thomæ, qui 1. p. q. 19. art. 6. ait: " Cum igitur voluntas Dei ſit „ univerſalis cauſa omnium rerum, impoſ„ ſibile eſt, quod divina voluntas ſuum ef„ fectum non conſequatur. Unde quod re„ cedere videtur de divina voluntate, ſe„ cundum unum ordinem, relabitur in i„ pſam ſecundum alium. Sicut peccator qui „ quantum eſt in ſe recedit a divina vo„ luntate peccando, incidit in ordinem „ divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam „ punitur. „

Ad confirmationem diſtinguo: Nullus poteſt corrigere quem Deus ſemel deſpexerit, id eſt, difficile peccator obduratus corrigitur, & propter imbecillitatem, & propter hebetudinem mentis cauſatam per habitudinem peccati, concedo: Non poteſt abſolute emendari, nego. Solutio eſt D. Thomæ lect. 1. in cap. 6. epiſt. ad Hebr. ubi ſic ait de correctione peccatoris obdurati. " Impoſſibile eſt, oſten„ dit Apoſtolus, imbecillitatem eorum, „ ſcilicet peccatorum, erant enim imbe„ cilles ad audiendum, ſicut enim in cor„ poralibus nullus ſtatus eſt ita periculo„ ſus ſicut recidivantium, ita in ſpiri„ tualibus, qui poſt gratiam cadit in „ peccatum, difficilius ſurgit ad bo„ num. „

Inſtabis: Apoſtolus Hebr. 6. dicit ſimpliciter peccatores magnos non poſſe reſurgere a peccatis: Igitur eſt impoſſibilitas abſoluta. Probatur Ant. ex verbis Apoſtoli: *Impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati .... rurſus renovari ad pœnitentiam*. Ergo &c.

Reſpondeo negando Ant. Ad probationem diſtinguo: Et loquitur Apoſtolus de Baptiſmo qui non poteſt reiterari, concedo: ſecus, nego. Alloquitur Judæos, qui ſæpius ſuum renovabant Baptiſma, & oſtendit eis magnum eſſe diſcrimen inter Baptiſma Chriſti, & Baptiſma Legis, ſiquidem illud illuminat & non reiteratur: Baptiſma vero Legis erat ſolum ad pœnitentiam, & operabatur tantummodo ex opere operantis. Probat autem S. Paulus abſtinendum eſſe ab hujuſmodi Baptiſmatibus, quippe quæ erant opera mor-

mortua & adhærendum eſſe ſolum Baptiſmati Chriſti, & hoc patet ex verbis immediate antecedentibus: *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum; Baptiſmatum Doctrinæ ...... impoſſibile eſt enim, &c.* Solutio eſt D. Thomæ, hic lect. 1. his verbis: " Hoc dicit Apoſtolus, quia ſecun- „ dum legem, Judæi multoties bapti- „ zabantur, ſicut patet Marci 7. & id- „ eo ad iſtum errorem removendum, dicit hoc Apoſtolus. „

Reſpondeo II. ut ſupra; ita D. Thomas ibidem his verbis: " Notandum eſt, *in-* „ *quit*, quod non dicit Apoſtolus, lapſi „ ſimpliciter, ſed prolapſi, id eſt tota- „ liter lapſi, quia ſi lapſi tantum eſſent non „ ita difficile foret reſurgere, Prov. 24. „ *Septies enim cadet juſtus, & reſurget:* Quod „ ſi diceret Apoſtolus illos, qui prolapſi „ ſunt, impoſſibile eſt reſurgere, tunc poſ- „ ſet dici quod in hoc notat maximam „ difficultatem reſurgendi.... ſciendum „ eſt quod ex hoc loco ſumpſit Novatus „ quidam qui fuit Presbyter Eccleſiæ Ro- „ manæ occaſionem errandi; voluit enim „ quod nullus poſt Baptiſmum poſſet ad „ pœnitentiam reſurgere, ſed iſta poſi- „ tio falſa eſt, ſicut dicit Athanaſius in „ epiſt. ad Serapionem: quia ipſe Paulus „ recepit inceſtuoſum Corinthium ſicut „ patet 2. Cor. 2. & ſimiliter Galat. 4. quia dicit: *Filioli mei quos iterum parturi- vi, &c.*

Urgebis; Rom. 7. dicit Apoſtolus ſe facere malum quod non vult: Igitur quædam præcepta ſunt impoſſibilia.

Reſpondeo diſtinguendo: Et loquitur de fomite peccati, ſeu de concupiſcentia cujus actus primoprimi dicuntur mali ratione peccati originalis cujus ſunt effectus, & quia etiam inclinant ad peccatum actuale, concedo: loquitur de malo formaliter ſumpto, nego. Solutio eſt D. Thomæ, qui in hunc locum lect. 3. ſic habet: " Poſtquam hoc explicavit de concupi- „ ſcentia carnis, alio modo poteſt intel- „ ligi de eo qui eſt in gratia conſtitutus, „ non quidem exequendo in opere vel con- „ ſentiente mente, ſed ſolum concupi- „ ſcendo ſecundum paſſionem ſenſibilis ap- „ petitus, & illa concupiſcentia eſt præ- „ ter rationem & intellectum, quia præve- „ nit ejus judicium. „ Quod autem ſit genuinus Apoſtoli ſenſus patet ex verbis immediate antecedentibus, ubi ſic loquitur: *Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato; quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio.*

Inſurges: Mandata Evangelica ſuperant vires, & ipſa gratia qua fiunt poſſibilia ſæpe deeſt: Ergo &c. Probatur Ant. Quandoque concupiſcentia eſt fortis ut ſex, & gratia ſufficiens eſt ſolum ut tres: Sed nullus poteſt ſuperare hoſtem cum viribus multo inferioribus: Ergo &c.

Reſpondeo negando Ant. Ad probationem dico 1. eſſe æquivocationem in terminis, aliud eſt enim actu ſuperare tentationem; aliud poſſe ſuperare: qui habet gratiam ſufficientem, habet poſſe vincere quamquumque concupiſcentiam, ſed actu non vincet, niſi habeat gratiam efficacem. Sic Janſenius lib. 3. de grat. Chr. cap. 13. ſemper confundit gratiam quæ dat poſſe cum illa, quæ dat agere, quippe qui ſolam efficacem admittat, & ſic ejus objectiones perpetuo laborant ambiguitate.

Reſpondeo II. ad eamdem confirmationem diſtinguendo: Et poteſt peccator orare ad habendam gratiam uberiorem ut vincat tentationem, concedo: & non poteſt, nego. Solutio eſt D. Auguſt. qui libr. de grat. & libero arbitr. cap. 16. ſic loquitur: " Oret ut habeat tantam vo- „ luntatem, quanta ſufficit ad implenda „ mandata. „

Replicabis: Etiam gratia efficax requiritur ad orandum, & deeſt multis: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et gratia efficax ad orandum offertur, concedo: unde ſi deſit, eſt culpa peccatoris qui ponit obicem: & non offertur, nego: Igitur peccator habet gratiam ſufficientem ad orandum, ut oratione impetret gratiam uberiorem qua proxime poſſit mandata adimplere. Quid plura adjiciam? Peccatori conceditur gratia ad orandum, & hæc ſatis virium confert ad fundendam orationem leviorem; iſta vero mediante, ad orationem ferventiorem gradum faciet, tum gratiam uberiorem ad converſionem plenam & perfectam advocabit.

Digitized by Google

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Præcepta Dei ſunt omnibus poſſibilia.

PRIMO: Hanc veritatem annunciant paſſim divinæ Scripturæ, juxta illud Deut. 30. *Mandatum quod ego præcipio tibi, non eſt ſupra te.* Rurſus 1. Cor. 10. *Non patietur tentari vos ſupra id quod poteſtis.*

Secundo: Concilium Trid. ita definit ſeſſ. 6. cap. 11. " Deus impoſſibilia non „ jubet, ſed jubendo monet & facere „ quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. „ Concinunt SS. Patres, Chryſ. homil. 16. in cap. 9. epiſt. ad Heb. Proſper in reſp. ad Capitula Gall.

Tertio: Ratio ſuffragatur. Deus præcipit declinare a malo & facere bonum, & utrumque ſub præceptum cadit: Igitur & utrumque poſſibile.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametſi nullus poſſit reſiſtere voluntati divinæ univerſali, quia dum peccator ab ea declinat, ut bona, in eamdem coincidit ut juſta eſt & ſcelerum ultrix; ſecus tamen particulari, dum enim vult Petrum operari bonum, quandoque ex infirmitatis pondere iſte prolabitur in peccatum.

Secundo: Illudunt doctis Novatores, cum ad probandam fucatam mandatorum ab Ipreſi conclamatam impoſſibilitatem proferunt in medium illud Apoſtoli Heb. 6. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati... rurſus renovari ad pœnitentiam*: Cum ibi loquatur ſolum de Baptiſmo novæ legis, qui non renovatur ut Baptiſma Joannis, quod non ſemel ad pœnitentiam petebatur.

Tertio: Neque vero magis proficiunt dicendo Apoſtolum Rom. 7. aſſerere ſe malum patrare quod odit; namque eo loci loquitur ſolum de concupiſcentia, quæ non niſi materialiter & in radice mala vocatur. Quid plura adjiciam? Peccator habet gratiam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum homo in præſenti ſtatu poſſit reſiſtere gratiæ?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA

Probatur multis momentis.

Probatio, ex Scriptura ſacra.

I. AB actu ad poſſe valet conſequentia: Atqui ex Scriptura ſacra plures reſtiterunt gratiæ: Et probatur 1. Exod. 10. habetur: *Introierunt ergo Moyſes & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Uſquequo non vis ſubjici mihi?* Quibus verbis conqueritur Deus quod Pharao illi reſiſteret, & exterius, dum loquebatur illi per Moyſen, & interius, dum illum movebat ad relaxandum populum. II. Job. 9. 4. *Quis reſtitit ei, & pacem habuit.* pſal. 16. 8. *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me.* Prov. 11. *Vocavi, & renuiſtis.* Iſaiæ 46. 12. *Audite me duro corde, qui longe eſtis a juſtitia: prope feci juſtitiam meam, non elongabitur.* Vocat populum duro corde Deus, eo quod ſæpius illi reſtiterat. Et iterum cap. 5. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Igitur reſiſtitur gratiæ, quod clarius innuit S. Stephanus Act. 7. verſ. 5. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Ergo &c.

II. *Deus* adhortatur homines ut ipſum audiant, ergo poſſunt reſiſtere gratiæ; ſi enim gratia moveret neceſſario, fruſtra fieret exhortatio. Probatur igitur antecedens. Proverb. cap. 8. 32. *Nunc ergo filii audite me. Beati qui cuſtodiunt vias meas.* Iſaiæ 1. 19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Pſal. 94. verſ. 1. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Epheſ. 4. 30. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Et ad Theſſ. 5. 19. *Spiritum nolite extinguere.* Quid eſt autem contriſtare & extinguere, niſi reſiſtere gratiæ? Ergo &c.

III. Qui puniuntur propter reſiſtentiam gratiæ, certe poſſunt illi reſiſtere: Atqui ex Scriptura liquet omnes punitiones infligi

ſligi a Deo propter gratiæ reſiſtentiam: Et probatur 1. Exod. 10. habetur, quod Moyſes nomine Dei ſic allocutus ſit Pharaonem: *Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi. Sin autem reſiſtis, & non vis dimittere eum: Ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos. &c.* Et vero omnes plagæ Ægypti inflictæ ſunt ad puniendam Pharaonis reſiſtentiam & obſtinationem. II. Iſaiæ 6. 9. habetur: *Audite audientes, & nolite intelligere ... Excæca cor populi hujus.* Hæc autem obduratio fuit in vindictam reſiſtentiæ populi, & ſimul effectus ejus fuit; unde ibidem cap. 65. 12. ſic loquitur Deus: *Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis: pro eo quod vocavi, & non reſpondiſtis: Locutus ſum, & non audiſtis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegiſtis.* Certe reſiſtentia a primo ad ultimum explicatur hic, in quantum populus reſiſtendo gratiæ elegit malum, propter quod ſuper illum venit afflictio, ut ibid. habetur cap. 46. 4. Jerem. 2. 13. *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Dereliquerunt rejiciendo gratiam, & audiendo creturam. Ibid. c. 6. 17. *Audite vocem tubæ: Et dixerunt: Non audiemus. Ideo audite gentes, & cognoſce congregatio, quanta ego faciam eis. Audi terra: Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum, fructum cogitationum ejus: quia verba mea non audierunt.* Ezech. cap. 20. 8. *Et irritaverunt me, nolueruntque me audire: unuſquiſque abominationes oculorum ſuorum non projecit ... & dixi ut effunderem indignationem meam ſuper eos, & implerem iram meam in eis.* Dan. 9. 10. *Non audivimus vocem Domini .... omnis Iſrael prævaricati ſunt legem tuam, & declinaverunt ne audirent vocem tuam, & ſtillavit ſuper nos maledictio.* Oſee 9. 17. *Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.* Hæc maledictio lata eſt contra Judæos reſiſtentes Spiritui ſancto, Rom. 1. *Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum .... propter quod tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum ... in paſſiones ignominiæ ..., in reprobum ſenſum.* Cognoverunt Deum: adeſt gratia illuminans: *Non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis;* en reſiſtentia: *propter quod tradidit eos Deus in &c.* Ecce punitio propter reſiſtentiam.

Probatio ex SS. Pontificibus, & Conciliis.

Ex Pontificibus quidem, qui damnaverunt quique Propoſitiones, quarum ſecunda eſt: *Gratiæ interiori numquam reſiſtitur.* Ex Conciliis vero, Senonenſe decreto 15. de gratia ſic loquitur: *Nec tamen tale eſt ejuſmodi Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit*: Ex Trid. demum quod declarat rem de fide, his verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum ... non poſſe diſsentire ſi velit; anathema. ſit.* Seſſ. 6. can. 4.

Probatio, ex SS. Patribus.

S. HILARIUS in Pſal. 118. ſic loquitur: „ Gratia neminem niſi ſibi obnitentem repellit. „ Igitur ex Hilario peccator gratiæ reſiſtit. Chryſ. Hom. 3. in Matth. ſic habet: “ Omnis gratia per exercitationem additur, & per deſidiam minoratur. „ Rurſus hom. 9. in Joan. “ Gratia in omnes effuſa eſt, neminem fugit, qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi imputent. „ Igitur cæcitas provenit, teſte S. Chryſ. ex reſiſtentia facta gratiæ.

Divus Thomas 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. de peccatore, ſic loquitur: “ Si quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pęna eſt dignus, tamquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens. „ Et in cap. 5. 1. ad Theſſ. lect. 2. dicit peccatorem extinguere Spiritum ſanctum: In probationem vero affert illud Act. 9. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.*

S. Laurentius Juſtinianus lib. de ſpirituali animæ Reſurr. initio, ait: “ Quamvis ad inſinuandum, hominem Deo poſſe reſiſtere, multis divinorum eloquiorum valeat auctoritatibus comprobari; id tamen unuſquiſque ſufficiens experitur in ſe. Quis oro, tanta ſanctitate eſt prædictus, ut ſæpiſſime inſpirationi non renitatur internæ, aut torpore victus, aut propria affectione ſeductus „ O quantis clamoribus introrſus, quantiſve exhor-

„ exhortationibus ſacris excitatur pecca-
„ tor, antequam de morte, ſeu ſomno
„ delictorum evigilet! Ergo &c.

D. *Anſelmus* in cap. 6. Matth. in illa verba *Fiat voluntas tua*, dicit ſæpe contingere ut Deus velit per miſericordiam de aliquo pravo quod ſit juſtus, & conferat ei gratiam ſuam; ille tamen per liberum arbitrium contradicit, nec gratiæ Dei aſſentiatur.

Probatio, ex rationibus Theologicis.

PRIMA petitur ab experientia quotidiana: Modo enim Deus compellit hominem ad pœnitentiam agendam; modo ad eleemoſynam elargiendam, & tamen non ſemper obedit peccator, immo ſæpius contradicit: Sed illa impulſio eſt a gratia interiori, non enim natura ſuadet mortificationem: Igitur homo reſiſtit ſæpiſſime gratiæ.

Secunda ſic procedit: Homo eſt liber, & agit per electionem: Igitur poteſt reſiſtere gratiæ, alias dum bonum illi inſpiratur, non foret liber, ſed neceſſario ad illud applicaretur, ne dicam & raperetur.

Tertia: Juſtus ſæpe a juſtitia excidit: Sed hoc fit ſolum reſiſtendo gratiæ, quandoquidem ſi illam audiret, non prævaricaretur, poſtea vero non derelinqueretur; nam derelictio eſt pœna inobedientiæ, juxta illud Scripturæ Jerem. 51. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.*

Quarta: Peccator quandoque obduratus evadit: Sed cauſa obdurationis eſt repetita reſiſtentia gratiæ, ut colligitur ex Iſaiæ 6. *Excæca cor populi hujus*: Immo quandoque etiam traditur in reprobum ſenſum, ita ut, teſte Propheta Pſal. 93. Glorientur peccatores cum malefecerint: unde hoc? Niſi ex contemptu iterato gratiæ. Ergo &c.

Quinta: Joann. 12. 39. habetur, quod Judæi, *non poterant credere*; ſed reſpondet Chryſ. quia nolebant: Ergo &c.

Sexta: Ex duobus æqualiter affectis circa objectum illicitum & tentatis, qui pares ſunt in gratia ſufficienti, unus peccat, alter vero minime: Igitur lapſus primi ex reſiſtentia gratiæ dicitur. Hæc ratio eſt B. Aug. lib. 12. de civ. cap. 6.

Septima hæc eſt: Juſta fuit increpatio Corozain & Bethſaidæ, ſed in hoc erat fundata, teſte Evangelio, quod, viſis Chriſti ſignis, gratiæ interiori vocanti reſtiterint, minime vero reſtitiſſent Tyrus & Sidon, ſi æqualem habuiſſent & æque uberiorem: Ergo &c.

Solvuntur objectiones Novatorum.

OBJICIUNT: Omnis gratia habet ſemper effectum ſuum, ſiquidem vel ipſa quæ dicitur ſufficiens illuminat & movet eo ipſo quo infunditur, efficax vero infert ſemper conſenſum: Igitur nullus poteſt gratiæ reſiſtere.

Reſpondeo I. Hominem poſſe reſiſtere & gratiæ ſufficienti, & etiam efficaci; ſufficienti quidem ne habeat finem ad quem tendit, & præparat voluntatem, puta ad converſionem; efficaci vero ſecundum præmotiones morales, & etiam ſecundum motionem phyſicam, ut declaravit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium motum.... non poſſe diſſentire ſi velit; anathema ſit.*

Reſpondeo II. diſtinguendo, Omnis gratia efficax ſemper habet effectum, quia vult peccator, & conſentit motioni, concedo: ita ut non poſſit reſiſtere, ſubdiſtinguo: in ſenſu compoſito, concedo: diviſo, nego. Ad aliam partem etiam diſtinguo: Gratia ſufficiens ſemper habet effectum incompletum & indeliberatum, concedo: completum, id eſt, actum perfectum, nego. Siquidem ſæpe peccator non audit Deum intus loquentem: Igitur eſt pura æquivocatio Novatorum, qui dum vi argumentorum premuntur, ut fucum faciant, dicunt omnem gratiam eſſe efficacem & habere effectum. Et vero nihil fundatius in doctrina Janſenii, quam quod gratia ſufficiens ſit ſolum pro ſtatu innocentiæ, efficax vero, & quæ eſt ad actum perfectum, pro ſtatu præſenti; ſic enim loquitur lib. 6. de gr. Chr. cap. 35. *Ex quo fit, ut neque gratia ſufficiens, neque gratia quam congruam vocant, ſit adjutorium Chriſti Salvatoris, ſed Adami.*

Inſtant: Saltem nullus poteſt reſiſtere gratiæ efficaci: Igitur verum eſt dicere quod gratiæ interiori non reſiſtitur. Probatur Ant. In hoc gratia efficax diſtinguitur a ſufficiente, quod illi nullus poſſit reſiſtere: Ergo &c.

Reſpondeo negando Ant. ad probationem diſtinguo: Gratia efficax diſtinguitur a ſufficiente, quod illi homo non poſſit reſi-

ſtere in ſenſu compoſito , concedo: jam enim eſt actus: bene autem reſiſtitur gratiæ ſufficienti etiam in ſenſu compoſito, quia eſt ſolum præparatio ad actum: quod non poſſit illi reſiſtere in ſenſu diviſo, nego. Unde ſecunda propoſitio falſa eſt & hæretica. Cæterum iſta propoſitio: Non poteſt reſiſti gratiæ efficaci, male ſonat; hinc juxta Synodum Trid. ſimpliciter dicendum hominem poſſe reſiſtere cuicumque gratiæ, etiam efficaci: unde Reſpondeo II. aliter diſtinguendo: Non poteſt reſiſti gratiæ efficaci in ſenſu compoſito actus, concedo: In ſenſu compoſito gratiæ, nego. Prior ſenſus dicit actum jam elicitum & cum potentia conjunctum, & iſti non reſiſtitur, cum jam ſupponatur actus: Poſterior importat gratiam moventem & excitantem, gratiæ autem quantumvis efficaciter moventi poteſt reſiſti, cum hæc motio ſit moralis, & ipſa phyſica ad iſtam ſequatur.

Urgent: Janſenius arguit Calvinum in quinque capitibus. Primoquidem in eo quod neget in homine boni & mali electionem. II. Quod doceat gratiam ita movere hominem, ut non ſit illi liberum reſiſtere. III. Quod nolit hominem gratiæ moventi, exancillante voluntate, conſentire. IV. Quod propugnet bene vel male agere non eſſe in noſtra poteſtate. V. Quod affirmet in homine non eſſe liberum arbitrium, ſed nomen quoddam inane. Igitur Janſenius non negat abſolute hominem poſſe reſiſtere gratiæ.

Reſpondeo I. non eſſe quæſtionem de ſenſu qui poteſt tribui ſecundæ propoſitioni, ſed de illo quem præ ſe fert; cum autem referat hunc, numquam reſiſti gratiæ interiori, merito notam inuſſit ſummus Pontifex tali propoſitioni.

Reſpondeo II. diſtinguendo: Et Janſenius differt ſolum verbo-tenus a Calvino, concedo: in ſubſtantia & rei veritate, nego. Calvinus quandoque admittit ſolum neceſſitatem a voluntario & ſpontaneitate, quandoque a coactione promanantem. In reſponſione ſecunda ad librum Pighii de libero arbitrio, de priori loquitur, his verbis: " Voluntas ſerva eſt ea quæ eſt ſub ,, dominio cupiditatum, ita ut non niſi ,, malum poſſit eligere licet voluntarie ,, & proprio motu: de ſecunda vero lib. 2. epiſtolarum cap. 3. his verbis, quod au- ,, tem alibi dicit Auguſtinus non tolli gra- ,, tia voluntatem, ſed ex mala mutari in ,, bonam, & eam ſi bona fuerit adjuva- ,, ri, ſignificat nullum hominem non ,, ita trahi ut ſine motu cordis quaſi ex- ,, traneo pulſu feratur, per ly extraneo ,, denotatur coactio. Tertium principium Calvini eſt quod homo non ſolum a cupiditate flectatur in malum, ſed etiam ab ordinatione Dei neceſſario determinantis ad malum; hinc infert eos qui ſunt de fœdere, neceſſario bene agere & ſalvari, econtra vero alios. Janſenius convenit cum Calvino voluntatem neceſſario, ſed voluntarie & ſpontanee ad bonum per gratiam determinari, ad malum vero per cupiditatem, ſed negat coactionem & decretum neceſſitans ad malum: & in hoc ſecundo puncto reprehendit Calvinum. Unde jam ad ſingula faciendum eſt ſatis.

Ad primum diſtinguo: Janſenius reprehendit Calvinum quod neget in homine boni & mali electionem admittendo coactionem & determinationem non pure ſpontaneam, ſed a decreto extrinſeco neceſſitante provenientem, concedo: quod neget electionem quæ eſt a vi electiva, nego. In hoc differt Iprenſis a Thomiſtis & aliis Theologis, quod admittat electionem ad malum quidem per cupiditatem, quæ quando eſt gratia fortior, facit mutare voluntatem: Ad bonum vero per gratiam quæ ligat cupiditatem, ita ut voluntas non poſſit committere vitium. Theologi vero admittunt electionem promanantem a determinatione perfecta voluntatis, id eſt, quæ procedit non ſolum a gratia pro bono, & a cupiditate pro malo, ſed a virtute electiva quæ eſt voluntati intrinſeca & connaturalis, & ideo non eſt extinctum liberum arbitrium ſecundum Catholicos; Janſenius vero lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 11. ait ex profeſſo inductam eſſe peccandi neceſſitatem per Adæ culpam: tum lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 23. pag. 269. col. 1. loquitur de gratia neceſſitante & ligante concupiſcentiam, ut homo neceſſario faciat bonum; tum & de neceſſitate peccandi his verbis: " Talis poteſtas peccata vi- ,, tandi cum præſenti peccandi neceſſita- ,, te facile conſiſtere poteſt; ſicut in clau- ,, do poteſt conſiſtere poteſtes recte am- ,, bulandi, quia medici arte ſanari pot- ,, eſt, cum neceſſitate claudicandi, ,, quamdiu medicina caret.,,

Ad

Ad alia ſimiliter diſtinguo : Janſenius reprehendit Calvinum quod neget liberum arbitrium per coactionem & ordinationem decreti neceſſitantis ligatum concedo : præciſe quod neget liberum arbitrium, nego. Tollitur enim per puram ſpontaneitatem, quam utique admittit Janſenius : Igitur non reprehendit Calvinum præciſe quia negat liberum arbitrium, ſed quia coactionem & decretum adamantinum rapiens abſolute voluntatem ad hoc vel illud, admittat.

Inſiſtes: Janſenius lib. de grat. Chr. ea pag. 35. col. 1. & 2. dicit hominem ſe determinare ad ſuam actionem : Igitur ex illo homo poteſt reſiſtere gratiæ : probatur conſequentia : Qui ſe determinat eſt Dominus ſui actus : Igitur ſi poteſt ſe determinare, poteſt reſiſtere, quia poteſt ponere actum, vel non ponere.

Reſpondeo diſtinguendo : Ex Janſenio homo poteſt ſe determinare, id eſt, agere per reflexionem, concedo : voluntarium enim ſpontaneum non impedit reflexionem : poteſt ſe determinare eligendo, nego. Ita enim ſe explicat Janſenius ibidem : *Hoc autem omnino poſtulat, ut ſuper actum ſuum reflectere poſſit, non ſolum hac appetendo, ſed etiam judicando ... ergo poteſtas reflectendi ſe ſe ſuper actum ſuum .... rationi & voluntati creaturæ rationalis, propria eſt ... & in hoc proprie ſita eſt poteſtas movendi ſe ... & quia in omni rationali motu ſemper adeſt expreſſe, vel tacite hujuſmodi ſuper ſe reflexio, ſemper etiam in omni rationali motu ſeu conſenſu ſuo movet ſe ac dominatur ſui.*

Reponunt : Janſenius ibidem docet expreſſe ineſſe homini facultatem reſiſtendi gratiæ. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Ineſt ex Janſenio homini poteſtas reſiſtendi ſecundum quid, quæque oritur ex concupiſcentia fortiori reddente voluntatem mutabilem & gratiæ obnitentem, concedo : perfecta & quæ eſt a vi electiva, nego.

Inſiſtunt : Janſenius idem ſentit cum Thomiſtis de gratia efficaci : Sed iſtorum opinio non eſt erronea, licet dicant hominem non poſſe reſiſtere gratiæ in ſenſu compoſito : Igitur non eſt damnanda Janſenii ſententia, quippequi prædicando gratiam efficacem, ſemper dicat, nominet & intelligat ſenſum compoſitum.

Reſpondeo negando paritatem propter multa. Primo quidem quia Janſenius negat gratiam ſufficientem. II. Negat ullam eſſe in homine potentiam ad agendum ſupernaturaliter ſine gratia efficaci. III. Negat hominem poſſe reſiſtere gratiæ etiam in ſenſu diviſo, quandoquidem propugnat gratiam ligare concupiſcentiam, ita ut non magis rebellare poſſit, quam claudus, qui habens pedes ligatos, ambulare queat. Nos vero cum divo Thoma dicimus hominem ſine gratia habere potentiam remotam ad agendum ſupernaturaliter, in quantum actus ſupernaturalis eſt actus vitalis circa quem potentia naturalis non ſe habet mere paſſive, proximam vero cum gratia ſufficiente, cui homo poteſt reſiſtere etiam in ſenſu compoſito, conjunctam cum actu per efficacem cui homo poteſt reſiſtere in ſenſu diviſo & quum datur ; prius enim eſt gratiam dari quam agere ; quum autem datur poteſt rejici : ita nos cum Tridentino. Uno verbo, poſſumus reſiſtere in ſenſu compoſito gratiæ, quia poſſumus reſiſtere gratiæ excitanti.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo poteſt reſiſtere gratiæ.

PRIMO. Ab actu ad poſſe valet conſequentia : Sed multi reſtiterunt gratiæ, juxta illud Act. 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis* : Et ſæpius quotidie reſiſtunt, hinc Deus ab hac offenſa deterret peccatores Pſ. 94. dicens : *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Ergo &c.

Secundo : Sic docent SS. Patres. Hilarius in Pſal. 118. Chryſoſt. Homil. 3. in Matth. Anſelmus in cap. 6. Matth. D. Thomas 1. 2. q. 106. Art. 2. ad 2.

Tertio : Homo eſt liber ad bonum & malum faciendum, ut habetur Eccli. 31. Igitur poteſt reſiſtere gratiæ, ut malum operetur ; quod ſi non faciat, laude dignus eſt, ut ait Scriptura : *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit : ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino.*

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Tameſit gratia quælibet aliquem ſemper habeat effectum, qualis eſt movere & excitare ad bonum, non ta-

men perfectum qui eſt actus virtutis, ad quem datur, qui per reſiſtentiam gratiæ ſæpius impeditur.

Secundo: Neque vero dicendum eſt neminem poſſe gratiæ ſaltem efficaci reſiſtere; cum enim ſuum ſortiatur effectum ſuadendo, & excitando, nemo præter heterodoxum dixerit, non poſſe ei reſiſti.

Tertio: Incaſſum ad purgandum ab hæreſi Iprenſem aliquis diceret, eum propugnare hominem ſe ad ſuam actionem determinare; licet enim admittat nos per reflexionem agere, non tamen per electionem; hinc non niſi voce-tenus differt in negotio libertatis a Proteſtantibus.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum eſſentia libertatis conſiſtat in indifferentia actus?

LIBERTAS duplex diſtinguitur, alia a coactione qua homo eximitur a violento: alia a neceſſitate qua a cauſa neceſſitante. Præſens difficultas eſt an, ut homo ſit liber, requiratur quod non ſit, aut coactus, aut ad agendum neceſſitatus. Janſenius contendit ſufficere ad libertatem exemptionem a coactione: contra quem ſit

CONCLUSIO.

Libertas eſſentialiter conſiſtit in indifferentia activa.

Probatur efficaci argumento.

INDIFFERENTIA activa ea eſt qua homo poteſt ponere actum, vel non actum: facere bonum, vel malum, ita ut ſit Dominus ſui actus: Atqui libertas eſſentialiter in hoc conſiſtit. Igitur eſſentialiter conſiſtit in indifferentia activa. Probatur minor multis momentis:

Primo, ex Scriptura ſacra.

DEUTERONOM. II. 30. habetur: *Propoſui vobis vitam & mortem.* *Eccl.* 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* 1. Cor. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Apoſtolus loquitur de homine qui poteſt matrimonio conjungere ſuam Virginem, vel non. Sed facere quod placet ſibi & ſuæ voluntati, eſt eſſe liberum, & indifferentem indifferentia activa: Igitur libertas in hoc conſiſtit. Ex 17. locis veteris Teſt. & 14. novi apud S. Aug. lib. 2. de lib. arb. iſtud momentum probatur.

Secundo, ex ſummis Pontificibus.

S. PIUS V. & Gregorius XIII. hanc Baji propoſitionem damnaverunt: *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit: ſola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Igitur iſta ſola contraria eſt Catholica, ut homo ſit liber, debet eſſe exemptus & a coactione, & a neceſſitate. Hinc Innocentius X. & Alexander VII. declaraverunt tertiam Janſenii propoſitionem hæreticam: Igitur libertas eſſeutialiter conſiſtit in indifferentia activa. Ita innuit etiam Innocentius I. in reſcripto ad Concilium Carthaginenſe, & Cæleſtinus I. epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 9. Ergo &c.

Tertio, ex Conciliis.

ARAUSICANUM II. can. 3. Palæſtinum ex ſancto Auguſtino epiſt. 106. & Conſtantienſe contra articulum 27. Vvicleſi idem docent, ſed præcipue Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. can. 4. ubi ſic loquitur: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere; anathema ſit.* Senonenſe, Decreto 15. ubi, Lutheri & Vvicleſi errores proſcribit, totum explicat negotium, his verbis: „Et ſi nulla pene ſit tam aperta Catholica veritas, nullus tam manifeſtus Scripturæ locus, quem non hæretici ſuis cavilis & tergiverſationibus eludant, nulla tamen in re, tam impudenter, tantaque rei Chriſtianæ jactura debacchati ſunt, quam in exterminando profligandoque libero arbitio eo ... Nihil profecto reliquum erit, tum divinis legibus, tum humanis; nullus conſiliis, aut

ele-

„ electioni; nullus precibus, aut objurgationi cæteriſque id genus, locus: „ nulla denique juſtitia futura eſt, qua „ quibuſdam pœnæ, quibuſdam conſtituta ſunt præmia, ſi pro Wiclefi & Lutheranorum ſententia omnia de neceſſitate eveniant. „ Tum variis Scripturæ locis probat libertatem per indifferentiam „ activam, & ſic concludit. „ Quod li„ berum utramvis in partem hominis arbi„ trium aſſereret Scriptura. „ Ergo &c.

Quarto, *Ex SS. Patribus*.

JUSTINUS Apol. 2. Iræneus lib. 4. adverſus hæreſes cap. 17. Clemens Alex. lib. 4. ſtrom. reponunt libertatem in indifferentia prædicta, & in eo quod homo ſit dominus ſuorum actuum; ita enim loquitur Clemens: “ Id eſt in poteſtate noſtra „ *conſiſtit libertas*, cujus ex æquo ſumus „ domini, & ejus quod ei adverſatur, ut „ philoſophant, vel non, credere, aut „ non credere, per hoc ergo quod ſumus „ æque participes utriuſque eorum, quæ „ inter ſe adverſantur, invenitur fieri poſ„ ſe, id quod eſt in noſtra poteſtate. „ *Gregorius Niſſ.* Orat. Catech. cap. 31. ſic habet: “ Qui in univerſitatem libe„ ram habet poteſtatem, propter ſum„ mum in homines honorem, dimiſit et„ iam aliquid in noſtra poteſtate, cujus „ unuſquiſque noſtrum eſt Dominus. Hoc „ autem eſt liberi arbitrii libera electio.

Damaſcenus Lib. 2. de fide orthod. cap. 26. ſic loquitur: *Eorum quæ ſunt quædam in nobis ſita ſunt, quædam non ſunt, in nobis ſita illa ſunt, quorum liberam habemus poteſtatem, ut aut ea faciamus, aut non faciamus*. Igitur ex Patribus: *Libertas conſiſtit in indifferentia activa & in poteſtate quam habemus ſuper actus, noſtros*; ita ceteri Patres ut probavimus in tract. de attrib. ubi de natura & eſſentia libertatis.

Divus Thomas clariſſime rem explicat 1. p. q. 83. art. 3. his verbis: “ Proprium „ liberi arbitrii eſt electio; ex hoc enim „ liberi arbitrii eſſe dicimus quod poſ„ ſumus unum recipere, alio recuſato, „ quod eſt eligere. „ Tum q. 6. de malo art. unico ſic definit: “ Quidam poſuerunt „ quod voluntas hominis ex neceſſitate „ movetur ad aliquid agendum, nec ta„ men ponebant quod voluntas cogere„ tur; non enim omne neceſſarium eſt vio„ lentum. Hæc autem opinio eſt HÆRE„ TICA; tollit enim rationem meriti & „ demeriti in humanis actibus. „ Ergo „ &c.

Quinto, *ex proſcriptione veterum hæreſum*.

PRÆDESTINATIANI & Wicleſitæ, & ante ipſos Manichæi negarunt liberum arbitrium, & voce tenus admiſerunt, illud reponentes in ſola exemptione a coactione. Ita Valdenſis lib. 1. art. 1. cap. 22. & ante omnes Stoici, teſte S. Auguſtino lib. 5. de civit. cap. 9. & 10. exiſtimantes præſcientiam Dei tollere libertatem. S. Doctor ibid. refutat Ciceronem, eo quod admitteret fatum. Igitur tertia propoſitio invenitur proſcripta cum antiquis hæreſibus; ſic enim loquitur Concilium Bracarenſe cap. 3. *Si quis animas & corpora fatalibus ſtellis credit aſtringi, ſicut Pagani & Priſcillianiſtæ dixerunt; anathema ſit*. Janſenius quidem rejicit fatum, ſed propugnando neceſſitatem, non modicum ejus opinio collimare videtur in ſententiam Stoicorum fatum admittentium; ideo enim fatum rejicitur, quia neceſſitatem inducit in actus humanos. Lutherus & Calvinus deſtruxerunt liberum arbitrium non quidem præciſe admittendo coactionem, ſed inducendo neceſſitatem; ſic enim Calvinum introducit loquentem Ruardus Tappereus art. 7. pag. 237. his verbis: “ Si coactioni opponitur „ libertas, liberum arbitrium & con„ ſtanter aſſevero, & pro hæretico ha„ beo quisquis ſecus ſentiat. „ Idem refert Iſambertus in 1. 2. tract. de libero arbit. & tract. de Incarn. diſp. 1. de libertate Chriſti art. 2. De Lutheranis & Calviniſtis Synodus Dordracena p. 706. & 707. ſic loquitur: “ Voluntas hominis, ſemper „ manet libera etiam quando ad unum de„ terminatur .... Nam libertas non pu„ gnat cum omni neceſſitate, ſed tantum „ cum neceſſitate coactionis. „ Atqui tamen Proteſtantes damnati ſunt in Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. can. 4. eo quod reponerent libertatem in neceſſitate, & dicerent liberum arbitrium eſſe extinctum, & mere paſſive ſe habere, tum in juſtificatione, tum in regeneratione, ut habetur in Synodo Dordracena, Pag. 1677. quamvis non intelligerent hominem paſſive ſe habere, ut lapis projectus, aut animal quod

quod movetur inſtinctu; fatebantur enim voluntatem ſequi gratiam & operari, ſed ita quod traheretur ab ipſa gratia: Igitur ſimiliter Janſenius qui idem dicit, eodem feritur anathemate.

Bajus ut ſupra dictum eſt, propter eamdem rationem proſcriptus eſt a SS. Pontificibus, & Sorbona propoſitioni ſecundæ Baji quæ ſic concipitur: *Libertas & neceſſitas eidem conveniunt reſpectu ejuſdem, & ſola violentia repugnat libertati naturali hominis;* hanc notam inurit in decreto habito anno 1560. die 27. Junii: *Hujus propoſitionis prima pars includit contradictionem, & eſt hæretica: ſecunda eſt falſa*. Ergo &c.

Sexto, ex Theologis diverſarum Nationum.

Ex Gallis Sancteſius in Atheiſmis Calvini tract. 6. num. 3. de illo impio ſic loquitur: " Calvinus evadere non poteſt, dicen-,, do cum neceſſitate illa quam Deus im-,, ponit, manere ſemper in voluntate no-,, ſtra libertatem a coactione & violentia, ,, quia *inquit*, ut operemur libere, & ut ,, laudemur, aut vituperemur propter ,, actionem aliquam, non tantum requi-,, ritur ut a coactione & violentia, ſed ,, etiam ut a neceſſitate ſoluti ſimus, quem-,, admodum ſacræ litteræ teſtantur, *qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus*.

Duvallius Profeſſor Regius in Sorbona tom. 1. in ſummam D. Thomæ tract. de humanis actibus q. 3. ſic habet: " Prima ,, opinio, eaque hæretica eſt, homi-,, nem nullo ad quaſcumque actiones ,, ſuas libero arbitrio gaudere, ſed abſoluta ,, neceſſitate, quam fatum veteres Philo-,, ſophi appellarunt, ſemper agere, & ,, agi. Ita Simon Magus, Marcion, Wi-,, cleſus, Lutherus, & Calvinus qui cen-,, ſet abolendum eſſe nomen liberi arbitrii, ,, & potius ſervum quam liberum arbitrium ,, appellandum .... & quamvis alibi li-,, berum arbitrium admittere videatur, ,, reipſa tamen illud pænitus deſtruit: ,, quippe cum tantum exiſtimet hominem ,, eſſe liberum a coactione, ita ut ejus ,, voluntas cogi & violentari nequeat: non ,, autem a neceſſitate, quia, *inquit*, ne-,, ceſſario trahitur aut a tentatione dæ-,, monis, aut a gratia Dei.,, Tum art. 2. diſtinguit voluntarium a libero: primum dicit eſſe in beatis, minime vero ſecundum; quod ſic definit: " At vero liberum præ-,, ter iſtud, quod eſt oriri a voluntate, re-,, quirit adhuc poteſtatem ad utrumlibet ,, ſeu indifferentiam.,,

Iſambertus diſput. 1. de libero arbit. art. 2. eodem modo aſtruit libertatem, ſicut & Gammachæus in 1.2.D. Thomæ q. 13. cap. 5. & q. 114. cap. 2. his adjungitur Puteanus Auguſtinianus in Academia Toloſana Theologiæ Profeſſor Regius tom. 1. in 1. 2. q. 10. dubio ſecundo.

Ex Belgiis qui Lutheranos & Calviniſtas impugnarunt.

Malderus Lovanienſis Academiæ Doctor, & Epiſcopus Antverpienſis diſp. 56. in 1. p. D. Thomæ ſic habet: " Prima li-,, bertas eſt a coactione, hoc modo omnis ,, actus elicitus voluntatis liber eſt, ſed ,, hoc modo etiam hæretici libertatem ar-,, bitrii agnoſcunt, detorta nimis etymo-,, logia.,, Et diſp. 59. proponit hunc articulum 68. Remonſtrantium: " In cœlis ,, electi Deo ſerviunt non tantum vo-,, luntarie, ſed etiam libere.,, Tum ſubjicit: " Veriſimile eſt in eo aucto-,, rem hujuſce articuli allucinari, quod ut ,, ſolent ſectarii, non plus ad libertatem ,, requirat quam ad rationem voluntarii. ,, Certum itaque eſt in amore Dei bea-,, tifico electos non eſſe liberos, ſed tan-,, tum voluntarios. Quibus verbis diſtinguit voluntarium ſpontaneum a voluntario libero.

Cunerus Epiſcopus Leovardienſis lib. de libero arbit. cap. 5. dicit: " Solos hære-,, ticos eſſentiam libertatis reponere in ,, exemptione dumtaxat a coactione, at ,, vero reponendam eſſe cum Eccleſia.,, In indifferentia activa qua, ut ante dictum eſt, *Homo aliquid facere, vel idipſum omittere poteſt*.

Wigerius in Academia Lovanieſi Regius Profeſſor in 2. quæſt. 6. art. 2. num. 6. ſic loquitur: " Hæretici hujus temporis, ,, ut Calvinus, Lutherus & alii non ,, agnoſcunt in nobis libertatem ullam quæ ,, opponatur neceſſitati in operando, ſed ,, tantummodo quæ opponatur coactioni ,, ... Sed contra hos certa fide tenen-,, dum eſt, in homine etiam poſt lapſum ,, ſupereſſe naturalem facultatem liberam, ,, dictam liberum arbitrium, nec tantum-

,, modo

„ modo eſſe ejuſmodi potentiam, ſed etiam liberum illius potentiæ uſum, qui „ conſiſtit non tantum in poteſtate operandi voluntarie, ſpontanee & libenter, etiamſi quoque id fiat cum perfecta cognitione & advertentia rationis, „ ſed præterea requiri in potentia quamdam indifferentiam ad agendum poſitis „ jam omnibus ad actionem prærequiſitis. „

Eſtius Duacenſis Academiæ Cancellarius in 2. ſentent. diſt. 7. §. 7. eodem modo inſurgit contra hæreticos, his verbis: „ Hæretici qui hoc tempore liberum arbitrium oppugnant, ac nominatim Calvinus ſolum hoc voluntarium quod coactioni opponitur, tam in Deo quam in creaturis intellectu præditis agnoſcunt .... Libertas arbitrii non ſolum opponitur neceſſitati coactionis, quæ omnino a voluntate eſt aliena, verum etiam neceſſitati naturali, qua voluntas etſi ſponte agat, ſic tamen agit, ut non poſſit non agere. Dicendum igitur eſt arbitrii libertatem, quam contra hæreticos veteres & novos defendit Eccleſia, conſiſtere in facultate eligendi utrumlibet oppoſitorum. „ Idem docet adhuc expreſſius in 2. diſt. 24. §. 1.

Ex Hiſpanis.

FRANCISCUS Horantius Minoritanus, qui adfuit Concilio Tridentino ut Theologus lib. 1. cap. 49. adverſus Calvinum dicit, eſſe in nobis libertatem, teſte Auguſtino, non quæ coactionem modo, verum etiam neceſſitatem excludat.

Caſpenſis Capuccinus inſignis Theologus Tract. de gratia diſput. 3. ſect. 5. probat auctoritate Conc. Trident. libertatem eſſentialiter conſiſtere in indifferentia activa & ad oppoſitum.

Alvarez diſput. 3. de auxiliis num. 9. confutat ex profeſſo errorem Lutheri & Calvini in hoc puncto, contendens gratiam non tollere indifferentiam activam voluntatis. Idem docet Cabrera, Franciſcus Cumel in 1. 2. diſcurſu 2. aſſert. 4. Idem Joſephus a ſancta Maria in Tract. Thomiſt. quæſt. 2. art. 3. Idem Thomas Puis a ponte Lerinenſi in 1. p. quæſt. 14. art. 13. dubio 5. pag. 212. & celebris Petrus Ledeſma Tract. de auxiliis diſput. de electione ad gloriam. Ergo &c.

Ex Italis.

CELEBRIS Bellarminus lib. 3. de gratia & libero arbitrio cap. 4. ex profeſſo Lutheranos impugnat demonſtrando ſecundum doctrinam catholicam, libertatem eſſentialiter conſiſtere in exemptione tum a coactione, tum a neceſſitate.

Pennotus lib. 1. cap. 16. Calvini doctrinæ, hanc inurit notam: " Hæc Calvini „ ſententia eſt error in fide manifeſtus; „ intendit enim voluntatem ea ſola ratione liberam vocari poſſe, quod ſit „ immunis a violentia & coactione, & „ quod ſponte agatur ſua. „

Alexander Pecanzus nobilis Romanus in 1. 2. 6. art. 3. diſput. 4. ſic habet: „ Dico 2. liberum arbitrium excludere „ neceſſitatem, & non poſſe aliquid neceſſarium eſſe liberum; eſt de fide. „

Septimo, *rationibus Theologicis*.

PRIMA: Ex Patribus & Theologis libertas dicit exemptionem a coactione & neceſſitate, & oppoſitum eſt hæreticum; Igitur eſſentia libertatis in indifferentia activa, & in potentia ad oppoſitum ſita eſt; prævalet enim unanimis Theologorum Doctorum conſenſus alicui particulari.

Secunda: Liber ille dicitur, qui non eſt ligatus: ſed qui eſt neceſſitatus, eſt ligatus, ut homo in compedibus, etiam teſte Janſenio. Ergo &c.

Tertia hæc eſt: Ille eſt liber, qui non eſt determinatus ad unum; ideo enim belluæ non ſunt liberæ; licet enim agant ex præcognitione rerum, quia tamen inſtinctu rapiuntur ad objecta, dicuntur neceſſitatæ, & omnis libertatis expertes: ſed qui eſt neceſſitatus, eſt ad unum determinatus, & teſte Janſenio rapitur vel ad malum per concupiſcentiam, vel ad bonum per gratiam. Ergo &c.

Quarta: Liber ille eſt ſecundum omnes Theologos, qui agit per conſilium & inquiſitionem conferendo media cum fine, & eligendo proportionata: ſed qui eſt neceſſitatus non agit per deliberationem rationis, neque per electionem; ad quid enim conſilium & inquiſitio ſi neceſſitetur? Ergo &c.

Quinta: Ille eſt liber qui eſt capax exhortatio-

tationis & comminationis: ſed qui eſt neceſſitatus non eſt capax exhortationis & comminationis, quia his non obſtantibus faciet malum, ſi ad hoc determinatus eſt neceſſario: Ergo &c.

Sexta: Ille eſt liber qui eſt capax meriti & demeriti: ſed qui eſt neceſſitatus nullum meretur præmium, nullamque pro culpis debet pœnam incurrere: nemo enim culpabilis in eo, quod vitare non poteſt.

Solvuntur objectiones Janſenii.

OBJICIT: Jerem. 10. habetur: *Non eſt hominis via ejus*. Tum Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me*, inquit Chriſtus, *niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Igitur homo eſt neceſſitatus in ſuis actionibus, licet ſit liber, adeoque libertas conſiſtit ſolum in exemptione a coactione.

Reſpondeo negando antecedens: Senſus Jeremiæ eſt, hominem non poſſe ſuum aſſequi propoſitum quando inſurgunt impedimenta extrinſeca, v. g. homo viator qui incidit in ægritudinem, non poteſt ulterius pergere. Huic reſponſioni iſta ulterior ſubjungitur, ſenſum eſſe hominem, niſi adjuvetur a Deo ſive per concurſum naturalem in actionibus naturalibus, ſive per gratiam in ſupernaturalibus, nequidquam poſſe facere.

Interpretatio ſecundi loci eſt, hominem moveri & ab objecto, & a ſuavitate gratiæ, juxta illud Prophetæ Pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*. Se movet libere adjutus, attamen a gratia, ut probatum eſt, unde tractio apud Joannem non ſignificat neceſſitatem & violentiam, ſed tantum motionem: ita Aug. hic Tract. 26. in Joan. ubi dicit, quod ſicut puer attrahitur oſtendendo illi nuces, ita homo per gratiam; movet autem ſe libere puer circa nucem: Igitur & movetur homo libere per gratiam.

Inſtat: Si libertas conſiſtit in indifferentia activa, maxime propter illud Eccl. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum*: Sed hoc arguit libertatem indifferentiæ ſolum pro ſtatu naturæ innocentis. Et probatur ex D. Thoma, qui 1. 2. quæſt. 109. art. 8. ad 3. ſic loquitur: " Dicendum, „ quod ſicut Aug. dicit in Hyppognoſti„ co, Verbum illud Eccl. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum*; in„ telligitur de homine ſecundum ſtatum „ naturæ integræ, quando nondum erat „ ſervus peccati, unde poterat peccare „ & non peccare. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo: Et D. Thomas vult ſolum quod requiratur gratia habitualis in ſtatu naturæ lapſæ ad vitandum diu peccatum, concedo: quia, inquit, debet ſanari; in ſtatu autem innocentiæ viribus naturæ juſtitia originali illuſtratæ poterat repellere tentationes, & perſeverare in bono ſaltem per aliquod tempus ſine gratia ulteriori: & excludit indifferentiam activam, nego. Ita expreſse in corpore articuli, his verbis: " Dicendum, quod de „ homine dupliciter loqui poſſumus; uno „ modo ſecundum ſtatum naturæ inte„ græ; alio modo ſecundum ſtatum na„ turæ corruptæ: ſecundum ſtatum qui„ dem naturæ integræ etiam ſine gratia „ habituali poterat homo non peccare nec „ mortaliter, nec venialiter, quia pec„ care nihil aliud eſt quam recedere ab „ eo quod eſt ſecundum naturam, quod „ vitare homo poterat in ſtatu naturę inte„ græ: non tamen hoc poterat, ſine au„ xilio Dei in bono conſervantis, quo ſub„ tracto, etiam ipſa natura in nihilum de„ cideret; in ſtatu autem naturæ corru„ ptæ indiget homo gratia habituali ſa„ nante naturam ad hoc, quod omnino a „ peccato abſtineat. „ Et ſic evaneſcit objectio quam Janſenius ventilat ut quid inexpugnabile, detorquendo locum S. Thomæ in perverſum ſenſum.

Urget: D. Thomas 1. p. quæſt. 82. art. 1. ait: " Neceſſitas autem naturalis non „ aufert libertatem voluntatis. „ Igitur ex eo neceſſarium non opponitur libertati. Confirmatur: Paſſim dicit voluntarium idem eſſe ac liberum; ſæpius etiam vocat liberum quod non eſt coactum: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Neceſſitas naturalis non aufert libertatem potentiæ, concedo: libertatem actus, nego. Voluntas ex D. Thoma agit dupliciter, ſcilicet ut natura, & ut libera; ut natura in motibus primo-primis, ut libera, in motibus deliberatis. Prima neceſſitas non impedit quominus potentia maneat intrinſece libera, in quantum agendo per ele-

ctionem

ctionem poteſt elicere actum liberum. Vult ergo ſolum D. Thomas quod neceſſitas naturalis non tollat libertatem potentiæ; at non intendit quod voluntas ſit libera quando agit ut natura, ſed ſolum quando operatur per deliberationem rationis, ut ipſe multoties dicit.

Reſpondeo II. aliter diſtinguendo: Neceſſitas naturalis finis non tollit libertatem, concedo: neceſſitas actus, nego. Duplex eſt neceſſitas, una finis, quatenus creatura in omnibus agit propter finem: altera actus, quæ eſt determinatio ad unum. Prior non nocet libertati, bene vero altera. Ita S. Thomas, cujus hæc eſt concluſio: " Voluntas nihil velle pot-„ eſt coactionis neceſſitate, poteſt au-„ tem aliquid velle neceſſitate finis. „ Rurſus ibidem ad 3. " Dicendum, „ quod ſumus domini noſtrorum actuum „ ſecundum quod poſſumus hoc vel illud „ eligere. Electio autem non eſt de fine, „ ſed de his quæ ſunt ad finem. „

Ad confirmationem, diſtinguo: Voluntarium deliberatum idem eſt ac liberum, concedo: voluntarium mere ſpontaneum, nego. Omne liberum eſt voluntarium & ſpontaneum, ſed non e converſo, niſi voluntas ſe determinet ad actum per deliberationem rationis, & hic eſt germanus D: Thomæ ſenſus; quandoquidem contrariam opinionem reputat hæreticam.

Ad alteram confirmationem, diſtinguo: Quod non eſt coactum eſt liberum, ut coactum dicit exemptionem à violentia & neceſſitate, concedo: violentia tantum, nego. D. Thomas ſumit coactum in primo ſenſu, quia neceſſarium quodammodo eſt coactum, in quantum ligat & determinat potentiam ad unum.

Inſiſtis: Illud eſt liberum quod procedit vitaliter a voluntate ex prævia cognitione, & reflexione: ſed actus voluntarius licet pure ſpontaneus, procedit vitaliter a voluntate cum reflexione & ex prævia cognitione: unde homo agit quia vult, & ſic explicantur, inquit Janſenius lib. 6. de gratia Chriſti cap. 34. illæ ſententiæ veteris Teſtamenti: *Qui potuit transgredi & non eſt tranſgreſſus: ante hominem vita & mors, bonum & malum* Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Quod procedit per electionem, concedo: ſi tantum per ſpontaneitatem, nego. Secundum dicit Janſenius lib. 6. de gratia Chriſti cap. 34. ſed in hoc abjectus manens a Concilio Tridentino, fruſtra dicit, ut declinet anathema, ſe loqui ſolum contra neceſſitatem fati a Gentilibus & Manichæis inductam, nam ſacra Synodus expreſſe ait ſeſſ. 6. Can. 4. liberum arbitrium motum poſſe diſſentire ſi velit: Igitur omnem eliminat neceſſitatem.

Replicat: Spontaneitas non opponitur indifferentiæ: ſed voluntas eſt libera eo ipſo quo eſt indifferens. Ergo &c. Probatur major: peccator ſponte obediens cupiditati ad malum faciendum, poteſt mutari per gratiam fortiorem ad faciendum bonum, ſicut victus a gratia pro bono faciendo, poteſt poſtea per novos concupiſcentiæ impetus ad committendum peccatum inclinari: Igitur eſt liber.

Reſpondeo diſtinguendo: Spontaneitas non opponitur indifferentiæ ſtatus, concedo: indifferentiæ electionis, nego. Duplex eſt indifferentia, alia ſtatus, alia vero electionis & libertatis. Prior conſiſtit in eo quod homo poſſit facere bonum, poſtea in alio inſtanti per aliquam cauſam mutari ad feciendum contrarium, & hæc competit viatoribus, qui pro ſtatu flexibiles ſunt ad utrumque, in quo differunt a beatis, qui pro ſtatu ſuo ſemper volunt bonum immutabiliter, & a damnatis qui e contra, malum. Poſterior vero conſiſtit in virtute intrinſeca electiva, qua voluntas ita vult bonum ſub dominio gratiæ, ut in eodem inſtanti poſſit gratiæ moventi reſiſtere, ut definivit Tridentinum, a fortiori concupiſcentiæ provocanti ad malum. Janſenius lib. 6. de gratia Chriſti cap. 34. pag. 300. col. 2. ſolam admittit primam indifferentiam, his verbis: " Quando „ Scripturæ, vel Patres vel Concilia in-„ differentiam illam agendi boni & ma-„ li, & arbitrii flexibilitatem ad utram-„ que partem urgent, aut medicant, aut „ provocant, per quam videlicet poſſi-„ mus, ſi volumus, bene vel male vi-„ vere, velle vel non velle divinæ in-„ ſpirationi libere conſentire, eamque „ abjicere, Deo vocanti conſentire aut „ diſſentire, certum liberi arbitrii ſta-„ tum rejiciunt, cui hujuſmodi flexibili-„ tas propria & ſemper præſto eſt. „

Perſiſtis: Concilium Tridentinum, non aliam indifferentiam exigit ad libertatem, quam indifferentiam ſtatus. Et probatur:

batur : Hac poſita , voluntas agit & ſe movet active : ſed nihil aliud exigit Tridentinum. Et probatur: Concilium damnat Lutheranos eo quod dicerent liberum arbitrium paſſive ſe habere in actionibus humanis: Calviniſtas vero , quia illud dicebant extinctum: Igitur eo ipſo quo active ſe habet voluntas , nihil aliud exigit.

Reſpondeo negando ſequelam . Ad probationem diſtinguo : Damnat Tridentinum Proteſtantes , quia dicebant liberum arbitrium ſe habere paſſive , paſſivitate electionis, concedo: paſſivitate inactionis, nego. Duplex eſt paſſivitas , alia inactionis, quando nihil confert paſſum, ut lapis projectus qui nihil motui projectionis contribuit; alia electionis, quando voluntas quidem agit , ſed ut tracta neceſſario vel a concupiſcentia ad malum , vel a gratia ad bonum , cuius eſt pediſequa. Concilium damnat directe ſecundam paſſivitatem ; ſic enim habetur ſeſſ. 6. c. 5.
,, Ut, qui per peccata a Deo averſi erant,
,, per ejus excitantem atque adjuvantem
,, gratiam ad convertendum ſe , ad ſuam
,, ipſorum juſtificationem , eidem gratiæ
,, libere aſſentiendo , & cooperando diſ-
,, ponantur : ita ut , tangente Deo cor
,, hominis per Spiritus ſancti illumina-
,, tionem , neque homo ipſe nihil omni-
,, no agat , inſpirationem illam recipiens,
,, quippequi illam & abjicere poteſt . ,,
Igitur Tridentinum vult quod voluntas ſe habeat active libere in eo ſenſu quo poſſit gratiam abjicere.

Quod autem Janſenius fucum faciat in ſua objectione detorquendo Tridentinum in ſenſum pravum , patet ex eo , quod quæſtio inter Concilium & Proteſtantes non eſſet de paſſivitate inactionis , ſed electionis : quandoquidem hæretici non dicebant liberum arbitrium paſſive ſe habere in eo ſenſu , quod active nullo modo ſe haberet , ſed tantum in eo quod raperetur a concupiſcentia ad malum , a gratia vero ad bonum. Ecce Lutherus ſui ipſius interpres lib. de ſervo arb. pag. 468. ubi, ſic loquitur : " Neceſſario operamur,
,, neceſſario dico non coacte, hoc eſt, ho-
,, mo cum vacat Spiritu Dei , non qui-
,, dem violentia , vel ut raptus obtorto col-
,, lo nolens facit malum , ſed ſponte & li-
,, benti voluntate facit . ,, Kemnitius Lutheranus in examine Tridentini in ſeſſ. 6. editionis Francofurtenſis anno 1558. pag. 125. & 126. defendit Lutherum contra eos qui putabant ipſum velle , ut voluntas paſſive ſe haberet ſicut lapis reſpectu projectionis : " Quaſi ſenſus ſit Spi-
,, ritum ſanctum ita operari converſio-
,, nem , ut in voluntate quæ venerari
,, cœpit , nulli omnino ſequantur novi
,, motus : ſed plane ſit otioſa & iners, &
,, tamquam bruta agitatione percellatur,
,, & protrudatur , quod Luthero num-
,, quam in mentem venit . . . . Sed hoc
,, unum voluit , uſus Theologorum phra-
,, ſi Deum , quos convertit trahere vo-
,, luntatibus eorum , quas ipſe in illis
,, per Spiritum ſanctum operatus eſt . ,,

Philippus Melancton animadvertens multos ſcandalizari de illo verbo *paſſive*, ab illo abſtinuit , dicendo voluntatem active ſe habere ſub dominio gratiæ , propter quod laudatur a Calvino , qui lib. 1. de libero arbitrio pag. 142. ſic ait : " Hoc
,, quoque verum eſt, nonnulla quę Scho-
,, laſtico dicendi genere , & minus po-
,, pulari ſtudio ſcripſerat Lutherus , Phi-
,, lippum Melanctonem prudenter & ma-
,, gna dexteritate in meliorem formam
,, flectendo ad vulgarem hominum ca-
,, ptum ſcripſiſſe . ,, Igitur hæretici damnati ſunt præciſe propter neceſſitatem ſpontaneitatis , quæ omnem electionem activam excludit.

Janſenii igitur opinio eadem eſt cum opinione Lutheri & Calvini in hoc puncto; ait enim lib. 8. de gratia Chriſti cap. 21. pag. 270. col. 2. ſanctam Synodum licitam intactamque præteriviſſe opinionem Calvini de natura libertatis , qua in immunitate coactionis liberum arbitrium collocat; " Si qua iu re Calvinus cum Au-
,, guſtino & antiquis Patribus ſenſerit ,
,, non propter Calvinum Auguſtino in-
,, dignandum eſt, ſed propter Auguſtinum
Calvino gratulandum . ,, Sic fucum facit citando Auguſtinum , ut Calvino blandiatur , & declinet Tridentini anathemata.

Reponis : Homo tametſi liber, eſt tamen corruptus : ſed propter corruptionem eſt neceſſitatus ad malum , ad bonum vero per gratiam : Ergo &c. minorem aſſirmat Jauſenius lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 25. ubi dicit ; *Ineſſe homini lapſo neceſſitatem peccandi* ; *& non eſſe in poteſtate illius vias malas* . Ergo &c.

Reſpon-

Reſpondeo: Hæreticum eſſe dicere, non eſſe homini vias ejus malas, hoc dicit Calvinus lib. 2. inſt. cap. 5. & in probationem affert, illud Iſaiæ: *Juſtitia noſtra ſicut pannus meſtruata*. Et illud Apoſtoli: *Sumus natura filii iræ*. Idem adhuc repetit Janſenius lib. 8. de gratia Chriſti cap. 5. 6. & 21. quam quidem doctrinam exprobrat Proteſtantibus Concilium Senonenſe in præfatione, quamque debellat decreto 15. probando ineſſe homini vias ſuas malas, his verbis Geneſ. 4. *Quare iratus es*, inquit Deus Caino, *& quare concidit vultus tuus; nonne ſi bene egeris recipies? Sin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit, ſubter te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*.

Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 6. eamdem doctrinam anathemate percellit, his verbis: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere; anathema ſit*. Quæ verba explicans Alvarez diſp. 26. de auxiliis num. 27. ait: *Alii nonnulli dixerunt hominem ad peccandum neceſſitari, & quamvis ſponte peccaret, quia voluntate ſua concurrebat active ad peccatum, non tamen libere; contra iſtum errorem definit Concilium Tridentinum*, Seſſ. 6. Can. 6. *ubi anathematizatur, qui dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, non ſolum ſponte, ſed etiam libere*. Idem dicit Eſtius in 2. diſſert. 24. §. 1. Horantius lib. 1. cap. 44. Tapperus artic. 7. pag. 284. Duvallius quæſt. 3. de Act. hum. artic. 1. Iſambertus diſputat. 1. quæſt. de l. arbit. art. 7. Bellarminus lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 22.

Iſta propoſitio 67. Baji: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit*; proſcripta eſt a ſummis Pontificibus, & a ſacra Facultate Pariſienſi Decreto ſupra relato, ubi etiam damnatur iſta: *Homo faciendo quod in ſe eſt, peccat, & non poteſt non peccare faciendo quod in ſe eſt*. Cenſura: *Tota hæc propoſitio eſt hæretica*. Cæterum omnes Theologi Orthodoxi opinionem, quæ imponit neceſſitatem peccandi, vocant impiam & hæreticam: ita Sanctefius in Atheiſmis Calvini fol. 321. pag. 3. Cardinalis Perronius in reſponſ. ad Regem Angliæ Obſ. 3. cap. 8. Eſtius in 2. diſt. 7. Duvallius ibidem, Iſambertus diſput. 1. de libero arbitrio art. 2. Gammachæus in 1. 2. quæſt. 13. cap. 6. omnes in p. quæſt. 23. art. 3. dub. 3. concluſione 3. Ledeſma Tract. de auxiliis quæſt. unica art. 16. Alvarez diſput. 26. de auxiliis num. 27. Ecce & Concilia & omnes Theologi contra doctrinam Janſenii de neceſſitate peccandi. Ergo &c.

Reſpondeo ad loca Scripturæ: in primo quidem, Iſaiam loqui de actionibus Judæorum ex motivo hypocriſis factis, quæ ideo erant veluti pannus menſtruatæ, teſte ipſo Chriſto, qui dicit Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me*. Non ſequitur igitur quod actiones factæ ex motivo bono ſint malæ.

Ad alium locum, diſtinguo: Sumus natura filii iræ, id eſt, a conceptione corrupti per peccatum originale, concedo: id eſt, natura humana valet ſolum ad malum, nego. Primum ſolum intendit Apoſtolus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Libertas eſſentialiter conſiſtit in indifferentia actus.

PRIMO: Sic habetur in Scriptura Eccl. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*. Tum 1. Cor. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis*.

Secundo: Hoc ipſum de fide definivit Synodus Trid. ſeſſ. 6. can. 4. his verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum... Non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit*. Concinunt Patres: Irenæus lib. 4. adv. Hær. cap. 17. Damaſcenus lib. 2. de fide & cap. 26. &c.

Tertio: Ratio ſuffragatur: Qui vel ex violentia, vel ex neceſſitate ad unum determinatur, jam non eſt liber, quippe qui non ſit ſui actus dominus: dominium enim in eo ſitum eſt, quod poſſit homo agere ad libitum vel non agere. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO, Nullum faceſſit negotium iſta Scripturæ ſententia: *Non eſt hominis via ejus*. Senſus enim eſt hominem, ſecluſo primæ cauſæ auxilio, non poſſe agere. Sed

Deus

Deus attingit modum agendi rerum fortiter ſimul & ſuaviter, faciendo cauſas liberas agere libere.

Secundo: Quando S. Thomas ait neceſſitate, libertatem non perimi, loquitur ſolum de neceſſitate finis, minime vero de neceſſitate actus: Omnes enim in genere agunt neceſſario propter beatitudinem, nuſquam vero in ſpeciali, cum quidam illam in divitiis reponant, quidam autem in voluptatibus, &c.

Tertio: Spontaneum quandoque vocatur liberum, ſed late, ut ly *liberum* excludit omne violentum.

De quarta propoſitione.

QUARTA propoſitio, duas habet partes: Prima quidem eſt, Semipelagianos admiſiſſe gratiam ad initium fidei; altera vero in hoc fuiſſe hæreticos quod dicerent eam ſubdi libero arbitrio, ita ut illi poſſet reſiſtere, vel non. Prior refutata manet ex dictis contra Semipelagianos, ubi oſtendimus eos non admiſiſſe gratiam ad initium fidei. Poſterior vero etiam refutata eſt ex confutatione ſecundæ propoſitionis, quum probavimus hominem in hoc præſenti ſtatu poſſe reſiſtere gratiæ interiori: unde ſit

ARTICULUS QUARTUS.

De quinta propoſitione.

Utrum Chriſtus mortuus ſit pro omnibus & ſingulis hominibus?

CONCLUSIO.

Chriſtus mortuus eſt pro ſingulis hominibus qui fuerunt a creatione mundi, qui nunc ſunt, & qui futuri ſunt uſque ad conſummationem ſæculi.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

LEGITUR 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt*. Quibus verbis infert Apoſtolus ideo Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, quia omnes mortui ſunt. Igitur Chriſtus mortuus eſt pro ſingulis, ſiquidem ſinguli mortui ſunt in Adamo.

Rurſus Epheſ. 1. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*. Tum ad Coloſſ. 1. *In ipſo complacuit reconciliare omnia*. Sed eſt de fide Chriſtum reconciliaſſe omnes & ſingulos homines; ſiquidem, teſte eodem Apoſtolo: *Unus eſt mediator omnium Chriſtus Dominus*: Igitur pro ſingulis mortuus eſt, alias non reconciliaſſet omnia, nec eſſet unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus, ut habetur ad Tim. 2.

Idem 1. ad Tim. 4. ait: *Qui eſt Salvator omnium hominum, maxime fidelium*: Igitur ſingulos redemit. Unde Rom. 8. habetur de Patre æterno: *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Certum eſt autem quod multi ex fidelibus reprobati ſunt: Igitur eſt de fide quod Chriſtus mortuus ſit etiam pro reprobis: unde S. Hieronymus, & S. Proſper explicantes locum ad Tim. redemptionem Chriſti extendunt ad ſalutem ſingulorum: immo ipſe Apoſtolus ad Rom. 14. eſt ſui ipſius interpres, his verbis: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt*. Loquitur enim indiſcriminatim pro ſingulis. D. Thoma comm. in iſtum locum dicit: "Pro omnium ſalute Chriſtus mortuus eſt." Ergo &c.

Secundo, ex Conciliis.

SEXTUM generale, hanc aſtruit doctrinam; namque Act. 11. lecta & approbata Epiſtola Sophronii, in qua ſic loquitur: "Miſeri animas mortificant homi-„ num, pro quibus mori Chriſtus dignatus „ eſt, & pro quorum redemptione ſan-„ guinem ſuum fudit." Ergo &c.

Cariſiacum Can. 4. ſic habet: "Chri-„ ſtus Dominus noſter, ſicut nullus homo „ eſt, fuit, vel erit, cujus natura in illo „ aſſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, „ vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit, „ licet non omnes paſſionis ejus myſte-„ rio redimantur." Rationem affert ſequentibus verbis, ultimæ particulæ, quia, *inquit*, multi per peccata obicem ponunt redemptioni actuali, & applicanda: Obſervandum eſt Synodum ſic definire contra Prædeſtinatianos, qui negabant Chri-

ſtum

ſtum mortuum eſſe pro ſingulis hominibus: Igitur ex Concilio Chriſtus mortuus eſt pro ſingulis.

Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 2. idem definit contra Proteſtantes, his verbis: " Hunc, „ *Chriſtum*, propoſuit Deus propitiatorem „ per fidem in ſanguine ipſius pro pecca- „ tis noſtris, non ſolum etiam pro no- „ ſtris, ſed etiam pro totius mundi „ Tum c. 4. ſubdit: " Verum, & ſi ille pro omni- „ bus mortuus eſt, non omnes tamen mortis „ ejus beneficium recipiunt, ſed ii dum- „ taxat quibus meritum paſſionis ejus „ communicatur. „ Si non ſolum pro noſtris, ſed & pro totius mundi delictis Chriſtus ſit propitiatio, ut Joannes ante Trident. dicit epiſt. 1. cap. 2. mortuus eſt pro ſingulis; alias non diceret Evangeliſta, non Trident. non ſolum pro noſtris, ſed & pro totius mundi delictis, tum quia qui dicit totius mundi, nihil excipit.

Abſurdum eſt quod Janſenius reponit, ſcilicet Trident. velle ſolum Chriſtum dediſſe pretium ſufficiens; nam præter quam quod non eſſet verum dicere mortuum pro totius mundi delictis, ſequeretur quod eſſet etiam mortuus pro dæmonibus; cum enim ſanguis ipſius ſit pretii infiniti, eſt de ſe ſufficiens ad ſalvandos damnatos reduplicative ut damnatos, & ſic foret redemptio in inferno, quod eſt contra fidem.

Tertio, ex Patribus Græcis.

ORIGENES lib. 1. contra Celſum pag. 427. col. 1. edit. pariſ. 1674. ait: " Qui „ humanam naturam ſumpſerat, ut li- „ quet intelligenti Jeſum eſſe mortuum „ pro omnibus. „ Pag. 429. col. 1. " Manifeſte enim nobis compertum eſt... „ quod peccatum non cognoverit, & quod „ eum purum tradiderit Deus pro omni- „ bus peccatoribus. „

Gregorius Nazianz. orat. 25. pag. 436. dicit: " Ipſas etiam Chriſti propaſſio- „ nes, per quas omnes reformati ſumus „ nullo penitus excepto. „ Quibus verbis docet Paſſionem Chriſti eſſe pro ſingulis.

Chryſoſtomus hom. 9. in cap. 2. 1. ad Tim. ſic loquitur: " Unus enim Deus, „ unus & Mediator hominum Chriſtus „ Jeſus, qui dedit ſemetipſum redem- „ ptionem pro omnibus...., Numquid „ etiam pro Gentilibus... mortuus?... „ & quo pacto, *inquit*, illi non credide- „ runt, quia noluerunt? Suas tamen ille „ partes executus eſt, dum pro eis in cru- „ ce penderet. „ Igitur ex Chryſoſtomo Chriſtus mortuus eſt pro ſingulis; nam reſpondet objectioni in contrarium poſtquam aſſeruerat ita eſſe

Amphilochius hom. in peccatricem pag. 81. Cyrillus Alex. l. 1. in Joan. pag. 89. idem dicunt: Similiter & Baſilius in lib. regularum diſputatarum quæſtionum, in reſponſione ad quæſt. 2. pag. 418. ubi ait diabolum exprobraturum damnatis, quod ipſi maluerint ſervire mundo quam Chriſto, qui pro illis tantum dederat pretium: Igitur Chriſtus mortuus eſt pro ſingulis, ſin minus non eſſet juſta dæmonis exprobratio.

Quarto ex Patribus Latinis.

S. CYPRIANUS lib. de opere & eleemoſyna paulo ante finem eodem modo loquitur ac Baſilius his verbis: " Ego, dia- „ bolus, pro iſtis quos mecum vides, nec „ alapas accepi ... nec familiam meam „ pretio paſſionis & cruoris redemi .... „ tuos tales munerarios Chriſte demonſtra „ ... illos divites...., Sic, *inquit*, dæmon improperabit Chriſto: igitur Chriſtus pro ſingulis mortuus eſt: alias inutilis foret iſta increpatio.

S. Hilarius in Pſal. 59. " Nunc autem, „ *ait*, per unum in omnes donum vitæ „ juſtificationis gratia abundavit: ut quo- „ rum terra maledicta eſt, nunc confor- „ mia Deo corpora ſint. „ Si in omnes gratia abundat, igitur pro ſingulis mortuus eſt. Idem docet in Pſal. 111. & 118.

Ambroſius in 2. ad Cor. 5. verſ. 15. ſic loquitur: " Et pro omnibus mortuus eſt „ Chriſtus, quia omnes neceſſe eſt mori „ cauſa Adæ: pro omnibus mortuus eſt „ Chriſtus, ideoque qui vivunt in cor- „ pore, ſcientes Chriſtum mortuum „ eſſe pro ſe, ſint ei ſubditi, profitentes „ hunc Dominum. „ Tum in Pſal. 118. explicans verſum 64. *Miſericordia tua Domine plena eſt terra*: dicit: " Plena eſt er- „ go terra miſericordia Domini, quia „ omnibus eſt data remiſſio peccatorum, „ ſuper omnes ſol oriri jubetur. „

S. Hieronymus epiſt. 83. etiam ſic loquitur: " Ecce Agnus Dei, ecce qui tol-

lit

„ lit peccata mundi; ſi ſunt adhuc in ſæ-
„ culo quorum Chriſtus peccata non tu-
„ lerit, aut enim oſtendendi ſunt non eſ-
„ ſe de mundo, quos Chriſti ignoret in-
„ dulgentia, aut ſi de mundo ſunt, eli-
„ gendum e duobus alterum, liberati a
„ peccatis Chriſti potentiam probant, non
„ liberati, quaſi adhuc rei, imbecillita-
„ tem demonſtrant. „

Paulinus epiſt. 2. pag. 24. idem ſentit: " Omnem, *inquit*, quaotum in ipſo eſt „ hominem ſalvum fieri vult, qui fecit „ omoes, nam & idcirco deſcendit ad „ nos, ut ad illum aſcenderemus. „

S. Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 16. ſic habet: " Nulla eſt ratio dubitandi „ Jeſum Chriſtum pro impiis & peccato- „ ribus mortuum, a quorum numero ſi „ aliquis liber eſt inventus, non eſt pro „ omnibus mortuus Chriſtus: Sed pror- „ ſus pro omnibus mortuus eſt. „ Ita torquet Janſenium ille locus, ut lib. 3. de gr. Chr. c. 21. p. 162. col. 2. redargue- re S. Proſperum videatur, quaſi veſtigiis S. Aug. in hoc ſecundum ſuum perverſum ſenſum non inſtiterit: " Proſpero, *inquit*, „ antiquior & doctior S. Auguſtinus num- „ quam in ſcriptis ſuis fatetur Chriſtum „ pro omnibus nullo excepto ſe dediſſe „ redemptionem, ſe crucifixum eſſe, vel „ mortuum. „

Rurſus ibidem cap. 31. ſic loquitur de Chriſto: " Sive manifeſte, ſive occulte, „ ipſe eſt, ut Apoſtolus ait, Salvator „ omnium, maxime Fidelium .... „ Totam hanc de qua agimus controver- „ ſiam dirimit. Dicendo enim qui eſt Sal- „ vator omnium, confirmavit bonitatem „ Dei ſuper univerſos homines eſſe ge- „ neralem. Adjiciendo autem, maxime „ Fidelium, oſtendit eſſe partem gene- „ ris humani, quæ merito fidei divinitus „ inſpiratæ ad ſummam atque æternam ſa- „ lutem ſpecialibus beneficiis provehatur. „

S. Leo ſerm. 1. de Nativ. Chriſti eam- dem prædicat veritatem: " Dominus no- „ ſter, *ait*, ſicut nullum a reatu liberum „ reperit, ita liberandis omnibus venit. „ Idem dicunt cæteri Patres ſubſequentium ſæculorum.

Divus Thomas lect. 1. in cap. 2. 1. ad Timot. dicit Chriſtum mortuum eſſe pro aliquibus efficaciter, ſed pro omnibus ſuf- ficienter: Sanguinem vero ipſius effica- cia & effectu carere in reprobis propter im- pedimentum quod ponunt. Tum 3. p. q. 49. art. 2. ad 3. ſic habet: " Semper „ .... per paſſionem Chriſti eſt paratum „ hominibus remedium ſe tuendi contra „ nequitias dæmonum, etiam tempore „ Antichriſti; ſe ſi aliqui hoc remedio „ uti negligant, nihil deperit efficaciæ „ paſſionis Chriſti. „ Ergo &c.

Quinto ex rationibus Theologicis.

PRIMA: Chriſtus ex Scriptura, Conci- liis & Patribus eſt Propitiatio pro peccatis omnium, & omnes redemit: Igitur pro ſingulis mortuus eſt; ſiquidem ſingulos non potuit redimere, niſi per mortem, & ſanguinis effuſionem; eſt autem hæ- reticum dicere, Chriſtum non omnes & ſingulos homines redemiſſe: Igitur & con- ſequenter dicere, non eſſe pro ſingulis mortuum.

Altera: Eſt de fide gratiam Chriſti ſuper- abundaſſe, ubi abundaverat delictum: & hoc per mortem, cujus meritum gratiam operatur: Sed ſi Chriſtus non eſſet mor- tuus pro ſingulis, non eſſet verum dice- re gratiam ſuperabundaſſe, ſiquidem peccatum regnavit in omnibus: Igitur di- cendum eſt Chriſtum mortuum eſſe pro ſin- gulis: Tum quia meritum paſſionis utpote infinitum, non debet limitari ad aliquos, ſed potius ad omnes & ſingulos exten- di: præſertim vero cum hoc exigat im- menſa Chriſti charitas, quam peccatorum flumina obruere non poſſunt: Tum quia etiam hac redemptionis ſecluſa extenſio- ne peccatum ſuperabundaret, non gratia, quippe quod, teſte Apoſtolo Rom. 5. mors iſta regnaverit in omnes, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem præva- ricationis Adæ, propria ſcilicet volunta- te, ut infantes.

Tertia: Omnes tenentur credere Chri- ſtum eſſe Salvatorem noſtrum, juxta il- lud Symboli: *Qui propter nos homines & pro- pter noſtram ſalutem deſcendit de cælis*: Sed ſi Chriſtus non eſſet pro ſingulis mor- tuus, omnes non tenerentur illum agno- ſcere ut Salvatorem: immo nulli poſſent credere fide Theologica; cum enim fides ſit eſſentialiter certa, ſi Chriſtus ſit ſo- lum pro aliquibus mortuus, cum nemo in hypotheſi poſſit ſcire ſi eſſet pro ſe ipſo mortuus, nullus quoque fide Theologica teneretur credere eſſe ſuum Salvatorem, quod eſt impiiſſimum: Ergo &c.

Quan-

Quarta: Omnes ſpe Theologica ſperare debent vitam æternam per Chriſti merita: Sed cum ſpes innitatur certitudine fidei, deficiente fide, deficiet & ſpes in Chriſtum: Igitur ſicut in hypotheſi nemo foret certus Chriſtum eſſe pro ſeipſo mortuum; ita nec ſpe Theologica in ipſum ut in ſuum amantiſſimum Mediatorem ſperaret: & hoc eſſet ulterior blaſphemia.

Quinta: Omnes tenentur amare Chriſtum intuitu paſſionis ejus, juxta illud Aug. lib. de catechizandis rudibus cap. 4. *Si amare pigebat, ſaltem redamari non pigeat*. Sed in hypotheſi quod non foret pro omnibus mortuus, nullus, quod abſit dicere, teneretur illum amare amore theologico, qui fidei certitudine nititur: Ergo &c. Et ſic patet quomodo opinio contraria extinguat fidem, frangat ſpem, charitatem evacuet.

Fit ſatis objectionibus Novatorum.

OPPONUNT: Joan. 14. habetur: *Non pro mundo rogo*, inquit Chriſtus: Igitur non eſt mortuus pro omnibus, alias pro mundo rogaſſet; ſiquidem per orationem ſuam applicavit redemptionem.

Reſpondeo 1. argumentum nimis probare. Probat enim Chriſtum ne quidem pro electis oraſſe, ſiquidem electi erant de mundo & in mundo, quum Chriſtus ait ſe non orare pro mundo.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Chriſtus non oravit hoc loco pro mundo, concedo: quia orationem amicam & ſpecialem tunc temporis fundebat pro Apoſtolis; ut patet ex verbis ſequentibus & antecedentibus; rogat enim Patrem ut ſervet eos quos illi dederat, & infra rogat etiam pro his qui erant credituri in ipſum per verba eorum. Non oravit alibi, nego. Lucæ enim 23. habetur quod oravit vel pro ipſis Judæis: *Pater* inquit, *dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt*. Et Iſaias in prænotione ſpiritus 53. 12. de Chriſto ait: *Pro tranſgreſſoribus rogavit*.

Inſtant: Oratio Chriſti ſuum ſemper obtinuit effectum, juxta illud Joan. 2. *Ego ſciebam quia ſemper me audis*: Igitur numquam Chriſtus oravit pro omnium ſalute, nec conſequenter mortuus eſt pro ſingulis. Et vero cum, teſte Apoſtolo ad Hebræos, ſemper Chriſtus exauditus ſit pro ſua reverentia, ſi oraſſet pro omnibus, ſinguli de facto ſalvarentur.

Reſpondeo diſtinguendo: Et oratio Chriſti effectum ſemper obtinuit aliquem, concedo: omnem, ſubdiſtinguo: ſi non eſſet impedimentum ex parte peccatorum, perfectum obtineret, concedo: ſecus, nego. Chriſtus omnes & ſingulos redemit, & promeruit omnibus gratias ſufficientes, quæ & ſingulis dantur: promeruit & efficaces, quæ omnibus quidem offeruntur; ſed non omnes illas recipiunt, non defectu efficaciæ ſanguinis Chriſti, qui ex ſe, teſte Chryſ. partes omnes ſuas egit, ſed defectu peccatorum, qui nolunt, inquit idem Pater, credere & obedire: hinc triplex effectus orationis Chriſti diſtinguitur: 1. reſtituere jus ad gloriam: 2. dare gratias ſufficientes: 3. offerre efficaces & conferre non ponentibus obicem. Omnes habent ſufficientes quibus poſſunt ſalvari: Omnibus offeruntur efficaces, ut de facto quiſque ſalvetur: nullus igitur ſuum obduret cor, ne abjecta gratia operis reprobetur. Jam ſequitur, perditio tua ex te Iſrael, & non Chriſti defectu.

Urgent: Si Chriſtus oraſſet pro omnibus, videtur quod imprudenter oraſſet: Abſurdum conſequens: Ergo & antecedens. Probatur ſequela: Ille videtur imprudenter orare pro aliquo, qui ſcit orationem fore illi inutilem; unde Auguſt. lib. 21. de civit. cap. 24. ait: Si Eccleſia ſciret qui ſunt reprobi, non magis pro eorum ſalute quam pro diaboli deprecaretur: Sed Chriſtum ſciebat multos ſua culpa fore reprobos. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Si Chriſtus eſſet proviſor particularis, non oraſſet pro omnibus, tranſeat; ſæpiſſime enim mercator ultimos exerit conatus ad ſalvandas merces, licet videat naufragium imminens & certum, quia in hac vita eſt ſemper ſpes aliqua ſalutis ſive pro ſe, ſive pro ſuis bonis. Si ſit proviſor generalis, nego. Ad ipſum enim pertinet exhibere omnia requiſita, ut unuſquiſque ſalvari poſſit: quod autem inquit Trident. multi de facto non ſalventur, non eſt ex Chriſti defactu, ſed ex peccatorum gratiæ obnitentium culpa.

Ad inſtantiam ex Auguſtino, nego paritatem: Et vero cum nulla ſit in inferno redemptio, ſi ſciret Eccleſia quinam ex mortuis ſunt in lacu inferiori, certe non oraret

ret

ret pro ipſis: quia hoc foret penitus inutile: In eodem ſenſu Concilium Valentinum III. dicit Chriſtum non eſſe mortuum pro reprobis: ideſt redemptio Chriſti non eſt pro inferno, ut ex hoc loco educantur reprobi: quod autem ſit ſenſus Concilii patet ex loco Oſee 13. 14. quem laudat: *Ero mors tua, o mors, morſus tuus ero inferne*, Ita ipſe Auguſtinus: ita & Gregorius Naz. de quo alibi ſufficienter diximus.

Replicant: Concilium illud Valentinum damnat & rejicit canonem 4. Concilii Cariſiaci dicentis, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et Concilium Valentinum non ſumpſit ſenſum Cariſiaci, concedo: ſecus, nego. Putabat Cariſiacum intellexiſſe Chriſtum ita fuiſſe pro ſingulis mortuum, ut etiam ipſius redemptio prodeſſet damnatis, ut ab inferno liberarentur: unde Hincmarus librum de prædeſtinatione compoſuit, ubi clariſſime aperuit mentem ſuam, & Concilii cui præerat. Ita vero factum eſt, ut Patres Valentini ſe retractaverint in Concilio Tullenſi apud Saponarias: Patres enim Synodici omnes declaraverunt reformandum eſſe articulum Concilii Valentini circa iſtud momentum.

Quod autem Concilium Valentinum nihil contra definierit, patet ex eo, quod dicat mortem Chriſti prodeſſe omnibus ad ſalutem, ſicut ſerpens æneus in deſerto erectus proderat aſpicientibus, ad ſanitatem: ille autem ſerpens erat pro ſanitate ſingulorum: Si qui autem ſalvi non facti ſint, fuit eorum culpa, eo quod voluntarie tanto ſe privaverint beneficio: Igitur Concilium eodem modo loquitur de morte Chriſti pro omnibus: alias nihil probaret per exemplum ſerpentis ænei.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Eccleſia docet Chriſtum eſſe mortuum pro ſingulis hominibus.

PRIMO: Quia ex Apoſtolo 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt: Ergo omnes mortui ſunt*. Igitur ſicut omnes & ſinguli in Adam mortui ſunt, Chriſtus pro ſingulis mortuus eſt: ſin minus nulla foret Apoſtoli conſequentia.

Secundo: Sic definivit Concilium Cariſiacum can. 4. Tum Tridentinum ſeſſ. 6. can. 2. ubi pronuntiat Chriſtum eſſe propitiationem pro omnibus mundi delictis, cui veritati Patres ſuum addunt calculum: Inter Græcos quidem Origenes contra Celſum pag. 26. Gregorius Naz. orat. 25. Catech. Inter Latinos vero Cyprianus lib. de opere eleem. Ambroſius in 2. Cor. 5. &c.

Tertio: Singuli tenentur colere & habere Chriſtum ut ſuum Redemptorem; hinc opinio Janſenii evacuat prorſus fidem, ſpem & charitatem, quæ terminantur ad Redemptorem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Pudeat Novatorem allegare ad confirmandum errorem, Chriſtum Joan. 17. aſſerere ſe pro mundo non rogare Patrem, cum eo loci teſtetur fundere preces pro amicis, ſed cæteros dubio-procul non excludit, quandoquidem infra ait ſe orare etiam pro eis qui in eum miniſterio Apoſtolorum credent.

Secundo: Tametſi Chriſtus præſciret multos reprobos, quia tamen erat Proviſor generalis, vel etiam pro eis debuit orare, ut haberent gratias ſufficientes quibus poſſent ſalvari.

Tertio: Ex oratione Chriſti pro omnibus, non inde ſequitur omnes ſalvari, quia multi gratiæ vocanti ponunt obicem.

CONTROVERSIA TERTIA.

De mente ſancti Auguſtini circa quinque Propoſitiones.

JANSENIUS ubique ita teſtatur doctrinæ ſancti Auguſtini ſe inſiſtere, ut ſuum opus Auguſtinianum appellare non dubitet: ſed ſcriptum eſt: *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.*

S. Auguſtinus toto cælo differt ab ementito Auguſtino Iprenſi.

PRIMO, quia Auguſtinus docuit præcepta Dei eſſe poſſibilia.

Secundo, ſemper prædicavit hominem poſſe reſiſtere gratiæ interiori.

Tertio, ponit eſſentiam libertatis in indifferentia activa,

Quarto,

Quarto, tenet in hoc Semipelagianos non fuiſſe hæreticos, quod gratiæ poſſe reſiſti autumarent: ipſos tamen non admiſiſſe gratiam ad initium fidei contendit.

Quinto, omni argumentorum genere probat Chriſtum eſſe mortuum pro ſingulis hominibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Auguſtinus crediderit aliqua præcepta Dei eſſe impoſſibilia?

CONCLUSIO.

S. Auguſtinus docuit ſemper omnia Dei mandata eſſe poſſibilia.

Prima probatio ex operibus contra Manichæos.

LIBRO de fide contra Manich. cap. 10. ſic loquitur: " Quis enim non „ clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei „ cui liberum non eſt, quod præcipitur „ facere: & iniquum eſſe eum damnare, „ cui non fuit poteſtas juſſa complere. „

Rurſus lib. 3. de libero arbitr. cap. 16. ſic habet: " Non in eo peccat quod pa- „ titur invitus. „ Tum lib. 2. de anima cap. 11. & cap. 12. *Peccator reus quia non fecit quod poterat facere*. Et adhuc libr. 3. de libero arbitr. cap. 1. nu. 3. dicit quod exhortatio non ſit neceſſaria ſi Deus impoſſibile jubeat.

Adhuc lib. 3. de libero arbitr. cap. 19. num. 53. ſibi objicit eos qui ad excuſanda peccata ſua, in cæcitatem & ignorantiam in qua naſcimur, illa refundunt. Sic ait: " Si Adam & Eva peccaverunt, „ quid nos miſeri fecimus, ut cum igno- „ rantiæ cæcitate & difficultatis crucia- „ tibus naſceremur.... Quibus breviter „ reſpondetur, ut quieſcant & adverſus „ Deum murmurare deſiſtant. Recte enim „ fortaſſe quererentur, ſi erroris & libi- „ dinis nullus hominum victor exiſteret, „ cum vero ubique ſit præſens, qui mul- „ tis modis per creaturam ſibi Domino „ ſervientem averſum vocet, doceat cre- „ dentem, conſoletur ſperantem, dili- „ gentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur „ ad culpam, quod invitus ignoras, ſed „ quod negligis quærere quod ignoras; „ neque illud quod vulnerata membra „ non colligis, ſed quod volentem ſana- „ re contemnis: iſta tua propria pecca- „ ta ſunt. „

Secunda probatio ex aliis operibus poſthumis, in quibus confirmat quod dixerat contra Manichæos.

S. PRÆSUL libr. 1. Retract. cap. 9. num. 3. & 4. ſic loquitur: " Quis pec- „ cat in eo quod nullo modo caveri poteſt? „ cap. 10. num. 2. " Non credant „ Pelagiani, hoc errorem ſuum favere, „ nemo peccat in eo quod vitare non pot- „ eſt. „ Ibidem cap. 15. nu. 8. " Ideo „ peccavimus quia poſſumus peccare. „ Cap. 22. num. 4. dicit eſſe in noſtra poteſtate mutari ad melius.

Non leviora libr. de natura & gratia cap. 68. ſcribit: Sic loquitur num. 83. " „ Valde autem bona ſunt præcepta, ſi „ legitime his utamur. Eo quippe ipſo „ quo firmiſſime creditur, Deum juſtum „ & bonum, impoſſibilia non potuiſſe „ præcipere; hinc admonemur, & in „ facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus...... & petat „ quo diſtituitur, ut impleat quod jube- „ tur. „

Atque vero lib. de grat. & libero arb. cap. 15. num. 31. de eodem momento inſignia eloquitur: " Per hanc, *ſcilicet gra- „ tiam*, etiam ſit, ut ipſa bona volun- „ tas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur, „ & tam magna fiat, ut poſſit implere „ divina mandata quæ voluerit, cum val- „ de perfecteque voluerit. Adhoc enim „ valet quod ſcriptum eſt Eccli. 15. ſi „ volueris, conſervabis mandata: ut ho- „ mo qui voluerit, & non potuerit, non- „ dum ſe plene velle cognoſcat, & oret „ ut habeat tantam voluntatem, quanta „ ſufficit ad adimplenda mandata. „

Demum lib. 2. contra duas epiſtolas Semipelag. cap. 5. num. 9. lib. de grat. & libero arbitr. num. 3. & 4. lib. de duabus animabus cap. 12. docet præcepta fieri poſſibilia per gratiam Chriſti, ex quo principio concludit inceſſanter contra Pelagianos nulli mandata eſſe impoſſibilia conformiter ad doctrinam Patrum. Baſilius ora-

Digitized by Google

oratione in illud, *Attende tibi*, ſic habet: " Impium eſt aſſerere Spiritus ſancti præcepta eſſe obſervatu impoſſibilia. „

Tertia probatio ex principiis S. Auguſtini.

PRIMUM eſt, quod gratia nemini deſit, & quod nemo a Deo derelinquatur, niſi prius ipſe Deum derelinquat, ita lib. 4. Confeſſ. cap. 9. & 1. Rurſus lib. de natur. & grat. num. 25. & 29.

Secundum: Stimulat animas ad prælium contra mundum & diabolum, quia Deus, *inquit*, auxiliatur nobis; ſic Enarrat. 3. in Pſalm. 32. numer. 26. his verbis: " Sed quid ſi in ipſa patientia non „ durabimus? immo plane durabimus, „ quoniam adjutor & protector noſter eſt. „ Adjuvat in pugna, protegit ab æſtu, „ non te deſerit. „ Tum in Pſalm. 145. numer. 99. " Non enim deſeret opus „ ſuum, *inquit*, ſi ab opere ſuo non de„ſeratur. „ Idem docet libr. de natur. & grat. cap. 26. num. 29. his verbis: " „ Sanat ergo Deus, non ſolum ut deleat „ quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam „ ne peccemus.

Tertium: Propugnat auxilium Dei ex juſtitia quidem homini juſtificato ad conſervandam ſanitatem animæ, peccatori vero ad illam reſtaurandam gratis conferri. In Pſal. 7. num. 10. ſic habet. " „ Itaque ibi miſericors auxilium eſt, quia „ nullum habet meritum peccator..... „ hic autem juſtum auxilium eſt. „ Rurſus epiſt. 186. ad Paulinum num. 7. " Si „ quis autem dixerit, quod gratiam ope„randi fides meretur, negare non poſſu„mus, immo vero gratiſſime confite„mur. Hanc enim fidem volumus ha„beant, qua impetrent charitatem .... „ qui ergo fidem habent, qua impetrent „ juſtificationem per Dei gratiam perve„nerunt ad legem juſtitiæ. „ Ergo &c.

Quarta probatio ex multiplici ſancti Præſulis ratione.

PRIMA eſt: Si præcepta Dei forent impoſſibilia, homo non peccaret, quia, inquit S. Doctor, nemo peccat in eo quod vitare non poteſt: Ergo &c.

Secunda: Deus non eſſet juſtus & bonus; bonitas namque exigit, & juſtitia ordinata, ut præcipiantur res poſſibiles: Ergo &c.

Tertia: Exhortatio foret inutilis in hypotheſi; nam ut valeat id ad quod provocamur, debet eſſe poſſibile: Ergo &c. Unde non mirum ſi opinio Janſenii in prima propoſitione contenta, proſcripta ſit tamquam dogma Calvini ab Academiis. Lovanienſis anno 1519. die 17. Novembris, hanc deteſtatur Lutheri propoſitionem: *Deus ligat hominem ad impoſſibile*: Pariſienſis anno 1521. die 15. Aprilis, etiam illud Lutheri dogma: *Qui negat Deum nobis impoſſibilia juſſiſſe peſſime facit, & qui hoc falſum dicit peſſime facit*; inſectatur: ecce cenſura: *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, legis Chriſtianæ infamativa, & auctore Auguſtino in Deum blaſphema.*

Theologi eodem modo execrantur hujuſmodi propoſitiones: ita Bellarminus libr. 4. de juſtific. cap. 13. Jacobus Latomus art. 1. Lovan. pag. 15. Alphonſus a Caſtro verbo *præceptum*. Horantius libr. 1. contra Calvinum cap. 35. Vega libr. 11. cap. 13. Monteſinus in 1. 2. qu. 109. art. qu. 7. §. 2. Iſambertus diſput. de libero arbit. art. 11. Duvallius tract. de actibus humanis qu. 5. art. 7. Gammachæus in 1. 2. qu. 109. cap. 6. Puteanus in 1. 2. qu. 109. art. 4. omnes Thomiſtæ; in primis Soto lib. 3. de natur. & grat. cap. 3. Cumel in 1. 2. qu. 109. artic. 8. Ledeſma, Bannez & alii.

Solvuntur objectiones Janſenii.

NE aliquis credat nos imponere Ipenſi pro erroribus illi imputatis, ipſius exhibebimus textum, ut ſit omnibus compertum Janſeniſmum non eſſe phantaſma.

Ante omnia operæ-pretium eſt ſubnotare quod libr. 3. de grat. Salv. Janſenius probet ex profeſſo non dari gratiam ſufficientem ſervandi legem, & Dei præcepta. Cap. 7. negat pro Judæis ſub Lege Moſaica conſtitutis: cujus hic eſt titulus: *Non affuiſſe hominibus ſub lege viventibus gratiam ſufficientem ſervandi legem, vel ullum præceptum ejus*. Cap. 8. idem probat, & hic eſt titulus: *Status veteris Teſtamenti figurativus & propheticus non afferebat Judæis gratiam ſufficientem, ſed potius impedientem.* Cap. 9. idem confirmat, & talis eſt titulus: *Status veteris Teſtamenti ut talis non erat juſtitiæ & ſalutis, ſed potius peccati & mortis: pauciſſimi juſti ſub illo Teſtamento, & gratia ſufficiente muniti*. Cap. 10. negat pro

Digitized by Google

pro excæcatis & obduratis præſentis ſtatus, taliſque eſt titulus: *Excæcati & obdurati carent gratia ſufficiente, qua videant & moveantur ad bonum*. Item cap. 11. & pro Infidelibus: Hic eſt titulus: *Infideles carent gratia ſufficienti ad ſalutem tam proxima quam remota, & omnibus principiis ejus*. Et cap. 12. idem dicit, cujus hic eſt titulus: *Infideles non habent gratiam ſufficientem ordinis naturalis: Gratia ſufficiens a Semipelagianis excogitata*. Cap. 5. ibidem probat deficere gratiam ſufficientem etiam Chriſtianis, & hic eſt titulus: *Judæis lex data eſt, & Chriſtianis plurimis præcepta dantur ſine ulla gratia ſufficiente aut adjuvante*. Jam ordine procedendum eſt.

Objicit Janſenius, & ſic loquitur lib. 3. de gr. Chr. cap. 5. pag. 113. col. 1. " „ Quod ſi generatim loquendo, toti Judaico populo præter paucos ſufficiens „ implendæ legi gratia ſubtracta fuit, ut „ per multiplicationem infirmitatum ſua„ rum ad Medicum, hoc eſt, ad gratiam „ ejus agnoſcendam & invocandam eru„ direntur, nemo miretur, ſi & Chri„ ſtianis fidelibus nonnullis de ſua pote„ ſtate adhuc præſumentibus, idem du„ riſſimæ inſtitutionis genus adhibere Au„ guſtino nobis præcurrente dicamus.... „ nam inde eſt illud in Pſalm. 106. ubi „ Chriſtiano jam veritatem ſcienti, di„ cit. „ *Et nunc pugna contra concupiſcentiam Deo deſiſtente ab adjutorio, laborare potes; vincere non poteſt, & cum fueris preſſus conſuetudine tua prava, humiliabitur cor tuum in laboribus, ut jam corde humiliato diſcas clamare, infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*. Ex his infert Janſenius Auguſtinum negare gratiam ſufficientem, etiam pro multis Fidelibus. Ergo &c.

Reſpondeo II. diſtinguendo in genere ad iſtam & ſequentes objectiones: Et loquitur S. Auguſt. de gratia efficaci, concedo: de ſufficiente, ſubdiſtinguo: quandoque de proxima quam dicit deeſſe multis propter peccata præcedentia, concedo: de remota, nego. Ubique S. Doctor loquitur de gratia efficaci, quippe qui agat contra Pelagianos, qui volebant naturam conatu ſuo poſſe facere bonum etiam legis, quod juſtiſſime negat; hoc enim fieri nequit ſine gratia Salvatoris: quia vero multi ſe privant gratia actionis ſua culpa, ideo ſæpius dicit Auguſt. in hoc ſenſu, poſſe facere bonum deeſſe multis propter præcedentia peccata, id eſt, poſſe conjunctum cum actu.

Igitur triplex poſſe diſtinguendum eſt, ſcilicet remotum, deinde proximum, & poſſe conjunctum cum actu. Primum habetur per gratiam orationis, quæ nulli deeſt; omnes enim intuitu meritorum Chriſti habent gratiam ſufficientem ad orandum: & ſimul offertur illis gratia efficax ut actu orent. Si vero implorent divinum auxilium, obtinent gratiam uberiorem ſufficientem, quæ vehementius movet ad legis impletionem, & offertur tunc illis gratia efficax, ut actu adimpleant præceptum; illa autem gratia actionis eſt poſſe conjunctum cum actu, unde proprie loquendo non potentiæ, ſed operis gratia vocatur.

Liquido patet ex probationibus S. Auguſt. admittere gratiam ſufficientem, ſiquidem agnoſcit omnia præcepta poſſibilia; ſed de novo juvat exponere tanti Doctoris principia. Lib. de nat. & gr. edit. nov. agnoſcit gratiam orationis qua uberiorem ad præcepta adimplenda obtinere poſſumus. Cap. 15. num. 16. ſic loquitur: " Itaque præcepto facere com„ monemur, quod conantes & viribus „ noſtris non valentes, adjutorium divi„ num precemur. „ Rurſus lib. de gr. & lib. arbit. cap. 16. num. 32. " Ideo, „ *Deus*, jubet aliqua quæ non poſſumus, „ ut noverimus quid ab illo petere de„ beamus. Ipſa eſt enim fides, quæ oran„ do impetrat, quod lex imperat. „ „ Ibidem infra: " Certum eſt enim nos „ mandata ſervare ſi volumus: Sed quia „ præparatur voluntas a Domino, ab „ illo petendum eſt, ut tantum veli„ mus, quantum ſufficit ut volendo fa„ ciamus. „ Rurſus libr. 3. oper. imp. numer. 116. cont. Jul. " Hæc imperat „ Deus, quæ fieri poſſunt: Sed ipſe de„ dit ut faciant, eis qui facere poſſunt, „ & faciunt; & eos qui non poſſunt, „ imperando admonet a ſe poſcere ut poſ„ ſint. „

Ex his omnibus principiis liquet Aug. agnoſcere orationem pro omnibus, ſiquidem omnibus præcipit orare. II. Agnoſcere gratiam ſufficientem orationis, ut orans habeat gratiam uberiorem ad præceptum adimplendum: immo, ut loquitur, ipſam actionis gratiam.

Reſpondeo II. diſtinguendo, deeſt multis ex Aug. gratia actionis, & quæ dat poſſe conjunctum cum actu, & hoc ſua culpa, quia illam rejiciunt, concedo: gratia ſufficiens quæ dat poſſe, ſubdiſtinguo: uberior, concedo: remota nego. Quod autem S. Doctor non excludat gratiam quæ dat poſſe remotum vel etiam proximum, ſed ſolum gratiam actionis, claret ex ipſo textu in objectione allato, *Laborare*, ait, *poteſt*, *vincere non poteſt*. *Laborare poteſt*. Igitur habet gratiam ſufficientem, quia teſte Aug. nullus poteſt velle bonum ſine gratia, immo vel bonam inſpirationem habere, ſic loquitur lib. 1. qu. 2. ad Simplicianum: " Cum ergo nos ea delectant „ quibus proficiamus ad Deum, inſpira- „ tur hoc, & præbetur gratia Dei, non „ nutu noſtro & induſtria aut, ... quia „ ut ſit nutus voluntatis, ut ſit induſtria ſtudii - - - ille tribuit. „ Et recte quidem contra Pelagianos loquitur & Semipelagianos, qui bonum opus pendere a nutu noſtro, & induſtria propugnabant.

Inſtat ibidem cap. 13. p. 134. col. 2. " „ Sæpe numero, *ait Janſenius de Auguſtino*, ex profeſſo docet, Deum jubere „ quædam quæ non poteſt homo facere, „ ipſumque auxilium ſuum ſubtrahere, „ non ut deſperet homo, ſed ut faciendi „ vires & auxilium, quibus ſe carere ſentit, ſibi imploranda eſſe doceatur .... „ nam hoc idem ſibi vult Aug. quia contra Pelagianos præceptorum poſſibilitatem contentioſſime inculcantes, dicit. " *Itaque præcepto facere commonemur quod conantes & noſtris viribus non valentes adjutorium divinum precemur*: " Ex „ hac, *inquit Janſenius* p. 135. col. 1. indubitata doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem ſpectantia inferuntur & clareſcunt. Primum quidem, „ eſſe quædam homini præcepta ſecundum „ ſtatum & vires in quibus conſtitutus eſt, „ impoſſibilia, hoc enim non ſolum iſta „ loca exſerte profitentur, dum dicunt „ Deum aliqua jubere quæ non poſſumus, „ ſed etiam ipſa oratio qua petimus ut poſſimus, perſpicua atteſtatione confirmat; „ ſi enim jam poſſumus, ad quid petimus „ ut poſſimus. Secundum non adeſſe ſemper gratiam qua poſſumus, hoc eſt, qua „ illa eademque præcepta implere ſufficiamus. Si enim jam adeſt gratia, qua „ præcepta implere ſufficientes ſimus & „ poſſimus, ſtultum eſt orando ſatagere ut „ poſſimus. Nam quid ſtultius, ut Aug. „ ait, quam orare ut poſſis, id quod habes „ in tua poteſtate. " *Mendaciter enim petuntur, ſi ea quæ præcepta ſunt non adjuvante ejus gratia facere poſſimus*. Libr. de virg. c. 41. duobus momentis probare conantur Janſenius præcepta eſſe impoſſibilia. I. Quia jubemur petere gratiam ut illa poſſimus adimplere. II. Vult gratiam qua poſſibilia fiunt, deeſſe multis, utique illam qua adjutorium petere debemus: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: S. Auguſt. ſæpe inculcat præcepta eſſe impoſſibilia viribus naturæ, concedo: loquitur enim contra Pelagianos opinionem oppoſitam propugnantes: eſſe impoſſibilia abſolute, nego. Enim vero ubique docet hominem poſſe ſervare mandata ſi velit, ut lib. de grat. & libero arbit. cap. 16. his verbis: " Certum eſt enim nos mandata ſervare ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas a „ Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum „ velimus, quantum ſufficit, ut volendo „ faciamus. Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit ut velimus bonum ... Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati. „ Quibus verbis omnia ſolvit, nempe quod voluntas præparetur a Domino per gratiam ſufficientem & prævenientem, deinde quod faciat operari per efficacem *præbendo* ſcilicet *vires efficaciſſimas voluntati*, quibus verbis patet S. Doctorem loqui ſolum de gratia operis, ſine qua non habemus poſſe conjunctum cum actu; unde quando dicit præcepta impoſſibilia, loquitur ſolum in ſenſu oppoſito Pelagianis, qui volebant eſſe poſſibilia ſine gratia: quando vero negat hominem habere poſſe bene agere, loquitur dumtaxat de poſſe cum actu conjuncto.

Ad id vero quod dicitur, illum mendacitur petere ea quæ neceſſaria ſunt ad præceptum adimplendum, ſi jam habeat poſſe, diſtinguo: ſi habeat poſſe tam proximum quam remotum, concedo: ſi remotum tantum, nego. Igitur qui habet ſolum poſſe remotum, debet oratione petere poſſe proximum & uberius: qui vero habet poſſe proximum per gratias ſufficientes uberiores, debet etiam petere poſſe conjunctum actu, ſcilicet gratiam efficacem, quam quidem urget perpetuo

co-

contra Pelagianos S. Doctor ; de hac enim
principalis erat controverſia. Auguſtinus
eſt ſui ipſius interpres lib. de grat. & lib.
arb. tom. 10. cap. 15. num. 31. his ver-
bis : “ Per hanc etiam *gratiam* fit ut ipſa bo-
,, na voluntas quæ jam eſſe cœpit, augeatur,
,, & tam magna fiat, ut poſſit implere di-
,, vina mandata quæ voluerit, cum valde
,, perfecteque voluerit. Ad hoc enim va-
,, let quod ſcriptum eſt, Eccli. 15. Si vo-
,, lueris, conſervabis mandata : ut homo
,, qui voluerit & non potuerit, nondum ſe
,, plene velle cognoſcat, & oret ut habeat
,, tantam voluntatem, quanta ſufficit ad
,, implenda mandata . ,, Quibus verbis non
negat Aug. potentiam adimplendi præ-
cepta in homine, ſed vult ſolum quod
gratia adhibeatur ut potentia augeatur,
& homo habeat plenum poſſe, ſcilicet poſ-
ſe conjunctum cum actu, poſſe quod dat
adimplere mandata, ſeu quod eſt ipſa præ-
ceptorum adimpletio.

Inſtat : Atqui poſſibilitas adimplendi man-
data, deeſt etiam volentibus & conanti-
bus adimplere mandata, & carent gratia
qua poſſibilia fiant, etiam ſi eam a Deo
petant, quod probat his verbis ibi-
dem : “ Hanc impoſſibilitatem Fidelibus
,, accidere non tantum quando nolunt præ-
,, cepta facere, ſed etiam quando volunt
... ,, Nam de volentibus Auguſt. loque-
batur, quando dicebat : “ (Nec tamen cum
,, vult continuo poteſt, ſed cum fuerit
,, adhibita curatione ſanatus, & medicina
,, adjuverit voluntatem ... lib. de perſ.
,, juſt. cap. 3. ſub quibus, *inquit*, pœnis,
,, poſiti vel non poſſumus quod voluimus
,, intelligere, vel quod intellexerimus
,, volumus, nec valemus implere. ,,
“ ...) Quia, ut iuſra ſubjicit Aug. lib. 3.
de libero arbit. 52. (“ Illa eſt enim pœna
,, juſtiſſima ... ut qui ſciens recte non fa-
,, cit, amittat ſcire quid rectum ſit ; &
,, qui recte facere cum poſſet noluit, amit-
,, tat poſſe cum velit. ,,) De volentibus
loquebatur quando dicebat ibidem : (“ Qui
,, cogenti cupiditati bona voluntate reſiſte-
,, re non poteſt, & ideo facit contra præ-
,, cepta juſtitiæ, jam hoc ita peccatum
,, eſt, ut etiam pœna peccati. ,,) Per-
git Iprenſis : (“ De volentibus loqueba-
,, tur quando dicebat :) Invenit ergo ſe li-
,, gatum difficultatibus cupiditatum & non
,, poſſe viam propter compedes ambula-
,, re, incluſum ſe ſentit difficultate vi-
,, tiorum, & tamquam muro impoſſibilita-
,, tis erecto, portiſque clauſis qua evadat
,, ut recte vivat non invenit, & *inferius* :
,, conatur & non poteſt, ligatum ſe ſen-
,, tit. ,,) Lib. 10. rectrat. 15. in Pſal. 106.

Confirmat Janſenius ſuum dictum exem-
plo S. Petri, ib. pag. 136. col. 1. in Pſal.
105. con. 3. ubi ſic loquitur : *Hinc ergo*
fit, ut non ſemel de ſancto Petro etiam vo-
lente dicat Aug. cum Chriſtum negaret, in-
validat, infirmaſque fuiſſe vires ejus, im-
mo non potuiſſe mortem ferre pro Chriſto,
quamvis hoc & vellet, & ſe poſſe judicaret.
Tum citat multa loca Aug. deinde ſic
proſequitur, & in alio ſermone, inquit
Janſenius de Aug. *Secutus eſt Dominum*
paſſurum, ſed tunc non potuit ſequi paſſu-
rus, ſecutus eſt pedibus, nondum idoneus ſe-
qui moribus. Promiſit ſe moriturum pro illo;
& non potuit nec cum illo : plus enim auſus
erat quam ejus capacitas ſuſtinebat, plus
promiſerat quam poterat. Poſtea ſic con-
cludit Iprenſis, pag. 138. col. 2. “ Hæc
,, igitur omnia pleniſſime, planiſſimeque
,, demonſtrant nihil eſſe in ſancti Augu-
,, ſtini doctrina certius ac ſundatius,
,, quam eſſe præcepta quædam, quæ ho-
,, minibus non tantum infidelibus, ex-
,, cæcatis, obduratis, ſed fidelibus quo-
,, que & juſtis volentibus, conantibus,
,, ſecundum præſentes quas habent vires,
,, ſunt impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam
,, qua fiant poſſibilia.

Reſpondeo, ut ſupra diſtinguendo : Et ne-
gat ſolum S. Auguſtinus potentiam pro-
ximam adimplendi præcepta in quibuſdam
propter eorum peccata, concedo : negat
omnem, nego. Et hoc patet cum di-
cit : “ Illa eſt enim pœna juſtiſſima ....
,, ut qui recte facere cum poſſet, noluit,
,, amittat poſſe cum velit. ,, Certe lo-
quitur de peccatore qui habeat poſſe pro-
ximum ; falſum eſt igitur quod ait Jan-
ſenius, deeſſe potentiam adimplendi præ-
cepta juſtis, ſed illud auxilium ube-
rius amittit prævaricator propter pec-
catum, unde orare debet, ut illud recu-
peret.

Quando autem S. Doctor dicit vitia eſſe
compedes, & inducere adimplendi præce-
pta impoſſibilitatem, loquitur tantum de
impoſſibilitate morali, id eſt, de magna
difficultate ad bonum faciendum.

Denique quod Auguſtinus non neget S. Pe-
trum habuiſſe potentiam vere faciendi im-

mo proximam, quando Chriſto dicebat, *Etiam ſi oportet commori tecum, non te negabo*, patet ex duobus S. Auguſtini locis, nam lib. de grat. & libero arbit. c. 17. num. 33. ait Petrum tunc fuiſſe in charitate: " Quamvis parva & imperfe- ,, cta, non deerat quando dicebat Domi- ,, no, Animam meam pro te ponam. ,, ,, Rurſus: " Supra ibidem: Qui ergo vult ,, facere Dei mandatum, & non poteſt, ,, jam quidem habet voluntatem bonam, ,, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit ,, autem cum magnam habuerit & robu- ,, ſtam. ,, Quibus verbis agnoſcit & gratiam ſufficientem qua habemus voluntatem parvam & initialem adimplendi præceptum, & efficacem ac robuſtam qua actu adimpleamus: Et certe patet quo hic loquatur ſolum de gratia efficaci & poſſe conjunctum cum actu, nam agit contra Pelagianos, adverſus gratiæ efficacis neceſſitatem obſtrepentes.

Inſiſtit: Si præcepta eſſent poſſibilia, maxime propter illud Ap. 1. Cor. 10. *Fidelis autem eſt Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*: Sed hoc nihil probat; ſic enim loquitur Janſenius ibidem pag. 136. col. 2. explicans illum locum: " Nullo modo, *ait*, tam indiſcrete intel- ,, ligat, ut hoc in omnibus omnino fideli- ,, bus obſervetur. Noverat enim hoc non ,, exiguum eſſe divinæ gratiæ beneficium, ,, quod propterea quia gratia eſt, non ,, promiſcue cuilibet etiam credentium ,, tribuat, ſed tantum orantibus ac de di- ,, vino adjutorio, ſicut oportet, confiden- ,, tibus, adeoque fere electis. ,, *Tantum*, ,, ait Auguſt. lib. 13. de Trin. cap. 19. *pro conditione mortalitatis hujus adverſari ſinitur, diabolus, quantum eis expedire novit, de quo ſacræ Litteræ perſonant per os Apoſtolicum: fidelis Deus qui non permittet vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet &c. ſed circa eos iſta ſervantur de quibus Apoſtolus dicit, ſcimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo: Et hoc probat ſolum gratiam efficacem non omnibus dari ad vincendas tentationes, quia multi rejiciunt oblatam, concedo: non dari omnibus ſufficientem, ut quiſque poſſit illas vincere, nego. Unum enim ſemper propugnat Auguſtinus contra Pelagianos, ſcilicet hominem ſine gratia non poſſe vincere tentationes, & adimplere præcepta, quod iſti negabant. Unde vult ut quiſque petat gratiam efficacem, tum ad victoriam ſuper diabolum reportandam, tum ad legem adimplendam; ſic enim loquitur lib. de perf. Juſt. cap. 9. " Non aliam ob cau- ,, ſam Scriptura commemorat non eſſe gra- ,, via divina præcepta, niſi ut anima quæ ,, illa gravia ſentit, intelligat ſe nondum ,, accepiſſe vires, quibus talia ſint præce- ,, pta qualia commendantur, levia ſcilicet, ,, atque ſuavia, & oret gemitu voluntatis, ,, ut impetret donum facultatis. ,, Certe loquitur de gratia efficaci qua ſola præcepta levia evadunt.

Reponis: Gratia orationis etiam deeſt, ut præcepta poſſibilia fiant, nam bene orare eſt donum Dei, teſte Aug. lib. de Dono perſ. cap. 22. Ergo &c. Ibidem pag. 139. col. 1. ſic probare Antecedens nititur Janſenius, his verbis; " Ex eodem ,, principio conſectaneum eſt plurimis non ,, dari iſtam faciendi præcepti poſſibili- ,, tatem quæ precibus implorari ſolet. ,, Quod ex tribus quoque capitibus indu- ,, bitatum eſt. 1. Quidem, quia multi fi- ,, deles non convertuntur ad invocandam ,, gratiam e qua ſola vires illæ volunta- ,, tis naſci poſſunt, atque expectare de- ,, bent. Plurimi quippe præſumptione ,, pleni ſe ſatis fortes eſſe putant ad præ- ,, cepta facienda, ſi tantum velint; qua ,, ſuperbia occulta implicati non invocant ,, adjutorem Deum. ,, Hinc Aug. *Habet & adjutorem qui te expectat pugnantem, ſublevat laborantem; ſed ſi invenit ſperantem, odit enim ſuperbientem. in Append. ſerm.* 3. 2. Quia non omnes etiam qui petunt a Deo vires illas magnas præcepta faciendi & cupiditatem ſuperandi, impetrant id quod petunt... *Bene ergo*, inquit Aug. *aliquando Deus differt adjutorium ſuum, ut probet hominem ...... ſerm. 2. in Append. nonne aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potius frigida, & pene nulla, immo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus*. Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Ibidem ſic concludit Janſenius pag. 140. col. 1. Itaque S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. Auguſt. veſtigia ſecutus, audet, ac reſolute dicit: *Si in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic*

ad

Digitized by Google

ad multa tenetur homo ad quæ non poteſt ſine gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, aut ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit lib. de corrept. & grat. Ergo &c.

Reſpondeo ut ſupra: Et hæc omnia ſolum probant gratiam efficacem deeſſe aliquando, vel ad orandum vel ad obtinendum orationis effectum, concedo: deeſſe gratiam ſufficientem ad poſſe orare, nego. Omnia argumenta Janſenii procedunt ſolum de gratia efficaci quæ requiritur & ad orandum, & ad bene orandum, & ad reliquos religionis actus: omnes igitur homines habent gratiam ſufficientem qua poſſunt orare, & excitantur ad orandum, alias Auguſtinus non præciperet ubique peccatoribus ut orent ad gratias uberiores obtinendas pro præceptorum adimpletione; quando igitur peccator de ſe præſumens neque convertitur ad Deum, neque orando advocat auxilium Dei, non mirum ſi ſuperbientem repellat Deus & derelinquat; nam ne quidem adjutorem invocat. Quid plura dicam? Multi orant, ſed male, & ideo non exaudiuntur. Unde merito dicit S. Thomas, quod in pœnam peccati denegetur auxilium quo peccator indiget ad vincendam tentationem, & præceptum adimplendum: quandoque etiam differt Deus beneficium petitum, ſive ut tempore opportuno det illud, ſive etiam ad exercendam petentis virtutem, ut ipſe dicit Auguſtinus in objectione allatus, unde lib. de natur. & grat. cap. 67. ait: " Cum ubique ſit præſens.... Deus qui ,, ... exaudiat deprecantem, non tibi ,, deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ,, ignoras.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Auguſtinus non credidit aliqua præcepta eſſe homini impoſſibilia.

PRIMO: Lib. de nat. & gr. cap. 6. ait ,, Creditur Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere. ,,

Secundo: Aſſerit lib. de gr. & lib. arb. ,, cap. 15. Si volueris, conſervabis mandata. ,,

Tertio: lib. 5. de lib. arb. cap. 16. ſic ſcribit de prævaricatore: " Non in eo ,, peccat quod patitur invitus. " Hæc & ſimilia innuunt præcepta non eſſe impoſſibilia; ſin minus ex Auguſt. peccator non poſſet ad nutum legem ſervare, & peccaret tametſi invitus aliquid operaretur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Quotieſcumque S. Auguſtinus ait fidelem non poſſe ſervare mandata, intelligit viribus naturæ; tunc enim debellat Pelagianos, qui liberum arbitrium ſic extollebant, ut gratiam evacuarent.

Secundo: Ne miremini etiam ſi S. Doctor quandoque dicat Deum ſubtrahere gratiam peccatori, qua præcepa adimplere poſſit; namque loquitur ſolum de uberiori qua immediate poſſet legem ſervare, nuſquam vero de ſufficiente remota, qua mediate ſaltem ſeſe convertere queat. Oret, inquit, & tunc habebit ut velit bonum, & operetur.

Tertio: Hallucinatur Iprenſis abnegando gratiam pro eo qui orat; non enim gratiam orationis quam habet, expoſtulat, ſed uberiorem, cum ſæpius dicat Aug. " ,, Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & ,, petere quod non poſſis, & adjuvat ut ,, poſſis. ,,

---

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum S. Auguſtinus docuerit in ſtatu naturæ lapſa hominem non poſſe reſiſtere gratiæ?

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur, ex S. Auguſtini textibus.

Sanctus Doctor libr. de ſpirit. & litt. cap. 34. num. 60. ſic loquitur: " Nemo ,, habet in poteſtate quid ei veniat in ,, mentem: Sed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. ,, Igitur

homo poteſt reſiſtere gratiæ ex Auguſt. ſiquidem poteſt illi diſſentire, ſi velit.

Rurſus libr. de natura & grat. cap. 67. num. 80. " Poteſt ergo, *ais Pelagianis*, „ ei cauſæ quæcumque illa eſt, reſiſti. „ Ergo &c. Idem docet lib. 12. de civitat. cap. 6. tom. 7. ubi loquens de duobus æqualiter affectis erga mulierem, dicit unum conſentire gratiæ ſuadenti bonum, alterum vero minime, quia non vult: & affert rationem cur nolit, his verbis: " „ Utrum quia natura eſt, an quia ex nihilo facta eſt? & inveniet voluntatem „ malam non ex eo eſſe incipere quod natura eſt, ſed ex eo quod de nihilo natura facta eſt. „ Capite ſequenti ſic proſequitur: " Nemo igitur quærat efficientem cauſam malæ voluntatis, non „ eſt efficiens, ſed deficiens. „ Ibi electio tota deſcribitur: Igitur ex Aug. voluntas poteſt reſiſtere gratiæ, quia ex eodem poteſt eligere unum ſub dominio gratiæ, & alterum relinquere.

Idem in Pſal. 102. num. 16. tom. 4. ſic habet: " Miſerator & miſericors Domi„ nus, longanimus & multum miſericor„ diæ. Quid tam longanimum? Quid „ tam multum in miſericordia? Pecca„ tur & vivitur: accedunt peccata, au„ getur vita: blaſphematur quotidie, & „ facit ſuum oriri ſolem ſuper bonos & „ malos. „ Ille docet hominem in præſenti ſtatu poſſe reſiſtere gratiæ, qui dicit hominem ſæpe abuti miſericordia divina, & nihilominus Deum ſuper peccatorem facere oriri ſolem juſtitiæ ſuæ & gratiæ: Atqui ex dictis ſic docet Auguſtinus: Ergo &c.

S. Præſul Multis aliis in locis docet hominem poſſe reſiſtere gratiæ ut libr. de div. qq. quæſtione 68. numer. 5. tom. 6. lib. 1. de pecc. mer. cap. 39. tom. 10. in Pſ. 124. num. 1. & in Pſ. 32. enarrat. 3. to. 4. lib. 15. de civit. cap. 6. ſerm. 165. num. 2. & 166. num. 5. tom. 5.

Probatur II. ex principiis S. Doctoris.

Primum eſt: Quod donum perſeverantiæ indeclinabiliter moveat; ita libr. de dono perſev. cap. 14. num. 35. ubi dicit perſeverantiam eſſe præparationem mediorum quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur: Sed aliud auxilium quo diſtinguit, illud ſcilicet quo omne opus bonum facimus, epiſt. 194. nu. 16. to. 2. & illud ponit diſcrimen inter utrumque auxilium, quod gratia perſeverantiæ indeclinabiliter moveat, ſecus vero altera cui voluntas poteſt reſiſtere: Et probatur; dicit donum perſeverantiæ amitti non poſſe quando datur; ſic enim loquitur lib. de dono perſ. cap. 6. tom. 10. " Hoc ergo, „ *inquis*, donum ſuppliciter emereri pot„ eſt, ſed cum datum fuerit, amitti „ contumaciter non poteſt. „ Idem docet lib. de corrept. & grat. cap. 8. nu. 19. to. 10. ibid. cap. 12. nu. 34. diſtinguit clare illud duplex auxilium quo: Et vero dictum eſt ſupra donum perſeverantiæ duo importare, nempe gratiam interiorem efficacem, & providentiam extrinſecam ita cauſas univerſales diſponentem, ut afferant mortem in tempore quo homo eſt contritus. Licet autem peccator poſſit reſiſtere perſeverantiæ ſecundum quod dicit gratiam interiorem, non tamen ſecundum quod connotat talem providentiam, unde Concil. Trid. diſtinguit donum perſeverantiæ a gratia efficaci ordinaria, vocando illud donum ſpeciale.

Secundum: Quod ſit duplex auxilium, aliud *quo*, aliud *ſine quo*, efficax & efficiens: quod Adam priori ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ caruerit: quod utrumque homini lapſo concedatur, ita tamen ut utrique conſentire, vel diſſentire poſſit.

Tertium: Quod homo ſit liber in præſenti ſtatu, alias, inquit Auguſt. lib. 3. de libero arbit. cap. 19. tom. 1. non deputaretur homini ad culpam quando peccaret; & alibi dicit quod fruſtra fierent exhortationes ſi homo foret neceſſitatus ab bonum vel malum, & non poſſet eligere: Ergo &c.

Probatur ſecundo ex ipſis Confeſſionibus S. Auguſtini.

ABSURDUM eſt tribuere S. Præſuli errorem cujus contrarium propria edoctus experientia docet: Atqui Aug. peccator ultro fatetur ſe ſæpius gratiæ interiori reſtitiſſe: ſed cui gratiæ, quæſo? non mere temporali, verum ipſi quæ ad ejus ordinabatur ſalutem: Igitur illudit Iprenſis, vel ipſi Auguſt. quum non ſine temeritate ait S. Doctorem nullam agnoſcere in præſenti ſtatu gratiam cui reſiſti poſſit. Unum aut alterum S. Præſulis locum in probationem afferre juvat.

Sic

Digitized by Google

Sic loquitur lib. 6. Confeſſ. cap. 4. num. 5. de gratia illum pulſante & ſtimulante ad converſionem: *Rodebat intima mea quid certi retinerem, quanto me magis pudebat tamdiu illuſum*.

Rurſus, Ibidem cap. 6. num. 9. *Inhiabam honoribus, lucris, conjugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus ſinebas mihi dulceſſere quod non erat tu*.

Rurſus lib. 8. cap. 11. num. 25. *Inſtabas tu in oculis meis Domine, ſevera Miſericordia flagella ingeminas ..... Dicebam enim apud me intus: Ecce modo fiat*: Tum cap. 12. num. 28. *Jactabam voces miſerabiles: Quamdiu? Quamdiu? Cras & cras; quare non modo?* Audis luctam naturæ cum gratia, & peccatorem adhuc Deo vocanti Deo reſiſtentem: Ergo &c.

Solvuntur objectiones Heterodoxi.

OBJICIT Janſenius: S. Auguſt. diſtinguit duplex auxilium, aliud *ſine quo*, & eſt hominis innocentis gratia, cui reſiſtere poterat: aliud *quo*, & eſt gratia efficax cui non poteſt reſiſtere homo, & eſt gratia ſtatus naturæ lapſæ; ſic autem loquitur lib. 2. de grat. Salvat. cap. 4. pag. 41. col. 1. " Hoc ergo verum & genuinum ,, diſcrimen eſt inter utriuſque ſtatus adju- ,, torium, quod adjutorium ſanitatis ſeu ,, integræ libertatis influeret, aut non ,, influeret cum voluntate, prout volun- ,, tas vellet, aut nollet .... medicinale ,, vero ipſum bene velle faſtidienti, ægro- ,, tæque voluntati tribuat, utpote quod ,, ipſa concupiſcentiæ dominanti ſubju- ,, gata, de ſeipſa ſuæque libertatis im- ,, pulſu, etiam cum gratia quantumcumque ,, magna ſibi aſſiſtente habere non poſſet ,, quemadmodum olim potuit. Quod cla- ,, rius fortaſſis ita dici poſſet, quod gra- ,, tia ſanæ voluntatis in ejus libero ar- ,, bitrio relinqueretur, ut eam ſi vellet ,, deſereret, aut ſi vellet uteretur. Gratia ,, vero lapſæ ægrotæque voluntatis nullo ,, modo in ejus relinquatur arbitrio, ut ,, eam deſerat, aut arripiat ſi volue- ,, rit.... Hujus ergo differentiæ radicem Aug. lib. de corr. & gr. cap. 12. detegens, ita loquitur: *Itemque ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium* ſine quo *aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium* quo *aliquid fit*: Ergo &c.

Reſpondeo 1. Janſenium in pravum detorquere ſenſum S. Auguſt. textum, quum dicit S. Doctorem docere hominem in præſenti ſtatu non poſſe reſiſtere gratiæ efficaci; loquitur enim de gratia perſeverantiæ; nam in omnibus fere locis comparationem inſtituit perpetuam inter gratiam Adami & gratiam Chriſti, quod gratia prioris dederat poſſe perſeverare beneficio Creatoris: gratia vero Chriſti det actu perſeverare. Ita ibidem num. 34. ſic loquitur S. Aug. " Primo itaque homini ... ,, datum eſt adjuctorium perſeverantiæ, ,, non quo fieret ut perſeveraret, ſed *ſine* ,, *quo* per liberum arbitrium perſeverare ,, non poſſet .... nunc vero Sanctis in re- ,, gnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, ,, non tale adjutorium perſeverantiæ da- ,, tur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa ,, donetur. ,, Tum cap. 11. de eadem gratia loquens dicit, quod non ſolum det ut homo habeat juſtitiam ſi velit, ſed etiam ut de facto velit.

Ibidem S. Doctor ait gratiam Salvatoris reſtituere libertatem perdictam quoad perfectionem n. 31. ſic loquitur: " Nec illa ,, quidem *gratia* ſcilicet *hominis ſani*, par- ,, va erat, quia demonſtrata eſt etiam ,, potentia liberi arbitrii, quoniam ſic ,, adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bo- ,, no non maneret: Sed hoc adjutorium ſi ,, vellet, deſereret. Hæc autem tanto ,, major eſt, ut parum ſit homini per illam ,, reparare perditam libertatem, parum ,, ſit denique non poſſe ſine illa vel appre- ,, hendere bonum, vel permanere in bono, ,, ſi velit niſi etiam efficiatur ut velit.... ,, Nunc autem ... Tanto amplius datur ,, per Jeſum Chriſtum Dominum noſ- ,, trum, quibus id dare Deo placuit, ut ,, non ſolum adſit *ſine quo* permanere non ,, poſſumus, etiam ſi velimus, verum et- ,, iam tantum ac tale ſit, ut velimus. ,, In illo loco Tria notanda ſunt. 1. Auguſtinum agnoſcere Libertatem perfectam pro præſenti ſtatu. 2. Gratiam utique ſufficientem qualem habuit Adamus his verbis: *Nunc autem .... tanto amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolum adſit* ſine quo *permanere non poſſumus, etiam ſi velimus*. 3. Gratiam efficacem ad bona opera, his verbis ſubſequentibus: *Verum etiam tantum ac tale eſt, ut velimus*. Alibi vero auxilium perſeverantiæ agnoſcit.

Re-

Reſpondeo II. in forma diſtinguendo : Homo ex S. Aug. non poteſt reſiſtere gratiæ efficaci, nego. Gratiæ perſeverantiæ, ſubdiſtinguo : ſecundum quod dicit aliquod extrinſecum, concedo : aliquod intrinſecum, adhuc ſubdiſtinguo, in ſenſu compoſito, concedo : diviſo, nego.

Inſtat Janſenius ibidem cap. 27. pag. 87. col. 1. ſic loquendo : " Reſpondebit for„ taſſis aliquis magis in ſcholaſticorum „ ſcriptis quam Auguſtini revolvendis „ exercitatus, hæc omnia quæ produxi„ mus, eum de gratia tantum efficaci tra„ didiſſe, nihil vero impedire, quin aliæ „ nonnullæ gratiæ per hominis voluntatem „ effectu careant. Reſpondeo nihil verius „ dici poſſe quam quod omnia quæ ha„ ctenus protulimus, de gratia efficaci „ Auguſtinus dixerit atque intellexerit, „ cujus rei cauſa eſt quod nullam agnovit „ aliam actualem Chriſti gratiam ..... „ quod conſequenter. „ Auguſtinus lib. de corr. & gr. cap. 12. adjicit. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.* Igitur ait Iprenſis, vel ipſo teſte Auguſtino, non poteſt in præſenti ſtatu reſiſti gratiæ etiam in ſenſu diviſo.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens ut ſupra : Non reſiſtitur. gratiæ perſeverantiæ adæquate ſumptæ, concedo : gratiæ efficaci, ut ſic, nego. Patet ex locis S. Aug. ex eodem capite excerptis S. Doctorem loqui ſolum de gratia perſeverantiæ adæquate ſumpta.

Reponit : S. Aug. lib. de correpr. & gr. cap. 14. tom. 10. dicit abſolute voluntati Dei neminem reſiſtere, immo nec reſiſtere poſſe : Igitur verum eſt gratiæ interiori numquam reſiſti.

Reſpondeo diſtinguendo : Nemo reſiſtit voluntati Dei generali quæ reſpicit finem, & gratiæ perſeverantiæ modo ſupra explicato, concedo : voluntati Dei danti gratiam alicui particulari, nego. Nam expreſſe habetur Act. 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*; vel ipſe Aug. lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. contra Manichæos ſic loquitur : " Reminiſcere ſu„ periorum quæ a nobis, tam multa de „ peccato & voluntate libera dicta ſunt, „ ſed ſi laborioſum eſt omnia mandare „ memoriæ, hoc breviſſimum tene, quæ„ cumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non „ & poteſt reſiſti, ſine peccato ceditur. „ Quibus verbis docet non eſſe peccatum quando non eſt indifferentia activa, quam quidem indifferentiam ubique defendit : unde lib. 3. de libero arbitrio num. 54. diſtinguit peccatum actuale in peccatum proprie dictum, quod ſit per electionem, & in peccatum improprie dictum conſiſtens in motibus concupiſcentiæ indeliberatis, & primo-primis. Lib. 5. Operis imperfecti num. 28. 50. 51. 60. 62. & ſerm. 3. in Pſal. 118. num. 1. tom. 4. docet ſolum peccatum improprie dictum fieri ex neceſſitate : Nec mirum, quia motus primo-primi non ſunt liberi.

Quando igitur Aug. dicit neminem poſſe reſiſtere voluntati Dei, loquitur ſolum, vel de voluntate Dei circa finem ; in omnibus enim Deus quærit ſuam gloriam, & hæc Dei voluntas ſemper adimpletur, etiam in peccatoribus teſte divo Thoma 1. p. q. 23. art. 2. quia, inquit, dum peccator fugit voluntatem Dei ſecundum bonitatem, incidit in illam ſecundum juſtitiæ lineam : vel loquitur de mediis perſeverantiæ includentibus providentiam ſpecialem, quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur.

Urget Iprenſis ; S. Aug. lib. 1. de div. quæſt. ad Simplicianum q. 2. num. 12. & 13. tom. 6. docet Deum non in vanum miſericordiam facere : Sed ſi quis poſſet reſiſtere gratiæ, Deus faceret in vanum miſericordiam : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Et S. Aug. loquitur de dono perſeverantiæ, quæ ſola eſt perfecta & completa miſericordia, quia liberat hominem ab omnibus culpæ malis & pœnis æternis irrevocabiliter, concedo : de miſericordia tranſeunte, quæ eſt ad aliquem hominis actum & ſolutionem ab aliquo peccato, nego. Namque Enarr. in Pſal. 102. num. 16. dicit homines abuti miſericordia Dei, idem repetit lib. de Catechizandis rudibus num. 52. tom. 6. lib. de ſpirit. & litt. num. 58. tom. 10. & lib. 1. ad Simplicianum de diverſis quæſtionibus q. 2. num. 10. tom. 6. denique perfecte ſe explicat lib. de præd. cap. 16. num. 32. 33. & 29. tom. 10. ubi diſtinguit duplicem vocationem, unam generalem cui reſiſtitur, ſpecialem alteram, cui non reſiſtitur, & iſta includit donum perſeverantiæ.

Re-

Replicat : S. Auguſtinus paſſim dicit hominem ſeipſum non diſcernere : Sed ſi homo poſſet ad nutum reſiſtere gratiæ, vel conſentire, ſe diſcerneret : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Homo non p t eſt ſepſum diſcernere, & a priori per ſeipſum, concedo : a poſteriori & a gratia adjutus, nego. S. Aug. propugnat contra Pelagianos & Semipelagianos hominem non ſeipſum diſcernere a priori, quia non primus agit in opere ſupernaturali, ſed gratia quæ incipit bonum opus, quæque operatur in nobis & velle, & perficere : homo vero præventus a gratia & cum illa cooperans, ſecundum aliquid ſeipſum diſcernit. Solutio eſt ipſius Aug. qui triplex diſcernere diſtinguit : Unum viribus naturæ lib. de prædeſt. SS. num. 10. tom. 10. Alterum in eo quod unus conſentiat gratiæ, alter non, lib. de ſpirit. & litt. num. 60. & lib. de grat. & libero arbitrio num. 15. tom. 10. Tertium ſpeciale fundatum in præſciencia & propoſito Dei, lib. 1. ad Simplicianum q. 2. num. 16. Tum lib. de ſpirit. & litt. cap. 34. & lib. de prædeſt. SS. paſſim. Primum rejicit, ſecundum tribuit Deo ut primæ cauſæ, & creaturæ, ut cauſæ cooperanti. Tertium ſoli Deo per antonomaſiam, quia includit perſeverantiam adæquate ſumptam, quæ eſt poſſeſſio invariabilis ſummi boni, ipſa tamen perſeverantia finalis eſt utique eatenus a creatura quatenus gratiæ interiori cooperatur, & actus tum fidei, tum ſpei & charitatis quibus ultimus dies eſt claudendus, elicit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Auguſtinus ſemper docuit hominem gratiæ interiori poſſe reſiſtere.

PRIMO : Celeberrimum eſt pro iſto momento illud S. Præſulis effatum lib. de ſpir. & litt. cap. 34. ubi explicata gratiæ vocantis efficacia, ſubjungit : " Sed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. "

Secundo : Suam apperte prodit iterum de hoc puncto mentem lib. 12. de civ. cap. 6. ubi ex duobus æqualiter tentatis, ait unum cedere paſſioni quia vult gratiæ reſiſtere, alterum vero minime.

Tertio : Ipſe fitetur in libris Confeſſionum maxime lib. 6. cap. 4. ſe peccatorum vinculis irretitum ſæpius gratiæ ad converſionem & pœnitentiam compellenti reſtitiſſe.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Quando S. Aug. lib. de corr. & gr. cap. 8. diſtinguit auxilium *quo* & *ſine quo*, illud vero ad ſtatum noſtrum demandat, non inde excludit a nobis auxilium *ſine quo* : ſed loquitur de auxilio *quo* perſeverantiæ, quo Adam caruit : neque vero putandum eſt hominem innocentem non habuiſſe auxilium *quo* ad actus pietatis, cum certum ſit eum amaſſe Deum, ut primum creatus eſt ab illo : hinc ruit Janſenii ſyſtema, qui auxilium dumtaxat *ſine quo* pro ſtatu innocentiæ aſſignat, auxilium vero *quo* tantum pro præſenti.

Secundo : Gratis dicitur neminem poſſe reſiſtere voluntati Dei ; quum enim Scriptura, & Patres hæc dicunt, loquuntur ſolum de voluntate Dei in tota latitudine ſumpta, nuſquam vero de particulari ad aliquod bonum opus terminata : Nec mirum, peccator prævaricando declinat quidem voluntatem bonitatis divinæ, ſed prolabitur in ultricem culparum, quæ dicitur voluntas juſtitiæ.

Tertio : S. Auguſtinus nonnumquam ait gratiam movere inſuperabiliter, ſed tunc ſermonem de gratia perſeverantiæ finalis inſtituit.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum S. Auguſtinus poſuerit libertatem in indifferentia activa, & illam requirat ad merendum, vel demerendum?

JANSENIUS, ut ex præcedentibus liquet, in duobus errat circa illud punctum. I. Dicit ad libertatem ſufficere immunitatem a coactione ; deinde gratiam efficacem neceſſitare voluntatem ad agendum, quia, juxta ipſum, ita ſuadet & delectat, ut voluntas non poſſit illi reſiſtere : agit igitur libere, ait, quia ſpontanee, ſed tamen neceſſario : unde duo nobis probanda incumbunt ex S. Auguſt. contra tertiam propoſitionem damnatam, ſcilicet De-

Digitized by Google

Doctorem poſuiſſe libertatis eſſentiam in exemptione a coactione & neceſſitate, deinde vero gratiam efficacem nullo modo neceſſitare. Unde ſit

SECTIO PRIMA.

Sententia D. Auguſtini de eſſentia libertatis.

CONCLUSIO.

S. Auguſtinus exigit immunitatem a coactione & neceſſitate ad libertatem hominis viatoris,

Probatio prima ex omnibus ejus Operibus.

PRIMO: Ex libris contra Manichæos, in quibus expreſſe docet, & exigit immunitatem a neceſſitate ad merendum & demerendum. Ita lib. 3. de lib. arbit. num. 74. cap. 25. libr. 1. de libero arbit. cap. 15. num. 34. lib. 2. de libero arbitrio cap. 20. lib. 2. de anima num. 15. tom. 8. & num. 17. & 19. diſput. contra Fortunatum num. 22. tom. 8. item in libris contra Pelagianos, ut epiſt. 140. num. 3. & 4. tom. 2. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. num. 30. tom. 10. libr. 2. de nuptiis & concupiſcentia nu. 8. tom. 10. lib. 3. contra Julianum num. 2. & lib. 5. contra eumdem num. 5. Tum lib. 3. Operis imperfecti num. 122. lib. de corrept. & gr. cap. 1. in fine, & cap. 11. num. 32. immo lib. 1. retract. num. 1. 2. 3 4. tom. 4. Ergo &c.

Probatio ſecunda, ex ipſis Textibus.

PRIMO: Lib. 3. de libero arbitrio cap. 25. num. 74. ſic loquitur: " Fatendum eſt ,, & ex ſuperioribus, & ex inferioribus ,, viſis animum tangi, ut rationalis ſub- ,, ſtantia ſumat ex utroque quod voluerit. ,, Sed ſumere ex utroque quod homo vult, eſt indifferentia activa, & non determinatio ad unum, ut vult Janſenius: Igitur ex S. Aug. libertas conſiſtit in indifferentia activa.

Secundo: Celebris eſt Textus libri de grat. & libero arbitrio cap. 2. num. 2. ubi probat iſtam indifferentiam activam S. Doctor variis Scripturæ locis, & ſic habet: " Revelavit nobis autem *Deus* per Scri- ,, pturas ſuas ſanctas eſſe in homine libe- ,, rum voluntatis arbitrium. Quomodo ,, autem revelaverit commemoro vos, ,, non humano eloquio, ſed divino Pri- ,, mum quia ipſa divina præcepta homini ,, non prodeſſent, niſi haberet liberum ,, voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad ,, promiſſa præmia perveniret; ideo enim ,, data ſunt, ut homo execuſationem de ,, ignorantia non haberet, ſicut Dominus ,, dicit in Evangelio de Judæis: Si non ve- ,, niſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum ,, non haberent: nunc autem excuſatio- ,, nem non habent de peccato ſuo ... Et ,, liber Eccleſiaſticus dicit... Ipſe ab ini- ,, tio fecit hominem, & reliquit eum in ,, manu conſilii ſui, ſi volueris, conſervabis ,, mandata, & fidem bonam beneplaci- ,, ti. Apponit tibi ignem & aquam, ad ,, quodcumque volueris extende manum ,, tuam. In conſpectu hominis vita & ,, mors, & quodcumque placuerit dabitur ,, ei. Ecce apertiſſime videmus expreſſum ,, liberum humanæ voluntatis arbitrium. ,, Quid illud quod tam multis locis omnia ,, mandata ſua cuſtodiri, & fieri jubet De- ,, us; quomodo jubet, ſi non eſt liberum ,, arbitrium? ... Ubi dicitur noli hoc, & ,, noli illud, & ubi ad aliquid faciendum, ,, vel non faciendum in divinis monitis o- ,, pus voluntatis exigitur, ſatis liberum de- ,, monſtratur arbitrium. Nemo ergo De- ,, um cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi im- ,, putet quiſque cum peccat. ,, Claret quomodo S. Aug. probet peccatorem eſſe inexcuſabilem, ex eo ſcilicet quod poſſit eligere bonum vel malum ad nutum: Ergo &c.

Tertia probatio quod remaneat indifferentia actus ſub dominio gratiæ.

S. DOCTOR epiſt. 47. Ad Valentinum ubi ſolvit dubium quorumdam Monachorum qui libertatem efficacia gratiæ perimi autumabant: " Fides *inquit*, ſana neque li- ,, berum arbitrium negat ſive in vitam ma- ,, lam, ſive in bonam, neque tantum ei ,, tribuit, ut ſine gratia valeat aliquid. ,,

Rurſus lib. de ſpirit. & litt. cap. 34. num. 60. " Attendat & videat, non ideo tan- ,, tum iſtam voluntatem divino muneri tri- ,, buendam, quia ex libero arbitrio eſt, ,, quod nobis naturaliter concreatum eſt; ,, verum etiam quod viſorum ſuaſionibus ,, agit Deus, ut velimus, & ut cre-

credamus

,, damus .... admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat; ſive intrinſecus ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. ,,

Rurſus lib. 2. contra duas Pelag. Epiſt. cap. 5. num. 9. vindicat ſe a calumnia Pelagii qui ipſi exprobaverat libertatem indifferentiæ actus ab homine vi gratiæ ſuſtuliſſe: " Per peccatum Evæ, *ait*, arbitrium liberum de hominum natura periiſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo. ,, Tum lib. de ſpir. & litt. cap. 30. Fatum definit his verbis aureis: " Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Abſit; ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus .... quia gratia ſanat voluntatem qua juſtitia libere diligatur. ,, Ecce quomodo iniquitas mentitur ſibi, dum imputatur Doctori Doctorum indifferentiam actus vi gratiæ efficacis de medio tollere.

Solvuntur objectiones Janſenii.

OBJICIT Lib. 6. de gr. Salv. cap. 6. pag. 264. col. 2. quod neceſſitas ſpontanea, & determinatio ad unum non opponatur libertati, immo quod libertas conſiſtat pro ſtatu præſenti in determinatione neceſſaria ad bonum ex S. Auguſt. & ſic loquitur: " Duplex autem in doctrina ejus neceſſitas reperitur, una quæ operatur effectum ſuum etſi nolis, ſeu quantumcumque renitaris, altera qua ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri ſine reniſu voluntatis. Impoſſibile eſt enim, ut id quod fit voluntate noſtra, fiat nobis etiam nolentibus. ,, Tum pag. 266. col. 1. ſic concludit: " Doctrina igitur Auguſtini eſt neceſſitatem illam primam ... capitaliter repugnare libertati eamque funditus perimere, non autem illam neceſſitatem quæ eſt ſimul voluntaria .... In libro igitur quinto de civit. Dei cap. 10. ubi adverſus cujuſvis fati, aut præſcientiæ neceſſitatem arbitrii & voluntatis libertatem ex profeſſo aſſerit ac tuetur, ita rem expeditiſſimam juxta principia ſua uſitata jam deducta facit, ut nulla tergiverſatione eludi poſſe videatur. Locus integer producendus eſt, ut liquidius quid ſibi velit pateat. ,, *Unde nec illa neceſſitas formidanda eſt, quam formidando Stoici laboraverunt, cauſas rerum ita diſtinguere, ut quaſdam ſubtraherent neceſſitati, quaſdam ſubderent: Itaque in his quas eſſe ſub neceſſitate noluerunt, poſuerunt etiam noſtras voluntates, ne videlicet non eſſent liberæ, ſi ſubderentur neceſſitati; ſi enim neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiam ſi nolumus efficit, quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis; manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus recte, vel perperam vivimus, ſub tali neceſſitate non eſſe, nam ſi volumus eſt; ſi nolumus, non eſt. Non enim vellemus ſi nollemus. Si autem iſta definitur eſſe neceſſitas, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe ut ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio, cur eam timeamus, ne nobis auferat libertatem voluntatis*: Ergo &c.

Reſpondeo negando Antecedens; eſt enim tertia propoſitio damnata, unde ad Aug. diſtinguo: Neceſſitas hypothetica non nocet libertati, concedo: abſoluta, nego. In loco adducto vult ſolum probare S. Doctor præſcientiam Dei non nocere libertati, quia ut dicit lib. de libero arbitrio cap. 3. " O ſtultitiam ſingularem! quomodo ergo non poteſt aliud fieri quam præſcivit Deus, ſi voluntas non erit, quam voluntatem futuram eſſe præſciverit. ,, Unde in loco objecto ſubdit: " Neque enim & vitam Dei & præſcientiam ſub neceſſitate ponimus, ſi dicimus neceſſe eſt Deum ſemper vivere & cuncta præſcire. ,,

Et vero ſuppoſito, quod faciamus aliquid, & Deus hoc præſciat, præſciendo voluntatem noſtram, neceſſario Deus illud ſcit, & evenit ſicut præſcivit, quia præſcientia ejus falli non poteſt, ſed iſta non nocet libertati, quippe quæ præſciat illud ut volumus. Unde in uno loco per modum objectionis laudato S. Præſul triplicem diſtinguit neceſſitatem, unam coactivam & facti, quam admittebant Stoici; alteram ſtatus, ſic ex conditione noſtra morimur; tertiam a voluntate procedentem, & hypotheticam in quantum volumus, vel nolumus aliquid per electionem. Primam & ſecundam aſſerit opponi libertati, ſecus vero tertiam, quam ipſe explicat in illo loco quo abutitur Janſenius. Revera quidem ſuppoſito quod libere & elective aliquid velimus, illud neceſſario operamur: hoc eſt, poſita rei electio-

ne & cauſæ determinatione. Sed hoc non eſt neceſſario agere, verum potius liberrime.

Sed ut facile ſolvantur omnes objectiones, Notandum eſt, textus Auguſtini eſſe in duplici differentia, alios ſcilicet in quibus videtur dicere libertatem idem eſſe ac voluntarium, & actum eſſe liberum eo ipſo quo eſt voluntarius: alios ubi Aug. opponit coactionem libertati, & in hoc ſenſu omne quod non eſt violentum eſt liberum, ſed late.

Ad majorem claritatem duæ diſtinguendæ ſunt libertatis ſpecies, una inamiſſibilis quæ petitur a natura voluntatis in quantum vult & non cogitur: alia amiſſibilis qua voluntas poteſt unum facere, vel relinquere. Prior habet pro objecto finem & beatitudinem, poſterior vero media. De his loquitur S. Auguſtinus Enchirid. cap. 104. num. 28. tom. 6. & lib. 6. operis imperfecti num. 11. tom. 10. denique S. Doctor diſtinguit etiam duplex virtutum genus, unum comprehenſorum reſpondens primæ libertati, alterum viatorum reſpondens ſecundæ. Ita lib. 5. operis imperfecti num. 6. & lib. 6. num. 12. Quando igitur loquitur de neceſſitate, tunc agit de libertate circa finem & beatitudinem, quæ proprie non eſt libertas: vel de amore beatifico; neceſſario enim in genere volumus beatitudinem; tum & neceſſario beati amant Deum, ſed non loquitur de ſecunda qua voluntas procedit elective circa media.

Inſtat Iprenſis, & conatur probare ex divo Thoma S. Auguſtinum propugnare determinationem ad unum non nocere libertati; ſic loquitur ibid. cap. 6. pag. 267. col. 1. " Hanc eſſe genuinam veriſſi„ mamque loci illius de civitate Dei in„ telligentiam, quod ſola videlicet neceſ„ ſitas illa violenta ſub qua arbitrium pre„ mitur atque cogitur, ſeu neceſſitas coa„ ctionis libertati arbitrii adverſetur, „ non autem determinationem ad unum, „ non ſolum omnia Aug. principia quæ „ tradidimus fateri cogunt, & omnes cir„ cumſtantiæ iſtius loci clamant, ſed et„ iam ipſe divus Thomas, multis locis „ aperte confitetur. Nam q. 22. de verit. „ quæ eſt de appetitu boni, articuli ſe„ cundi reſolutionem ita inchoat. „ *Dicendum, quod ſicut poteſt accipi Aug. de civit. duplex eſt neceſſitas. Neceſſitas ſcilicet coactionis, & hæc in volentem nullo modo cadere poteſt, & neceſſitas naturalis inclinationis, ſicut dicimus Deum de neceſſitate vivere.* " Et ad quartum argumentum ejuſ„ dem articuli, quo jam expoſita ſibi ob„ jecerat, ipſiſſima verba Aug. *Si ulla definitur eſſe neceſſitas ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, ut ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus*. Sic reſpondet ſanctus Thomas: *Ad quartum dicendum, quod Auguſtinus loquitur de neceſſitate naturali, quam a voluntate non excludimus reſpectu aliquorum. Et hæc neceſſitas in divina voluntate invenitur ſicut in divino eſſe*. Ergo &c.

Confirmatur: S. Aug. perpetuo opponit coactionem libertati ad merendum, vel demerendum, & exigit ſolum velle ad libertatem, ut quum dicit lib. 5. de civit. cap. 10. " Sunt igitur noſtræ voluntates, „ & ipſæ faciunt quidquid volendo faci„ mus, quod non fieret ſi nollemus. „ „ Rurſus ibid. " Neceſſe eſt ut cum volu„ mus libero velimus arbitrio: „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et hæc omnia probant ſolum neceſſitatem naturalem non opponi voluntario ut ſic, de quo loquitur S. Thomas, concedo: voluntario libero, ſubdiſtinguo: non opponitur, id eſt, licet homo habeat neceſſitatem ſtatus, natura, ut in motibus primo-primis poteſt tamen libere agere, videlicet per electionem quum reflectendo operatur, concedo: ſecus, nego. S. Auguſtinus, ut dictum eſt in reſponſione ad primam objectionem opponit dumtaxat voluntarium coacto, & docet neceſſitatem ſtatus neque eſſe violentiam, neque impedire quin homo agat in particulari libere, & per electionem. Quod autem D. Thomas ſic explicet Aug. & loquatur de neceſſitate ſtatus quæ ſolum excludit violentiam, patet ex verbis ipſis laudatis: " Et „ hæc, *ait*, in volentem nullo modo ca„ dere poteſt, *ſcilicet neceſſitas coactionis*, „ *& neceſſitas naturalis inclinationis*, ſicut „ dicimus Deum de neceſſitate vivere. Tum & in alio loco D. Thomæ, *& hæc neceſſitas in divina voluntate invenitur, ſicut in divino eſſe*. Quis autem ſanæ mentis dicet Deum libere vivere; cum maxime neceſſario vivat, quandoquidem eſt ens neceſſarium. Igitur divus Thomas ſolummodo voluntarium ut opponitur violento liberum vocat. S. Doctor quaſt. 10. de

de potentia art. 1. ad 5. ſeipſum explicat, his verbis: *Deus ſua voluntate libere amat ſeipſum, licet de neceſſitate amet ſeipſum*. Certe nullus umquam Theologus dixit Deum ſe amare libere libertate quæ eſt ad oppoſita; ita enim ſe amat, ut impoſſibile ſit quod tranſeat ad alium ſtatum, & poſſit de amore tranſmeare ad odium ſui, quia inquit Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. negare ſeipſum non poteſt; Janſenius autem exigit ad libertatem quod homo licet neceſſario amet Deum, v. g. poſſit tranſire ad odium, proprio igitur confoditur telo, & ſucum facit cum nubem Patrum citat ad probandum neceſſitatem non opponi libertati.

Ad confirmationem diſtinguo: S. Auguſtinus opponit coactionem libertati tam intrinſecam quam extrinſecam, concedo: coactionem ſolum extrinſecam, nego. Coactio duplex eſt, una extrinſeca quæ promanat a violentia non conferente paſſo: altera vero intrinſeca quæ eſt determinatio ad unum, ſeu neceſſitas ſimplex. Opponit S. Doctor coactionem extrinſecam voluntario ut ſic, intrinſecam vero voluntario libero, ita lib. de duabus animabus num. 14. & 15. & ſequentibus tom. 8. " Voluntas, *inquit*, eſt animi mo- „ tus ad aliquid, vel non admittendum, „ vel adipiſcendum cogente nullo. „ Ibi, ut patet, opponit coactionem libero, animi ſcilicet motibus, qui poſſunt eſſe ad unum vel alterum. Tum lib. 1. retract. c. 15. num. 3. tom. 1. ſibi objicit hæc verba: *Voluntas eſt ne motus animæ a nullo coactus?* Sic reſpondet: *Nullo cogente, hoc eſt, libera voluntate peccando, quia ſcientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator ſuaſit non coegit*. Ecce Aug. ſuipſius interpres.

Urgent: Ex Janſenio Deus, Beati, & Chriſtus ſunt liberi, & tamen ſunt ad bonum determinati & neceſſitati: Igitur ſufficit ad libertatem quod actus ſit voluntarius: Probat antecedens Iprenſis ex profeſſo hic cap. 7. pro libertate Dei hoc Auguſtini teſtimonio, & libro primo operis imperfecti ſol. 151. his verbis: " Non eſt er- „ go liber Dominus, de quo dictum eſt, „ negare ſe ipſum non poteſt. " Pro libertate Beatorum cap. 8. hoc Aug. teſtimonio lib. 22. de civit. cap. 5. & ultimo: *Nec ideo*, ait, *liberum arbitrium non habebunt: intellige licet neceſſario ament Deum pro libertate Chriſti*. Aug. teſtimoniis ex multis operibus depromptis, laudat, ut ex lib. de corrept. & gr. cap. 11. Ergo &c.

Reſpondeo ad hæc omnia diſtinguendo: Deus, Beati, & Chriſtus ſunt neceſſitati ad unum, & tamen ſunt liberi libertate contradictionis, concedo: contrarietatis, nego. Non ne Deus poteſt condere aliquam creaturam: vel non Beati utique poſſunt amare res creatas, vel non ſicut Chriſtus: ſunt igitur liberrimi libertate contradictionis, ſed non libertate contrarietatis, quia non poſſunt peccare, ita ſeipſum explicat S. Aug. ibidem in alio loco de libertate Dei, ſub Object. lib. 1. operis imperf. cap. 100. his verbis: " Liberum non „ eſt, niſi quod duo poteſt velle, id eſt, „ & bonum & malum; liber Deus non eſt, „ qui malum non poteſt velle. „ Ex hoc oſtendit libertatem non in eo ſolum ſitam eſſe quod aliquis poſſit facere bonum, vel malum, ſed etiam ponere actum, vel non actum; & Deum eſſe vere liberum licet non poſſit peccare. Poſt verba in loco pro beatis, hæc ſubdit: " Quia „ peccata eos delectare non poterunt.... „ nam primum liberum arbitrium quod „ homini datum eſt, quando primum crea- „ tus eſt rectus, potuit non peccare, ſed „ potuit & peccare: hoc autem noviſ- „ ſimum eo potentius erit, quo peccare „ non poterit. „ Pro libertate vero Chriſti eodem modo ſe explicat, his verbis: *Neque enim metuendum erat ne iſto ineffabili modo in unitatem perſonæ a Verbo Dei natura humana ſuſcepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium ſolum*: Igitur excludit a libertate coactionem.

SECTIO SECUNDA.

Utrum gratia efficax ſecundum Auguſtinum tollat libertatem?

VARII varie opinantur circa modum quo Theologi explicant efficaciam gratiæ, vel ſecundum ipſum Auguſtinum. Communis quidem ſententia eſt S. Doctorem tenere gratiam eſſe efficacem per ſe, non tamen in eo ſenſu quod excludat liberi arbitrii cooperationem; ſed in quantum ipſum adjuvat & elevat, & ipſa habeat ex ſe virtutem producendi ut prima cauſa effectum.

Thomiſtæ, propugnant Auguſtinum reponere

nere efficaciam gratiæ in præmotionibus moralibus ſimul & phyſicis, quia ſic loquitur lib. 3. de Trinit. cap. 4. " Deus ,, operatur omnia, movens prius ſive animos hominum, ſive cunctorum ſpirituum ſibi ſubditas ſervitutes. ,, Tum lib. de grat. Chriſt. cap. 23." Magnum, ,, *inquit*, adjutorium divinæ gratiæ, ut ,, cor noſtrum quo voluerit Deus ipſe declinet.,

Congruiſtæ, ut Iſambertus hic tract. de grat. Bellarminus & alii contendunt, Aug. afficaciam gratiæ conſtituere in congruitate & convenientia tum loci, tum temporis, tum etiam temperamenti, id eſt, gratiam dari in circumſtantiis ita opportunis, ut inferat voluntatis conſenſum ſine reſiſtentia, licet de facto poſſit reſiſtere, & adducunt in probationem celebrem illum S. Doctoris locum lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. nu. 13. ubi ſic loquitur: " Verum eſt ergo, *Multi vocati*, ,, *pauci vero electi*. Illi enim electi qui con- ,, gruenter vocati: illi autem qui non con- ,, gruebant neque contemperabantur vaca- ,, tioni ... Quia etiam ſi multos vocet, ,, eorum tamen miſeretur, quos ita vo- ,, cat, quomodo eis vocari aptum eſt, ,, ut ſequantur.

Alii vero, qui præ cæteris ſe dicunt Auguſtinianæ Scholæ Diſcipulos, totis viribus aſſerunt S. Præſulem efficaciam gratiæ in delectatione victrici ſitam eſſe docere, & eorum duplex eſt claſſis. Altera Orthodoxorum qui quidem defendunt efficaciam gratiæ in delectatione victrici, ſed ſalva libertatis indifferentiæ actus incolumitate: alii vero contendunt illam delectationem neceſſitare, & ſolum excludere neceſſitatem a coactione: quippequi reponant eſſentiam libertatis tantummodo in exemptione a coactione & violentia, & eſt Janſenii & ſuorum ſententia. Contra quem ſit

CONCLUSIO.

Gratia efficax ex mente S. Auguſtini, ut nonnulli Orthodoxi putant, delectationem victricem, ſed ſalva indifferentia actus importat.

HANC opinionem, tametſi a noſtra diverſam impræſentiarum ad majorem fidei explicationem exponimus, ne ex una parte quidam catholici zelo nonnihil amaro abrepti ſententiam eorum qui efficaciam gratiæ in delectatione victrici, ut erroneam, indiſcriminatim peſſundent: ne etiam ex alia parte Novatores omnibus illudere perſeverent, dicendo ſuam de efficacia gratiæ per delectationem vel ipſis cum Orthodoxis communem habere; ſic enim cum cauſam ſuam argumentorum eos prementium evidentia deploratam comperiunt, modo ad Thomiſtas, modo ad alios Theologos confugiunt, ut ſimulatione, & a Janſenii doctrina & a ſeipſis Eccleſiæ avertant anathemata. Jam ad concluſionem veniamus.

Probant, primam partem concluſionis Orthodoxi, videlicet gratiam efficacem connotare delectationem, multis momentis.

Primo, ex Scriptura ſacra Pſal. 118. habetur: *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum*. Rutſus Pſal. 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Thr. 1. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me*, 1. Joan. 2. *Unctio ejus docet vos*.

His poſitis ſic argumentantur: Gratia efficax facit currere & adimplere præcepta: reddit homnes fortes in bello contra fidei hoſtes; ſed ex Scriptura delectatio & unctio hæc omnia operatur, unde S. Ambroſ. dicit de S. Laurent. ſuper craticulam extenſo, quod amor & ſuavitas interior illum redderet ignis activitati quaſi inſenſibilem; divus vero Thomas de S. Tibuttio, *ait*, quod ambularet ſuper prunas, uti ſuper roſas: Igitur inquiunt ex mente S. Aug. gratia efficax conſiſtit in delectatione victrici; ſic ipſe loquitur lib. 2. de peccat. merit. cap. 17." ,, Ideo quiſque noſtrum bonum opus ſuſ- ,, cipere, agere, implere, nunc ſcit, ,, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc ,, non delectatur, ut noverit non ſuæ fa- ,, cultatis, ſed divini muneris eſſe, vel ,, quod ſcit, vel quod delectatur: ac ſic ,, ab elationis vanitate ſanetur, & ſciat ,, quam vere non de terra iſta, ſed ſpiritua- ,, liter dictum ſit, Dominus dabit ſuavita- ,, tem,& terra noſtra dabit fructum ſuum.,,

Secundo, ex S. Auguſtino qui lib. 1. quæſt. 2. ad Simplicianum, ſic loquitur: " Quis ,, animo amplectitur aliquid quod eum ,, non delectat. ,, Et lib. de Spirit. & litt. cap. 3. " Cum id quod agendum

„ eſt cœperit non latere , niſi etiam de-„ lectet & ametur non agitur , non ſuſ-cipitur . „

Rurſus Tract. 26. in Joan. cap. 6. ſic habet : “ Trahit ſua quemque voluptas : „ Porro ſi Poetæ dicere licuit , trahit „ ſua quemque voluptas ... ... Quanto magis nos dicere debemus trahit hominem ad Chriſtum qui delectatur veritare , delectatur beatitudine , delectatur juſtitia , delectatur ſempiterna „ vita . „

Idem Tract. 26. in Joan. cap. 6. ait : “ „ Videte quomodo trahit Pater , docendo delectat . „ Rurſus epiſt. 204. ad Donatum : “ Trahitur animus amore , „ amando trahitur , ſine læſione trahitur , „ vide ſi tractus es , & a Patre tractus „ es . „ Ergo &c.

Tertio , rationibus ſuam ſententiam aſtruunt .

Prima : Agitur de actibus voluntatis quæ habet bonum pro objecto , ita ut moveatur ad agendum ſolum a bono vel apparente , ut in actionibus malis , vel a vero ut in actionibus bonis : ſed bonum ex D. Thoma in tantum movet , in quantum bonitas prægustatur , adeoque inquiunt , quum delectat : Ergo &c.

Secunda : Eadem eſt lex oppoſitorum : ſed voluntas movetur ad peccandum per delectationes a creaturis acceptas ex S. Aug. lib. 22. de civit. cap. 30. Igitur a contrario voluntas movetur ab bonum , per delectationem bonitatis divinæ .

Tertia : Voluntas , aiunt , agit in omnibus propter beatitudinem & bonum felicitatis ſperatæ : ſed bonitas ſolum ut prægustata ſtimulat deſiderium , ſicut merces igitur propoſita provocat mercenarium ad laborandum , ita & bonitas divina excitat & movet nos ad pœnitentiam, unde Propheta, dicit Pſ. 11. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas .... propter retributionem* . Immo ineſt gaudium nobis quotieſcumque agimus pro Deo , & quidem abundans quando agimus pro puro Dei amore , juxta illud 1. Petr. 1. 6. *In quo exultabitis modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus* . Ergo &c.

Probatur ſecunda pars , ſcilicet quod delectatio victrix non debellet libertatem ex Auguſtino .

PRIMO : Illud punctum ex multiplici S. Aug. loco aſtruunt. Tract. 26. in Joan. cap. 6. ait ſanctus Præſul : “ Trahit ſua „ quemque voluptas , non neceſſitas, ſed „ voluptas , non obligatio . „ Ibidem : “ „ Videte quomodo trahit Pater ? Docendo delectat , non neceſſitatem imponendo . „ Serm. 5. de verbis Apoſt. cap. 9. & 10. idem dicit . Tum l. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 7. ſic loquitur : “ Sicut ergo vera ratio docet meliorem eſſe naturam , „ quam prorſus nihil delectat illicitum : „ ita ratio vera nihilominus docet etiam „ illam bonam eſſe , quæ habet in poteſtate illicitam delectationem , ſi extiterit , ita cohibere , ut non ſolum de cæteris licitis recteque factis , verumetiam „ de ipſius pravæ delectationis cohibitione „ lætetur . „ Eo loci manifeſte agnoſcit & docet Auguſtinus hominem per gratiam habere poteſtatem cohibendi delectationem illicitam , & gaudere in Domino de licita : Igitur ex Aug. delectatio gratiæ nec neceſſitat, nec tollit libertarem actus .

Secundo : Lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. nu. 21. confirmat & explicat eamdem veritatem , his verbis : “ Quis autem animo „ amplectitur aliquid , quod eum non delectat ? Aut quis habet in poteſtate ut vel „ occurrat quod eum delectare poſſit , vel „ delectet cum occurrerit ? „ Licet autem non ſit in hominis poſtetate ex Aug. habere delectationem victricem , eſt temen in hominis poteſtate illi conſentire vel non , unde lib. 3. de lib. arb. cap. 3. ait : “ „ Voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet „ niſi eſſet in noſtra poteſtate . „ Ibid. ſubdit : “ Non enim nobis eſt liberum „ quod in poteſtate non habemus , aut poteſt non eſſe quod habemus . „ Ergo &c.

Tertio : Lib. 3. contra Julianum num. 2. ſic habet : “ Denique ab eis vos correctos „ noverint , & amabunt . Quoniam non „ ſicut dicis , *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium , aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit , Pelagianus , „ & Cæleſtianus vocatur* ; ſed qui libertatem , in quam vocati ſumus , non gratiæ Dei tribuerit ; & qui parvulorum „ liberatorem Chriſtum negaverit . „

Digitized by Google

Quibus verbis oſtendit Pelagianum ſe non negare liberum arbitrium, ſed nos adjuvari a gratia; hinc veram libertatem agnoſcit ſub ipſo gratiæ dominio. Ergo &c.

Solvuntur objectiones Janſenii contra ſecundam concluſionis partem.

OBJICIT Janſenius: Rom. 9. habetur: *Non eſt volentis, neque currentis.* Igitur gratia neceſſario ad operandum compellit. Confirmatur: Ex ſancto Auguſtino delectatio victrix tollit libertatem indifferentiæ; & in probationem affert illud Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit eum.* Sed trahere eſt neceſſitare. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et vult Apoſtolus gratiam eſſe cauſam primam quæ applicat voluntatem, & eam adjuvat priuſquam agat, concedo: hinc dicitur præveniens: & vult quod delectatio gratiæ neceſſitet, nego. Solutio eſt Aug. lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2.

Ad confirmationem diſtinguo: Deus trahit alliciendo & movendo ſuaviter, concedo; neceſſitando, nego. Solutio patet ex Aug. ſupra citato.

Inſtat: Idem Aug. in cap. 5. epiſt. ad Galat. dicit: *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt.* Et alibi aſſerit gratiam cor movere indeclinabiliter. Ergo &c.

Confirmatur: Bono ſemel propoſito ſicut oportet, neceſſario illud ſequitur voluntas, quia eſt ejus objectum, nec poteſt velle malum qua malum: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Quod amplius nos delectat ſecundum id operemur neceſſe eſt neceſſitate hypothetica, & convenientiæ, concedo: neceſſitate abſoluta, nego. Nam voluntas eligit bonum, nec aliter in ipſum fertur, niſi per deliberationem, quando agit libere, ſed licet eligat bonum bene propoſitum, non tamen neceſſario. Qui eſurit v. g. ſumit cibum præ oculis appoſitum, poteſt tamen, ſi velit ab eo abſtinere, ſicut ſæpius faciunt juſti motu pœnitentiæ.

Ad confirmationem, diſtinguo: Gratia movet fortiter, ſed ſimul ſuaviter & libere, concedo: ſecus, nego. Ita S. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 8. ubi dicit gratiam dare liberrimam in proſequendo bono fortiſſimam, invictiſſimam & perſeverantiſſimam voluntatem: quibus verbis conciliat libertatem cum fortitudine invictiſſima gratiæ, & cum ipſa perſeverantia interiori.

Urges: Si delectatio victrix non infert neceſſario conſenſum volnntatis, jam ipſa gratia dependebit a voluntate, quod Semipelagianum ſpirat: Atqui hoc in nullo ſenſu poteſt fieri. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Gratia dependebit a voluntate ut a comparte & concauſa quæ non agit niſi prius ipſa a ſua virtute moveatur, concedo: ſecus, nego. Semipelagiani autem volebant liberum arbitrium in ſe relictum prius agere & determinare gratiam, quod eſt erroneum, unde non eſt paritas.

Solvitur argumentum ex gradibus gratiæ ſuperantibus concupiſcentiam, quod eſt apud Iprenſem palmare.

OPPONIT: Poſita gratiæ ſuavitate intenſa ut ſex cum concupiſcentia ut quatuor, gratia neceſſario vincit concupiſcentiam: Igitur gratia imponit neceſſitatem, quia nequit homo ejus delectationi reſiſtere. Probatur antecedens ex S. Aug. qui hanc delectationem vocat modo victricem, modo inſuperabiliter & indeclinabiliter moventem. Confirmatur: Impoſſibile eſt debilius agens a fortiori non vinci: Igitur delectatio gratiæ ut ſex neceſſario concupiſcentiam ut quatuor ſuperat: E contra vero ſi ipſa concupiſcentia exardeſcat. Ita Aug. lib. de continentia cap. 3. " " Contra ſuavitatem noxiam qua vince- " bat concupiſcentia, dat ſuavitatem be- " neficam, qua delectetur amplius continentia. "

Reſpondeo I. Suppoſito quod gratia ſit per ſe efficax, ut vult Janſenius, quælibet gratia cujuſcumque gradus ſit, vincet quamlibet concupiſcentiam, alias non eſſet efficax; & hæc eſt opinio ſanctorum Doctorum, qui tenent gratiam eſſe per ſe efficacem, ut S. Proſper. de illa diſſerens carmine de ingratis, ait: *Ipſa ſuum conſummat opus cui tempus agendi ſemper adeſt .... Nec moribus illi ſit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.* Concinit D. Thomas, qui dicit 3. p. quæſt. 7. art. 4. " Minima charitas plus diligit Deum " quam cupiditas auri & argenti. " In

hoc

hoc tamen differunt & quidem toto cœlo a Janſenio, quod velint libertatem indifferentiæ actus ſtare ex integro ſub dominio gratiæ efficacis. Et ſic funditus ruit ſyſtema Janſenii, quo putat gratiæ efficaciam commenſurandam eſſe ſecundum gradus concupiſcentiæ majoris vel minoris, quam proguguat. Et vero operatio ſequitur ex judicio practico intellectus; homo autem licet magna inflammatus ſit concupiſcentia, ſi paululum a gratia adjuvetur, poteſt judicare bonum incommutabile, bono ſenſibili anteponendum; poteſt non audire tentationem, quod certe quotidiana comprobat experientia; ſæpe enim ſic judicat peccator, ſæpius juſtus vigente tentatione, ut illi non cedat.

Reſpondeo II. Sæpiſſime etiam gratiam non cauſare delectationem ſenſibilem, ut in Martyribus, qui vel ipſo tempore quo exquiſitis tormentis cruciabantur, triumſabant. Jam vero quot Sancti, quot animæ ſupra modum devotæ, quæ licet omni ſuavitate deſtitutæ, omnia tamen mandata fideliter cuſtodiunt; hinc Paulus hanc ſuavitatem cibum parvulorum nuncupat. Fruſtra igitur ventilant Janſenius & ſui delectationem, cum juſti permulti ſola fide, eaque nuda ambulent, ut beata Tereſia, Joannes a Cruce. Cæterum omnes Doctores myſtici ſic edocent.

Reſpondeo III. negando antecedens, quod eſt manifeſte contra S. Auguſtinum dicentem, quemlibet quidem trahi delectatione, ſed non neceſſitate.

- *Ad* primam probationem, diſtinguo: Delectatio eſt victrix voluntate libere illi conſentiente, concedo: ſecus, nego. Vincit quidem gratia, ſed quia conſentit illi voluntas, & quidem elective; ſi enim reſiſteret ei, ſuo fruſtraretur effectu. Ad id quod addit gratiam ex Aug. vincere inſuperabiliter, diſtinguo: gratia perſeverantiæ adæquate ſumpta, ut dicit auxilium tam intrinſecum, nempe ipſam Dei virtutem in anima receptam; quam extrinſecum, ſcilicet providentiam diſponentem cauſas ſecundas ut afferant mortem in momento, quo viget & floret in ſubjecto charitas, concedo: gratia efficax ut ſic, ſubdiſtinguo: in ſenſu compoſito, concedo: in ſenſu diviſo, nego.

Ad aliud quod dicitur: impoſſibile eſt debilius agens a fortiori non vinci, diſtinguo: in phyſicis, concedo: in moralibus, nego. In phyſicis fortius dominatur neceſſario inferiori, non ſic in moralibus, quia ad moralitatem multa concurrunt, ſcilicet finis, objectum, intentio. Multæ ſunt circumſtantiæ, principalis eſt quod agens ſit liber juxta Dei ordinationem, & ideo a nullo neceſſitari poſſit. Ut autem ad exemplum propoſitum reſpondeamus, certum eſt hominem poſſe reſiſtere gratiæ ut ſex, licet habeat concupiſcentiam ſolum ut quatuor, quia agit per electionem, unde paſſione obnubilatus, quandoque judicat bonum ſenſibile majus eſſe bonum, quam bonum æternum ad quod gratia provocat, & hoc eſt de fide a Tridentino definitum, ſeſſ. 6. Can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum .... non poſſe diſſentire ſi velis; anathema ſit*. S. Aug. mira de hoc momento dicit l. de ſpi. & litt. cap. 34. n. 60." Attendat & videat non ideo tantam iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus ...... Sed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt."

Jam vero gratia ſit ſolum ut quatuor, concupiſcentia vero ut octo, non ideo dicendum eſt hominem neceſſitari a concupiſcentia. I. Quia de facto conſtat ex Scriptura & Aug. hominem minime trahi neceſſario ad malum; & hoc dicere, eſt Calvinianum dogma a Tridentino proſcriptum. II. Eo quod charitas, ſi ſit vera, vincat omnia, non ſola quidem, ſed ſimul cooperante voluntate; poteſt enim judicare tentatus, melius eſſe Deo obedire quam creaturæ. III. Suppoſito quod ſatis non ferveſcat charitas, rogandus eſt Deus, inquit Auguſt. ut major fiat. IV. Non ſola charitate ſuperatur tentatio, ſed timore, juxta illud Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*; & illud Chriſti Matth. 10. *Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*; ſed etiam & meditatione ultimi finis; habetur enim Eccl. 7. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*. Tum etiam humilitate, & jejunii, & eleemoſynis, ut paſſim docent Patres.

Cæterum aliud eſt non obedire concupiſcentiæ, aliud ſe convertere. Peccator tentatus gratia adjutus poteſt dare eleemoſynam, timere judicia Dei, & ſic avertere tentationem, licet nondum convertatur; quis enim præter impios negabit, peccatorem poſſe bona opera patrare, cum ad hæc eum Deus adhortetur, juxta illud Daniel, Dan. 4. 24. ad Nabuchodonoſor: *Peccata tua eleemoſynis redime*. Et illud Chriſti Luc. 11. 41. *Date eleemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis*. Et Act. 9. 11. *Vade .... & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarſenſem, ecce enim orat*. Immo Eccleſia præcipit bona opera peccatoribus, ut iis gratiam converſionis poſſint attrahere. Si ergo ſolo timore & jejuniis armati concupiſcentiæ quantumvis magnæ reſiſtere queant, a fortiori ſi meditationi ultimi finis, ſi humilitati, ſi timori Dei jungatur charitas; & ſic apparet quam levior ſit Novatoris objectio ex diverſis gratiæ & concupiſcentiæ gradibus procedens. Apoſtolus caſtigationem corporis præcipit ad comprimendam concupiſcentiam: ſanctus Petrus vero proponit fidem & vigilantiam, 1. Petr. 5. 8. ait enim: *Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tamquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide*. Sed quoniam Ipreſis provocat ad Auguſtinum, audiat igitur illum, quomodo omnem eliminet peccandi neceſſitatem ſub quacumque concupiſcentia: indicat & media proponat ad vincendam concupiſcentiam.

S. Doctor lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. num. 53. ſibi objicit excuſantes peccata ſua, & illa rejicientes modo in cæcitatem innatam, modo in craſſitudinem & difficultatem ab bonum cognoſcendum. Ejus reſponſionem jam ſupra laudatam hic repetere non abs re erit: " Si „ Adam, *inquit*, & Eva peccaverunt, „ quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur .... Quibus breviter „ reſpondetur, ut quieſcant, & adverſus „ Deum murmurare deſiſtant. Recte „ enim fortaſſe quererentur, ſi erroris „ & libidinis nullus hominum victor exiſteret; cum vero ubique ſit præſens qui „ multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat „ credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi „ deputatur ad culpam, quod invitus „ ignoras; neque illud quod vulnerata „ membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis: iſta tua propria „ peccata ſunt. „ Igitur S. Aug. omnia agnoſcit eſſe poſſibilia facienti quod in ſe eſt per gratiam: Igitur agnoſcit quemlibet poſſe vincere tentationem, quia Deum habet adjutorem qui conantem adjuvat, qui exaudit deprecantem, dando gratiam omnem requiſitam tum ad malum fugiendum, tum ad bonum faciendum & operandum.

Idem S. Doctor tradit modos & exhibet media quibus quiſque poteſt & reſiſtere tentationi, & vincere, & hoc quidem variis in locis, ſed maxime lib. de continentia cap. 2. & 3. his verbis: " Nunc „ autem quamdiu caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ſatis eſt nobis non conſentire malis, quæ ſentimus in nobis. „ Rurſus lib. 5. Homiliarum homilia 21. " Nos „ fratres cariſſimi agnoſcentes iniquitates noſtras, quantum poſſumus contra „ malas concupiſcentias repugnemus in „ jejuniis, in vigiliis, in orationibus & „ largioribus eleemoſynis. „ Et iterum „ lib. de gratia & lib. arb. cap. 15. n. 31. de peccatore tepido loquens, ait: " Oret „ ut habeat tantam voluntatem, quanta „ ſufficit ad implenda mandata, ſic quippe adjuvatur ut faciat quod jubetur. „ Denique lib. 2. de adult. conjug. cap. 13. ait: " Timore ſaltem frænetur concupiſcentia, ſi amore non eligitur continentia. Si enim ubi eſt timor operetur labor, ubi erat labor, erit & amor. „

Ex his reſultat hominem nullo modo neceſſitari ad peccatum per delectationem terrenam exardeſcentem, alias fruſtra S. Aug. vellet adhiberi & jejunia & orationes ad illam debellandam, quia ſemel poſita in gradu ſuperante delectationem cæleſtem cito citius, ut vult Janſenius, neceſario compelleret ad peccatum, quod non ſolum a fide, verum etiam ab Auguſtini mente penitus alienum eſt. Manet igitur tum ex Scriptura, tum ex S. Aug. neminem neceſſario aut trahi, aut determinari, applicative vel a gratia abundante ad bonum, quia ex Aug. homo poteſt reſiſtere: vel a concupiſcentia ſupra

modum

modum titillante, ad malum, quia ex eodem S. Doctore hæc paſſio timore frænatur, jejuniis compeſcitur, oratione mitigatur & langueſcit: quia denique multum valet deprecatio apud Dominum, ut ab ejus miſericordia gratiam victricem & triumfantem aſſequamur; paſſim & ubique S. Aug. docet hominem, neque a gratia neceſſitari ad bonum, neque pariter aut tentatione, aut diaboli aſtutiis neceſſario ad malum compelli. Non injucundum erit hic texere ejus de hoc momento verba aurea Serm. 197. de tempore, vet. edit. " Venit ergo Chriſtus & alligavit diabolum: ſed dicit aliquis, ſi alligatus eſt, quare adhuc tantum prævalet? Verum eſt, fratres chariſſimi, quia multum prævalet: ſed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus eſt enim tamquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortifera ſecuritate conjunxerit. Jam videte fratres, quam ſtultus eſt homo ille quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluntates & cupiditates ſæculi noli conjungere, & ille ad te non præſumit accedere. Latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſuadendo movet: nec extorquet a nobis conſenſum, ſed petit. "

Cæterum, non ſemel iſtud ſupra ſolvimus argumentum: ſed ut non remaneant in ore Janſenii Patronorum redargutiones, non injucundum erit hic texere librum quartum Janſenii de grat. Chriſti in quo potiſſimum ſtabilit delectationem neceſſitantem, maxime in undecim primis capitibus, ut cordati videant, quomodo Novator ille & fidelibus, & ipſi Auguſt. ſucum fecerit.

Synopſis libri quarti Janſenii de gratia Chriſti a cap. 1. uſque ad 11. in quo quidem libro tractat Novator de delectatione neceſſitante, quam perperam tribuit B. Auguſtino, ut fucum faciat; quod argumentis ad hominem irrefragabilibus oſtenditur.

ANTEQUAM, hanc incipiamus ad conſolationem fidelium Catholicorum explicationem, prænotandum eſt. I. In his capitibus ubi Janſenius ſuam vult variis Aug. in pravum ſenſum detortis ſententiis firmare ſententiam, S. Doctorem ne ullum quidem propalare verbum de delectatione neceſſitante. II. S. Præſulem ut plurimum ſermonem inſtituere de delectatione libera, raro admodum de indeliberata. III. B. Auguſt. hoc potiſſimum inculcare velle, hominem per gratiam Chriſti veram filiorum Dei libertatem in boni proſequutione ſuavi & prompta atque ſemper libera & oratione ſitam adipiſci, quia, *inquit*, juxta Apoſtolum, charitas foras mittit timorem. IV. Denique eumdem Patrem docere delectationem indeliberatam & primo-primam movere quidem voluntatem ad agendum, ſed liberum arbitrium nuſquam agere niſi ſecundum delectationem practicam eamque ab electione promanantem, ut luce clarius oſtenſum eſt. Quia vero S. Auguſt. non ſibi contrarius eſt, cito apparebit ejus ſententias exquiſita induſtria a Janſenio velut aggerem conglobatas, non ſolum libertatem humanam non inficiari, verum potius ubique eam aſtruere, & conſequenter Novatorem contra B. Auguſtinum & ſcripſiſſe & fuiſſe locutum. Obſerves velim capita & titulos ibi juxta litteram nos hic texere.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Medicinale Chriſti adjutorium? Eſſe cæleſtem ſuavitatem ſeu delectationem juxta mentem S. Auguſtini oſtenditur.

JANSENIUS ſuum probare conatur titulum viginti ſex D. Auguſt. auctoritatibus, ubi multus eſt ſermo de delectatione quidem victrici, ſed nullus de neceſſitante, ut legentibus patebit. Et probatur ex ejuſdem teſtimoniis.

Auctor p. 767. col. 1. affert locum unum ex Epiſtola ad Dioſcorum, ſed nulla ibi fit mentio de delectatione. Col. 2. duas profert auctoritates, alteram ex cap. 17. lib. 2. de peccat. merit. alteram, ex cap. 19. in prima D. Aug. dicit quandoque delectationem cæleſtem animæ denegari, quandoque etiam concedi ad Dei placitum, ne quis elatus in ſe confidat, ſed potius ſciat divini muneris eſſe quum operamur bonum. Idem repetit in ſecundo loco, his verbis: " Nos autem quantum conceſſum eſt ſapiamus & intelligamus, ſi poſſumus, Dominum Deum, bo-

„ bonum ideo etiam ſanctis ſuis alicujus „ operis juſti, aliquando non tribuere, „ vel etiam ſcientiam, vel victricem de- „ lectationem, ut cognoſcant non a ſe „ ipſis, ſed ab illo eſſe lumen quo illu- „ minentur tenebræ eorum, & ſuavita- „ tem qua det fructum ſuum terra eo- „ rum. „ Pag. 168. ibidem apud Janſ. S. Aug. cap. 19. col. 1. dicit rogandum eſſe Deum ut conferat iſtud adjutorium quo aperiatur, & manifeſtum fiat quod latebat. Rurſus idcirco Deum differre peccatori ſanitatis gratiam, ne elatus pejor fiat. Rurſus in eadem & pag. & col. profert Iprenſis tres alias ejuſdem Auguſt. auctoritates, unam ex Serm. 11. de verbis Apoſt. cap. ult. qua S. Doctor hortatur nos dare gloriam Deo pro bonis operibus patratis: alteram ex Serm. 4. de verb. Apoſt. cap. 8. ubi Aug. dicit, cuncta dulceſcere præſente gratia, ipſa vero abſente e contra amareſcere. Tertiam qua ſuadetur oratio, & fuga peccati, ut terra noſtra det fructum ſuum. Colum. 2. quatuor adducuntur loca Auguſt. duo ex lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. unus ex lib. 1. de nuptiis cap. 30. quartus ex lib. de gratia Chriſti cap. 13. in primo loco B. Auguſt. dicit miſericordiam Dei nos prævenire, in 2. tunc bonum incipi in nobis, quum dulceſcere incipit; in 3. tunc animam non concuti timore, ſed amore Dei agi; in 4. talem eſſe Dei gratiam quæ docet nos libere Deo ſervire.

Pag. 169. col. 1. Novator ſeptem laudat B. Auguſt. ſententias. In prima dicit S. Doctor gratiam docere infundendo veritatem, Lib. de gratia Chriſti cap. 13. & Serm. 27. de Verb. Dom. cap. 1. In ſecunda ſuavitatem ſic intelligendam eſſe, ut illa ſit quæ facit nos bonis operibus abundare, non timore, ſed amore juſtitiæ, & docendo juſtificationes, in Pſal. 118. In tertia 4. 5. 6. & 7. idem repetit. Col. 2. ſeptem iterum proferuntur ejuſdem S. Doctoris auctoritates. Scribit in prima Auguſt. hominem operari ſecundum amorem & delectationem juſtitiæ, Libr. de ſpirit. & litt. cap. 3. tunc hominem operari quando quod latebat apparet, ibidem cap. 3. Hominem per fidem ad Deum confugere neceſſe eſſe, ut in Domino gaudens timore pœnæ non agatur. Ibid. cap. 10. ad Spiritum ſanctum pertinere & juſtificare, & liberos libertate Filiorum Dei conſtituere, Ibid. cap. 15. per fidem ad Deum confugiendum eſſe, ut magis delectet & placeat bonum, Ibidem cap. 29. hominem agi a Deo per ſuavitatem, ut ipſe agat, Lib. de corrept. & grat. cap. 2. Deum nos a ſervitute peccati liberare inſpirando virtutem, & dando cæleſtem delectationem qua ſuperetur terrena, Serm. 29.

Ex his omnibus ſequitur iſtud contra Janſenium argumentum. Ille Pater nullo modo propugnat delectationem neceſſitantem, qui de neceſſitate ne quidem ullum profert verbum, qui docet e contra gratiam nos adjuvare ut ſine timore, ſed cum amore operemur, gratiam jugum Domini ſuave reddere, ita ut virtutem per omnia dulceſcere faciat: gratiam a Deo expoſtulandam ut libertatem Filiorum Dei habeamus: gratiam movere inſpirando: gratiæ & non naturæ viribus confidendum eſſe, ut gloriam ſoli Deo qui exaltat humiles cum gratiarum actione reddamus: Atqui ſic docet Auguſt. in ſententiis allatis: concludat igitur nobiſcum Janſenius ex Auguſtino conſtare gratiam nullam homini imponere neceſſitatem.

Rurſus: Ille ſanctus Doctor noluit delectationem cæleſtem neceſſitare, qui dixit gratiam ideo dari ut faciat operari. I. docendo: II. inſpirando virtutem: III. amore juſtitiæ: IV. non torquendo voluntatem & cogendo: V. qui dicit gratiam movere ut voluntas humana ſeipſam utique moveat: Atqui id expreſſe aſſerit Auguſt. in ſententiis a Janſenio allatis: Igitur Janſenius imponit & Auguſt. & fidelibus, propugnando delectationem neceſſitantem. Probatur minor quoad ſingulas partes. Primo quidem Auguſt. ſerm. 4. de verb. Apoſt. cap. 8. ſic loquitur: “ „ Quid dicam? Domine, da mihi illam „ ſuavitatem, vel illam? Suavis es Do- „ mine, & in tua ſuavitate doce me „ juſtitias tuas. „ Qui autem interius docendo movet non neceſſitat. Hunc locum laudat Janſenius pag. 168. colum. 1. II. Auguſtinus ſerm. 29. ait: “ Quomo- „ do te a te liberat Deus? Dimittendo „ peccata, donando merita, dando tibi „ vires pugnandi adverſus concupiſcen- „ tias tuas, inſpirando virtutem. „ Certe qui licentiam facit pugnandi adverſus concupiſcentias, quod fit opponendo virtutem vitio, judicando bonum incommutabile terreno melius: qui adjuvat inſpirando virtutem, ut illam intelligamus & prædi-

prædiligamus, non ſolum non neceſſitat, ſed mirum in modum adjuvat libertatem. Hic locus ab eodem Janſenio celebratur ibid. pag. 169. col. 1. III. B. Auguſt. lib. 2. ad Bonif. cap. 9. ait: " Ergo benedictio dul-„ cedinis eſt gratia Dei, qua fit in no-„ bis ut nos delectet & cupiamus; hoc „ eſt amemus quod præcipit nobis. „ Iterum in Pſalm. 118. " Quando enim „ delectat bonum, magnum Dei donum „ eſt. Quando autem bonum opus, quod „ lex imperat fit timore pœnæ non de-„ lectatione juſtitiæ. „ Videas velim per omnia, benevole Lector, delectationem cæleſtem quæ facit operari, ex Auguſtino nihil aliud eſſe quam juſtitiæ amorem, nos autem in tantum amamus majus bonum, in quantum prius judicavimus eſſe bono terreno majus & verius bonum; & ſic ubique Auguſtinus eliminat & propellit a voluntate neceſſitatem. Prior locus refertur a Janſenio ibidem pag. 168. col. 2. Secundus pag. 169. col. 1. Denique Auguſtinus libr. 1. de nupt. cap. 30. explicans illa Pauli ad Roman. 7. verba: *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem*, ait: " Iſta condelectatio legi Dei „ ſecundum interiorem hominem de ma-„ gna nobis venit gratia Dei. In ea „ quippe interior homo noſter renovatur „ de die in diem, cum in ea perficit „ perſeveranter. Non enim eſt timor „ torquens, ſed amor libens. Ibi ſumus „ veraciter liberi, ubi non delectamur „ inviti. „ Et lib. de cor. & grat. cap. 2. de hominibus dicit: " Aguntur enim „ ut agant, non ut ipſi nihil agant, & „ ad hoc eis oſtenditur, quid agere de-„ beant, ut quando id agunt, ſicut agen-„ dum eſt, id eſt cum dilectione & de-„ lectatione juſtitiæ. „ Numquid firmius potuit Auguſt. ſtatuere libertatem electionis? Quis jam ſanæ mentis dicet, Auguſtinum propugnare delectationem neceſſitantem, cum ex profeſſo doceat delectationem parere amorem liberum, amorem qui nec cogit, nec torquet imponendo neceſſitatem, amorem juſtitiæ qui in eo potiſſimum ſitus eſt, ut appretiative plus bonum cæleſte quam terrenum diligamus, illud anteponendo iſti, quod ſane eſt omnem adimplere juſtitiam? Amorem quo agimur ut agamus: quid eſt creaturam libere agere, niſi ſe ipſam movere, niſi relicto uno ex duobus propoſitis bonis, unum amplecti, quia judicat illud altero melius & majus; alias ſi non eligit, jam ut bellua fertur ex impetu in bonum delectabile; jam agitur & non agit, belluæ ſiquidem aguntur & non agunt moraliter, ſed ſolum phyſice, quia non agunt per electionem.

Videas jam velim æquiſſime & doctiſſime Lector, quantum aberret a mente Auguſtini Janſenius, quomodo ſit tanti Doctori offenſus, quippe qui in ſenſus prorſus adulterinos detorqueat ſancti Doctoris de gratia ſententias. Ergo vel capit Auguſtinum Janſenius, vel non. Si primum videtur ſane in mala fide, pace dicam, fuiſſe verſatum, ſiquidem contrarias Auguſtino deduxit ex ejus textibus conſequentias. Si ſecundum, nullo modo ipſi credendum eſt; & hoc profecto plurimum decet veros atque dilectos Dei filios. Quia vero charitas operit multitudinem peccatorum, & benigna eſt, Janſenium non intellexiſſe B. Aug. nemini dantes ullam offenſionem, credere malumus. Jam quidem hoc patet ex genuina Auguſtini mente circa primum caput lib. 4. Janſenii de grat. Chriſti aperta & manifeſta: pergimus ad ſecundum.

CAPUT SECUNDUM.

Idem oſtenditur, ſecundo inductione, ſeu enumeratione cujuſvis generis bonarum operationum voluntatis, ad quas eam prærequirit Auguſtinus.

JANSENIUS proſequitur probare gratiam efficacem ſitam eſſe in delectatione prævia & indeliberata neceſſitante, quam, *inquit*, in titulo capitis hujus ſecundi, ad ſingulos voluntatis actus ſeu operationes prærequirit S. Auguſt. & pro iſto momento unam ſupra triginta S. Doctoris auctoritates in medium adducit, quæ ſane, ut legenti patebit, non ſolum nihil probant pro Janſenio, ſed ingenue fucatum & falſum ipſius ſyſtema penitus dirimunt. Ad ſingulas progredimur.

Pagina 170. col. 1. tres apparent Aug. ſententiæ: In prima habetur: Tunc bo-„ num concupiſci incipi, cum dulceſcere „ incipit. „ Lib. 2. ad Bonif. cap. 9. in 2. bonum: " Niſi etiam delectet non ſuſci-„ pitur. „ Lib. de ſpir. & litt. cap. 3. in 3. " Nemo poteſt venire ad me, niſi

„ Pater qui miſit me traxerit eum . „ Tract. 26. in Joan. In his autem non ſolum eſt altum ſilentium de gratia neceſſitante, ſed expreſſe & aperta ac declarata ſententia eam rejicit. In tertio loco B. Auguſtin. explodit gratiam neceſſitantem his verbis ab ipſo Janſenio allatis col. 2. " Trahit, *inquit ſanctus Doctor*, „ ſua quemque voluptas, NON NECESSITAS. „ Et paulo poſt: " Omnis qui „ audivit a Patre & didicit, venit ad „ me, videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, NON NECESSITATEM „ IMPONENDO: ecce quomodo trahit: „ erunt omnes docibiles Dei, trahere „ Dei, eſt. „ Ideo nullam Deus imponit per gratiam neceſſitatem, quia ex ſancto Auguſt. trahit Pater docendo: ideo nulla fit libertati injuria; quia omnes erunt docibiles Dei, & de bono quod latebat edocti, relicto malo, eligent juſtitiam. Dic quæſo, amice & cordate Lector, utrum Auguſt. verbis expreſſioribus potuerit probare libertatem electionis? Num quiſquam inter Patres aut melius, aut verbis dixerit clarioribus gratiam non neceſſitare? Igitur Iprenſis concludens contrarium, nec mentem B. Auguſt. attigit, immo nec intellexit. In aliis in eadem columna ſecunda adductis B. Aug. auctoritatibus nihil ad propoſitum eſt; in una ſanctus Doctor, dicit delectationem gratiæ animam ad orandum provocare. In Pſal. 33. quandoque vero illam delectationem aliquibus deeſſe; quippe qui ea moventur & pulſantur tentatione, ut nec legere, nec orare delectet. In Pſal. 106. ultro fatemur bonum ſemel propoſitum movere animam ad ſui amorem; ſed contendimus I. neminem actu illud ipſum amare, donec prævie & judicaverit melius bonum, & elegerit ut id quod plus placet. II. animam tametſi tentationibus agitatam & ſuavitate ſenſibili gratiæ denudatam, fide tamen accinctam poſſe & legere & orare ne intret in tentationem; & ideo non ſemel peccatores adhortatur Auguſt. ut per fidem ad Deum confugere ſatagant: " Confugiant, *inquit*, per fi„ dem ad juſtificantem gratiam, & per „ donum Spiritus ſuavitate juſtitiæ dele„ ctati, pœnam litteræ minantis eva„ dant. „ Lib. de ſpir. & litt. cap. 10. id eſt fide illuminati & edocti placebit bonum quod ſolum amore dignum eſt, quod ſolum juſtum & præ omnibus bonis fucatis amabile: ipſos delectabit ſuavitas juſtitiæ, quia juſtitia ſola placebit.

Pagina 171. col. 2. octo B. Aug. ſententiæ referuntur. In prima dicit ſanctus Doctor per gratiæ adjutorium animam omnem adimplere juſtitiam: ipſam edoceri, & quod latebat aperiri. Lib. 4. de pecc. merit. cap. 19. In ſecunda ait Spiritum ſanctum infundere in anima delectationem ſine qua non ſuſciperetur bonum. Libr. de ſpir. & litt. cap. 3. In tert ia bonum amatum ſua ſpecie delectare. Lib. 19. contra Fauſtum cap. 24. In quarta, Angelos ſanctos ideo mandata Dei lubenti animo adimplere, quia Deo ſuaviter ſerviunt. Libr. 22. contra Fauſtum cap. 27. In quinta, explicans iſta Apoſtoli verba: " Condelector „ legi Dei ſecundum interiorem homi„ nem, ait: Ecce liber, unde condele„ ctamur legi Dei; libertas enim dele„ ctat. „ Tract. 41. in Joan. In ſexta ſic loquitur: " Iſta condelectatio legi Dei de „ magna nobis venit gratia Dei. Ibi ſu„ mus veraciter liberi, ubi non delecta„ mur inviti. „ Lib. 1. de nupt. cap. 30. In ſeptima dicit delectationem & ſuavitatem gratiæ facere, quod bonum non timore, ſed amore fiat, in Pſal. 60. In octava aſſerit amorem juſtitiæ & legis eſſe Spiritus ſancti donum, & ideo omnibus incumbere non ſuperbire, ſed gloriam ſolo Deo dare, ſerm. 6. de verb. Apoſt. cap. 3.

Ubi quæſo in his ſententiis ullum neceſſitatis veſtigium ab Aug. inductum? quinimmo ſanctus Doctor ex profeſſo docet in lege Dei complacentia, & condelectatione amorem liberum produci, nos ad Deum non invitos, ſed volentes & currentes trahi: quid eſt autem hominem non trahi invitum? Sane trahi per amoris electionem: non enim ſolum excludit ſua ſententia Auguſt. coactionem, ſed & neceſſitatem; ſed electionem exigit & poſtulat. Vocatio inquit lib. de ſpir. & litt. cap. 33. eſt a Deo:" „ Sed conſentire vel diſſentire propriæ vo„ luntatis eſt. „ Ecce verus & genuinus ſancti Præſulis ſenſus; non neceſſitatem inducit, ut perverſe vult Janſenius, ſed exigit hominem ita non invitum trahi, ut eligat quod amat. Sanctus Doctor eſt ſui ipſius interpres: " Conſentire vel diſſentire pro„ priæ voluntatis eſt. „

In columna ſecunda ejuſdem paginæ ſeptem Aug. auctoritates adducit Janſenius.

In

In prima ſic loquitur B. Aug. " Nolo. in-
,, quis, non facio. Puta quia delectat:
,, non facio: habeo cui condelector. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem.* Quid tu de carne tua tumultua-
,, ris?,, Serm. 5. de verb. Apoſt. cap. 9. In ſecunda ait, amorem terrenum expugnari amore rerum æternarum, lib. 4. de Muſica cap. 16. In tertia hominem non prolabi in peccatum, quia non vult: "
,, Conſentio, *inquit*, legi quia nolo quod
,, non vult.,, Lib. 1. ad Bonif. cap. 10. In quarta ibidem ſic loquitur: " Cum iſta
,, delectatio boni, qua etiam non conſentit
,, ad malum, non timore pœnæ, ſed amo-
,, re juſtitiæ non niſi gratiæ deputanda ſit.,, In quinta ait, quandoque hominem non cedere tentationi, quia ipſum delectant lex & juſtitia. In Pſal. 64. In ſexta, Deum operari in nobis bonum inſpirando virtutem, & infundendo cæleſtem delectationem. Hom. 29. cap. ult. In ſeptima, ideo panem interiorem manducari, quia placet & delectat. In Pſal. 13.

Quid ex his reſultat? Intelligas velim doctiſſime Lector, nempe, I. Auguſtinum nullibi loqui de gratia neceſſitante, ſicut nec in præcedentibus; unde ſi Janſenius Auguſtinum ſibi ſuum totum facere glorietur, explodat omnem, ſicut ſanctus Doctor explodit, neceſſitatem. II. Sanctum Doctorem unum tamquam univerſale principium ſtatuere, neminem id operari niſi quod plus delectat: Hoc autem jamjam iterum atque iterum probavimus, eam eſſe S. Præſulis mentem, ut practice judicemus objectum quod noſtro proſequimur amore, majus eſſe bonum. III. Hominem quandoque variis pulſari tentationibus, tum & adverſus eas luctare, ſæpius non cedere, ſæpius non præbere conſenſum, eo quod ſicut non vult lex, ita nec ipſe velit malum; quod certe non niſi eligendo bonum, peragitur. Quid eſt debellare tentationem? niſi ex duobus objectis, uno ſcilicet apparente bono, altero vero realiter & vere bono, iſtud eligere. Et vero, ſi mens indeliberata delectatione exuberante neceſſario compellitur ad bonum vel ad malum, incaſſum dicit Auguſtinus hominem gratia adjutum luctare adverſus concupiſcentiam malam, quia ut primum gratiam recipit, jam cito-citius neceſſario applicatur ad bonum, jam illud operatur, & vincit tentationem; ſi vero delectatio terrena exardeſcat, fruſtra, ait Auguſtinus, eam eſſe debellandam, eique reſiſtendum, ſiquidem ut primum apparet, cito infert abſque electione conſenſum ad malum. Igitur Janſenius offenſo pede, currit ad ſanctum Auguſtinum, ut ſuos probet errores, unde non ſatis demirandum, immo dicam & ſtupendum eſt, plurimos, qui alias docti videntur, & credo probos, ita multitudine locorum Auguſtini ab Iprenſi in medium adductorum, illuſos exiſtere, ut ipſum tamquam genuinum, & non potius ut D. Aug. defloratorem, & adulterinum interpretem, auſcultare: ipſos appello judices; ponderent loca in ſtatera æquitatis eadem lucernis charitatis & ſapientiæ Sanctorum ardentibus luſtrent & diſcutianr, & certe videbunt Janſenium omnia ex locis adductis, & menti, & doctrinæ D. Aug. aperte contraria concludere.

Denique pag. 171. col. 1. ſeptem loca ejuſdem S. Auguſtini affert Novator. In primo S. Doctor dicit Deum dare per gratiam quid ſciamus & quid agamus lib. de grat. Chr. 13. In ſecundo ita loquitur. " Tunc
,, diſco ut faciam, ſi in tua ſuavitate
,, doceas me.,, Serm. 4. de verb. Apoſt. 8. In tertio ait, ſuavitatem juſtitiæ fa-
,, ciendæ dabit tibi ut incipiat te dele-
,, ctare juſtitia, quem primo delectabat
,, iniquitas.,, Enar. in Pſal. 8. In quarto ſcribit animam cum ſermone Dei non concordare, niſi ſermo inceperit delectare. In Pſ. 129. In quinto idem dicit ac in quarto. Idem & in ſexto loco qui depromitur ex Enar. in Pſal. 85. In ſeptimo nos hortatur B. Aug. ad guſtandum Dominum, ut terrenorum immemores, cæleſtia læta & exultabunda mente capiamus.

Ubi ſunt iſtæ probationes pro gratia neceſſitante? cum potius dicat S. Auguſtinus in his ſicut & in præcedentibus locis, gratiam movere docendo, movere amore juſtitiæ, movere ſucceſſive, ut bonum quod prius amareſcebat, incipiat dulceſcere, adeoque & detur electioni locus, ut omnibus æqua lance ponderatis, tandem aliquando ad Dominum convertatur peccator operando bonum, quod præ malo elegit amandum & diligendum.

Jam ſequitur iſtud ratiocinium. Ille Pater, nuſquam abnegavit electionis libertatem, qui propugnat gratiam trahere ad bo-

num

num voluntatem, I. delectando non neceſſitando. II. Libertatem conſervando non perimendo: III. Amore juſtitiæ: IV. Electione & conſenſu: Atqui ſic propugnat & docet S. Aug. in locis ab ipſo Janſenio adductis. Primum quidem tract. 26. in Joannem ſupra laudato. Secundum l. 10. de nupt. cap. 30. Tertium in Pſal. 60. Quartum deuique lib. 1. ad Bonif. cap. 10. Ergo &c.

CAPUT TERTIUM.

Idem probatur Tertio ex contrario, hoc eſt ex peccatis quæ ex ſimili delectatione terrena, tamquam ex cauſa proficiſci tradit.

JANSENIUS delectationem neceſſitantem ad bonum probare contendit ex contrario, nempe ex peccatis quæ homines delectatione terrena allectos & neceſſitatos committere effutit; quod quidem auctoritate B. Aug. oſtendere conatur. Decem eo ſcopo B. Auguſtini ſententias, ſed perperam laudat ſeu citat.

Pagina 172. col. 2. ſex proferuntur: In prima D. Aug. peccatorem nunc eodem modo decipi ſuggeſtione diaboli & terrenarum delectatione, ſicut prima mulier propoſitione fructus aſpectu delectabilis decepta eſt. Lib. 2. de Geneſ. contra Manich. cap. 14. In ſecunda hominem vincere & refrænare paſſiones præponendo delectationem cæleſtem terrenæ: lib. 22. contra Fauſtum cap. 28. In tertia, hominem conſetire bono vel malo ſecundum id quod delectat. Lib. contra Secundiuum cap. 16. In quarta, peccatorem veritati allicienti reſiſtere quia vult. Lib. 2. de Bapt. cap. 10. In quinta, neminem vinci delectatione mala quando amor juſtitiæ occupat interiora mentis. Lib. 83. qq. q. 66. In ſexta, liberum arbitrium non ita extinctum eſſe ut peccet homo niſi velit. Lib. ad Bonifac. cap. 2.

Omnia hic fauſta libertati immo & fauſtiſſima profert S. Aug. Ille enim propugnat libertatis jura, qui dicit hominem non magis neceſſitari delectatione terrena ad peccatum, quam primam mulierem a diabolo fructus vetiti propoſitione ſeductam, hominem vincere tentationem per judicium practicum, bonum ſcilicet ſpirituale anteponendo rebus terrenis, peccatorem veritati allicienti reſiſtere, quia vult, & illi ſic placet; neminem peccare quandiu ad juſtitiam attendit; hominem licet corruptum non tamen deficere niſi velit: Atqui ſic docet S. Aug. Igitur perperam infert Janſenius ex ejus ſententiis delectationem neceſſitantem. Major patet: ex iſtis enim argumentis probatur & explicatur libertas electiva, ſeu indifferentia actus; & certe omnia D. Auguſtini dicta ſubertunt Janſenianum ſyſtema maxime prima ſententia, qua quidem aſſerit ſanctus Doctor eodem modo peccatorem delectatione terrena intrare in tentationem, ſicut mulier prima inducta eſt viſu fructus aſpectu delectabilis in peccatum. Illa autem libera & libertate electionis, annuente Janſenio, peccavit. Igitur ſi ex S. Aug. homo pari & conſimili modo inducitur in peccatum, profecto Janſenius cauſa cadit, nec ſequitur Auguſtinum.

Probatur minor quoad ſingulas partes: De primo ait S. Auguſtinus lib. 2. de Gen. cap. 14. " Etiam nunc in uno quoque " noſtrum nihil aliud agitur, cum ad " peccatum quiſque delabitur, quam tuuc " actum eſt in illis tribus, ſerpente, muliere & viro. " De ſecundo, Lib. 22. contra Fauſtum cap. 28. " Quapropter hominis actio ſerviens fidei ſervienti Deo, " refrænat omnes mortales delectationes, " & eas coercit ad naturalem modum " meliora inferioribus ordinata dilectione præponens. " Ecce pro delectatione, dilectio præponens, quæ infert actum, & non delectatio prævia, & indeliberata neceſſitans; ubi " enim adeſt neceſſitas, non eſt prædilectio quæ fit per electionem unum alteri præponendo. De tertio, Lib. 2. de Bapt. cap. 10. " Quid " aliud ſermoni veritatis juſtitiæque reſpondent omnes flagitioſi & facinoroſi " homines, luxurioſi, &c. quid aliud " reſpondent, cum eos veritas arguit, niſi " hoc volo, hoc me delectat. " De quarto, Lib. 1. ad Bonif. cap. 2. " Liberum " arbitrium uſque adeo in peccatore non " periit, ut per illud peccent; maxime " omnes qui cum delectatione peccant, & " amore peccati; hoc eis placet quod eis " libet. " Vides, juſtiſſime Lector, per delectationem inducentem ad malum, S. Auguſtinum intelligere complacentiam & amorem liberum, hominem peccare quia amat creaturam, amat autem quia illi placet,

cet, & id placet quod ei libet, id eſt quod elegit & præpoſuit bono incommutabili amandum.

Pagina 173. col. 1. numerantur quinque ejuſdem ſancti Doctoris oracula. In primo aſſerit hominem quamvis delectatione terrena victum & peccantem, manere tamen in ipſo peccati exercitio liberum. In ſecundo, aſſerit juſtum quamvis malo exemplo, ſuggeſtione & tentatione impetitum, non ideo tamen peccare ſemper, ſed decertare. In tertio idem repetit. In quarto ait hominem ideo peccare, non quia neceſſario ad malum compulſus eſt, ſed potius quia attractus & illectus conſentit. In quinto, peccatum ex mala cupiditate & terrena delectatione oriri prædicat; ſed in his omnibus nullo modo libertati offenſus eſt S. Doctor; immo illam liquido aſtruit, ſemper refundendo peccatum in liberum conſenſum; iterum atque iterum dicendo hominem manere liberum ſub dominio concupiſcentiæ, non ſemper cedere, ſed ſæpius reſiſtere tentationi, nec unquam peccare niſi prius conſentiat malo, nec conſentire niſi prius eligat & præponat bonum apparens & ſenſibile inviſibili & incommutabili. Qua ratione igitur auſus eſt Janſenius concluſiones aperte Auguſtino contrarias ex tanti Doctoris textibus deducere?

Audiamus Auguſtinum loquentem in ſententiis quas Janſenius profert, & in pravos detorquet ſenſus. Lib. 1. ad Bonif. cap. 2. " Sed hæc voluntas quæ libera eſt in " malis, quia delectatur in malis, ideo " libera in bonis non eſt quia liberata " non eſt. " Quid eſt, quæſo, liberum eſſe in malis, niſi malum alliciens fucata & apparenti bonitate præponere juſtitiæ? quando vero ſanctus Doctor dicit peccatorem non eſſe liberum in bonis, loquitur de juſtificatione quam nondum habet, quod patet ex illis verbis quæ de voluntate mala ſubjicit: " Ideo libera in " bonis non eſt, quia liberata non eſt. " Hoc eſt quia juſtificata & ſanctificata per penitentiam nondum eſt. Alias ſibi manifeſte contradiceret S. Auguſtinus, quum ait peccatorem in malis eſſe liberum. Quam ergo in bonis abnegat peccatori libertatem? Non electivam ſane abjicit, ſed eam quæ charitate inflammatur, ſed libertatem filiorum Dei quæ in eſt eis qui Deo non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ ſerviunt: inquit idem Aug. in Pſal. 60. " Hæc eſt illa ſuavitas, de " qua alibi dicitur, Dominus dabit ſuavitatem, & terra noſtra dabit fructum " ſuum, ut bonum opus fiat non timore, ſed amore; non formidine pœnæ, ſed delectatione juſtitiæ. "

Ecce ſecundus Auguſtini locus: " Nocet tibi malus, ſaltem vel exemplo, " quia vivit tecum, & ad quod agit invitat. Nonne cum eum vides forte in illis ſordibus proſperari, duceris talium " delectatione factorum? Et ſi non conſentis, ſaltem inveniſti quod expugnes. " In Pſal. 39. Idem repetit in Pſal. 146. Falſum eſt igitur ex Aug. hominem rapi, & neceſſario compelli ad peccatum exuberante concupiſcentia vel carnis, vel oculorum, quia tentatus, teſte ſancto Doctore, non intrat in tentationem niſi eligendo malum ipſi conſentiat; quia, eodem teſte ſancto Doctore, non ſemper conſentit, ſed non conſentiendo habet quod expugnet: Si expugnandam habet concupiſcentiam, igitur delectatio terrena exæſtuans non neceſſario animam compellit ad peccatum: alias ſi eo ipſo quo excedit in gradu, delectationem cæleſtem certe vinceret; & conſequenter nullus eſſet eam debellandi locus, namque ex Janſenio utprimum exuberat, cito vincit & rapit conſenſum; quinimmo, impoſſibile eſt illam compeſcere, adeoque & inutile pugnare: addo, adeoque falſum S. Auguſtini effatum & conſilium, quo concupiſcentiam quamcumque debellare ſuadet & adhortatur. Idem repetit in aliis duobus teſtimoniis a Janſenio adductis, nempe peccatum penes voluntatis conſenſum menſurari, & hominem peccare eo quod amet bonum ſenſibile, & illud ut ſolum verum bonum pro fine in quo quieſceret elegit.

CAPUT QUARTUM.

Idem demonſtratur Quarto ex lucta duarum delectationum terrenæ & cæleſtis, quarum poſtrema niſi vicerit, peccatur.

JANSENIUS ſuum probat titulum variis beati Auguſtini effatis. Sex potiſſimum in probationem delectationis neceſſitantis adducit.

Pagina 173. col. 2, quatuor leguntur. In

In primo S. Aug. dicit Deum conferre animæ ſuavitatem qua amplius continentia, quam carnis titillantis voluptas placet; ex quo fit hominem ex concupiſcentia victorem evadere. In ſecundo ſanctus Doctor media quibus vincatur caro blandiens exhibet, & victoriam repetit non ex delectatione prævia ſed ex conſenſu. Idem dicit in tertio. In quarto expreſſius loquitur, & victoriam a judicio practico promanare docet. Videas velim, benevole Lector, S. Auguſtinum totam hic dirimere controverſiam; cum enim dixiſſet in primo loco continentiam vincere, quia amplius quam cupiditas placet: non ſolum nullam de delectatione neceſſario ad malum compellente facit mentionem, ſed quamlibet delectationem terrenam vult ſuperandam eſſe, modo meditatione rerum divinarum, modo amore juſtitiæ; & ſemper judicio practico quo anima anteponit bonum incommutabile terreno.

Perpendamus jam loca ab ipſo Janſenio in pravum ſenſum detorta, ut habeamus confitentem reum. Divus Auguſtinus lib. de contin. cap. 3. ait Deum infundere ſuavitatem cœleſtem qua bonum amplius placet, & qua frænatur cupiditas. Non ſemel ut diximus, illam ſuavitatem eſſe virtutis liberam prædilectionem docet: quod autem nulla delectatio terrena quantumvis exardeſcens ad peccatum neminem neceſſario compellat, hortatur animam ſanctus Præſul ut illam debellet. Ad quid autem hæc exhortatio? Ad quid media exhibita, ſi delectatio in gradu major neceſſario vincat & inferat conſenſum ad malum, ita ut adſit reſiſtendi impoſſibilitas relativa? Sed contra Aug. vult concupiſcentiam debellari. Sic enim loquitur ſerm. 6. de verb. Apoſt. cap. 9. " Delectat ,, uxor aliena & non annuis, mentem ,, avertis, in ſecretarium mentis intras, ,, vides foris ſtrepentem concupiſcentiam; ,, profer adverſus eam ſententiam, mun- ,, dans conſcientiam, nolo inquis, non fa- ,, cio. Puta quia delectat non facio, ha- ,, beo cui condelecter, condelector enim ,, legi Dei. ,, Quid eſt, quæſo, legi Dei ſecundum interiorem hominem condelectari, niſi illam appretiative præ lege peccati diligere? Cap. 10. ſubdit hominem tunc non peccare, quando pugnans adverſus carnem & ſanguinem non conſentit carni titillanti. Tum ſerm. 17. de verb. Apoſt. cap. 4. ait: " Interroget & reſpondeat, ,, quid dicturus ſum, utrum ſic delecte- ,, tur juſtitia ut eam cæteris ad hos ſen- ,, ſus corporis pertinentibus delectationi- ,, bus anteponat. ,, Igitur amor juſtitiæ liber ex Aug. & delectatio victrix eſt, electionis amor quo mens anteponit bonum terreno. Pag. 174. Ibidem cap. 4. S. Aug. eadem repetit, & cap. 5. in iſto prorſus ſenſu dicit ideo nos amare juſtitiam, eo quod magis placeat, magis vero placere, quia ex judicio prævio ut majus bonum habetur, quod & confirmat S. Doctor ſerm. 17. de verb. Apoſt. cap. 3.

CAPUT QUINTUM.

Eadem lucta & victoria cæleſtis delectationis uberius declaratur ex libris, quos ex profeſſo contra hoſtes gratiæ Chriſti ſcripſit S. Auguſtinus.

PERGIT Janſenius in iſto capite delectationem gratiæ neceſſitantem aſtruere variis B. Auguſtini ſententiis, ſed ſemper incaſſum. Septem adducit ex libris contra gratiæ hoſtes depromptas: verum non magis quam præcedentes Novatori favent....

Pagina 174. col. 1. duæ proferuntur in quibus S. Aug. dixit nos operari ſecundum gratiæ ſuavitatem quæ plus delectat, ſed abſque neceſſitate: ſed nulla libero arbitrio irrogata offenſa: ſed omni remota & procul facta impoſſibilitate; unde non ſolum iſta loca nihil pro delectatione neceſſitante probant, verum potius omnem ejuſmodi delectationem eliminant atque explodunt, quamobrem licet contra Janſenium ſic argumentari. Ille Pater nullam inducit ad peccandum neceſſitatem, qui dicit ad Deum per fidem confugiendum eſſe, ut gratia adjuvante, juſtitia plus quam iniquitas placeat: qui conclamat, juſtitiam nemini eſſe impoſſibilem, poſſibilem vero fieri, quando quod latet aperitur, quum juſtitia plus appretiative amatur quam delectatio terrena: Atqui res ſic ſe habet; nam plus & minus refundit ſanctus Auguſtinus in judicium practicum electivum, ſimiliter & in aliis quatuor locis quæ adducuntur ibidem col. 2. ita ut neque ex duobus primis inferri poſſit delectatio terrena neceſſitans, neque ex aliis quatuor cæleſtis perimens libertatem: Igitur Iprenſis nequidem a longe ſequitur

quitur S. Aug. igitur B. Aug. ubique libertatis, jura propugnat & defendit. Jam probatur minor quoad ſingulas partes. S. Doctor lib. de ſpir. & litt. cap. 28. hoc homini tentato perhibet conſilium: " Per ,, fidem confugiat ad miſericordiam Dei, ,, ut det quod jubet, atque inſpirata gra- ,, tiæ ſuavitate per Spiritum ſanctum fa- ,, ciat plus delectare quod præcipit, quam ,, delectat quod impedit. ,, Duo inpræſentiatum obſervanda ſunt. I. B. Auguſt. vult hominem adverſus concupiſcentiam quantumvis maximam pugnare, ad miſericordiam per fidem confugere, ut habeat quo adimpleat mandatum, quo lex & juſtitia plus delectent: Supponit igitur cupiditatem ante orationem exuberare, nec ideo tamen dicit invincibilem & inſuperabilem, quinimmo vult tentatum ad Deum confugere ut habeat quo lex & juſtitia magis placeant, quo vincat & ſuperet delectationem terrenam exuberantem: Igitur ex Aug. nulla delectatio prævia ſive mala ſive bona neceſſitat: Non mala quidem, alias eo ipſo quo ſuboritur in anima, inferret conſenſum ad peccatum, & inutilis foret oratio ad illam debellandam: neque bona utique, cum licitum ſit ex S. Præſule conſentire vel diſſentire, ibidem capite 34. II. Sanctus Doctor ſuavitatem magis delectantem vocat inſpirationem: Igitur pertinet ad intellectum practicum: Igitur in eo maxime poſita eſt, quod intellectus judicet bonum cæleſte eſſe terreno & magis amabile, & magis amandum.

Ibidem cap. 15. ſic loquitur Auguſt. " ,, Ecce quemadmodum ſine exemplo eſt in ,, hominibus perfecta juſtitia, & tamen ,, impoſſibilis non eſt. ,, Ibi loquitur de exemptione ab omnibus peccatis venialibus, quæ quidem juſtitia perfecta raro invenitur in hominibus, hanc tamen non vult eſſe impoſſibilem; a fortiori a peccato mortali. Ipſam nec vult impoſſibilem quacumque exardeſcente concupiſcentia, immunitatem. Idem cap. 35. dicit hominem gratiæ ſuavitate cognoſcere quid ſit amandum: Igitur ſemper attendit, ad intellectum practicum, ut fiat electio. Enchyr. cap. 81. cauſam peccati eſſe ignorantiam & infirmitatem aſſerit: " contra ,, quæ quidem pugnare nos convenit; ſed ,, profecto vincimur niſi divinitus adjuve- ,, mur. ,, Si pugnandum, cito igitur non vincit ignorantia, non infirmitas, niſi eligendo velimus malum; & hoc ſecundum judicium practicum ſecundum majorem boni apparentis æſtimationem. Ita verbis expreſſis ibidem Auguſt. " Et pudor, *in-* ,, *quit*, timor eſt diſplicendo, dum plus ,, delectat hominum æſtimatio quam ju- ,, ſtitia qua ſeſe quiſque humiliat pœni- ,, tendo. ,, Rurſus lib. 2. de pecc. mer. cap. 17. " Cum voluntatem humanam gra- ,, tia adjuvante divina, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, ,, poſſem facillime ac veriſſime reſponde- ,, re, quia homines nolunt. ,,

Pagin. 175. col. 1. adducit Janſenius locum Auguſt. quo S. Doctor ait, nos quandoque bonum ſuſcipere, quandoque vero non, ut intelligamus divini muneris eſſe quando omnem, ſicut decet, adimplemus juſtitiam, ne quiſque elatus ſibi & non Deo gloriam tribuat, ſed nulla in omnibus Auguſtin. locis nequidem neceſſitatis umbra: immo Novator propriis ubique confoditur telis.

CAPUT SEXTUM.

Nomen victricis delectationis inde tractum, atque impoſitum gratiæ medicinali Chriſti.

JANSENIUS ex omnibus D. Aug. locis in diverſis ſupra capitibus adductis, infert delectationem neceſſitantem, quam novis ejuſdem S. Doctoris auctoritatibus comprobare, ſed ſemper incaſſum, conatur. Sic igitur incohat iſtud caput ſextum: " Ex ,, his jam perſpicue intelligitur tantopere ,, eſſe neceſſariam iſtam delectationis di- ,, vinæ gratiam, quando cum terrena- ,, rum rerum tentationibus, ac delecta- ,, tionibus dimicamus, ut niſi major fue- ,, rit, quam terrena, qua noſter affectus ,, detinetur, fieri non poſſit quin propriæ ,, voluntatis infirmitate vincamur. Major ,, enim delectatio numquam ſane delecta- ,, tione minore ſuperabitur, ſed eam ſe- ,, quetur animus, quæ magis eum afficien- ,, do ſuavitate detinuerit. ,,

Pagin. 175. col. 1. tria B. Aug. loca pro ſua ſententia adducit Iprenſis. In I. S. Doctor dicit nos aliquid tanto ardentius velle, quanto certius illud eſſe bonum novimus: Ita libr. 2. de pecc. mer. cap. 17. " Tanto quidque, *inquit*, vehe-

,, men-

„ mentius volumus, quanto certius quam „ bonum ſit novimus, eoque delectamur „ ardentius. „ Igitur delectatio ardentior ex S. Aug. procedit a majori cognitione boni, adeoque non eſt illa quæ eſt prævia & indeliberata, omnem quippe iſta præcedit cognitionem: major autem cognitio a judicio comparativo boni apparentis cum vero promanat: Igitur Janſenius ſibi non conſtat, quippequi habeat S. Aug. ſibi per omnia contrarium. Quia vero abyſſus abyſſum invocat, alterum ſubjicit S. Aug. locum, quo S. Doctor aſſerit nos operari ſecundum quod juſtitia placet; quem quidem juſtitiæ amorem ab intellectione procedere luce clarius eſt. Eo quippe loci ideo magis placere juſtitiam docet S. Doctor, quia illam animus auro & argento anteponit. Quæ prædilectio dubio-procul ab electione & judicio practico fluit. Adducit Novator S. Præſulis auctoritatem ex commentariis in cap. 5. ad Galatas, in qua quidem adducta mulieris pulchritudine blandientis in exemplum, dicit quandoque illa abjecta hominem eligere caſtitatem, quia plus delectat continentia quam terrena voluptas: qua quidem ſententia, ut oſtenſum eſt, penitus exploditur Janſenii ſyſtema....

Quid plura? Janſenius ibid. col. 2. novem laudat B. Aug. ſententias, ſed profecto ad rem nullo modo ſpectantes. In prima S. Doctor, dicit quandoque Deum tardius ſanare peccatorem ne elatus gravius ægrotetur: lib. 2. de pecc. mer. cap. 10. Idem repetit in ſecunda, quæ eſt ejuſdem libri cap. 19. In tertia pro principio habet hominem tunc peccare: " Quando „ juſtitia non ſic diligitur ut peccandi cu„ piditas ejus delectatione vincatur. „ Lib. 2. ad Bonifac. cap. 13. ubi manifeſtum eſt loqui de judicio practico & comparativo: Igitur vult Aug. hominem ideo peccare, quia facta comparatione juſtitiæ cum bono commutabili, iſtud anteponit & magis diligit, quam bonum cæleſte. In quarta aſtruit victoriam pro majori juſtitiæ & legis delectatione, in Deum eſſe referendam. Lib. 13. de civit. Dei. Cap. 5. idem ſcribit libr. 3. de verb. Apoſt. cap. 8. id ipſum confirmat libr. 1. de oper. imperf. contra Julianum pag. 162. Rurſus libr. 2. p. 431. & iterum p. 450. " Concupiſcitur, " *inquit*, adverſus carnem fortiore robore „ charitatis, ut ex fide juſtus vivat, juſteque „ vivat in quantum non cedit malæ con„ cupiſcentiæ, vincente delectatione ju„ ſtitiæ. „ Quomodo, quæſo, ex Aug. vincit delectatio juſtitiæ? Quia pugnat adverſus concupiſcentiam malam, virtute & robore charitatis; quia homo non cedit carni; unde vero non cedit? niſi ex eo quod judicet juſtitiam eſſe vitio meliorem; igitur delectatio juſtitiæ vincens a judicio comparativo procedit: Non ergo delectatio indeliberata vincit, quia antevertit omne judicium, immo & omnem cognitionem; adeoque non debellat concupiſcentiam malam; ſed delectatio libera; ſed complacentia ab electione & judicio comparativo promanans, ideo enim vincit, quia intellectus judicat juſtitiam majus bonum: ideo vero juſtitia magis delectat, quia intellectus judicavit majorem habere ſicut & veriorem perfectionem. Idem repetit D. Aug. Ench. cap. 118. Rurſus ibidem cap. 24. Tum & lib. 2. contra Julia. oper. imperf. pag. 436. duæ iſtæ auctoritates referuntur a Janſenio pag. 176. col. 1. Igitur perperam Novator prædicat ſe eſſe germanum B. Aug. diſcipulum, cum nova & a mente B. Doctoris omnino peregrina doceat atque propugnet. Et probatur.

Argumentum irrefragabile contra Janſenium.

UBIQUE & paſſim S. Doctor vult peccatorem debellare concupiſcentiam, ſicut delectationem terrenam, ipſi quantumvis exundanti non cedere, ad orationem modo etiam ad judiciorum Dei conſiderationem, ut timore configatur caro, ne Spiritum ad peccandum alliciat, confugere: Sed hæc omnia ſunt nugæ, ſi prævaleat Janſenii opinio; ſiquidem ex ipſo delectatio terrena peccatum pariens eſt indeliberata. Cæterum motus primo-primi concupiſcentiæ non ſemel exardeſcunt uſque ad lapſum carnis materialem, cui juſtus certe ſæpius non conſentit, ſicque delectatio terrena ſuperat in gradu terrenam, at tunc temporis conſideratio divinorum inutilis eſt, motus primo-primi non cito citius refrenantur: neque vero eſt peccatum ubi non eſt conſenſus; & experientia probat quotidiana juſtos, immo peccatores ex impetu & omiſſa deliberatione non cedere tentationi: Igitur per omnia Ipren-

Iprenſis adverſatur S. Aug. ſubvertit ejus principia, doctrinam puram & immaculatam defloret; & quod peſſimum, ſicut juſtos ſic & peccatores, motus primo primos ardentiſſimos concupiſcentiæ involuntarie, hoc eſt, ſine electione, deliberatione & conſenſu patientes, facit nequiſſimorum peccatorum reos: quandoquidem ipſo teſte, ut primum delectatio terrena prævalet in gradu cæleſti, neceſſario peccatur, quia impoſſibile eſt tunc juxta eum concupiſcentiam exardeſcentem vincere.

CAPUT SEPTIMUM.

Delectationis neceſſitas oritur ex infirmitate, qua fit ut nihil boni amplecti poſſit, niſi delectet.

NOVUS Doctor ex infirmitate naturæ per peccatum ſauciatæ repetit delectationem neceſſitantem, quia vero B. Auguſt. non gratiam neceſſitantem, ſed gratiæ neceſſitatem ex hoc principio deducit, ſuum eſſe credit, Janſenius, & in probationem affert triginta duas ex operibus S. Doctoris excerptas auctoritates.

Pagina 176. colum. 2. tres continet. In prima docet S. Præſul gratiæ divinæ auxilio voluntatem humanam tantopere robuſtam evadere, ut poſſit & velit ſervare mandata. Idem repetit in ſecunda, in tertia vero aſſerit nos oratione petere, ut Dominus aperiat quod latebat: *Ut ſuave fiat quod non delectabat*. Lib. 2. de pecc. mer. cap. 19. qua quidem ſententia S. Auguſt. non ſolum non firmat Janſenii ſententiam pro delectatione neceſſitante, ſed egregie eam præmature debellat, in quantum exigit cognitionem boni, ut ſuave fiat quod non delectabat: Igitur non a delectatione indeliberata & primo-prima repetit ſuavitatem victricem S. Doctor, ſed a cognitione practica, ſed ab intellectu qui plene cuncta prænoſcens, judicat juſtitiam magis amabilem, & ideo tunc plurimum eam ei placere, quo fit ut de facto illam ſuo proſequatur amore voluntas. Hoc totum ita clare explicat S. Auguſt. in ſententia primo allata, ut mirum ſit quo ſenſu, quove ſcopo illam pro ſuo errore, in medium afferre auſus ſit Iprenſis: ſic enim loquitur de gratia S. Præſul lib. de gr. & liber. arbitr. cap. 15. " Per hanc etiam fit ut ipſa bona voluntas quæ jam eſſe cœpit, augeatur: & tam magna fiat ut poſſit implere divina mandata, quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit; ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt; ſi volueris, conſervabis mandata." Quid eſt autem perfecte velle, niſi per electionem velle. Cæterum ibi Aug. totum ſalutis negotium refundit in divinæ gratiæ conſenſum liberum, & omnem prorſus excludit neceſſitatem.

Pagina 177. col. 1. quatuor ſunt B. Auguſtini auctoritates, in quibus nulla ſit gratiæ neceſſitantis mentio; quinimmo idem repetit quod in prima Aug. ſcilicet hominem poſſe, ſi velit, ſervare mandata, his verbis: " Sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus." Ita lib. de gr. & libero arbit. cap. 16. ſimilia ibid. repetit. Intelligis benevole lector Auguſt. ſemper appellare ad electionem, & petendum eſſe, *Ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus*. Quænam eſt illa voluntas quæ facit, niſi ea quæ a gratia adjuta vult eligere bonum relicto malo? iſta ſane & ſola, tantum volumus ut faciamus: niſi enim intellectus prius judicaverit juſtitiam ſuper delectationem terrenam plurimum amabilem, nuſquam eam adimplere placebit voluntati. Alia duo laudat Novator S. Aug. loca, quæ præſentem non ſpectant controverſiam. In primo quippe S. Aug. ait neminem poſtulare quod ſe ſolo poteſt facere. In II. Deum quandoque jubere quod per nos non poſſumus, ut ad ipſum confugiamus. Secunda columna duas alias exhibet auctoritates. In prima D. Aug. aſſerit homines non facere quod juſtum eſt, quia nolunt lib. 2. de pecc. mer. cap. 17. In II. ait vero peccatum ex duabus oriri cauſis; quia ſcilicet vel ignoramus quid agendum, vel ſciendo, non tamen ex innata pravitate facimus. Ench. cap. 81. quæ quidem omnia libertati electivæ plurimum favent, cum ibi refundat Aug. peccatum in malam voluntatem, qua homo non bene judicat de fine ultimo & mediis ad eum conducentibus: quæque videndo bona deliberate deteriora ſequitur.

Pagina 178. col. 1. octo recenſentur D. Auguſt. auctoritates. In prima S. Doctor dicit Deum præcipere ut credamus, ſed

hoc

hoc abſque vocatione non fieri, lib. 1. qu. 2. ad Simplic. In ſecunda, neminem in mente habere quo fidem amplectatur, unde ſic concludit: " Cum ergo nos ea de„ lectant quibus proficiamus ad Deum, „ inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei, „ non nutu noſtro & induſtria, aut ope„ rum meritis comparatur. „ Quibus verbis revincit Semipelagianos, ſed manente libertate & indifferentia actus, quia gratia movet non neceſſitando, ſed inſpirando, ſed invitando, " Voluntas ipſa, ſub" dit ibid. Auguſt. niſi aliquid excurrat „ quod delectet atque invitet animum, „ moveri nullo modo poteſt. „ Idem repetit in tertia, lib. de præd. SS. cap. 4. idem in quarta: " Tunc diſco ut faciam „ ſi in tua ſuavitate doceas me. „ Serm. 4. de verb. Ap. cap. 8. Gratia autem quæ docendo movet non neceſſitat; unde in quinta ſic loquitur: " Nolo, non facio. „ Puta quia delectat, non facio. Habeo „ cui condelector. „ Serm. 5. cap. 9. Audis etiam exundante delectatione terrena peccatum tamen ex Aug. non fieri. Item ſerm. 15. cap. 7. Act. niſi prior delectet Deus, non fit bonum, & vere id profert, quia prius debet placere bonum, prius eligi, prius appretiative anteponi malo, antequam illud de facto diligamus. Igitur non amamus præciſe propter delectationem præviam eamque indeliberatam, ſed propter deliberatam. Idem dicit S. Auguſtin. ſerm. 17. cap. 3. Idem iterum in Pſalm. 64.

Columna ſecunda complectitur duodecim B. Auguſt. loca; in octo prioribus docet S. Auguſt. hominum nullum peragere bonum, niſi aliquo modo delectet, & placeat: niſi plus delectet quam bonum terrenum; nempe lib. 2. de pecc. mer. cap. 17. Ibid. niſi tantum delectet quantum diligendum eſt. In duodecimo, nos operari ſecundum id quod magis placet. Sed patent ex allatis genuinæ explicationes, quandoquidem prædilectio ſupponit ſemper cognitionem majoris boni & judicium practicum, juxta illud tritum axioma: Nihil amatum quin præcognitum; Hoc eſt, præaſtimatum elective.

Pagina 179. col. 1. quatuor complectitur auctoritates. In prima dicit S. Auguſt. nos ex duobus bonis propoſitis illud amplecti, quod plus diligimus. In aliis tribus hominem ad conſentiendum malo delectatione allici, illi vero conſentire quando judicat bonum apparens majus bonum. Ubique igitur libertas, quia ubique electio eſt....

CAPUT OCTAVUM.

Quinto, oſtenditur delectationem eſſe veram gratiam Chriſti ex adjutorio perſeverantiæ in hac vita, & impeccabilitatis in cœlo.

Epilogus probationum præcedentium.

JANSENIUS triginta & tres B. Auguſt. auctoritates in hoc capite congerit, ut ſuam probet delectationem neceſſitantem, quam adjutorio perſeverantiæ & Beatorum impeccabilitati aſſimilat: eo prope modo lib. 3. de grat. Chriſti, & alibi dicit, Sanctos in cœlo amando Deum, eſſe liberos, quia licet ad amorem neceſſario compulſi, amant tamen voluntarie.

Pagin. 179. col. 1. duo leguntur B. Auguſt. loca. In I. dicit S. Doctor voluntatem humanam libertate non eos conſequi gratiam, ſed potius gratia libertatem, & in bono delectabilem perpetuitatem & fortitudinem, Lib. de corr. & grat. cap. 8. ſed illa libertas a gratia collata ſita eſt ex S. Aug. in indifferentia & electione actus juxta illud lib. de ſpirit. & litt. cap. 34. " Conſentire vel diſſentire, *gratiæ*, „ propriæ voluntatis eſt. „ Igitur male deducit ex verbis Auguſtini Janſenius gratiam neceſſitantem. In ſecundo loco ait Auguſt. " Utrum autem ſit aliqua ratio„ nalis creatura, quam nihil poſſit illici„ tum delectare, magna quæſtio eſt. „ Quæ quidem auctoritas nihil dicit, aut probat. Lib. 22. contra Fauſtum cap. 28.

Columna ſecunda novem S. Auguſt. ſententias continet. In prima dicit S. Doctor Angelos ideo non peccare, quia lex Dei ſolum illis placet, eoſque plurimum delectat. Ibid. & cap. 27. beatos illos Spiritus ſuaviter Deo ſervire prædicat. In tertia ait: " Tunc non peccabimus.... „ cum illam faciem Patris viderimus „ Sermon. 49. de temp. cap. 9. In quarta; quia omnia delectant in cœlo, hinc & ſuavia admodum ſunt. In Pſal. 75. Idem repetit lib. 14. de Trin. cap. 14. & iterum cap. 9. In ſeptima ſententia aſſerit S. Doctor amorem, noſtrarum actionum in-

incentivum eſſe, hominem laudare Deum, ſi amet, ſecus e contra, in Pſal. 85. Igitur non delectatio indeliberata, ut vult Iprenſis, ſed libera, & quæ eſt ipſe deliberatus amor Deo nos ſervire facit. In octava de Beatis ſic loquitur lib. 22. de civ. cap. 30. " Nec ideo liberum arbitrium non ha-
" bebunt, quia peccata eos delectare non
" poterunt. Magis quippe erit liberum a
" delectatione peccandi uſque ad delecta-
" tionem non peccandi indeclinabilem liberatum." Ex his verbis quaſi triumphans infert & deducit Janſenius gratiam neceſſitantem & libertatem a ſola coactione immunem, ſed perperam, cum in præmiſſis oſtenſum ſit ex Aug. voluntatem trahi ad Patrem amore, non neceſſitate. Hoc unum igitur probare vult Auguſtinus, videlicet Sanctos eſſe impeccabiles, & liberatos tum ab ignorantia, tum ab infirmitate, duobus peccati cauſis; unde liberum ibi ſumit latiſſimo modo, prout a ſervitute peccati exemptionem & immunitatem importat. Certum eſt enim eos neceſſario & non libere amare Deum, quia ſummum bonum intuitive vident; unde eorum intellectus non poteſt judicare non eſſe amabile, ſed potius ſemper amabile exiſtimat. Cæterum Beati ſunt liberi libertate etiam indifferentiæ & actus, non quidem erga Deum amandum, ſed erga creaturas diligendas, quippe quæ non habeant totam & adæquatam boni rationem; non enim ſunt ſummum bonum: Igitur poſſunt amari & non amari abſque beatitudinis diſpendio; & ſic intelligitur S. Auguſtini mens & ſententia, circa quam nullus relinquitur ambigendi locus, cum conſtanter exigat ad libertatem viatoris, indifferentiam actus: " Sed conſentire, *inquit*, lib. de
" ſpir. & litt. cap. 34. vel diſſentire pro-
" priæ voluntatis eſt." In nono loco ejuſdem col. 1. Aug. dicit hominem amiſiſſe per peccatum non peccandi libertatem & felicem innocentiæ ſtatum, in quo nulla paſſio ligabat intellectum & voluntatem, quæ ad peccatum provocaret, Lib. 3. de lib. arb. cap. 5.

Obſerves velim nos ubique habere, Janſenium confitentem reum, quippequi ex profeſſo probet voluntatem a gratia neceſſitari, quod dubio-procul hæreticum eſt & erroneum.

Pagina 180. col. 1. ſeptem numerantur ſancti Auguſtini auctoritates. In prima ait unum fuiſſe beatitudini Angelorum viatorum addendum, nempe ut per liberum arbitrium ſtetiſſent in bono. Lib. de corr. & gr. cap. 10. ſed ipſo fatente Janſenio, delectatio charitatis Angelos viatores non neceſſitavit ad bonum operandum, ſed eodem fatente, gratia ita erat quoad uſum libero arbitrio ſubdita, ut Angelus viator poſſet ei diſſentire: Sed illo concedente, per gratiam ſufficientem, cui poteſt reſiſti, ſteterunt Angeli fideles: Igitur ex concedendis delectatio gratiæ, & charitatis non neceſſitat. Tum quia ut oſtenſum eſt ſupra, eadem eſt gratia quoad ſe pro ſtatu innocentiæ, & pro ſtatu naturæ lapſæ ex Fulgentio, id eſt, operatur velle & perficere in utroque ſtatu: adjuvat liberum arbitrium hominis ſani & ægri: ex Aug. nunc ſtat homo in bono, & gratia adjutus illud operatur per liberum arbitrium prævio judicio practico: hoc ipſum aſſerit claris verbis, ut ſupra dictum eſt. Rurſus hic in ſecunda ſententia Auguſt. l. 4. contra Julia. cap. 3. ſic loquitur: " Quam vero periculoſe, im-
" mo pernitioſe ſibi placeat *mens rationa-*
" *lis*, cum per hoc tumeſcit Typho &
" morbo inflationis extollitur, quam-
" diu non videt, ſicut videbit in fine,
" ſummum illud & immutabile bonum,
" in cujus comparatione ſe ſpernat......
" æterno quoque amore præponat &c.
Ibi ſermonem habet de beatitudine. In tertia exaltat iterum amorem fixum & immutabilem beatorum. In reliquis auctoritatibus pergit celebrare Sanctorum felicitatem, quam in eo maxime ſitam eſſe prædicat, quod ſolum ament juſtitiam, ſolum diligant Deum, cætera vero propter eum, & non poſſint peccare. Unde nihil prorſus militat contra viatorum libertatem.

Columna ſecunda Iprenſis quinque exhibet B. Aug. loca: in primo S. Doctor iterum loquitur de beatitudine Sanctorum, qui ideo, *inquit*, Janſenius peccare non poſſunt, quia delectatio domus Dei omnem terrenam abſorbet libidinem & voluptatem. Sed Aug. ait, nos per timorem caſtum poſſe a peccato abſtinere lib. 14. de civ. cap. 9. In ſecundo ait animam ſuavitate charitatis paſſionem compeſcere l. de ſp. & litt. cap. ultim. In tertio ignorantiam veritate imminui lib. 6. contra Julia. Cap. 16. In quarto hortatur Chriſtia-

nos ad debellandam concupiſcentiam, quia anima ab omni paſſione & tentatione liberabitur in gloria, in Pſal. 75. In quinto ſubjicit: "Tunc itaque abſorpta erit mors in „ victoriam, „ Lib. 83. q. q. 70. Igitur incaſſum laborat Janſenius, dum gratiam neceſſitantem auctoritate S. Aug. aſtruere conatur, cum hæc & ſimilia pro hoc momento nihil probent. Ultro quippe fatentur Catholici Beatos feliciter ad amandum Deum neceſſitari.

Pagina 181. col. 1. quatuor recenſet S. Aug. oracula, quibus S. Præſul oſtendit beatitudinem amore & charitate comparari: Sed altum ubique de quæſtione gratiæ neceſſitantis ſilentium: immo non tacet fidem & alias virtutes, quibus ad gloriam progredi juvat. Columna ſecunda tres affer auctor, B. Aug. ſententias. In prima S. Doctor dicit delectationem boni in ejus cognitione ſitam eſſe, quia cognitione bonum poſſidetur. Igitur ex Aug. delectatio potiſſimum attenditur ſecundum rationem practicam, qua mens delectationem ex bono apprehenſo percipit, in quantum judicat bonum incommutabile eſſe verum, & majus bonum, Lib. 83. qq. qu. 35. Idipſum confirmat S. Doctor: in ſecunda ſententia ſtatuit illam delectationem conſenſu voluntatis & haberi & percipi; vult namque cæteros appetitus: " menti ratio- „ nique conſentire debere, ut in tali pace „ & tranquillitate vacet mente contem- „ plari quod æternum eſt. Ergo etiam „ cæteris ſuis partibus amare animus de- „ bet, hoc tam magnum quod mente co- „ gnoſcendum eſt. „ Idem dicit in III. quod eſt in primo.

Pagina 182. Duæ reperiuntur ejuſdem B. Aug. auctoritates; in utraque dicit delectationem Dei in cælis creaturam tum angelicam, tum humanam a peccatis immunem reddere. Igitur ex his omnibus auctoritatibus non inducitur in viatoribus bene, vel male agendi neceſſitas; jura quippe libertatis ſub dominio delectationis ſive terrenæ, ſive cæleſtis ſecundum caſtiſſima S. Aug. principia ſervantur.

CAPUT NONUM.

Neceſſitas delectationis cæleſtis ad bene volendum & operandum, non ex natura voluntatis, ſed ejus pœna proficiſcitur.

JANSENIUS ſeptem adducit pro hoc momento B. Aug. loca, quibus ſuam delectationem neceſſitantem putat probare. Unam enim eſſe omnium capitum concluſionem ex capite ſequenti clarius patebit.

Pagina 183. col. 1. quatuor apparent ſententiæ. In prima D. Aug. ait approbare falſa pro veris, ut homo erret invitus, non eſſe naturam inſtituti hominis, ſed pœnam damnati: lib. 3. de lib. arb. cap. 18. verum his & ſimilibus B. Aug. auctoritatibus non probatur hominem lapſum ad peccatum neceſſario compelli, ſed tantum ſubjici ignorantiæ, & concupiſcentiæ; quæ quidem ſunt effectus peccati originalis, quo juſtitia & pro Adamo, & pro poſteris amiſſa eſt: Sed neutiquam in ſe peccata ſunt niſi ignorantia ſit voluntaria & culpabilis: niſi tentatus cedat concupiſcentiæ, cui certo ex Aug. reſiſti poteſt. Quinimmo ad eam debellandam, nos ubique adhortatur.

In ſecunda, & quarta dicit ignorantiam & infirmitatem eſſe peccati cauſas: In quarta peccatum refundit, non præcise in delectationem, ſed in voluntatem humanam, quæ bonum operari non vult; adeoque in liberum arbitrium, quod falſa pro veris, & mala pro bonis non invitum, ſed liberrime eligit. Sic igitur loquitur S. Doctor lib. 2. de pecc. merit. cap. 17. " Nolunt homines facere quod juſtum eſt. „

Columna ſecunda iterum affert illud tritum Aug. comm. in cap. 5. epiſt. ad Galatas. " „ Quod enim amplius delectat, ſecundum „ id operemur neceſſe eſt. „ Alium affert locum ex lib. 22. contra Fauſtum cap. 28. excerptum, in quo B. Aug. dicit animam non peccare in cœlis, quia *ſolus eam delectat Deus*. Immo, *nihil aliud delectare poteſt*. Serm. 49. de temp. ex his omnibus liquet S. Doctorem nullo modo propugnaſſe delectationem neceſſitantem.

CA-

CAPUT DECIMUM.

Inferuntur correlaria, quibus multa principia S. Aug. de libero arbitrio & poteſtate bene operandi & ſimilibus declarantur.

In hoc toto capite tres ſolum S. Aug. auctoritates referuntur. In duobus prioribus S. Doctor probat gratiæ neceſſitatem ad paſſiones compeſcendas, bonum vero operandum. Tertius textus eſt ſententia ſæpius & ſemper incaſſum allata, utique & explicata: *Quod enim amplius delectat &c.*

CAPUT UNDECIMUM.

Delectatio illa cæleſtis ſecundum Auguſt. mentem, eſt actus vitalis & indeliberatus animæ, & quidem amoris ac deſiderii, præcedentis conſenſum, ac delectationem illam qua & quies animi, & gaudium dicitur.

Pagina 185. cap. 11. col. 1. adducit Janſenius textus D. Thomæ dicentis: " Amor „ præcipua cauſa delectationis eſt. „ 1. 2. q. 32. art. 6. ibidem art. 3. Ad 3. " „ amor & concupiſcentia delectationem „ cauſant. „ Per concupiſcentiam intelligit deſiderium: Sed iſta loca aperte pugnant contra Novatorem, quandoquidem divus Th. dicit amorem cauſare delectationem; e contra vero Janſenius propugnat delectationem indeliberatam, & ex ſola objecti propoſiti apprehenſione promanantem, inferre neceſſario actum amoris vel pro creatura, ſi objectum illicitum eſt, vel pro Creatore ſi bonum. Ecce verba Angelici S. Doctoris ibidem ad 3. " Omne „ enim amatum fit delectabile amanti, eo „ quod amor eſt quædam unio, vel con„ naturalitas amantis ad amatum. „

Columna 2. Octo præcipue B. Aug. ſententias complectitur. In 1. S. Doctor, *ait*, Deum eſſe amandum' lib. de Catech. Rud. cap. ult. in 2. " Si uxorem alienam ama„ veris, non continuo habebis: ſi caſti„ tatem amaveris, mox habebis. „ Serm. 2. in append. in 3. " Quod jubet tibi De„ us? Dilige me .... ipſe amor præſen„ tem me tibi facit. „ Tract. 10. in epiſt. „ Joan. Ibidem eadem repetit, ſicut Tract. 7. in epiſt. Joan. ubi ſic loquitur: " „ Tenete eam charitatem: amplectimini „ eam, dulcius ea nihil eſt. „ Rurſus Serm. 50. de Verb. Dom. cap. 6. exaltat amorem quo ſuum anima proſequitur divinum ſponſum. Et lib. 22. contra Fauſtum cap. 9. ait illum omni bono perfrui, qui poſſidet Deum. Rurſus lib. de fide & Symb. cap. 9. dicit: " Frui au„ tem ſapientia Dei nihil aliud eſt, „ quam ei dilectione cohærere. „

Ubi quæſo, Juſte Lector, delectatio indeliberata, eaque neceſſitatis celebratur? Nonne potius ſtabilit Aug. delectationem ad amorem conſequentem, cum dilectione nihil eſſe dulcius aſſerat: delectationem quæ Deum animæ reddit præſentem, adeoque & ab amore caſto & deliberato, immo & juſtificante promanantem: delectationem productam ab amore quem requirit Deus: " Quid jubet tibi „ Deus, dilige me. „ Non jubet amorem indeliberatum, non complacentiam ex imperfecto deſiderio fluentem, quæque eſt in nobis ſine nobis, ſed complacentiam cordis, ſed delectationem liberam, qualem exigit ſponſus a ſponſa. Igitur B. Auguſtinus per omnia noſtram firmat ſententiam, qua propugnamus nos operari ſecundum id quod nobis libere eligentibus placet: qua ſtatuimus delectationem qua operamur eam eſſe, quæ & a judicio practico, & ab amore deliberato promanat, quæque eſt ipſa libera in Deo per dilectionem complacentia; qua ipſi cohæremus, & in quo quieſcimus, dicente Aug." Frui autem ſapientia Dei, „ nihil aliud eſt quam ei dilectione co„ hærere. „ Et vero quum Prov. 23. 26. ait Deus: *Præbe fili mi, cor tuum mibi;* quid aliud petit, niſi ut ſpretis creaturis, illum eligat anima ut ſponſum, cui conſentit adhærere per amorem, non quidem neceſſarium, ad hunc enim inutilis eſt electio, ſed liberum libertate actus.

Pagina 186. col. 1. octo referuntur S. Aug. effata. In 1. S. Doctor dicit peccatum fieri ſuggeſtione & delectatione: lib. de Serm. Dom. in monte cap. 12. eo loci probat clare delectationem illam non neceſſitare, eam eſſe debellandam, & ſolo conſenſu eoque deliberato & libero conſummari peccatum; ſic loquitur: " „ Tria ſunt, quibus impletur peccatum, „ ſuggeſtione, delectatione, & conſen„ ſione. Suggeſtio ſive per memoriam fit, „ ſive per corporis ſenſus, cum aliquid

Ii 2 vide.

„ videmus, aut audimus, aut facimus, „ vel guſtamus, vel tangimus. Quo ſi „ frui delectaverit, delectatio illicita re- „ frænanda eſt, velut cum jejunamus, & „ viſis cibis palati appetitus aſſurgit, non „ fit niſi delectatione: ſed huic tamen „ non conſentimus, ſi eam dominantis „ rationis jure cohibemus. Si autem con- „ ſenſio facta fuerit, plenum peccatum „ erit. " Suggeſtione quidem & dele- ctatione indeliberata compellimur ad pec- candum, ſed non neceſſario, quia ex Aug. refrænanda eſt iſta delectatio jejuniis; ſed ex eodem, jure rationis cohibenda, ſed non eſt peccatum niſi adſit plena, id eſt, libera & deliberata conſenſio. Si autem delectatio exuberans neceſſario inferret peccatum, incaſſum diceret Aug. eam re- frænandam eſſe jejuniis, & jure rationis cohibendam; quia ex Janſenio impoſſibile eſt juſto, ſecundum præſentes quas habet vires & gratias illam compeſcere; im- poſſibile eſt impoſſibilitate morali relati- va illam vincere: ex Janſenio poſita dele ctatione terrena robuſtiori in gradu dele- ctatione cæleſti, continuo & neceſſario ſequitur conſenſus in peccatum; quod a mente Aug. penitus alienum eſſe jam intel- ligis, benevole Lector, & ex locis ſub- ſequentibus iterum intelliges.

S. Auguſtinus in II. loco dicit delectatio- nem eſſe motum, lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 24. In 3. lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 14. ait: " Tria ergo „ hæc, ut dicere cœperam, ſimilia ſunt „ illi geſtæ rei, quæ in Geneſi ſcripta eſt, „ ut quaſi a ſerpente fiat ſuggeſtio & ſuaſio; „ in appetitu autem carnali tamquam in „ Eva delectatio, in ratione vero tam- „ quam in viro conſenſio. " Eva, ipſo teſte Janſenio, ad peccandum delectatio ne fructus vetiti non neceſſitata eſt, ſed conſenſione, quæ fit ratione & judicio appretiativo & comparativo.

Peccatum Adæ non factum eſt neceſſitate ad malum compellente, & tamen ex Aug. peccatum etiam nunc committitur, ſicut primum ab Eva & Adamo commiſſum eſt: committitur & conſumatur conſenſio- ne libera, ita ut niſi accedat talis conſen- ſus, nuſquam erit peccatum: Igitur in pravum & peregrinum ſenſum trahit Jan- ſenius Auguſtinum. Quid plura? In 4. loco ibidem Aug. refundit peccatum non præciſe in ſuggeſtionem & delectatio- nem, ſed in conſenſum liberum. Quin- immo ibidem in 5. loco libr. 1. Serm. Dom. cap. 12. dicit delectationem terre- nam quantumvis magnam, a nobis debel- landam eſſe: " Quiſquis, *inquit*, carna- „ lem delectationem adverſus rectam vo- „ luntatem rebellare ſentit per conſuetu- „ dinem peccatorum, cujus indomitæ vio- „ lentia trahitur in captivitatem, recolat „ quantum poteſt, qualem pacem peccan- „ do amiſerit. „ Id eſt, ſi vult impræſen- tiarum vincere, recolat quantam pacem quando olim peccavit, amiſerit, ne ite- rum a carne lapſu in graviorem prolabatur infirmitatem & miſeriam. Denique in 6. loco proſequitur remedia ſalutis deſcribe- re, & ait: " Quando *Diabolus* incipit „ mala ſuggerere, tunc repelle, ante- „ quam ſurgat delectatio & ſequatur con- „ ſenſus. „ In Pſal. 48. vult homines de- lectationem terrenam etiam primo-primam jejuniis & orationibus vel impedire, vel aſſurgentem compeſcere, ne dato pericu- lo, ſequatur in peccatum conſenſio: Ecce quomodo ſemper excludit neceſſitatem. In 7. & 8. varias delineat tentationes, va- rioſque decertantium ſtatus: " Prima, eſt „ titillatio delectationis in corde, ſecun- „ da conſenſio, tertia factum, quarta con- „ ſuetudo; ſunt enim qui res illicitas obvias „ ſuis cogitationibus prorſus ita objiciunt, „ ut nec delectentur ſimul, qui delectan- „ tur, & non conſentiunt: nondum per- „ fecta mors eſt, ſed quodammodo in- „ choata, delectationi accedit conſenſus. „ Hic ponit libertatis & electionis gradus: hic delectationem terrenam exuberantem Sanctis & piis cogitationibus coerceri do- cet: Hic nihil neceſſario ad peccatum ho- minem compellere, ſed ſolo conſenſu libero mortem ſubintrare in animam prædicat. Quid clarius pro libertate electiva & in- differentia actus?

Columna ſecunda ſeptem habet auctorita- tes S. Aug. qui iterum atque iterum deſcri- bit tentationes, eaſque ſuggeſtione & de- lectatione quidem fieri, ſed nuſquam niſi conſenſu deliberato patrari peccatum: unum aut alteram ſolum, ne repetita tæ- dium pariant, afferemus: in Pſal. 64. ſic loquitur D. Aug. " Modo cum morte „ quanta contendimus? Inde ſunt enim „ delectationes carnales .... Quibus non „ conſentimus, ſed tamen non conſen- „ tiendo contendimus. „ Tum in Pſal. 43.

" Sug-

" Suggeritur aliquod lucrum , delectat : ,, habet fraudem , ſed magnum eſt lucrum ,, delectat, non conſentis, pugnam vide : ,, adhuc ſuadetur, adhuc inſtatur, adhuc ,, deliberatur. Ergo qui pugnat periclita- ,, tur. ,, Totam hinc dirimit controverſiam S. Doctor exemplo adducto . Eo loci proponitur lucrum ut bonum cupiditati , quia placet argentum : proponitur vero ut malum ſpiritui, quia lucrum fraudem annexam habet: Tunc eſt pugna inter partem inferiorem & ſuperiorem : tunc non neceſſitas ſed deliberatio : tunc judicio practico & appretiativo eligitur unum , & aliud abjicitur : tunc lex & bonum incommutabile in ſtatera rationis appenſum magis ponderat , magis placet , & reſiſtitur tentationi .

Pagin. 187. col. 1. numerantur 7. auctoritates B. Auguſt. quibus eamdem proſequitur materiam, quas omnes referre ſuperſedeo, quippe quæ nihil ad propoſitum contineant. Serm. 13. de verb. Apoſt. cap. 9. S. Doctor contendit quaſcumque carnis concupiſcentias , & quæcumque carnis deſideria mortificatione compeſcenda eſſe . Igitur quæcumque delectatio quantumvis exardeſcens non neceſſario compellit ad peccatum , alias fruſtra ad reſiſtendum adhortaretur Auguſtinus. Egregiam alteram libr. 5. contra Julian. cap. 3. hanc affert rationem, quia ſi ut primum exhæſtuent carnis deſideria neceſſario accedat conſenſus, fruſtra dictum eſt , *poſt concupiſcentias tuas ne eas :* " Numquid autem , *inquit* , ,, conſequens eſt , ut ſi habeat aliquis ,, cordis deſideria mala , jam eis conſen- ,, tiat ad committenda eadem mala ? Ac ,, per hoc aliud eſt habere mala deſide- ,, ria cordis , aliud tradi eis , utique ut ,, conſentiendo eis , poſſideatur ab eis , ,, quod fit cum divino judicio traditur ,, eis . Alioquin fruſtra dictum eſt : Poſt ,, concupiſcentias tuas non eas , ſi jam ,, quiſque reus eſt, quod tumultuantes & ,, ad mala trahere nitentes ſentit eas , ,, nec eas ſequitur, ſi non eis traditur , ,, exercens adverſus eas glorioſa certami- ,, na . ,, Hac ſola mirabili ſententia qua ſanctus Auguſtinus vult vel ipſas exorbitantes concupiſcentias debellari , ad peccatum eas hominem neceſſario non trahi , ſplendide proſcribitur Iprenſis ſyſtema . In colum. 2. duo ſolum proferuntur ſancti Præſulis loca , quibus diſtinguit deſideria carnis , & motus indeliberatos a deliberatis . Ibid. dicit utique eſſe delectationes Spiritus ; illis reſiſtendum eſſe , iſtis vero conſentiendum , & tunc animam in atria Domini intrare , & conquieſcere, ſin minus e contra deficere.

Pagin. 188. ſex D. Auguſt. ſententias continet . In 1. dicit S. Doctor quaſdam eſſe in nobis ſine nobis carnis delectationes ad peccatum commoventes , libr. 1. de Geneſ. ad litt. cap. 12. In 2. luctam nobis ineſſe adverſus carnem & ſanguinem aſſerit : " Delectat adulterium , ,, fateor , quia delectat, ſed ſpiritus con- ,, cupiſcit adverſus carnem , delectat & ,, caſtitas, ergo vincat ſpiritus carnem . ,, Quomodo? niſi eligendo caſtitatem . Ubique igitur exploditur neceſſitas, & aſtruitur ab Auguſt. ſub delectationis imperio libertas indifferentiæ actus , Serm. 49. de Verb. Dom. cap. 5. Idem repetit cap. 6. idem & lib. de contin. cap. 5. ubi ſic loquitur cap. 8. " Bonum fit cum id quod male ,, libet vincente bona delectatione non ,, fit . ,, Quænam eſt bona delectatio vincens? Amor ſane appretiativus a judicio comparativo promanans , complacentia conſequens ad judicium latum : audis Aug. ſui ipſius interpretem in ſexto loco adducto , quo ſane os loquentium contra libertatem indifferentiæ actus iniqua, contundit. Igitur Serm. de Verb. Apoſt. cap. 9. ſic intonat : " Delectat uxor aliena , ,, & non annuis , mentem avertis , in ſe- ,, cretarium mentis intras : video foris ,, ſtrepentem concupiſcentiam , profer ad- ,, verſus eam ſententiam . Nolo, *inquit* , ,, non facio, puta, quia delectat, non fa- ,, cio : habeo cui condelector. Condelector ,, enim legi Dei. ,, Ecce judicium practicum , omnibus ponderatis: " Profer, adver- ,, ſus eam , ſententiam. Nolo. ,, Eſto quod S. Auguſtinus delectationem gratiæ efficaci annexam velit , ſed nuſquam neceſſitantem; hinc in iſto poſtremo puncto , ſcilicet neceſſitatem propugnando , graviter errat Janſenius . . . .

Concluſiones perverſæ quas adverſus libertatem indifferentiæ actus ex locis Auguſt. in pravum ſenſum detortis eruit Janſenius . Ibidem cap. 10.

PRIMA : In Adamo erat libertas indifferentiæ, ſed in homine lapſo deficit p. 184.

col. 1. Itaque in illo æquilibrio primævæ „ conditionis liberum arbitrium ſe ſuæ „ libertatis indifferentia utramlibet partem poſſe, experientia comprobavit.... „ Hinc ſecundo patet qua ratione verum „ ſit, quod in homine lapſo ante gratiam, cui & multo potentiori ratione „ dæmones addi poſſunt, non ſit amplius „ illa primæva flexibilitas qua bene velle poſſit & male, hoc eſt, cui non poſſit alteram libertatis partem promere, „ quæ bene agendo exercetur. „

Secunda: Concupiſcentia neceſſario compellit ad malum, ibidem: " Hæc libido „ ad ſingulas occaſiones per omnia peccatorum genera concitata, motibus delectationum ſuarum voluntatem premit, „ nec eam ſinit ad redamandum bonum „ ſurgere quod amiſit. Hinc ergo fit, „ quod liberum arbitr. ante gratiam, ex „ Auguſt. doctrina non ſit amplius liberum „ ad agendum bonum, ſed tantummodo „ ad malum. „

Tertia: Poſita & data gratia homo majori libertate donatur quam antea, non eadem tamen & ſimilis Adæ libertas, qua ad nutum poterat vel bonum, vel malum operari. Ibidem colum. 2. " Hinc patet „ quarto, etiam poſtquam gratia poſt lapſum nos adjuvare cœperit, eſſe quidem „ in homine liberum arbitrium ad utrumlibet faciendum, bonum ac malum: ſed „ non ita ſicut ante lapſum in innocentiæ „ ſtatu, atque Angelis fuit. Illorum enim „ ſic liberum, ut ſuo ſe nutu nihil impediente vel urgente libertatem, flecteret ad utrumlibet, ſolum, ſi male, „ non ſine Dei adjutorio, ſi faceret bene. Nunc autem ipſum adjutorium beneficæ ſuavitatis facit, ut bonum velit; quod ſi deſertum fuerit, ipſum adjutorium, ut ita loquar noxiæ ſuavitatis fecit, ut malum velit, illam quippe ſuavitatem quæ ſuperaverit, voluntas conſentiendo ſequitur. „ Quibus verbis clare explicat, ſe ſolum admittere indifferentiam ſtatus, & non actus, in quantum qui delectatione cæleſti vincente facit bonum, poteſt gratiam amittere, & committere peccatum; quippequi diſertis verbis conclamet, impoſſibilitatem relativam; quia ſi una ex duabus delectationibus exuberet, bonum aut malum neceſſario fieri contendit.

Quarta: Nulla datur gratia ſufficiens, quia ſecundum id quod magis placet nos operari neceſſe eſt, ſeu nos operari compellit neceſſitas. Ibidem col. 2. Ecce verba Iprenſis: " Hinc etiam claret, cur „ Auguſt. omnem omnino gratiam pure „ ſufficientem, ſive ante fidem, ſive etiam poſt fidem auferat. Ratio enim „ perſpicua eſt, quia cum ei nulla ſit „ gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei „ delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur; ſin autem iſta ſuperaverit, jam „ ſine dubio bene voluntas operabitur, „ quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt: ſed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia, „ ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex „ qua operatione quidem poſſit ſequi, niſi „ ejus inefficacia per aliam ſuppleatur. „ Audis, benevole Lector, Janſenium omnem omnino explodere gratiam ſufficientem, omnem actus libertatem rejicere, & per omnia ſtatuere impoſſibilitatem relativam ad aliud extremum, exuberante una delectatione ad alterum oppoſitum commovente.

Quantum ſint eiuſmodi concluſiones a mente B. Auguſt. alienæ, patet ex locis ſupra adductis, in quibus nullum de gratia neceſſitante & libertatis exitio reperitur veſtigium: quinimmo, in aliis textibus qui poſſunt ex aliis S. Doctoris operibus erui, utique floret pro noſtro ſtatu libertas actus. Quidam tamen excuſatum habent contra definitiones Eccleſiæ Janſenium: Nonnulli ex ignorantia, quippequi nuſquam legerint Iprenſis opus, hanc illum excuſando cum periculo fidei, præſtant humanitatem, ut putent eum S. Auguſt. adhærere: alii denique errori faventes, quia audiunt tumultuantes, hoc ipſum autumant; qua de cauſa ad faciendum ſatis omnibus, nedum loca S. Auguſt. ex quibus conſequuntur conſequentiæ Janſenii dictis contrariæ, ſed & ipſa Novatoris dogmata ſcripta & verba retulimus, ut luceat nllo abſque offendiculo veritas, & vincat ac triumfet, quum judicatur reus; quod ut clarius pateat iterum reſumendo ſummatim B. Auguſt. ſententias, concluſiones genuinas quæ connaturaliter ex ejus principiis ſequuntur in medium afferre juvat.

Con-

Digitized by Google

Concluſiones genuinæ, quæ ex locis in præcedentibus lib. 4. de gratia Chriſti adductis connaturaliter ſequuntur, quæque per omnia libertati favent.

PRIMA: Nulla delectatio mala quantumvis exuberans neceſſario compellit ad peccatum, quia vinci poteſt oratione, quia jejuniis, quia mentem ad alia divertendo; ita docet Auguſt. in locis quæ leguntur in primo & quinto capite.

Secunda: Exhortatio ad bonum ſemper prodeſt tentatis, licet caro plurimum concupiſcat adverſus ſpiritum, adeoque nulla inducitur ad faciendum malum neceſſitas. Hoc ſequitur ex divi Auguſt. textibus qui adducuntur capite 3. 5. 11.

Tertia: Debellanda eſt omnis concupiſcentia, & ideo omnis vinci & ſuperari poteſt. Sic colligitur ex Auguſtini auctoritatibus quæ referuntur cap. 4. & 5.

Quarta: Tentationes, ex qualibet delectatione terrena titillante ſuperari poſſunt, & de facto ſuperantur amore juſtitiæ, & judicio practico, eoque comparativo, quo mens pluris appretiative faciens juſtitiam, anteponit legem prævaricationi. Sic docet S. Auguſt. cap. 3. 4. 5. & 6. ſuperant enim & vincunt tentati qui nolunt cedere concupiſcentiæ.

Quinta: Gratia, & juſtitiæ amor, ſeu delectatio compellit ad bonum non neceſſitando, ſed docendo, ſed invitando, ſed inſpirando, ſed oſtendendo bonum. Ita legitur in D. Auguſtin. ſententiis capite 2. 7. 11.

Sexta: Libertas ad utrumque extremum ineſt homini lapſo, non ſecus ac in Adamo: tametſi enim lapſus tantam non habeat ad faciendum bonum facilitatem, habet tamen ſufficientem qua poſſit, ſi velit, ſervare mandata. Hoc ipſum ſcribit S. Auguſtinus paſſim in ſuis operibus, maxime in locis quæ adducuntur capite 3. 7.

Septima: Gratiæ & charitatis ſuavitas, ſicut nullam imponebat homini ſano & Angelis viatoribus operandi bonum neceſſitatem, ita nec homini lapſo, namque conſentire vel diſſentire, inquit Auguſt. lib. de ſpirit. & litt. cap. 24. *Propriâ voluntatis eſt*. Id ipſum conſequitur ad S. Doctoris textus, qui habentur cap. 8. 9. 11.

Plura legi poſſunt in explanatione capitum, in quibus nulla apud S. Doctorem de delectatione neceſſario ad bonum, vel malum compellente mentio fit, ita ut ſi Janſenius ipſe ſuas perverſe non deduxiſſet concluſiones, maxime capite decimo, ab Auguſt. doctrina & ſenſu ſic aberraſſe vix quiſquam credere aut autumare vellet. Et vero S. Auguſt. in ſuis operibus Polemicis partes liberi arbitrii defendendas ex profeſſo ſuſcipit, & libertatem humanam cum gratia quantumvis efficaci contra impugnantes conſociat. Primo quidem, in tribus libris de libero arbitrio ubi debellat Manichæos, qui libertatem indifferentiæ actus negabant. In libris de ſpiritu & litt. De natura & gratia, De gratia Chriſti, in aliis quatuor adverſus duas Epiſtolas Pelagianorum, quos omnes conſcripſit adverſus Pelagianos, qui & neceſſitatem & efficaciam gratiæ evacuabant, eo fucato innixi fundamento, quod libertatem indifferentiæ actus quacumque gratia actuali perimi & extingui putarent. Hoc quidem commentum pro virili impugnat S. Doctor. Igitur non ſolum omnem neceſſitatem negat induci per gratiam, verum potius libertatem humanam ad actus oppoſitos per omnia defendit & aſtruit. Quid plura? Ex profeſſo docet liberum arbitrium non deſtrui, ſed perfici & adjuvari a gratia: alias neque vincerentur Pelagiani, quandoquidem nihil adverſus eos probaret.

Quia vero Semipelagiani libertatem indifferentiæ actus efficacia gratiæ, qualem prædicabat S. Auguſtinus, offendi exiſtimabant, eam optime cum gratia etiam efficaciſſima ex profeſſo conſociat in libr. de gratia & libero arbitrio, & in alio, cujus titulus eſt, *de correptione & gratia*. Eamdem libertatis humanæ cum gratia efficaciſſima conſociationem paſſim aſtruit in libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ, quos adverſus eoſdem Heterodoxos conſcripſit: quocirca Janſenius iſta omnia D. Auguſt. opera peſſundat, quum gratiam neceſſitantem tamquam genuinam S. Doctoris doctrinam defendit, ſanctumque Præſulem iiſdem laceſſit injuriis & contumeliis, quibus eum Pelagiani & Semipelagiani inſectabantur; hoc enim potiſſimum objiciebant S. Aug. gratiam ab eo propugnatam eatenus humanæ adverſari libertati, quatenus hac

poſita & ſemel admiſſa indifferentiam actus tolli, & prorſus extingui neceſſe erat; hanc autem neceſſitatem S. Præſuli ut germanam ejus doctrinam affingit Janſenius, & juſtificat obſtrepentes Semipelagianos. Qualis offenſa!

Quantum ſit doctrinæ Janſenii adverſa doctrina S. Auguſtini liquet & ex his quæ diximus de ejus operum ſcopo, & ex ipſa operum explanatione quam in tractatu attributorum dedimus, tractando de doctrinæ tanti Doctoris commendatione.

Manet igitur D. Auguſtinum nuſquam eſſe libertati offenſum, contrarium e contra illam Janſenii ſyſtema impugnat funditus & evertit. Manet hominem ſemper eſſe ſub cujuſcumque delectationis dominio liberum, quia operatur ſecundum id quod elective judicat majus bonum.

Synopſis probationum articuli.

S. Auguſtinus exigit ad libertatem exemptionem a coactione & neceſſitate.

PRIMO: Hoc ipſum patet ex tribus libris quos adverſus Manichæos, fatum & neceſſitatem in actiones hominum inducentes, conſcripſit.

Secundo: Et ex libro de correptione & gratia, in quo Prædeſtinatianos, in iiſdem prope Manichæorum erroribus verſantes, debellat.

Tertio: Quia paſſim & ubique docet gratiæ quantumvis efficaci quemque poſſe reſiſtere: " Conſentire, *ait lib. de ſpirit.* ,, *& litt. cap.* 34. *vocationi Dei*, propriæ ,, voluntatis eſt. ,, Tum tractat. 26. in Joan. cap. 6. *Trahit*, inquit, *quemque ſua voluptas, non neceſſitas.*

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Fruſtra putat Janſenius S. Auguſtin. ſecernere ſtatum naturæ ſanæ a ſtatu lapſæ, eo quod in priori homo bonum, ſi voluiſſet, operatus fuiſſet, ſecus vero in poſteriori, ut a libertate eliminet indifferentiam; ſanctus quippe Præſul unum tantummodo adverſus Pelagianos probare intendit, videlicet majorem gratiæ neceſſitatem pro præſenti ſtatu, eo quod natura cum ſit ſauciata per peccatum, maximam experiatur in bono faciendo difficultatem.

Secundo: Nec magis Auguſtinus Janſenii opinioni aſtipulatur, ſæpius opponendo libertati coactionem, quippe qui ab ea excludat nedum coactionem extrinſecam, quæ violentia nuncupatur, ſed etiam intrinſecam, quæ neceſſitatis nomen retinet.

Tertio: Eſto quod S. Thomas dicat neceſſitatem finis libero arbitrio non adverſari, ſecus tamen neceſſitatem actionis. Et vero tametſi beatitudinem in communi quiſque neceſſario appetat, non tamen ad illam in tali vel tali bono reponendam neceſſitatur, cum quidam in honoribus, alii in divitiis, multo plures in terrenis voluptatibus illam conſtituant.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum ſanctus Auguſtinus putaverit Semipelagianos non admiſiſſe gratiam ad initium fidei, & illos crediderit Hæreticos eo quod dicerent humanam voluntatem ei poſſe reſiſtere?

DUÆ ſunt in titulo partes: prima, quod Semipelagiani non admiſerint gratiam ad initium fidei: Altera quod in hoc non fuerint Hæretici, dicendo humanam voluntatem illi poſſe reſiſtere. De iſto poſtremo momento ſufficienter in ſuperioribus egimus: De priori juxta S. Auguſt. mentem ſpecialiter in præſentiarum tractare nobis incumbit.

Quidam poſuerunt inter Semipelagianos aliquos fuiſſe, qui quidem conatus naturæ initium fidei prævenire autumarent, non tamen cæterorum bonarum actionum primordia, quaſi ea ipſa gratiæ præiret. Hoc ipſum refert & innuere videtur Pater Alexander hiſt. ſæculi quinti cap. 3. artic. 8. ubi graviter increpat quoſdam Theologos, & ipſum Gonetum: " Qui nulla, ,, *inquit*, habita ratione propoſitionis quartæ in Conſtitutione Innocentii X. damnatæ, temere aſſerunt Semipelagianos ,, gratiam aliquam internam ad initium fidei admiſiſſe. ,, Et conſequenter ad initium bonorum operum. Sit igitur

CON-

CONCLUSIO.

Semipelagiani omnes ex mente ſancti Auguſtini nullam admiſerunt gratiam actualem ad initium tum fidei, tum cæterorum bonorum operum.

PROBATUR I. Ex Vitalis Carthaginenſis opinione, quam confutat S. Aug. epiſt. 17. his verbis: " Quomodo dicis quod te
,, audio dicere, ut credamus in Deum,
,, & Evangelio conſentiamus, non eſſe
,, donum Dei, ſed hoc eſſe a nobis, id
,, eſt, ex propria voluntate, quam no-
,, bis in noſtro corde non operatus eſt i-
,, pſe. ,, Rurſus lib. de præd. SS. cap. 3. ſic explicat Semipelagianorum errorem, quem ipſe ante Epiſcopatum tenuerat: " Errabam, *inquit*, putans fidem,
,, qua in Deum credimus, non eſſe do-
,, num Dei, ſed a nobis eſſe in nobis...
,, neque fidem putabam gratia Dei præ-
,, veniri. ,, Ergo &c.

Probatur II. Ex SS. Hilario & Proſpero ſententiæ Auguſtini fidelibus teſtibus. Prior in ſua ad S. Doctorem epiſtola, ait: " Conſequens putant, *Semipelagia-*
,, *ni*, exhibendam ab eo fidem cujus na-
,, turæ id voluntate Conditoris conceſſum
,, eſt: & nullam ita depravatam vel ex-
,, tinctam putant, ut non debeat vel poſ-
,, ſit ſe velle ſanari. ,, S. Proſper epiſt. ad eumdem S. Aug. ſic loquitur: " Quidam vero horum in tantum a Pelagianis
,, ſemitis non declinant, ut cum ad con-
,, fitendam eam Chriſti gratiam, quæ
,, omnia præveniat merita humana, co-
,, gantur ... gratia nominetur, ad con-
,, ditionem hanc velint uniuſcujuſque ho-
,, minis pertinere, &c. ,, Quibus patet inſtinctum naturæ quoſdam Semipelagianos admiſiſſe, qua quidem liberum arbitrium merebatur gratiam ſalvantem: Igitur Semipelagiani omnes poſuerunt initium fidei eſſe in nobis, immo vero & bonorum operum primordia cum gratiam ſalvantem in quodam naturæ inſtinctu reponerent.

Probatur III. ex ipſis Semipelagianis. Caſſianus collat. 13. cap. 8. in perſona Cremonæ Abbatis ſic loquitur: " Qui
,, cum in nobis ortum quemdam bonæ
,, voluntatis inſpexerit, illuminat eam
,, confeſtim atque confortat. ,,

Probatur denique ex cenſura quartæ propoſitionis ab Innocentio X. ubi habetur: *Hanc propoſitionem falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*: falſam, ſcilicet pro prima parte, hæreticam vero pro ſecunda.

Solvuntur objectiones.

OBJICIT Janſenius lib. 8. de hæreſi Pelag. & ſic concludit: " Itaque Maſſilien-
,, ſium opinionibus, & Auguſtini doctri-
,, na quamdiligentiſſime ponderata cer-
,, tum eſſe, & indubitatum eſſe debere
,, ſentio, quod Maſſilienſes præter præ-
,, dicationem, atque naturam, verum et-
,, iam & internam, & actualem gra-
,, tiam ac ipſam etiam fidem, quam hu-
,, manæ libertatis & voluntatis adſcri-
,, bunt viribus, neceſſariam eſſe fatean-
,, tur.... ſic enim Hilarius in epiſt. ad
,, Aug. eorum offenſiones refert. Dein-
,, de, *inquit*, moleſte ferunt ita dividi gra-
,, tiam, quæ vel tunc primo homini data
,, eſt, vel nunc omnibus datur. ,, Ergo &c.

Reſponſum eſt ſupra initio tractatus, Semipelagianos non ideo admiſiſſe gratiam ad initium fidei, ut perperam contendit Janſenius, ſed ſolum graviter tuliſſe, quod gratiam pro præſenti ſtatu vellet Aug. efficacem & diſtinctam a gratia ſtatus innocentiæ, quia putabant omnem gratiam prævenientem, maxime efficacem, liberum tollere arbitrium.

Replicant Janſenii aſſeclæ ad cenſuram propoſitionis diverſimode: Alii quidem propoſitionem eſſe de facto dicunt, adeoque ad fidem non pertinere: Alii propoſitionem eſſe indefinitam, adeoque non cadere ſuper omnes Semipelagianos, quorum aliqui, ut arbitrantur, admittebant gratiam ad initium fidei, & de his loqui volunt Janſenium: alii denique propoſitionis primam partem merito fuiſſe damnatam concedunt, quia licet Semipelagiani, aiunt, gratiam interiorem ad initium fidei admitterent, non tamen prævenientem ſicut oportet.

Reſpondet ad has inſtantias diſp. 1. quinti ſæculi Pater Alexander quæſt. unica: ad primam quidem his verbis: " Ita enim
,, quæſtio hæc, quid de initio fidei cen-
,, ſerint Semipelagiani, eſt facti, ut jus
,, involvat in propoſitione damnata; cujus
,, duæ partes ſic conjunctæ ſunt, ut altera,

,, quæ

„ quæ eſt facti , ſemel poſita , ſequatur
„ & altera quæ juris eſt . Si quis enim
„ vero dicat Semipelagianos gratiæ in-
„ terioris prævenientis neceſſitatem ad
„ ſingulos actus, etiam ad initium fidei ,
„ admiſiſſe, nec in eo conſtituendam i-
„ pſorum hæreſim , quod eam negaverint :
„ ſequitur in eo tantum illos fuiſſe hære-
„ ticos, quod modum, quo gratia volun-
„ tatem ad agendum permovet, non pro-
„ be caperent , nullam gratiam per ſe ef-
„ ficacem ad credendum neceſſariam eſſe
„ rati , & generalem tantum illam ver-
„ ſatilem , & cujus efficacia ex conſenſu
„ voluntatis tota pendeat, qualem Theo-
„ logi quidam recentiores propugnant ,
„ admitterent ; quod ſi ita eſt , ſequitur
„ in eo hæreticos fuiſſe Semipelagionos ,
„ quod aſſererent gratiam illam , quam
„ admittebant , talem eſſe cui poſſet hu-
„ mana voluntas reſiſtere vel obtempera-
„ re, quæ eſt ſecunda pars propoſitionis
„ damnatæ, in quam cadit nota hæreſeos.„

Ad ſecundam replicam idem ſic reſpon-
det ibidem : " Hæc inquam exceptio nul-
„ lius eſt momenti . Nam hæc propoſi-
„ tio in ſenſu Janſenii damnata eſt : qui
„ duos Semipelagianorum ordines diſtin-
„ guit & de altero ſolum aſſerit ipſos gra-
„ tiæ interioris prævenientis neceſſita-
„ tem ad ſingulos actus , etiam ad ini-
„ tium fidei admiſiſſe . Præterea ſenſus
„ Innocentianæ Conſtitutionis quoad ſe-
„ cundam partem eſt , nullos Semipelagia-
„ nos in eo hæreticos fuiſſe , quod gratiam
„ talem eſſe vellent, cui poſſet humana vo-
„ luntas reſiſtere vel obtemperare : Senſus
„ itaq; illius quoad priorem partem,eſt,nul-
„ los Semipelagianos gratiæ interioris præ-
„ venientis neceſſitatem ad initium fidei
„ admiſiſſe : unum enim ſequitur neceſ-
„ ſario ex altero . „

Ad tertiam replicam ibidem idem Theo-
logus facit ſatis; & ait : " Firmior non
„ eſt aliorum reſponſio . . . . iſtius reſpon-
„ ſionis vanitas inde diluceſcit quod Se-
„ mipelagianos hoc ſenſu negaſſe gratiam
„ prævenientem non pronuntiaverit In-
„ nocentius X. quod gratiam per ſe effi-
„ cacem negarent : cum potius in eo
„ non fuiſſe hæreticos aſſerat , quod vel-
„ lent eam gratiam talem eſſe , cui poſ-
„ ſet humana voluntas reſiſtere vel ob-
„ temperare,id eſt,conſenſu ſuo vel diſſen-
„ ſu efficacem , vel inefficacem reddere.„

SYNOPSIS PROBATIONUM,

S. Auguſtinus non propugnavit Semipelagianos admiſiſſe gratiam ad initium fidei & bonorum operum .

PRIMO, ubique arguit , quod virtutum ſemina in humana voluntate admitterent , & gratiam meritis naturæ dari contenderent . Has propter rationes eos debellat epiſt. 107. lib. de præd. SS. cap. 3. & alibi.

Secundo : Suffragantur SS. Proſper & Hilarius in ſua viciſſim ad S. Aug. epiſtola : Et hoc ultro patet ex ipſo Caſſiano col. 13. cap. 8. ubi ſic loquitur in perſona Abbatis Cremonæ: " Cum *Deus* , in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inſpexerit , illuminat eam confeſtim atque confortat . „

Tertio : Semipelagianos non admiſiſſe gratiam prævenientem ad ullum bonum opus , liquet ex quarta Janſenii propoſitione damnata . „

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Incaſſum contendit Janſenius Semipelagianos admiſiſſe gratiam ad initium fidei . In hoc ſicut in aliis permultis ſe prodit adverſarium S. Auguſtini, qui lib. de prædeſt. SS. & de dono perſeverantiæ ſuo perſtringit ſtylo cenſorio Semipelagianos , eo quod initium fidei & bonorum operum ab hominis voluntate in ſe relicta ducerent.

Secundo : Abſque fundamento nonnulli duas diſtinxerunt claſſes Semipelagianorum , quorum alii gratiam ad initium non quidem fidei , ſed aliorum bonorum operum admitterent , cum in hoc omnes conſociarentur, quod gratiam prævenientem , ne humanum læderetur arbitrium , ut falſo putabant exſufflarent .

ARTI-

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum ſanctus Auguſtinus crediderit Chriſtum mortuum eſſe, pro ſingulis hominibus?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

PROBATUR I. ex variis operibus in quibus id docet: in epiſt. 78. num. 7. tom. 2. ſerm. 6. num. 9. tom. 5. tract. 4. in Joan. num. 1. tom. 3. & in cap. 3. epiſt. ad Gal. num. 18. tom. 3. enarr. in Pſal. 95. num. 15. tom. 4. lib. 20. de civit cap. 6. num. 1. tom. 7. l. 2. de nupt. cap. 33. num. 55. & 56. tom. 10. ſerm. 344. num. 4. tom. 5. & hoc patet ex ſupra dictis cum probavimus Auguſtinum docere Deum velle ſincere omnes & ſingulos homines ſalvos fieri, & ipſius præcepta nulli eſſe impoſſibilia.

Probatur II. ex S. Proſpero ſententiæ B. Auguſtini interprete fideliſſimo. In Præf. ad objectiones Vincentianas refert Auguſtini hoſtes illi imputaſſe multa profana, & impia, ſed mendacia ſplendida; inter illa iſtud refert: "Quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus non pro hominum omnium ſalute & redemptione ſit paſſus." Igitur ex S. Proſpero eſt calumnia profana Auguſtino ab adverſariis impoſita, quod non crediderit Chriſtum mortuum eſſe pro ſingulis. Igitur Janſenius tanto Doctori imponit hanc illi imputando blaſphemiam.

Probatur III. ex principiis S. Doctoris, qui varia erga Chriſtum amoris motiva proponit in ipſius morte pro ſingulis hominibus fundata: Igitur S. Auguſtinus credidit & docuit Chriſtum eſſe pro omnibus & ſingulis hominibus mortuum.

Primum principium eſt, quod Chriſtus mortuus ſit pro illis omnibus qui mortui ſunt in Adam & moriuntur: ſic enim loquitur lib. 20. de civit. cap. 6. "Ait Apoſtolus: *Ergo omnes mortui ſunt & pro omnibus mortuus unus: ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit*. Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto ſive originalibus, ſive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo, nec faciendo quod juſtum eſt: & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus." Idem repetit lib. 6. contra Jul. cap. 4. explicans eumdem Apoſtoli locum: "Ex hoc probavit, *Apoſtolus*, omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. Impinguo, inculco, inſercio recuſanti. Accipe, ſalubre eſt, nolo moriaris: Unus pro omnibus eſt; ergo omnes morti ſunt. Vide quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt." Aug. igitur eodem modo concludit ac Apoſtolus, ſcilicet quod Chriſtus mortuus ſit pro omnibus, quia omnes mortui ſunt. Cæterum ſi non eſſet pro omnibus & ſingulis mortuus, non omnes vivere deberent pro Chriſto, quod eſt blaſphemia, & contra S. Aug. dictum; infert enim omnes debere pro Chriſto vivere, quia pro ſingulis ipſe mortuus eſt.

Secundum principium, quo S. Auguſtinus mortem Chriſti pro ſingulis hominibus probat, eſt, quod judicabit omnes homines tam Prædeſtinatos, quam reprobos; & hoc infert ex morte ipſius pro ſingulis: ſic enim loquitur in Pſal. 95. "*Judicabit orbem terrarum in æquitate*: non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet qui pro toto pretium dedit." Ergo ex Auguſtino Chriſtus mortuus eſt pro ſingulis. Unde in Pſal. 48. dicit eum ſic alloquuturum eſſe impios: "Ecce hominem quem crucifixiſtis, agnoſcitis latus quod pupugiſtis; quoniam & per vos & propter vos apertum eſt."

Tertium principium eſt, quod Chriſtus mortuus ſit pro multis qui de facto reprobati ſunt, quippe qui vel pro ipſis Judæis, quorum multi reprobati ſunt, & maxime Judas proditor, ſuum ſacrum fuderit ſanguinem, ita tract. 4. in Joan. ſic loquitur de illis: "Crucifixerunt Salvatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum." Et ſerm. 2. in Pſal. 68. Judas traditor .... non agnovit pretium, quo ipſe a Domino redemptus erat." Tum ſerm. 6. de verbis Dom. cap. 6. "Peribit, *inquit*, infirmus in tua ſcientia, quam te dicis habere; ut ſcias, quia nihil eſt idolum, & animo cogites Deum, & ſic recumbas in idolio. In hac ſcientia perit infirmus. Et ne contemnas infirmum, addidit: propter quem Chriſtus mortuus eſt. Quem vis contemnere pretium ipſius attende, &

cum

,, cum morte Chriſti totum mundum ap-
pende . ,, Sic explicat verba Apoſtoli cap.
14. ad Rom. *Non cibo tuo illum perdere, pro
quo Chriſtus mortuus eſt* . Igitur Chriſtus
mortuus eſt pro infirmis in fide : & perpe-
ram dicit Janſenius non mortuum, pro re-
probis ; concedit enim mortuum pro ju-
ſtis omnibus : quis autem ignorat multos
juſtos amiſiſſe gratiam , & pœnis donari
æternis , ut de Juda proditore conſtat;
vides Auguſtinum inde fugiendi ſcanda-
lum, motivum deducere, ex morte Chri-
ſti, quia nullo debet malo exemplo occi-
dere proximum , pro quo Chriſtus fudit
ſanguinem, ne tantus valor ſit caſſus.

Quartum principium eſt ; quod Chriſtus
mortuus ſit ita pro omnibus , ut ſinguli
poteſtatem habeant ab ipſo redimi quoad
ad conſummationem , id eſt , efficaciam
& executionem . Ita ſerm. 31. ubi ſic
habet : " Sanguis Domini tui, ſi vis, da-
,, tus eſt pro te : ſi nolueris eſſe , non eſt
,, datus pro te. Forte enim dicit : habuit
,, ſanguinem Deus meus , quo me redi-
,, meret : Sed jam cum paſſus eſt, totum
,, dedit . Quid illi remanſit , quod det
,, & pro me ? Hoc eſt magnum , quia ſe-
,, mel dedit , & pro omnibus dedit . San-
,, guis Chriſti volenti eſt ſalus, nolenti
,, ſupplicium . ,, Quibus verbis docet
pretium datum pro ſingulis , & noſtram
exigere cooperationem , ut nobis appli-
cetur fructus; unde tract. 12. in Joan. ſic
concludit : " Non enim miſit Deus Fi-
,, lium in mundum, ut judicet mundum,
,, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum : Er-
,, go quantum in me eſt dico ; ſanare
,, venit ægrotum . ,,

Quintum principium eſt , quamlibet ani-
mam tanti valoris eſſe, quanti eſt ſanguis
Chriſti ; ſic in Pſ. 95. loquitur : " Emit
,, orbem terrarum . Quæritis quid eme-
,, rit ? Videte quid dederit , & invenie-
,, tis quid emerit . Sanguis Chriſti , pre-
,, tium eſt . Tanti quid valet ? quid , niſi
,, totus orbis ? quid , niſi omnes gentes .
,, Rurſus ſerm. 112. de tempore cap. 8.
" Placet tibi homo ſervus tuus fidelis :
,, & tu non vis eſſe Deo ſervus fidelis ?
,, Attendis quia habes ſervum : attende
,, quia habes & Dominum . Servum tuum
,, potuiſti comparare , non creare : Do-
,, minus tuus & verbo ſuo creavit te,
,, & ſanguine ſuo redemit te . Si volui-
,, ſti tibi , recole pretium . ,, Et in Pſal.
,, 102. O anima erige te , tanti vales !
,, Certe Auguſtinus loquitur ad omnes
& ſingulos peccatores ; ſi autem ex ipſo
tanti valeat anima uniuſcujuſque , quan-
ti ponderat ſanguis Chriſti , profecto ef-
fuſus eſt pro ſingulis ex Aug.

Sextum principium : Ex S. Auguſtino ſin-
guli homines, nullis exceptis, agnoſcunt
in Symbolo, & profitentur Chriſtum Sal-
vatorem , & niſi mortuus ſit pro ſingu-
lis, ex eodem penitus evacuantur fides ,
ſpes & charitas : Primum docet lib. de
fide & Symb. cap. 4. " Addimus fidei re-
,, rum æternarum etiam temporalem diſ-
,, penſationem Domini noſtri, quam ge-
,, rere & miniſtrare nobis pro noſtra ſa-
,, lute dignatus eſt . ,, Addimus , intel-
lige Symbolo . Et ſerm. 195. de tempo-
re : " Credite eum pro noſtris peccatis
,, paſſum ſub Pontio Pilato , credite cru-
,, cifixum , credite mortuum & ſepul-
,, tum ; hæc omnia ſuſtinuit ut nos de
,, faucibus inferni liberaret . ,, De ſpe
lib. medit. cap. 14. ſic habet : " Omnis
,, ſpes & totius fiduciæ certitudo mihi
,, eſt in pretioſo ſanguine ejus, qui effu-
,, ſus eſt propter nos , & propter noſtram
,, ſalutem . ,, Tum in Pſal. 60. " Quia
,, paſſus , . . . factus eſt ſpes noſtra . ,,
Idem habet in Pſal. 148. de charit. tract.
2. in epiſt. 1. Joan. " Omnes illius ſimus
qui pro nobis mortuus eſt . ,, Et ſerm.
123. de tempore : " Ipſum cole , ipſum
,, dilige . . . . ſi tibi magnum & pre-
,, tioſum videtur , quod pro te Filius Dei
pependit in cruce . " Et ſerm. 5. ex no-
,, vis a Patre Syrmundo editis , citato a
,, Beda in 2. ad Cor. 5. Chriſtum ſic in-
troducit loquentem : " Sangine meo te
,, emi , addo morte mea te emi , quid
,, habes quod dicas , redde fidem Domi-
,, no tuo . ,, Igitur ex Aug. evaneſcunt
fides, ſpes, & charitas ; ſi Chriſtus non
ſit mortuus pro ſingulis , quia ſinguli non
tenerentur credere, ſperare in Chriſtum,
eumque amare , ſcilicet reprobi , quippe
qui nihil ab ipſo acciperent , quandoqui-
dem omnia Chriſti beneficia e Paſſione
ejus fluunt ad nos . Qualis conſequentia ;
& quis citra blaſphemiam horribilem pot-
eſt dicere , omnes non teneri in Chriſtum
credere ? &c.

Septimum principium eſt , quod Chriſtus
ſitiverit ſalutem omnium, etiam reprobo-
rum; ſic enim loquitur enarr. 2. in Pſ. 34.

Dixit

„ Dixit in cruce, *ſitio*, quid ſitiebat Chri-
„ ſtus, niſi bona opera noſtra in illis cru-
„ cifigentibus & perſequentibus, quia nul-
„ la bona opera invenerat, jejunabat. „ Rurſus ſerm. 1. in Pſal. 68. " Sitis ipſius „ erat, quando dixit mulieri, ſitio, da „ mihi bibere: fidem quippe ipſius ſitie- „ bat. Et de cruce cum diceret: Sitio; „ fidem illorum quærebat pro quibus di- „ xerat; Pater ignoſce illis quia neſciunt „ quid faciunt. „ Idem docet in Pſalm. 61. Sed qui dicit Chriſtum ſitire ſalutem omnium etiam perſecutorum, cenſet mortuum eſſe pro ſingulis: quandoquidem Chriſtus in cruce pendens hanc mirabilem explicavit ſitim: & conſequenter meritum ſuæ paſſionis pro omnibus & ſingulis: Ergo ex Auguſt.

Octavum principium eſt, quod Chriſtus oraverit pro ſingulis hominibus; ſic enim loquitur ſerm.4. de Sanctis: " Quando in „ cruce pendens orabat, videbat & prævidebat omnes inimicos, ſed multos ex „ illis futuros amicos prævidebat, & ideo „ omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæviebant, & ille orabat: illi dicebant Pilato: Crucifige; ille clamabat: Pater „ ignoſce. „ Nota Auguſt. dicere Chriſtum in cruce pendentem orare, & prævidere multos ex inimicis futuros eſſe amicos: Igitur ipſe orabat pro omnibus, & hoc apprime, quia quidam ad cor redierunt: idem dicit de verbo ad verbum tract. 1. in epiſtol. Joan. & ſerm. 59. de Verbis Domini cap. 111.

Sed ne Janſenius reponat verba S. Auguſt. intelligi ſolum de oratione Chriſti pro prædeſtinatis, ecce Auguſt. ſui ipſius interpres, quippe qui dicat Chriſtum etiam oraſſe pro illis inimicis, qui noluerunt ſe convertere; ſic enim loquitur ſerm. 1. in Pſalm. 68. " De cruce cum „ diceret, Sitio, fidem illorum quære- „ bat, pro quibus dixerat: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. „ Sed illi homines quid propinarunt ſitienti? Acetum: acetum enim vinum „ vetus dicitur, merito de vetere homine propinarunt, quia novi eſſe noluerunt: quare novi eſſe noluerunt? quia ad „ titulum pſalmi hujus, ubi ſcriptum eſt, „ pro his qui commutabantur non pertinuerunt. „ Igitur ex S. Auguſt. oravit etiam pro reprobis.

Nonum eſt, quod ex S. Auguſtino Chriſtus velit omnes homines ſalvos fieri, ut ex S. Doctore probavimus ſupra tract. de voluntate Dei. Igitur Chriſtus mortuus eſt pro omnibus ex Auguſt. quia voluntas de ſalute omnium fundatur in morte Domini.

Solvuntur objectiones Janſenii.

OBJICIT Janſenius Lib. 3. de grat. Chriſti, cap. 21. pag. 162. col. 1. Chriſtum eſſe quidem mortuum pro omnibus prædeſtinatis, ſed non pro aliis hoc ex profeſſo probat; reſpondens enim ad illud Catholicorum argumentum quod ſibi proponit his verbis: sed aliud argumentum „ pro gratia ſufficienti omnium proferri „ ſolet, quia Chriſtus eſt Redemptor „ omnium, juxta illud 1. ad Tim. 2. cap. „ *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*...... Reſpondetur, *inquit*, & „ hoc argumentum, ſicut omnia præcedentia jam olim ad nauſeam uſque a „ Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus „ inculcatum fuit. „ Deinde probat hoc intelligi non pro totius mundi ſalute, ſed ſolum pro prædeſtinatis, qui ſunt de mundo ſancto; ſcribit & ſic explicat illud 1. Joan. 1. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*: " Sic enim, *inquit*, „ pag. 163. col. 1. tradit diverſis locis „ Auguſt. tract. 87. in Joan. cum illa ver- „ ba exponeret: *Si de mundo eſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret*. Ita loquitur: *Univerſa utique hoc dicit Eccleſia, quam plerumque etiam ipſam, mundi nomine appellat*...... Illum ipſum locum S. Joannis exponens, quo Jeſus dicitur propitiatio pro peccatis totius mundi tractat. 1. in epiſt. Joan. *Quid eſt hoc*, inquit, *Fratres? Certe invenimus eam Eccleſiam in campis ſaltuum*.... Et tract. 5. in eamdem epiſtol. *Ecce habes Eccleſiam per totum mundum*.... *Mundus eſt plenitudo terræ, ſicut dixit ipſe Joannes, non ſolum autem noſtrorum propitiatio peccatorum &c.* Quibus loquelis, Iprenſis contendit Chriſtum eſſe mortuum dumtaxat pro electis.

Idem ibidem pag. 165. colum. 1. confirmat novis S. Auguſt. locis, & ſic proſequitur. In libris de civitate Dei, id quod Apoſtolus dicit: *Concluſit omnes in infidelitate, ut omnium miſereatur*; ad ſolos prædeſtinatos limitat: *Quid eſt omnium*, libr. 21. de

21. de civ. Dei cap. 14. *Et eorum ſcilicet quos ex gentibus , & eorum quos ex Judæis prædeſtinavit , vocavit , juſtificavit , non omnium hominum* ..... & exponens pro quibus Deus miſerit filium ſuum . Ergo & hic miſit Deus Filium ſuum , ſerm. 6. de verbis Apoſt. cap. 8. *Propter præſcitos & prædeſtinatos , vocandos , juſtificandos , glorificandos* . Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Et hæc omnia probant ſolum Chriſtum mortuum eſſe pro ſolis prædeſtinatis efficaciter & voluntate conſequenti , quæ exigit cooperationem quam nolunt dare reprobi , concedo : & probant Chriſtum non eſſe mortuum ſufficienter pro ſingulis , nego . Hoc patet ex omnibus principiis S. Auguſt. Unde tract. 1. in epiſtol. Joan. num. 9. tom. 3. ait de Chriſto : *Mortem ſempiternam ab illis expellebat prece miſericordiſſima* . Quod autem genuinus ſit hic S. Auguſt. ſenſus , patet ex eo quod in omnibus ferme operibus agat ſolum de gratia efficaci contra Pelagianos , ut in libris de prædeſtinatione Sanctorum & de dono perſeverantiæ , ut merita naturæ explodat contra Semipelagianos , de exaltatione gratiæ Chriſti ſuper gratiam Adami , unde ut iſta probet momenta , debet ſolum loqui de gratia efficaci , & de electis in quibus gratia eſt efficax , quique illi fideliter correſpondent . In aliis vero capitibus ſuam ſufficienter exponit mentem de morte Chriſti pro omnibus , quod ita luculenter facit , ut ſupra modum mirum ſit , Janſenium impugnaſſe contrarium .

Inſtat Janſenius ibid. pag. 165. col. 2. ex Auguſt. Chriſtus Dominus non eſt mortuus pro omnibus etiam ſufficienter : Ergo &c. Sic probat ſubſumptum . Pro omnibus Chriſtus non oravit ; in alio , inquit , tractatu in ſanctum Joannem 100. enucleans illum locum quo Chriſtus Patrem rogando dicit : *Ut mundus credat , quia tu me miſiſti* , tract. 1. cum præcedente comparans , *ecce qui dixerat : non pro mundo rogo , pro mundo rogat , ut credat , quoniam eſt mundus de quo ſcriptum eſt : Ne cum hoc mundo damnemur . Pro iſto mundo non rogat , neque enim quod ſit prædeſtinatus ignorat , & eſt mundus de quo ſcriptum : Non enim venit Filius hominis ut judicet mundum , ſed ut ſalvatur mundus per ipſum* ... Ecce , *inquit Janſenius* : “ Quam diſertis verbis „ iterum , iterumque tradit , non perire „ eum qui ſanguine Chriſti Redemptus „ eſt , non perire pro quo Chriſtus mortuus eſt , non rogare , pro mundo Chriſtum , qui ad damnationem prædeſtinatus eſt : Ergo &c.

Reſpondeo conſequentiam eſſe manifeſte contra fidem ; ſiquidem ex Scriptura Chriſtus oravit pro ipſis inimicis . Tum Joan. 17. pro eis qui erant credituri in ipſum , quorum multi certo reprobati ſunt .

Reſpondeo II. diſtinguendo conſequens : Chriſtus ex S. Auguſtino non rogavit pro mundo malo , id eſt , reprobi non habuerunt gratias efficaces ad perſeverantiam , quia poſuerunt obicem , & noluerunt parere mandatis , concedo : non promeruit illis gratias ſufficientes , nego . Quod autem hæc ſit mens S. Doctoris patet ex omnibus ſupra dictis , & ſerm. 382. num. 2. tom. 5. ubi poſt multa circa iſtud momentum probandum , concludit his verbis , *& ideo pro omnibus veniam poſtulabat* . Rem totam ſecundum ſenſum S. Auguſt. explicant Concilium Cariſſiacum & Tridentinum , cum dicunt Chriſtum ſanguinem fudiſſe pro omnibus , ſed non omnes percipere fructum paſſionis , & ut ipſe Auguſt. ſupra citatus dicit , quia nolunt ſe convertere .

Reponit Janſenius ibidem pag. 166. col. 1. & concludit Chriſtum non oraſſe pro reprobis , quia hoc fuiſſet inutile , eo quod omnes Chriſtus noverat : “ Ex quo , *inquit* , principio in ſancti Præſulis iſtius „ doctrina fluit , ut non ſolum a judice „ aut mediatore omnia præſciente , ſed „ etiam a nobis ipſis qui ſinceram omnibus proximis noſtris debemus ſalutis procurandæ charitatem , non magis Deum „ pro reprobatis , quam pro diabolo deprecandum eſſe pronuntiet ... Auguſt. „ ſecuriſſime tamquam de re ſibi certiſſima pronuntiantem audiamus . „ *Denique ſi de aliquibus ita Eccleſia certa eſſet , ut qui ſunt illi , etiam noſſet , qui licet adhuc in hac vita ſint conſtituti , tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo , tam pro eis non oraret , quam nec pro ipſo ; ſed quia de nullo certa eſt , orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis ſuis in hoc corpore conſtitutis , nec tamen pro omnibus exauditur . Pro his enim ſolis exauditur , qui etſi adverſantur Eccleſiæ , ita tamen ſunt prædeſtinati , ut pro eis exaudiatur Eccleſia , & Filii efficiantur Eccleſiæ* . Concludit ex hoc

Jan-

Janſenius Chriſtum oraſſe ſolum pro prædeſtinatis; Eccleſiam orare quidem pro omnibus, ſed quia neſcit quinam ſint prædeſtinati: Hoc ipſum iterum probare conatur ex alio Auguſt. loco lib. de corrept. & grat. cap. 15. his verbis: *Proinde quantum ad nos pertinet qui prædeſtinatos a non prædeſtinatis diſcernere non valemus, & ob hoc omnes ſalvos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda eſt a nobis medicinaliter ſevera correptio*: Ergo &c.

Reſpondeo I. negando Ant. Ad probationem diſtinguo: Et S. Auguſt. vult ſolum reprobos numquam fore ab inferno educendos meritis & oratione, tum Chriſti, tum Sanctorum, concedo: & vult Chriſtum non oraſſe pro reprobis, ſubdiſtinguo; oratione directa per decretum prædeſtinationis, concedo: quia præſciens eorum voluntates, prævidebat quod obicem ponerent gratiis oblatis ex merito ſuæ paſſionis: oratione directa per providentiam ſummi proviſoris, qui debet dare poſſe ſalvari omnibus & ſingulis, nego. Omnes auctoritates in probationibus adductæ hoc pluſquam ſufficienter probant.

Reſpondeo II. ſenſum B. Auguſt. de corrept. & grat. fuiſſe a Janſenio defloratum, namque S. Doctor ſolum ibi contra quoſdam, qui perverſe putabant, reprobos in ultimo judicio precibus Sanctorum ab inferno educendos, intendit probare hoc eſſe falſum, quod patet ex ipſius capitis titulo, qui ſic inſcribitur: *Contra eorum ſenſum, qui in judicio Dei omnibus reis propter Sanctorum preces putant eſſe parcendum*. Vult ergo ſolum S. Doctor, quod non erit miſericordia pro reprobis in ultimo judicio, & hoc confirmat exemplo Eccleſiæ quæ non oraret pro reprobis viventibus, ſi ſciret pertinaciter uſque ad finem in malitia permanſuros: Sed paritas non eſt omnimoda; dictum eſt enim ſupra proviſorem generalem debere orare pro omnibus, quia debet dare poſſe ſalvari omnibus, quippequi velit omnes & ſingulos ſalvos fieri.

Inſtat Janſenius: Auguſtinus libr. 1. de adult. conjug. cap. 15. ſic loquitur: *non omnis qui homo eſt, etiam ſanguine Chriſti redemptus eſt*. Et epiſtol. ad Vitalem 217. nu. 19. tom. 2. dicit quod multi non ſalventur, quia non vult Deus: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Non omnis homo redemptus eſt efficaciter, & conſummative defectu ſui, concedo: nam ex S. Auguſt. in probationibus citato, omnis habet poteſtatem ſalvum fieri ſi velit cooperari, unde dicit Apoſtolus Coloſ. 1. 24. *Adimpleo quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea*: Qui igitur non ſalvantur & redimuntur conſummative, eſt eorum culpa. Omnis homo non eſt redemptus ſufficienter, nego. Ad ſolutionem facilius intelligendam obſervandum eſt ly redemptum multipliciter ſumi. I. Aliquis dicitur redemptus pro quo Chriſtus aperuit cœlos, & obtinuit media ſufficientia ut poſſit ſalvari. II. Qui ad Chriſti fidem pervenit. III. Qui per gratiam a peccato & captivitate diaboli liberatus eſt. IV. Qui eſt prædeſtinatus. Primum modum docet S. Aug. libr. 6. contra Julianum cap. 4. Igitur ex ipſo Chriſtus omnes redemit ſufficienter. Secundum modum tradit, in Pſ. 65. & quartum in locis in objectione laudatis. Tertium exhibet S. Proſper in reſponſione prima ad objectiones Vincentianas.

Ad ſecundum S. Aug. locum diſtinguo: Multi non ſalvantur quia non vult Deus voluntate conſequenti, quæ attendit ad omnes circumſtantias, concedo: voluntate antecedenti, nego. Et hoc colligitur ex ipſo Aug. qui ſerm. 344. dicit, Ideo homines non ſalvari, quia nolunt.

Inſiſtit denique Janſenius, dicens, Chriſtum promeruiſſe reprobis, qui fidem acceperunt gratias tantummodo temporales, adeoque Chriſtum pro eis non fuiſſe mortuum. Ergo &c. Antecedens probat ex S. Auguſt. qui libro de corrept. & grat. cap. 9. num. 20. ſic loquitur: " Et ſunt „ rurſus quidam, qui Filii Dei propter „ ſuſceptam, vel temporaliter gratiam di- „ cuntur a nobis, nec ſunt tamen de quibus „ ait idem Joannes; *ex nobis exierunt, ſed* „ *non erant ex nobis, quod ſi fuiſſent ex nobis,* „ *permanſiſſent utique nob ſcum.* „ 1. Joan. 2. 19. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Chriſtus promeruit reprobis gratias tantummodo temporales, quatenus in gratia non perſeveraverunt, concedo: ita ut illæ gratiæ non eſſent ad eorum ſalutem ordinatæ, nego. Gratia duplici ſenſu temporalis dici poteſt; primo ſi detur ſolummodo pro compenſatione quorumdam bonorum operum in fide & per fidem factorum, ſed abſque ullo

ullo ad ſalutem ordine, ita ut a Deo volente ſalutem non profluant: Altero vero ſenſu gratia temporalis nuncupatur, quum in ea homo ſua culpa non perſeverat, tametſi & Deo volente ſalutem, & a Chriſto ad hunc habendum effectum mortuo promanet. Janſenius, & ante ipſum Calvinus, contendunt gratias reprobis viatoribus collatas eſſe in primo prorſus ſenſu temporales. Sed quantum hic ſenſus ſit a genuino S. Auguſt. alienus, luce clarius apparet, maxime ex duobus. Primo, quia S. Doctor docet Deum velle omnes & ſingolos homines ſalvos fieri, & hoc eadem prorſus voluntate generali, ita ut, inquit, hoc non obſtante damnentur qui male libero utuntur arbitrio; e contra vero ſalvantur qui bene. Secundo, in loco pro objectione laudato agit ex profeſſo de perſeverantia finali, & hoc unum affert inter electos, & reprobos diſcrimen, quod illi in bono cœpto & gratia perſeverent, e contra vero alii. Gratiam autem pro omnibus, ab eodem Chriſto Mediatore omnium Salvatore promanare ubique docet: Si igitur omnium Mediator, omnibus gratiam promeruit ad ſalutem, ſin minus incaſſum diceretur omnium fidejuſſor & Salvator. Audiamus S. Auguſt. nunc docentem, & ſui ipſius interpretem; ſic loquitur lib. 1. de ſpirit. & litt. cap. 33. num. 58. " Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes juſtiſſime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt. " Certe ſi nollet Deus reprobos ſalvos fieri, contra voluntatem Dei non facerent quum peccant, & reprobantur, quia Deus nullam in hypotheſi Janſeniana habet ſinceram de eorum ſalute voluntatem.

Alterum prodit ſenſum S. Auguſt. libro de corrept. & grat. ex quo excerpta eſt Janſenii objectio: Ibidem ſeſe explicat, his verbis: " Neque enim ait, *Joannes*; nam ſi fuiſſent ex nobis, veram, non fictam juſtitiam tenuiſſent utique nobiſcum: Sed, *ſi fuiſſent*, inquit, *ex nobis permanſiſſent utique nobiſcum*. In bono illos volebat procul-dubio permanere, erant itaque in bono, ſed quia in bono non permanſerunt, id eſt, non uſque in finem perſeveraverunt, non erant, inquit, ex nobis. " Audis benevole Lector, Auguſt. præmatura definitione opinionem Janſenii perſtringentem *in bono illos volebat proculdubio permanere*. Deus ex S. Præſule vult reprobos in bono permanere. Igitur vult ſincere eorum ſalutem, & ad hunc obtinendum finem dedit eis gratias, quæ eorum tantum culpa eatenus fuere ſolum temporales, quatenus ipſi in bono noluerunt perſeverare.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Auguſtinus propugnat Chriſtum eſſe mortuum pro ſingulis hominibus.

PRIMO: Hoc ipſum paſſim in ſuis operibus docet. Nimirum epiſtol. 78. num. 7. ſerm. 6. num. 9. tract. 4. in Joan. &c.

Secundo: Hoc utique ejus principia innuunt, quippe qui propugnet Chriſtum eſſe mortuum pro iis omnibus. I. Qui in Adamo mortui ſunt, Lib. 20. de civ. cap. 6. II. Quos in fine ſæculorum judicabit: in Pſalm. 25. III. Pro ipſis reprobis: ſerm. 2. in Pſalm. 68. &c.

Tertio: Eccleſia ſic de Doctrina S. Præſulis judicavit; nec ullus præter Calvinum, Lutherum, & Janſenium contrariam ei affinxit opinionem.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non ſine temeritate dicit Janſenius dogma de morte Chriſti pro ſingulis, eſſe Pelagianum, cum Eccleſia ſic ſemper crediderit: Incaſſum pro ſua opinione erronea adducit in probationem alios S. Auguſt. textus, in quibus S. Doctor ait Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum, cum in his & ſimilibus locis loquatur de voluntate conſequente Chriſti, qui ad omnes attendens circumſtantias, non vult impœnitentes reduplicative ut tales ſalvari: nihil quippe coinquinatum intrat in regnum cœlorum.

Secundo: In vanum utique laborat Iprenſis, dicendo, Chriſtum non oraſſe pro ſingulis, eo quod, ut contendit, inutile fuiſſet pro reprobis preces fundere; quia enim Chriſtus eſt omnium Mediator, voluit de mediis ſufficientibus providere, ut

omnes

Digitized by Google

omnes & ſinguli poſſent ſalvari; hinc Auguſtinus Lib. de ſpiritu & litt. cap. 33. ait Chriſtum Deum velle voluntate antecedenti ſingulos ſalvari, ita tamen quod ſinguli ad nutum bonum, vel malum eligere queant.

Tertio: Gratis objicit Janſenius Chriſtum gratias non niſi temporales, teſte Aug. lib. de corr. & gr. c. 9. promeruiſſe; hoc enim perverſe deducit ex textu S. Præſulis, qui eo loci non de quacumque gratia, ſed ſolum de dono perſeverantiæ loquitur, dicendo reprobos exire de Chriſti grege, & in eo non permanere, juxta illud 1. Joan. 2. *Ex nobis exierunt*. Cæterum, ſi gratiæ reprobis conceſſæ pœnes durationem ſpectentur, eatenus temporales poſſunt appellari, quatenus eas ad tempus habuerint; ſi vero ſecundum finem propter quem datæ ſunt, non temporales ſane in ſenſu Janſenii ſunt, ſed ad vitam æternam aſſequendam ordinatæ.

CONTROVERSIA QUARTA.

De extenſione Gratiæ ſufficientis.

JANSENIUS negat ex profeſſo in toto ſuo opere gratiam ſufficientem pro præſenti ſtatu, illamque rejicit ad ſtatum innocentiæ primi hominis. Ex hoc principio varias & quidem erroneas deducit concluſiones, nempe præcepta Dei eſſe impoſſibilia & infidelibus, & peccatoribus, immo & iuſtis conantibus: ſed contra id quod dicitur Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Dogma extenſionis gratiæ ſufficientis quinque momentis comprobatur.

Primo: Quia datur gratia ſufficiens juſtis ut bonum operentur, & in eo perſeverent.

Secundo: Quia peccatoribus conceditur, ut a peccatis reſurgant, & præcepta valeant adimplere.

Tertio: Quia nec ipſi ea prorſus defraudantur obdurati ut ad meliorem frugem redeant.

Quarto: Neque vero ea carent Judæi, nec in veteri Lege caruerunt.

Quinto: Aſtruitur quoque, vel pro ipſis Infidelibus.

Sexto: Ad pueros uſque, qui ſecluſo Baptiſmo e vita migrant, quodammodo extenditur.

ARTICULUS PRIMUS.

Num gratia ſufficiens adſit juſtis, tum ad vincendas graviores tentationes, tum ad bonum, urgente præcepto, operandum & malum præcavendum, tum etiam ad perſeverandum in bono?

EX dictis de neceſſitate gratiæ, & de poſſibilitate mandatorum, & de tentationibus quantumvis ſævientibus debellandis, immo & in concurſu delectationis terrenæ exæſtuantis, ſuperandis, facile conjicitur gratiam ſemper adeſſe iuſtis pro his omnibus; quia tamen hoc Janſenius impugnavit, aſſerendo gratiam ſufficientem nonnumquam deeſſe illis ad præcepta adimplenda, quando delectatio terreſtris exuberat; ne remaneat aliquis circa iſtud momentum ſcrupulus, quæſtionem poſtrema hac vice movemus & ſolvimus.

Quidam inter Theologos tot quæſtiones inſtituunt, quot numerantur in titulo partes: Quia tamen probationes cuiuslibet quæſiti in idem coincidunt, ne repetita diſpliceant, & etiam claritatis ac brevitatis gratia, cuncta ſimul tractare non iniucundum erit.

CONCLUSIO.

Gratia ſufficiens adeſt omnibus iuſtis, qua poſſint & quamlibet ſuperare concupiſcentiam, & ſicut operari bonum, ſic & præcavere malum urgente præcepto, ac demum in bono coepto perſeverare.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura ſacra.

Ex Libris Pſalmorum.

HABETUR Pſalm. 36. 24. de juſto. *Cum ceciderit, non collidetur; quia Dominus ſupponit manum ſuam . . . Non vidi juſtum derelictum*. Rurſus Pſal. 90. *Dices Domino: ſuſceptor meus es tu . . . Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te*

te in omnibus viis tuis . . . . Protegum eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripium eum & glorificubo eum. Rurſus Pſalm. 54. 23. *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem juſto.*

Ex his ſequitur iſtud argumentum. Qui non colliditur ad lapſum innato infirmitatis impetu declinans, quia Deus ſupponit manum ſuam, quæ eſt ipſa gratia præveniens & adjuvans: qui cuſtoditur ne hoſtium inſidiis ſuccumbat, & ab imminenti peccati tribulatione eruitur: qui habet Deum cuſtodem ſimul & protectorem ne in æternum inter tentationis impetus fluctuet, dubio-procul habet gratiam ſufficientem, qua adjuvante, delectatione terrena exuberante, non configitur: qua illuminante & inſpirante ab hoſtium laqueis eripi poteſt: qua demum cibante & nutriente, urgente præcepto, non fluctuat, ſed in bono poteſt perſeverare: Atqui ex Scripturæ textibus modo laudatis, juſtus iis omnibus beneficiis donatur. Igitur habet gratiam ſufficientem ad &c.

Ex libris Sapientialibus.

SCRIPTUM eſt 1. Prov. 1. *Convertimini ud correptionem meam: En proferam vobis Spiritum meum, & oſtendam vobis verba mea.* 2. Sap. 12. 1. *O quam bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis; & de quibus peccunt, udmones & alloqueris, ut relicta malitia, credunt in te, Domine.* 3. Ibidem: *Dans tempus & locum, per quæ poſſent mutari u malitia.*

Jum hæc ſequitur probatio: Qui habent paratum ſemper auxilium ad converſionem, & ut audiant verba Dei; qui admonentur dum, aut deficiunt, aut ad deficiendum commoventur; qui ſtare, & malum præcavere, & bonum operari poſſunt, habent gratiam ſufficientem: Atqui ex Scriptura mox adducta & laudata, talis eſt juſti conditio, maxime cum Sap. 12. 13. legatur: *Non eſt ulius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus, ut oſtendas quoniam non injuſte judicus judicium*: Ergo &c.

Ex libris Prophetalibus.

ISAIÆ 3. *Dicite juſto quoniam bene.* Rurſus cap. 5. 4. Deus ſic loquitur: *Quid eſt quod debui ultru facere vinea mea & non feci?* Jerem. 30. *Applicabo eum, & uccedet ad me.* Ezech. 33. 10. *Sic locuti eſtis, dicentes: iniquitates noſtra & peccuta noſtru ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus; quomodo ergo vivere poterimus? Dic ud eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: Nolo mortem impii, ſed ut convertutur impius u via ſua, & vivat.*

Certe ſi Deus quidquid pro creatura debebat facere, fecit: ſi eam applicat ut accedat ad ſe: ſi nolit mortem peccatoris, ſed magis ut vivat, argumentum eſt, omnia requiſita dare juſtis, & ut præcepta relative ad quamcumque concupiſcentiam exuberantem adimplere queant, & ut in bono poſſint perdurare: Atqui rem ſic contingere annuntiant Prophetæ: Ergo &c.

Ex Evangeliſtis.

CHRISTUS ſic loquitur 1. Matth. 11. 28. *Venite ud me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* 2. Luc. 11. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate & aperietur vobis . . . . ſi ergo vos cum ſitis muli, noſtis bona datu dare filiis veſtris: quanto mugis Pater veſter de cælo dubit Spiritum bonum petentibus ſe?* 3. Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Sed reficere laborantes eſt dare illis auxilia, quibus poſſint peccatorum ſarcinas, vel excutere, vel vitare: Sed invenire quod quærimus eſt habere gratiam, quæ poſſe mandata ſervare & in bono perſeverare exhibet: Sed illuminari interius, eſt omne bonum poſſe, ut hanc explanando ſententiam lib. 1. de Geneſ. contra Manich. dicit Auguſtinus his verbis: “ Omnes homines poſſunt ſi velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum. „ Ergo &c.

Ex Epiſtolis.

INITIUM ducimus ab Epiſtola 2. D. Petri 3. 9. in qua ſic loquitur: *Non tardus De-*

Digitized by Google

Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: Sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.

Concinit S. Paulus 1. Tim. 24. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Dic quæſo, numquid nollet Deus aliquos perire, ſi gratiam denegaret juſtis, etiam conantibus? ut non ſine ſcandalo docet Janſenius, ut præcepta poſſint adimplere; namque omiſſa mandatorum obſervatione, quilibet perit: Num Deus vellet omnes homines ſalvos fieri, ſi juſtus, exardeſcente concupiſcentia, nec præcavere peccata, nec bonum operari, nec in cœpto perdurare valeat? Ergo &c.

Celeberrimum eſt ad eamdem veritatem confirmandam illud 1. Cor. 10. 13. oraculum: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Mirum eſt quantum iſte textus cruciat & Janſenium; ſed ut ab illo ſe expediat in adulterinum ſenſum ſic detorquere non erubeſcit, ut dicat auctoritatem intelligi ſolum de prædeſtinatis qui finaliter in bono perſeverant: Sed Vulgata noſtra, neque ipſum Græcum legunt, *ut poſſitis perſeverare*, ſed *ſuſtinere*. Quid plura! ex antecedentibus liquet Apoſtolum loqui indiſcriminatim de omnibus, maxime de juſtis qui poſſunt a juſtitia excidere & reprobari; ait enim: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat niſi humana: fidelis autem Deus eſt &c.*

Sed ut os iniqua loquens occludatur, habemus S. Th. interpretem, & in ipſo S. Auguſt. quem non ſemel in probationem ſuæ explicationis, quæ eſt concluſio noſtra, adducit. Sic loquitur comm. in c. 10. 1. ad Cor. lect. 3. " *Fidelis Deus*. „ Oſtendit paratum adjutorium in tentatione. Ubi commendat Deum adjutorem, qui dat nobis reſiſtendi potentiam, quod notatur ibi: *Sed faciet cum tentatione &c.* Perſeverantiam, quod notatur ibi, *ut poſſitis ſuſtinere*. Vere fidelis Deus, qui dat potentiam ne vincamur; gratiam ut mereamur, conſtantiam ut vincamus. Dicit ergo *Fidelis*, & quaſi diceret, vos ad hoc hortor, & moneo, quod poteſtis. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: quod utique poſſet diabolus, ſi permitteretur, quia non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei comparatur. Job. 41. Iſa. 40. dat laſſo virtutem. Ideo Jacob. 1. omne gaudium exiſtimate fratres cum in varias tentationes incideritis. Auguſtinus: Qui dat diabolo tentandi licentiam, ipſe dat tentatis miſericordiam. *Proventum*, inquam, *ut poſſitis ſuſtinere*, ne deficiatis in lucta; ſed vincatis, quod fit per humilitatem, ut dicit Auguſtinus. „

Habemus ipſam Synodum Tridentinam ſententiæ Apoſtoli interpretem, quippe quæ de fide definiat neminem ſupra id quod poteſt, tentari; ſic loquitur ſeſſ. 24. can. 9. *Si quis dixerit, clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares, caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum; anathema ſit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus, tentari.*

Secundo, ex Conciliis.

Agmen ducet Concilium Arauſicanum II. docens juſtos donari auxiliis quibus poſſint in juſtitia nedum perſeverare, ſed & in ea proficere: ſic habet can. 25. *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare animæ voluerint, adimplere.* Qua quidem definitione ruit prorſus ſyſtema Janſenii dicentis gratiam ſufficientem nonnumquam deeſſe juſtis qua præcepta poſſibilia eis evadant.

Egregia dicit ad hanc confirmandam doctrinam cæleſtem Concilium Milevitanum II. canon. 3. ubi ſic pronuntiat. *Placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, in qua juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit*: Certe nemo cordatus dixerit juſtum obſervatione mandatorum non præcavere peccata: Sed ex Concilio

Digitized by Google

cilio juſtificatus recipit auxilia quibus peccata declinet : Igitur eo ipſo quo poteſt ea vitare, habet gratiam ſufficientem qua poſſit in concurſu cujuſcumque delectationis relative exuberantis ſervare legem ; nullam enim faciunt exceptionem Concilia ; neque vero diſtinguunt inter tentationem levem & gravem ; inter concupiſcentiam majorem, vel minorem, ſed univerſim definiunt mandata eſſe juſtis poſſibilia, & gratiis neceſſariis ad legem adimplendam adjuvari.

Audiendum eſt de eodem momento Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. ubi multa dicit quibus mirum in modum aſtruitur noſtra concluſio. Primo docet mandata Dei eſſe omnibus poſſibilia. Tum de juſtis ſermonem inſtituens, ait: " Propterea Apo„ ſtolus ipſe monet juſtificatos, dicens : „ neſcitis, quod ii qui in ſtadio currunt, „ omnes quidem currunt, ſed unus acci„ pit bravium: ſic currite ut comprehen„ datis . . . . Item princeps Apoſtolo„ rum Petrus : Satagite, ut per bona „ opera certam veſtram vocationem, & „ electionem faciatis. „ Profecto ſi, exuberante delectatione terrena, relative impoſſibile ſit mandata obſervare, incaſſum adhortatur fideles S. Petrus ut per bona opera certam faciant electionem ſuam, quod tamen, premente tentatione, reſiſtendo faciendum incumbit. Fruſtra præcipit currere in ſtadio Apoſtolus, & tamen currendum eſt tempore afflictionis, dicente Propheta Pſ. 15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt*. Igitur doctrina Janſenii per omnia Conciliorum definitionibus adverſatur.

Rurſus cap. 13. ſuum ad juſtificatos dirigit ſermonem Concilium, eiſque jubet bonis vacare operibus, ut in juſtitia accepta perſeverent, quod quidem ſine gratia præveniente fieri nequit ; immo ex ſacra Synodo, vel ipſa efficax illis non deeſt, niſi ipſi Deum deſerant, & ipſi reſiſtant: " Nemo ſibi, *ait*, certi aliquid „ abſoluta certitudine polliceatur : ta„ metſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem „ collocare, & reponere omnes debent. „ Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ de„ fuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita „ perficiet, operans velle & perficere. „ Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, „ videant ne cadant ; & cum timore ac „ tremore ſalutem ſuam operentur in la„ boribus, in vigiliis, in eleemoſynis ; „ in orationibus, & oblationibus, in je„ juniis & caſtitate. „

Hæc ſententia ex S. Auguſtino ut a primigenio fonte emanat : ſic loquitur libr. de natur. & grat. cap. 26. num. 29. " Ipſe autem Deus cum per Me„ diatorem Dei & hominum hominem „ Jeſum Chriſtum, ſpiritualiter ſanat „ ægrum, vel vivificat mortuum, id „ eſt juſtificat impium, & cum ad per„ fectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfe„ ctam vitam juſtitiamque perduxerit, „ non deſerit ſi non deſeratur, ut pie „ ſemper iuſteque vivatur. „

Tertio, ex SS. Patribus.

Sanctus Leo, Serm. 16. de paſſ. Dom. cap. 6. ait : " Nihil habemus niſi quod „ accepimus, & iugiter admonemur, ut „ dona gratiæ Dei non negligenter ha„ beamus : Juſte enim nobis inſtat præ„ cepto qui præcurrit auxilio. „

Concinit Gregorius Magnus libr. 9. Moral. cap. 25. " Pius conditor flagella „ moderatur ne virtutem pœna tranſ„ eat, & per aſtutiam fortium huma„ na infirmitas excedat. Unde & bene „ per Paulum dicit, Fidelis autem Deus „ & . . . . ſi menſuram judex tenta„ tionibus non præbet, eo ipſo protinus „ ſtantem dejicit, quo ultra vires onera „ imponit. „ Audis magnum Pontificem præoccupata ſententia, Janſenii doctrinam anathemate percellere, quia ex Sancto Doctore ſi deſit gratia ſufficiens, tum ad implenda mandata, tum ad reſiſtendum ſtimulis carnis ſupra modum colaphizantibus, vel ipſe legiſlator qui jubet prælium, militem debellantem dejicit, & conquaſſat. Qualis conſequentia ? Horribilis ſane, & tamen ut concluſio neceſſaria ad primam Iprenſis propoſitionem conſequitur.

Quarto, ex SS. Auguſtino & Thoma.

S. AUGUSTINUS inter omnes aſſertor veritatis exiſtit, ut liquet ex infinitis prope locis jamjam contra propoſitiones Janſenii adductis ; quædam tamen loca momentoſa impræſentiarum texere non pigebit. Lib. de fide contra Manichæos c. 1. ait : " Quis non clamet ſtultum eſſe præ„ cepta

„ cepta dare ei, cui liberum non eſt quod „ præcipitur facere, & iniquum eſſe Deum, eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere. „ Rurſus in Pſal. 39. “ Qui habuit tui curam antequam „ eſſes, quomodo non habebit curam, „ cum jam hoc es, quod voluit ut eſſes; „ jam enim fidelis es, jam ambulas in „ via juſtitiæ: curam tui non habebit. „ Ex S. Doctore I. Stultum eſt dicere Deum præcipere impoſſibilia. II. Hoc ipſum eſſe contra ejus fidelitatem. III. Suam providentiam, quæ juſtum creavit, exigere ut Deus curam habeat hominis qui ejus gratia recreatur, ut poſſit in via juſtitiæ ambulare.

Non omittendus pro iſto momento textus aureus S. Præſulis. Legitur libr. de corrept. & grat. cap. 7. nu. 11. “ Nemo „ liberatur, *ait*, a damnatione quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem Jeſu „ Chriſti; & tamen ab hac damnatione „ non ſe liberabunt qui poterunt dicere, „ non ſe audiſſe Evangelium Chriſti, cum „ fides ex auditu ſit: quanto minus ſe liberabunt qui dicturi ſunt: perſeverantiam non accepimus. Juſtior enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quam dicentium, non „ accepimus perſeverantiam: quoniam poteſt dici, Homo, in eo quod audieras „ & tenueras, IN EO PERSEVERARES „ SI VELLES, „ Audis S. Doctorem nedum pro juſtis, ſed & pro peccatoribus agnoſcere & prædicare gratiam ſufficientem, qua & bonis operibus inſudare, & in bono cœpto perdurare queant.

Quidam in manuſcriptis poſuerunt Arnaldum hanc S. Auguſt. lectionem exhibuiſſe: *Perſeverares ſi velles*; ſcilicet Deus: verum in ſua Analytica Synopſi libri de corrept. & grat. Gallico idiomate conſcripta, habetur aliter, nimirum, *perſeverares ſi voluntatem in bono perſeverantem haberes per gratiam a ſe efficacem; aut ſi cognitioni quam habes, o juſte, de bono faciendo, adjungeres & conſtantem volitionem ipſius boni exequendi:* vel tandem. *Si eadem voluntas qua huc uſque perſeveraſti, maneret ac perſeveraret*. Quidquid ſit de prima interpretatione, eam ſuo loco confutavimus, nam editio Benedictina juxta vetuſtiſſimos codices facta, habet, *perſeverares ſi velles*. Poſterior ſe ipſam deſtruit, quippe quæ meram complectatur battalogiam. Quid plura? Hæc a ſenſu Auguſt. prorſus ſecedit, cujus ſcopus eſt compeſcere Monachos obſtrepentes, qui efficaciæ gratiæ plus æquo ſic tribuebant, ut crederent ejus defectu præcepta eſſe impoſſibilia, tum inutilem prorſus correptionem eſſe & evadere, quos quidem ad Leges obedientiæ adducere conatur S. Præſul, dicendo quod licet gratia efficax non detur indiſcriminatim omnibus, adeſſe tamen ſemper ſufficientem qua poſſint & bonum facere, & in ipſo perſeverare, immo & ipſam efficacem, ſi non reſiſtant, advocare.

Doctor Angelicus ſuum addit tantæ veritati calculum; ſic enim loquitur lect. 1. in cap. 1. Epiſtol. 1. ad Cor. “ Debe„ tis ſperare, quia Deus eſt fidelis..... „ Non autem videretur eſſe fidelis, ſi „ nos vocaret ad ſocietatem Filii, & no„ bis denegaret, quantum in ipſo eſt, ea „ per quæ pervenire ad eum poſſemus, „ unde Joſue 1. dicit: Non te deſeram, „ neque derelinquam. „

Rurſus: 1. p. qu. 52. artic. 6. ad 3. “ „ Homines quamdiu vivunt poſſunt ad fi„ dem & charitatem converti: quia in „ hac vita non ſunt homines confirmati „ in bono vel malo. „ Igitur omnes homines, maxime juſti habent gratiam ſufficientem ad præcepta adimplenda, cum ex S. Thoma quamdiu vivunt, ſicut malum ſic & bonum operari valeant.

Quinto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA: Deus proponit mandatorum executionem ad meritum & vitam: Sed fruſtra id faceret, ſi gratia qua adimpleri poſſunt, deeſſet: Igitur non deeſt juſtis ad hunc effectum. Iſta ratio eſt S. Hieronymi in cap. S. Matth. ubi ſic loquitur: “ „ Multi præcepta Dei imbecillitate ſua „ non Sanctorum viribus æſtimantes, „ putant eſſe impoſſibilia quæ præcepta „ ſunt, & dicunt ſufficere virtutibus „ non odiſſe inimicos; cæterum diligere „ plus præcipi, quam humana natura pa„ tiatur. Sciendum eſt ergo Chriſtum „ non impoſſibilia præcipere. „ Suffragatur S. Chryſoſt. homil. 8. de pœnit. “ „ Nequaquam, *ait*, Dominum incuſes, „ haud mandat impoſſibilia. „

Altera: Deus nihil denegat amicis, maxime ſi ea quæ exigunt ad ſuam ſpectent feli-

ſelicitatem , cum hoc ad amicitiam conſequatur : Sed juſti ſunt amici Dei, dicente Apoſtolo Epheſ. 1. *Jam non eſtis hoſpites & advenæ : ſed eſtis cives Sanctorum & domeſtici Dei*. Ergo &c.

Tertia: Qui habent jus ad hæreditatem ut filii , a Patre debent accipere media, quibus poſſint ejus , in mandatis quæ præcipit , adimplere voluntatem , ut eam poſſideant : Sed juſti ſunt Filii Dei, & ejus hæredes juxta illud Rom. 8. 17. *Si Filii & hæredes : hæredes quidem Dei , cohæredes autem Chriſti*. Ergo &c.

Quarta : Sacramenta ſuſcepta dant jus ad auxilia habenda tempore quo urget præceptum , ut poſſit adimpleri : Ergo &c.

Diluuntur objecta Janſenii .

OBJICIT : Iſta verba, Deus impoſſibilia non jubet , I. Eſſe Pelagianorum dogma , II. Hanc ſententiam non intelligendam eſſe de homine lapſo, qui propter peccatum originale non ſecus ac ebrius benefaciendi impoſſibilitatem incurrit ; ipſi tamen imputari peccatum tranſgreſſionis mandati , ſicut juramentum in ebrietate præviſa & volita inducit reatum culpæ & pœnæ. Sic propugnare videtur S. Thomas quæſt. 16. de malo art. 5. ad 11. his verbis : " Dicendum , quod ſicut ebrius tenetur non peccare, non quidem conſiderato præſenti ſtatu , ſed conſiderata ebrietatis voluntaria cauſa , ſecundum quam imputatur ei aliquid ad culpam; ita etiam poteſt intelligi , quod diabolus tenetur converti ad Deum , quamvis ei ſit impoſſibile ſecundum præſentem ſtatum, quia in hunc ſtatum ex voluntaria cauſa devenit . " III. Fruſtra S. Auguſt. in hypotheſi gratiæ ſufficientis ad poſſibilitatem mandatorum ſtatuendam libr. 12. de civitate cap. 6. recurrere ad inſcrutabilia Dei judicia pro reſolutione quæſtionis , cur ex duobus æqualiter circa objectum illicitum affectis , unus cedat tentationi, alter vero non; cito enim aderit reſponſum : uterque poterat bonum operari , ſed unus gratiæ ad caſtitatem ſervandam reſtitit, & noluit . Igitur non eſt neceſſe admittere mandatorum poſſibilitatem , ut homo peccet , & reus evadat .

Reſpondeo, Has & ſimiles objectiones ex dictis in prioribus articulis manere ſolutas , & conſequentiam eſſe erroneam , cum prohibeat Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. vel etiam hoc nominari : " Nemo , *ait* , temeraria illa , & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. " Jam argumentis Janſenii faciendum eſt ſatis.

Ad primum : Pelagiani non erant hæretici in eo quod negarent mandata Dei eſſe impoſſibilia; verum potius quia evacuando Chriſti gratiam , viribus naturæ prædicarent poſſibilia : ſolutio eſt D. Auguſtin. libr. de prædeſt. SS. cap. 13. " Ipſi putant , *inquit* , acceptis præceptis , jam per noſmetipſos fieri liberæ voluntatis arbitrio ſanctos & immaculatos . "

Ad ſecundum nego, ſententiam hominem lapſum non ſpectare , cum Deus Deut. 3. ad ipſos Judæos peccatores ſuum dirigat ſermonem , his verbis : *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie , non ſupra eſt*.

Ad exemplum ebrii, nego paritatem : ſi enim aliquis ſciens ſe ebrietate captum jurare , & tamen voluntarie in ebrietatem prolabatur , cenſetur voluiſſe juramentum , hinc duplicis peccati , videlicet ebrietatis & juramenti reus eſt : Non ſic qui in peccato conceptus eſt , quippequi involuntarie contrahat & peccatum originale , & fomitem ad actuale inclinantem ; unde donec accedat voluntarius per modum electionis conſenſus non peccaret tranſgrediendo præceptum .

Reſponſio colligitur ex S. Thoma qui 2. 2. quæſtion. 150. articul. 4. ait , inceſtum quem Loth commiſit non habuiſſe malitiam ab ebrietate diſtinctam , quippequi non fuerit in cauſa ſeu a cauſa volitus . Facilis eſt utique ad exemplum diaboli reſponſio ; non enim ait , diabolum *teneri converti ad Deum* , cum ſit in malo confirmatus , & *hoc ei*, inquit , *ſit impoſſibile ſecundum præſentem ſtatum*, ſed vult ſolum non debuiſſe peccare , ſicut ebrius ebrietatem præcavere debebat.

Ad tertium recte S. Auguſtinus ad inſcrutabilia Dei judicia recurrit pro dubii reſolutione. Primo libertatem indifferentiæ aſtruendo : tum dicendo unum ceſſiſſe tentationi , quia noluit caſtitati adhærere , alterum vero voluiſſe . Cur vero

pares

pares in gratia ſufficiente & in iiſdem circumſtantiis Ambo non eligant bonum, & unus gratiæ reſiſtat, recte confugit ad judicia Dei, quæ teſte Propheta Pſal. 35. *Abyſſus multa*, ſunt.

Inſtat Iprenſis: Joan. 6. 43. habetur: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum* .... V. 66. *Niſi fuerit ei datum de cœlo*. Rurſus Joan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*. Et iſtud Apoſtoli Roman. 8. 14. *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*: Sed hæc omnia, inquit, denotant gratiam admodum efficacem ad mandatum obſervandum, quæ cum deficiat quandoque & juſtis, dicendum eſt conſequenter, quædam mandata eis nonnumquam eſſe impoſſibilia, maxime quia Bellarminus, lib. 2. de grat. & libero arbitr. cap. 12. docet ea loca non niſi de gratia efficaci eſſe intelligenda. Confirmatur: ſic eam interpretantur Scripturam Concilia: ut Africanum epiſtol. Synod. ad Innocentium. I. dicens per gratiam homo: " A carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur. " Milevitanum II. can. 4. " Per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus. " Tridentinum ſeſſ. 6. can. 22. *Si quis dixerit, juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe; anathema ſit*. Dubio-procul omnes iſtæ definitiones ſunt de gratia operis, potiſſimum vero oraculum Tridentinæ Synodi, quæ omiſſo de gratia ſufficiente ſermone, eam videtur excludere, dicendo requiri ſpeciale Dei auxilium ad mandata ſervanda, & in juſtitia accepta perſeverandum; vox enim, *ſpeciale*, non aliam præter gratiam efficacem aſſignat. Arnaldus articul. 4. primæ partis ſuæ de gratia efficaci diſſertationis in adjutorium Iprenſis venit, contendens Scripturam & Patres ſolam commemorare gratiam efficacem, vel ipſis ſummis Pontificibus teſtibus. Namque Innocentius I. epiſtol. ad Africanos Præſules, ait: " Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eodem iterum non adjuvante vincamur. " Cæleſtinus epiſt. ad Gall. Epiſcopos cap. 6. " Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit, quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. " Non abſimilia dicit S. Leo ſermon. 8. de Epiph. " Dicente Diſcipulis ſuis Domino, Sine me nihil poteſtis facere. " Ergo &c.

Reſpondeo abſque negotio una falce nos iſtam farraginem argumentorum metere, ſic diſtinguendo: Et hæc omnia probant ſolum gratiæ neceſſitatem, quam Concilia & Patres contra Pelagianam perfidiam aſtruere ſatagunt, concedo: & gratiam ſufficientem, qua præparatur voluntas a Domino exſufflant, nego. Hujus ſolutionis non una eſt ratio. Prima eſt quod iiſdem capitibus & auctoritatibus gratiam ſufficientem alternata vice annuntient. Altera quia Concilia ſimul cum Patribus indiſcriminatim loquuntur de gratia ſufficiente & efficaci: Scriptura quidem, quum ait Apoc. 3. *Sto ad oſtium & pulſo*: quæ verba ut dictum eſt ſupra, Concilium Senonenſe de gratia ſufficiente explicat. Non ſemel etiam oſtendimus, S. Auguſt. interprete, hominem trahi ſuaſione & amore, non neceſſitate, ut verbis expreſſis ait. Neque vero ſic trahitur ut nihil agat, ſed libere & electione trahitur & movetur, nam ut S. Præſul lib. de corrept. & grat. cap. 20. ait: " Aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant....... Quando autem non agunt, ſive omnino non faciendo, ſive non ex charitate faciendo; orent, ut quod nondum habent, accipiant. "

Vel ipſum Concilium Tridentin. utramque gratiam commemorat, dicendo ſeſſ. 6. cap. 11. " Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis. " Ecce gratia ſufficiens, ſubdit: " Et adjuvat ut poſſis: " Ecce efficax, quippe quod tunc loquatur de potentia conjuncta cum actu. Neque etiam putandum eſt ſermonem inſtituere ſolum de gratia efficaci, quando, ait: *Juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta juſtitia perſeverare poſſe*. Cum omnis gratia dicatur ſpeciale auxilium relative ad vires humanas & ad concurſum Dei generalem in ordine naturali. Aſtipulantur Theologi, videlicet Oroſius in Apologetico. Soto in 4. diſtinct. 14. quæſt. 1. artic. 1. Capreolus in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. Curiel in 1. 2. quæſt. 109. artic. 10. qui omnes gratiam actualem habituali additum

tam, auxilium ſpeciale vocant: ſed dato & non conceſſo intelligere gratiam efficacem, nihil inde ſequitur ad excludendum a juſtis auxilium ſufficiens quo poſſint mandata ſervare, cum loquatur Synodus de gratia operis, & de potentia cum actu conſociata. Quid plura? Tractat de gratia perſeverantiæ, de ea nimirum qua juſti in accepta juſtitia perſeverant, ad quod ſane requiritur ſeries gratiarum & protectio Dei, quæ auxiliorum compages inter cæteras gratias maxima & ſpecialiſſima eſt.

Tandem ſi qui inter Theologos Orthodoxos quædam Scripturæ loca de ſola gratia efficaci interpretentur, ut Bellarminus laudatus, qui ſic explicat iſta Chriſti verba Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi &c.* non ideo excludunt gratiam ſufficientem, qua juſti mandata obſervare queant, quoties urget præceptum, maxime cum ad hoc acceſſerit auctoritas Eccleſiæ, quæ Janſenii propoſitiones damnavit.

Poſſem hic texere quoſdam S. Auguſtini textus, quos Arnaldus in opere citato laudat; ſed tot ab ipſo Janſenio adductos explicavimus, ut eos iterum referre ſupervacaneum ſit. Et hoc propter duo. Primo quidem, ex eo quod ſolutione mox data bene facile ad mentem S. Doctoris explicentur loca ab Arnaldo adducta. II. Quia Iprenſis & ſui, ut ſæpius diximus, confundunt gratiam operis cum ea quæ dat poſſe. Priorem non ſemper dari ultro concedimus, ſecus vero poſteriorem. Hoc ipſum innuit Innocentius I. in ſua ad Africanos Epiſtola, his verbis: " Quotidiana præſtat ille remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. " Audis quotidiana dari. Quæ? Niſi remedia ſufficientia quibus juſti poſſint declinare a malo, & facere bonum: ſi quando igitur neget Aug. vel ipſos juſtos aliquoties poſſe bonum, loquitur in ſenſu oppoſito Pelagianis, quos ubique inſectatur, oſtendendo vel ipſum poſſe bonum eſſe a gratia, non a natura, ut illi contendebant: vel etiam intelligere poſſe conjunctum cum actu, quod a gratia efficaci promanat, quæ quidem non ſemper datur, propter obicem, quem vel ipſi juſti non ſemel ex radicali pravitate & ad malum propenſione apponunt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM.

Juſti quando urget præceptum habent ſemper gratiam ſufficientem, ut poſſint illud adimplere.

PRIMO: Pſalm. 36. *Non vidi juſtum derelictum*. Rurſus Pſal. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum*. Rurſus 1. Cor. 10. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. Sed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

Secundo: Suffragantur Concilia, in primis Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet &c.* Suffragantur & Patres. S. Leo Sermon. 16. Idem verbis expreſſis dicit S. Auguſt. lib. de corrept. & gratia cap. 7. *Perſeverares ſi velles*. His accedit S. Thomas 1. p. quæſt. 52. artic. 6. ad 3.

Tertio: Ratio a priori hæc eſt, quod Sacramenta dent jus ad auxilia habenda, quibus mandata Dei, quando urget præceptum, ſervari queant.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametſi iſtud Scripturæ oraculum Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum*; vulgo de gratia efficaci, quam non ſemper juſtis de cauſis, concedit Deus, intelligatur; non inde excluditur a juſtis gratia ſufficiens tempore quo urget præceptum, cum vel ipſa Scriptura dicat Pſal. 36. Deum non derelinquere juſtum.

Secundo: Multa tum Conciliorum, tum Patrum & Sanctorum Pontificum objiciunt Novatores loca, ſed in his agunt de gratia operis; quæſtio autem præſens non de agere, ſed de poſſe movetur, quod a Deo concedi tempore quo urget præceptum ubique prædicant.

Tertio: Nec quicquam virium pro objectione habent iſta Concilii Tridentini verba ſeſſ. 6. Canon. 22. *Juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta juſtitia perſeverare poſſe*. Cum in præſenti ſtatu gratia perſeverantiæ exigat, tum ex parte

actus

actus primi, tum ex parte actus ſecundi gratiarum ſupellectilem, quæ gratia ſpecialis dicitur; namque exigit gratiam habitualem, & multas inſpirationes, ut quiſque poſſit & velit ſemper in accepta juſtitia perſeverare; gratiarum vero actualium ſeriem ut actu & vincat tentationes, & ſervet mandata, ut in bono ubique ſtet & perduret.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum peccatores habeant gratiam ſufficientem ut poſſint facere bonum?

CONCLUSIO.

Peccatores habent gratiam ſufficientem ut bonum operari queant.

Probatio, ex utroque Teſtamento.

PRIMO ex veteri: Deut. 30. habetur: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt*. Iſaiæ 5. 4. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci*. Ezech. 18. 31. *Quare moriemini domus Iſrael?* Et Oſeæ 13. 9. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*. Sed iſta oracula ad omnes diriguntur homines: Igitur mandata illis omnibus ſunt poſſibilia, ſi Deus faciat id omne quod in ſe eſt pro eorum ſalute, ita ut ipſi ſoli ſint cauſa ſuæ perditionis, manifeſtum eſt omnes habere gratiam ſufficientem ad faciendum bonum.

Secundo ex Novo: Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus & ſapientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignorat quoniam, benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Sed gratia ſufficiens conſiſtit in illuminationibus & piis motionibus quæ excitant homines ad pœnitentiam: Ergo &c.

Probatio, ex SS. Doctoribus.

CLEMENS Rom. epiſt. 3. de Officio Sacerdotis, ait: " Ab initio duo regna ſtatuit Deus: & poteſtatem dedit unicuique hominum ut illius regni fiat portio, cui ſe ad obediendum ipſe ſubjecerit."

S. Chryſoſtomus homil. 7. in Joan. explicans illa verba: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*, ſic loquitur: " Illuminat profecto quantum in ipſo eſt ..... Gratia in omnes diffuſa eſt, non Judæum, non Græcum, non Scytham, non liberum, non ſervum, non virum, non mulierem, non ſenem, non juvenem effugit, aut dedignatur ..... Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem æquo librent examine. Cum enim omnibus aditus pateat, & a nemine prohibeatur, perditi quidam & nequam homines propria dumtaxat malitia ingredi recuſant."

Tertullianus lib. 2. contra Marc. cap. 5. de hoc momento non leviora ſcribit: " Hunc ſtatum ejus, *ait*, confirmavit etiam ipſa lex, tunc a Deo poſita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate; nec rurſus comminatio mortis tranſgreſſioni adſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic & in poſteris Legibus Creatoris invenies, proponentis ante hominem bonum & malum, vitam & mortem: ſed nec alias totum ordinem diſciplinæ per præcepta diſpoſitum, avocante Deo, & minante & exhortante, niſi & ad obſequium, & ad contemptum libero & voluntario homine." Igitur ex Tertulliano peccatores habent gratiam qua poſſunt Deo præſtare obſequia. Sanctus Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. & S. Proſper lib. 2. de vocatione gent. cap. 5. hoc vel ipſo Caino conceſſum aſſerunt.

Ex his omnibus inducitur traditio, qua liquet homines ab Adamo uſque ad Chriſtum habuiſſe neceſſaria ad ſalutem; ſiquidem Patres una voce hæc confirmant: Clemens quidem & Tertullianus docendo hominem ab initio habuiſſe poteſtatum faciendi bonum. S. Auguſt. hoc aſſerit de Eſau, S. Proſper de ipſo Caino; Chryſoſtomus dicit Deum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. SS. Auguſtinus denique Proſper, Thomas id aſſerunt pro veteri & nova lege, & omnium Patrum una eſt hæc ratio

ratio, quod homini ab initio data ſit lex quam poterat adimplere ad laudem, & non adimplere gratiæ reſiſtendo, ad vituperium & caſtigationem: Igitur omnis homo a creatione habuit gratiam ſufficientem ad faciendum bonum: alias non imputatum fuiſſet ad culpam quando peccantes non obediunt, cujus contrarium patet in facto Caini ab ipſo Deo reprehenſi de zelotipia & occiſione fratris: quia ex Aug. nemo peccat in eo quod vitare non poteſt, ex eodem vero nullus ſine gratia poteſt adimplere præcepta. Ergo &c.

Probatio, ex SS. Auguſt. & Proſpero.

S. AUGUSTINUS ſerm. 88. docet gratiam ſufficientem peccatoribus non deeſſe, & eorum culpa obdurari: " Volumus, *inquit*, charitati veſtræ ſuggerere qualiter obdurationem illam debeatis accipere. I. Hoc fideliter & firmiter credat dilectio veſtra, quia numquam prius Deus deſerit hominem, niſi prius ab homine deſeratur. Cum enim ſemel & ſecundo & tertio unuſquiſque peccata commiſerit; expectat tamen illum Deus, ſicut per Prophetam dicit, ut convertatur & vivat." Ex S. Doctore Deus neminem deſerit niſi prius ab homine deſeratur: expectat peccatorem ut ſe convertat, & peccator habet in ſua poteſtate ut mutetur in melius, quod fieri nequit ſine gratia: Igitur ex S. Præſule gratia ſufficiens nulli deeſt peccatori ut declinet a malo, & faciat bonum.

S. Proſper lib. 2. de vocat. gent. cap. 26. ejuſdem eſt ſententiæ, his verbis: " Gratia quidem Dei, in omnibus juſtificationibus principaliter præminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo...... Quæ opitulatio per innumeros modos, ſive occultos, ſive manifeſtos, omnibus adhibetur: & quod a multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem a multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ." Igitur ex S. Aug. & S. Proſpero gratia ſufficiens datur omnibus Chriſtianis peccatoribus ad converſionem: ſiquidem ex primo, Deus numquam eos deſerit, niſi prius ab eis deſeratur: & tamen dum deſeritur, adhuc expectat prævaricatorem ad pœnitentiam. Ex ſecundo vero, miris & tamen veris modis gratiæ opitulatio omnibus datur, & ad omnes ſe ſe extendit.

Probatio, ex rationibus.

QUI expectat peccatorem ad pœnitentiam, qui venit quærere & ſalvare quod perierat, qui ſolicitat peccatorem ad ſui unionem, qui infantem prodigum benevole recipit, qui relictis nonaginta novem ovibus, perditam ſolicite quærit, & inventam humeris imponit, & ad ovile ducit, peccatoribus non deficit in neceſſariis, & dat eis gratiam ſufficientem ad præcepta adimplenda: Atqui Deus expectat peccatorem ad pœnitentiam, juxta illud Iſaiæ 30. 18. *Expectat Dominus ut miſereatur veſtri*. Quærit & ſalvat quod perierat, dicente Chriſto Matth. 18. 11. *Venit enim filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat*. Hominem ad ſuum conſortium invitat: juxta illud Proverb. 23. 26. *Præbe fili mi cor tuum mihi*. Denique Luc. 15. Deus monſtrat ſe eſſe peccatoris patrem in parabola filii Prodigi quem benigne ſuſcipit, ut intelligant peccatores, ſe eis in neceſſariis non deficere.

Fit ſatis objectionibus.

OBJICIES. I. Epiſcopi Africani in Sardinia propter fidem exules, aliquas Fauſti Regienſis propoſitiones proſcripſerunt, maxime illam qua Fauſtus aſſerebat gratiam omnibus dari. Igitur gratia ſufficiens non omnibus datur, maxime peccatoribus.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Et Patres loquuntur de gratia efficaci, concedo: loquuntur enim de gratia vocationis, qua aliquis pervenit ad fidem, cujus ortum ducebat a natura Fauſtus Semipelagianus: & loquuntur de gratia ſufficiente qua aliquis poteſt ad fidem pervenire, aut aliud facere bonum, nego. Solutio eſt D. Aug. tomo 10. in Appendice, ubi loquitur de Epiſcopis præfatis pag. 154. his verbis: " De gratia vero non digne ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari. Cum non ſolum non omnium ſit fides, ſed adhuc nonnullæ

" Gen-

„ Gentes inveniantur ad quas fidei prædi-
„ catio non pervenit : beatus autem Apo-
„ ſtolus dicit , Quomodo invocabunt in
„ quem non crediderunt ? Aut quomodo
„ credent ei , quem non audierunt ? Quo-
„ modo autem audient ſine prædicante ?
„ Non itaque gratia omnibus datur : quan-
„ doquidem ipſius gratiæ participes eſſe
„ non poſſunt ; nec poſſunt credere ad
„ quos invenitur ipſe fidei auditus minime
„ perveniſſe . Ipſa vero gratia quibuſcum-
„ que datur , non æqualiter datur , ſed
„ ſecundum menſuram donationis Chri-
„ ſti , & unicuique ſicut Deus diviſit
„ menſuram fidei : qui non hominum per-
„ ſonas accipit , ſed omnia operatur unus
„ atque idem Spiritus dividens propria ſin-
„ gulis pro ut vult . „ Ibi etiam lo-
„ quitur de gratia juſtificationis , quæ
certe non eſt communis omnibus .

Inſtabis : Atqui vel ipſa gratia ſufficiens non omnibus datur : Ergo &c. Probatur ſubſumptum . Juſti Deum peccando abjicientes , ab eo viciſſim deſeruntur , juxta illud Concilii Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. “ Deus ſemel juſtificatos non deſerit , „ niſi ab his deſeratur . „ Similia dicit S. Auguſtinus lib. de natura & grat. cap. 26. Sed deſeri eſt omni ſpoliari gratia : Igitur peccatores qui a juſtitia exciderunt nullam habent gratiam , ne quidem ſufficientem .

Reſpondeo negando ſubſumptum . Ad probationem , diſtinguo : Ex Tridentino & Auguſtino juſti peccantes deſeruntur lato modo , quatenus gratia habituali , immo & actuali uberiori privantur , concedo : abſolute & ſimpliciter , ita ut omnis gratiæ aditus eis ſecludatur , nego . Namque poſſunt ad pœnitentiam renovari , & ſæpius renovantur , quod tamen abſque gratia fieri non poteſt . Quod autem in pœnam peccati juſti prævaricantes gratiis ſolum ſpecialioribus priventur , patet ex ipſo Auguſtino , qui in loco laudato de dono perſeverantiæ loquitur . Ecce verba num. 29. “ Juſtificat impium , & cum „ ad perfectam ſanitatem , hoc eſt , ad „ perfectam vitam juſtitiamque perduxe- „ rit , ſi non deſeratur , ut pie juſteque „ vivatur . „

Inſtabis : Atqui ex S. Auguſtino gratia de facto non datur indiſcriminatim omnibus : Ergo &c. Probatur ſubſumptum : S. Doctor epiſt. ad Vitalem , ait : “ Sci-
„ mus gratiam omnibus non dari . „ Rurſus lib. 2. de peccat. merit. cap. 5. “
„ Cur , *inquit* , Deus illum adjuvet , illum non adjuvet , penes ipſum eſt , &
„ æquitatis tam ſecretæ ratio eſt excel-
„ lentia poteſtatis . „ Tum ſerm. 11. de verbis Apoſt. “ Communis eſt omnibus
„ natura , non gratia . „

Reſpondeo negando ſubſumptum propter auctoritates & rationes in probationibus allatas . Ad primam probationem , diſtinguo : Gratia ſanctificans , tum etiam efficax non omnibus datur , quia multi reſiſtunt gratiæ qua præparatur voluntas a Domino , concedo : gratia ſufficiens qua præcepta poſſint adimpleri , nego . Hinc utraque prior gratia non omnibus communis eſt ; cur vero non dentur reſpondet S. Auguſtinus lib. 12. de civit. cap. 6. quia peccatór non vult gratiæ moventi ad bonum obedire . Cur vero non obediat , dum alter conſentit : O altitudo , inquit . Poteſt etiam reſponderi hoc fieri tum ratione liberi arbitrii ad bonum & malum verſatilis : Tum etiam ratione majoris corruptionis & pravitatis radicalis , quæ eſt in uno & non in altero . Quidquid ſit , certum eſt hominem ex ſe habere poſſe malum & reſiſtere gratiæ , a gratia vero efficaci bonum actu operari , & ſic patet ſolutio ad ſubſequentes auctoritates .

Urgebis : Atqui deeſt vel ipſa gratia ſufficiens ut homo poſſit bonum . Ergo &c. Probatur ſubſumptum : Hoc ponit diſcrimen S. Doctor inter Angelos , hominem innocentem , & homines lapſos , quod auxilium ſufficiens non defuerit illis , nunc vero in pœnam peccati originalis iſtis deſit . Sic loquitur lib. de corrept. & grat. cap. 11. num. 32. “ Si autem hoc adju-
„ torium , *ſine quo ſeu ſufficiens* , vel An-
„ gelo , vel homini , cum primum facti
„ ſunt , defuiſſet ; quoniam non talis na-
„ tura facta erat , ut ſine divino adjuto-
„ rio poſſet manere ſi vellet , non uti-
„ que ſua culpa cecidiſſent : adjutorium
„ quippe defuiſſet , *ſine quo* manere non
„ poſſent . Nunc autem quibus deeſt tale
„ adjutorium , jam pœna peccati eſt . „
Ergo &c.

Reſpondeo I. Novatores petere jugulum , iſtam laudando auctoritatem . Ex hac enim conſtat I. Creaturam in ſtatu innocentiæ non potuiſſe , ſecluſo Dei auxilio , bonum operari per ſolas liberi arbitrii vires , ut

ut perperam contendit Janſenius lib. de gratia primi hominis & Ang. cap. 7. p. 43. col. 1. his verbis: *Nos igitur hic aſſerimus, Omnia hujuſmodi opera, adeoque & ipſam fidem, & dilectionem Dei, ab eo potuiſſe per arbitrii libertatem fieri, ſic ut ea non donaret ei gratia*. E contra vero Auguſtinus: *Non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere*. Conſtat II. Sanctum Doctorem eo loci non niſi de gratia perſeverantiæ loqui, quo quidem dono oſtendit gratiam Chriſti eſſe gratia primi hominis efficaciorem, cum prior daret poſſe quidem perſeverare, ſed non actu, ut gratia Mediatoris. Hoc ipſum patet ex verbis antecedentibus & conſequentibus: ex antecedentibus quidem num. 31. " Hæc autem „ *gratia Chriſti* tanto major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique „ non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit, „ niſi etiam efficiatur ut velit. „ Ex conſequentibus vero immediate poſt verba pro objectione adducta ſubjungit: " Quibus „ autem datur *tale adjutorium* ſecundum „ gratiam datur, non ſecundum debitum .... Fit quippe in nobis per hanc „ Dei gratiam in bono recipiendo & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe quod „ volumus, verum etiam velle quod poſſumus. „ Audis loqui de poſſe conjuncto cum actu, adeoque de gratia efficaci, immo efficaciſſima, cum dct actu perſeverare; ait enim num. 34. adjutorium primi hominis dediſſe poſſe perſeverare, tum ſubdit: " Nunc vero Sanctis in regnum „ Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non „ tale adjutorium perſeverantiæ datur, „ ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur. „

Jam vero non demirandum ſi ſanctus Doctor dicat, quod adjutorium, quo homo & Angelus potuiſſent perſeverare, perſeverantiam finalem & gloriam ut quid debitum adduxiſſet, quia ratione gratiæ innocentiæ quæ gratiam ſanctificantem complectebatur, habebant jus ad mercedem; ſecus vero lapſus, qui ſpoliatus gratia innocentiæ, ſpoliatus eſt etiam jure ad gratiam actualem qua finaliter perſeveratur in bono & glorificatur juſtus: hinc utrumque nunc habet non ex debito, ſed ex gratia ſeu miſericordia donante.

Ex his ſequitur quod adjutorium *ſine quo* primæ creaturæ, &c. gratiam habitualem, & gratiam actualem moventem & excitantem ad bonum complecteretur; his ſic elucidatis, ad argumentum Iprenſis venio.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem, diſtinguo: Adjutorium *ſine quo* quale erat in Adamo innocente deeſt multis in pœnam peccati, concedo: gratia ſufficiens ut ſic, nego. Gratia ſufficiens primi hominis ſita erat in gratia habituali & actuali, immo in omnium gratiarum ſupellectili; unde non mirum ſi lapſi ea careant, ſed per merita Chriſti & actualem ſufficientem, & ſæpius efficacem, qua actu perſeverent finaliter in bono habent. Cæterum eo loci S. Doctor non movet controverſiam de gratia ſufficiente, ſed ſolum efficaci, & quidem perſeverantiæ; hinc ſi verba in rigore ſumantur, ſoli electi qui ultimum in Domino claudunt diem habent gratiam efficacem, cæteros vero juſtos etiam ad tempus numquam, quod tamen negat Janſenius, & quod abſurdum admittere tenetur, ſi ad ſententiam Auguſtini ab ipſo laudatam in rigore attendat, cum S. Præſul concludat ſolum & prædicet gratiam perſeverantiæ finalis.

SYNOPSIS PROBATIONUM,

Peccatores habent gratiam ſufficientem pro mandatis obſervandis.

PRIMO: Sacræ Scripturæ paſſim hoc indigitant: Deut. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt*. Fit autem poſſibile per gratiam ſufficientem. Rurſus Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Qua, quæſo gratia illuminatur omnis homo, niſi ſufficiente?

Secundo: Hoc ipſum docent Patres. Clemens Rom. epiſt. 3. de Officio Sacerd. Chryſoſtomus homil. 7. in Joan. S. Auguſtinus lib. 1. ad Symplic. quæſt. 2. his accedit Tertullianus lib. 2. contr. Marc. cap. 5.

Tertio: Ratio ſuffragatur, nam Deus, teſte Iſaia, expectat ut miſereatur noſtri; tum quia Chriſtus venit, quærere & ſalvum facere quod perierat.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Ultro fatemur gratiam efficacem & habitualem non omnibus dari, bene vero ſufficientem; alias mandata Dei eſſent quibuſdam impoſſibilia, quod eſt contra Scripturam & Concilia, maxime adverſus Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11.

Secundo: Tametſi gratia ſufficiens omnibus detur, recte redditur ratio, cur ex duobus æqualiter tentatis unus cedat tentationi, ait Auguſt. lib. 12. de civit. cap. 6. quia non vult, & ſic ipſa objectione S. Doctor aſtruit gratiam ſufficientem; cum enim ſint in ea pares, unus reſiſtit & non obedit, & peccat; alter vero audit & ſalvatur.

Tertio: Nec magis proficiunt Novatores dicendo Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 11. aſſerere adjutorium conceſſum Angelo & homini innocenti, multis nunc in pœnam peccati deeſſe, quandoquidem illud adjutorium continebat gratiam ſanctificantem in qua fuerant conditi, quæ quidem gratia ſic delineata multis propter propriæ voluntatis delicta deeſt, minime vero auxilium quod ſolum gratiam actualem importat: namque adſunt ſemper omnibus illuminationes & monitiones ad bonum faciendum.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum obdurati habeant gratiam ſufficientem, qua, urgente præcepto, poſſint illud adimplere?

DUPLEX diſtinguitur gratia ſufficiens, una proxima qua immediate præparatur voluntas a Domino, & mandata ut poſſint ſervari: altera remota, qua mediante oratione uberiorem ad hunc effectum advocare queant obdurati. His poſitis

CONCLUSIO.

Datur gratia ſufficiens obduratis & obcæcatis peccatoribus ſaltem remota.

Probatur variis argumentis.

ANTEQUAM probetur concluſio, notandum eſt non dari obdurationem & obcæcationem abſolutam, quæ conſiſtit in ſubtractione cujuslibet gratiæ, ſed ſolum moralem, quæ ſita eſt in ſubtractione gratiæ uberioris. Primum patet juxta illud Jacobi 1. *Deus enim intentator malorum eſt.* Secundum utique, ſic enim ſcriptum eſt Eccli. 7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit.*

Primum, ex Scriptura ſacra.

EZECHIELIS 18. habetur: *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, ... & non ut convertatur a viis ſuis, & vivat?* 5. verſ. 51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Rom. 2. verſ. 4. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & pænitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.*

Ex his ſequitur iſtud ratiocinium: Qui non vult mortem impii, & teſte Petro epiſt. 2. cap. 3. 9. aliquos perire; qui increpat impios eo quod Spiritui ſancto reſiſtant; qui aperte profitetur eoſdem eſſe reos; & in ultimo die puniendos propter duritiam & cordis impœnitentiam, non denegat obcæcatis gratiam ad converſionem: Atqui ex Scripturis Deus non vult mortem impii, ſed potius ut vivat: Ex iiſdem obdurati reſiſtunt Spiritui ſancto quando peccant; immo propter duritiam & impœnitens cor digni ſunt pœnis æternis. Igitur habent gratiam ad operandum bonum: neque enim eis forent pœnæ, ſiquidem ſine culpa mandata transgrederentur; neque etiam verum eſſet quod Spiritui ſancto reſiſterent, ſi non haberent gratiam: quomodo enim ſpiritui Dei reſiſtunt, niſi gratiæ moventi obnitendo? Ergo &c.

Se-

Secundum, ex Conciliis.

LATERANENSE ſub Innocentio III. cap. firmiter definit, fideles in peccatum mortale prolapſos poſt Baptiſmum poſſe per veram pœnitentiam ſemper gratiam ſanctificantem, qua juſtus vivit, recuperare, & loquitur ſine ulla exceptione: Sed ſi ſemper poſſunt recuperare, ſequitur gratiam dari omnibus obduratis. Et vero ſi omni gratia carerent, non eſſet verum dicere, quod recuperare poſſent: Ergo &c.

Tridentinum ſeſſ. 14. can. 1. idem dicit. Suffragatur Colonienſe cap. de Sacram. Pœnit. his verbis: " Sexto ſtatuendum ,, eſt quod Deus adeo vult omnes homi- ,, nes ſalvos fieri, ut nemini, quantum- ,, libet ſcelerato gratiam ſuam ſubtra- ,, hat. ,, Ergo &c.

Tertium, ab Exemplis.

PRIMUM exemplum eſt Caini, qui reprehenſus a Deo audivit, Gen. 1. *Sub te erit appetitus tuus:* Igitur bonum & malum erant in ejus poteſtate.

Sanctus Auguſt. libr. 1. ad Simplic. qu. 2. de hoc momento ait: " Noluit Eſau ,, & cucurrit: Sed etſi voluiſſet, cucur- ,, riſſet Dei adjutorio........qui etiam ,, velle & currere vocando præſtaret, ,, niſi vocatione contempta reprobus fie- ,, ret. ,,

Similia dicit S. Proſper libr. ſecundo de vocatione Gent. cap. 13. explicans illa Gen. 4. verba Dei ad Cain: *Quare iratus es?* " Sed malitia pertinax, *inquit*, ,, inde factus eſt inexcuſabilior unde de- ,, buit eſſe correptior. ,,

Inſignis eſt ejuſdem Patris locus pro concluſione. Ibidem cap. 31. ſic loquitur: " ,, Elaboratum eſt quantum Dominus ad- ,, juvit, ut non ſolum in noviſſimis die- ,, bus, ſed etiam in cunctis retro ſæculis ,, probaretur gratiam Dei omnibus ho- ,, minibus adfuiſſe, providentia quidem ,, pari, & bonitate generali, ſed multi- ,, modo opere diverſaque menſura. ,, Audis S. Doctorem omnia complecti tempora, & propugnare gratiam ad omnes omnium durationum homines, ne quidem excludendo vel obduratos & obcæcatos ſeſe extendere.

Secundum exemplum eſt Pharaonis, in cujus conſpectu multa ſigna fecit Moyſes ut ipſius cor emolliret; quippe gratiæ aliqualiter cedens promittebat relaxare populum: Sed proprio malitiæ pondere ad vomitum rediens, pertinax manebat, hinc reſiſtendo ad perfectam non pervenit juſtitiam.

Tertium eſt impii Antiochi, qui multa ſanctitatis exempla præ oculis habens, monita ſalutis ita ſprevit, ut ſanguinem innoxium ſæviens in Machabæos crudeliter effuderit.

Quartum: Vel ipſe Balthaſſar, ut ad cor rediret non caruit: maxime, cum ſuam (Dan. 5. 25.) criminum his verbis: MANE, THECEL, PHARES, audivit ſententiam, quæ illum ad pœnitentiam invitabat.

Quintum eſt Sauli in Eccleſiam ſævientis, cui tamen non defuit ad converſionem gratia ſufficiens, Domino Act. 5. illi dicente: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Qui tandem obediens gratiæ vocanti, converſus eſt. Denique vel ipſe Auguſtinus, ſuam in libris Confeſſionum in peccato obſtinationem confitens, gratiæ ſic ceſſit, ut magnus pœnitens, cum & ſanctus evaſerit.

His adde inſignem Cyprianum, qui in ſua ad Donatum epiſtola, fuſis lacrymis refert, quomodo diu reſtiterit gratiæ ſollicitanti, ut ad Chriſti fidem ſeſe converteret; in montem, inquit, altum ſecedens ſpiritu raptus ſuavi mundanorum contemplatione, vidi impios in throno juſtitiæ ſedentes, ignobiles dominari nobilium, abjectos ex plebe viros cæteris præeminere, & hinc vanitatem ſub ſole omnia eſſe ſuſpiciens, relictis omnibus idolis, Deum viventem confeſſus eſt, tum & Chriſtum ejus Filium Unigenitum.

Quartum, ex ſanctis Patribus.

AMBROSIUS ſerm. 8. in Pſal. 118. eamdem confirmat ſententiam his verbis: " Plena eſt terra miſericordia Do- ,, mini, quia omnibus eſt data remiſſio ,, peccatorum, ſuper omnes ſol oriri ju- ,, betur. ,, Sol ſcilicet gratiæ.

Concinit S. Auguſt. qui in Pſalm. 6. nu. 8. multis oraculis iſtam confirmat & probat veritatem: ſic enim effatur: " Dedit illos in reprobum ſenſum, Nam ea

eſt

„ eſt cæcitas mentis; in eam quiſque da-„ tus fuerit, ab interiore Dei luce ſeclu-„ ditur, ſed nondum penitus cum in hac „ vita eſt. Sunt enim tenebræ exterio-„ res, quæ magis ad diem judicii perti-„ nere intelliguntur, ut penitus extra „ Deum ſit, quiſquis, dum tempus eſt, „ corrigi noluerit. Penitus autem eſſe „ extra Deum quid eſt, niſi eſſe in ſum-„ ma cæcitate? „ Quibus verbis dupli-cem diſtinguit obdurationem, aliam in-choatam & imperfectam, in qua homo numquam omni luce gratiæ deſtituitur: alteram conſummatam, & quæ eſt im-pœnitentia finalis, in qua homo eſt extra Deum, videlicet in tenebris exteriori-bus, illis nimirum de quibus dicitur in Evangelio: *Ibi erit fletus & ſtridor den-tium*, & eſt damnationis ſtatus in quo quidem nulla eſt amplius gratia, quia ibi nulla redemptio. Igitur ex S. Augu-ſtino obdurati in hac vita habent gratiam ſufficientem qua poſſunt ſervare mandata & ſalvari.

Idem lib. 3. de lib. arbit. c. 19. ſic habet: „ Nulli hominum ablatum eſt ſcire, utiliter „ quærere quod inutiliter ignorat; & hu-„ militer confitendam eſſe ſuam imbecilli-„ tatem, ut quærenti & confitenti ille ſub-„ veniat, qui nec errat dum ſubvenit, nec „ laborat. „ Igitur ex S. Doctore omnis peccator poteſt quærere pœnitentia Deum quem delicto amiſit, quod non niſi gratia poſſibile eſt: Ergo &c. Quidam ſic legunt poſt vocem *imbecillitatem*: „ Non enim „ permiſit *Deus* ullum mortalium excuſa-„ re ſe de umbra mortis, ipſum enim pe-„ netravit verbi calor. „

Rurſus in Pſal. 58. hæc ſcribit: „ Sed „ nolis curari, vulnus tuum admonet ut „ cureris, & averſum revocat, & refu-„ gientem quodam modo ad ſe redire „ compellit, & attrahit. In omnibus „ implet quod dictum eſt, miſericordia „ ejus præveniet me. „

S. Proſper libr. 1. de vocat. Gent. cap. 21. eamdem defendit veritatem: „ Cre-„ dimus nullis hominibus opem gratiæ in „ totum fuiſſe ſubtractam. „ Et in re-ſponſ. 25. ad obj. Vincent. ait: „ Nemi-„ ni Deus correctionis adimit viam, ne-„ que quemquam boni poſſibilitate ſpo-„ liat. „ Igitur omnis peccator quamvis in delictis pertinax, omni non ſpoliatur gratia.

S. Gregorius libr. 17. Moral. cap. 4. „ Quiſquis delinquit, & vivit: idcirco „ hunc divina diſpenſatio in æquitate to-„ lerat, ut ab iniquitate compeſcat. „

S. Thomas multis in locis hanc aſtruit veritatem. Sic loquitur 3. pag. quæſt. 86. artic. 1. in corp. „ Dicere quod aliquod „ peccatum ſit in hac vita, de quo quis „ pœnitere non poſſit, erroneum eſt. „ Primo quidem quia per hoc tolleretur „ libertas arbitrii. II. Quia per hoc de-„ rogaretur virtuti gratiæ, per quam mo-„ veri poteſt cor cujuſcumque peccatoris „ ad pœnitendum. „

Rurſus quæſt. 24. de verit. artic. 11. „ Quod aliquis homo non poſſit eſſe ita „ obſtinatus in malo, quin ad ſuam libe-„ rationem cooperari poſſit, ratio patet „ ex dictis; quia & paſſio ſolvitur & re-„ primitur, & habitus non totaliter ani-„ mam corrumpit, & ratio non ita per-„ tinaciter adhæret falſo, quin per con-„ trariam rationem poſſit adduci.

Rurſus in 1. diſt. 40. qu. 4. artic. 2. in argumento *ſed contra*, ſic loquitur: „ Di-„ cunt Sancti communiter Dionyſius, Au-„ guſtinus & Anſelmus, quod cauſa qua-„ re iſte non habet gratiam eſt, quia ipſe „ noluit accipere, & non quia Deus no-„ luit dare, quia lumen ſuum omnibus „ offert, quod tamen ab omnibus non „ percipitur. „ Igitur ex D. Thoma omnes poſſunt recedere a peccato, adeo-que habent gratiam ſufficientem.

Quintum, ex rationibus Theologicis.

PRIMA eſt a conglobatis ſupra rela-tis. Deus impoſſibilia non jubet, vult omnes ſalvos fieri, venit quærere eum qui perierat: Igitur peccatores licet ob-durati habent tamen gratiam ſufficientem ad converſionem & ſalutem, alias Deus præciperet impoſſibilia, ſiquidem præ-cipit obduratos obſervare legem; igitur nollet eos ſalvos fieri, quandoquidem ſine gratia nullus ad ſalutem pertingere valet. Ergo &c.

Secunda: Obdurati peccant non obedi-endo præceptis; ſic propugnat S. Auguſt. tract. 53. in Joan. ubi loquens de peccato Judæorum induratorum, dicit juſto judi-cio propter obcæcationem fuiſſe a Deo abjectos: Sed ex eodem libr. 3. de libero arbitr. cap. 18. nemo peccat in eo quod

cavere

cavere non poteſt: Igitur ſi obdurati peccent, habent gratiam ad reſiſtendum peccato: ſin minus forent excuſabiles, & a pœna immunes.

Tertia: Omnis obduratus poteſt reſiſtere, ſi velit, habitui vitioſo ad malum trahenti: Sed hæc poteſtas eſt a gratia: Ergo &c. Major in qua eſt difficultas probatur ex S. Auguſt. qui tract. 53. num. 6. in Joan. de Judæis obduratis ſic loquitur: " Non poterant credere, quia hoc ,, Iſaias Propheta prædixit; hoc autem ,, Propheta dixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſcivit: quare autem non ,, poterant? Si a me quæratur, cito reſpondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus; ,, & per Prophetam prænuntiavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt. ,,

Quarta: Illi habent gratium, qui ideo peccant quia eam repellunt: Atqui ex S. Auguſt. obdurati peccant gratiam repellendo; ſic enim loquitur de Judæis libro de grat. & libero arbit. cap. 12. " Gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant. ,, Ergo &c.

Quinta: Qui rei ſunt judicio, habent gratiam ſufficientem: Atqui tales ſunt obdurati ex ſancto Auguſtin. qui libr. de præd. SS. cap. 9. de Judæis obduratis ſic habet: " Facile eſt ut infidelitatem accuſemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tam magnis ,, virtutibus credere noluerunt.,, Ergo &c.

Solvuntur objectiones Janſenii.

Primo, ex Scriptura ſacra;

OPPONES: Jerem. 7. prohibetur ne Propheta oret pro Judæis, ſicut & 1. Reg. 16. Deus prohibet Samueli ne pro Saule deprecetur. Item Joan. 12. dicitur de Judæis quod non poterant credere. Et 1. Joan. ultimo legitur: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*: Sed hæc omnia videntur innuere induratos non habere gratiam ſufficientem etiam remotam, cum ab eis omnia ſalutis media, vel ipſum orationis ſuffragium abripiantur: Ergo &c.

Reſpondeo I. auctoritates illas probare ſolum impios derelinqui ſecundum quid, & comparative ad peccatorem pœnitentem qui habet gratiam ſufficientem uberiorem, non vero abſolute: nam quamvis impii non orent, Deus tamen tamquam Proviſor generalis dat eis gratias ſufficientes quibus excitantur ad orandum, ut mediante oratione gratiam ſufficientem obtineant uberiorem ad actu orandum.

Reſpondeo II. diſtinguendo: Deus prohibet orare pro Judæis, quia prævidebat quod nollent credere & obſervare mandata, concedo: quippe qui indignos ſe præbuiſſent. Idem dicendum de Saule & aliis obduratis. Prohibet Deus orare pro eis, ita ut nullam habuerint gratiam, ne quidem remotam, nego. Intuitu meritorum Chriſti dat omnibus miſericorditer media quibus vel ipſi obdurati & impii ſalvari queant.

Unde ad id quod dicitur: Non poterant credere Judæi, diſtinguo; id eſt difficiliter poterant credere, & ſecundum S. Auguſtinum, quia nolebant, & hoc defectu gratiæ uberioris, qua ſe præbuerant indignos, concedo: ſecus, nego. Hic loquendi modus Scripturæ communis eſt, ſicut & apud ſacros Scriptores, qui ut plurimum difficultatem faciendi bonum, impotentiam vocant, ſed intellige moralem, non phyſicam, ſeu abſolutam. Sic Eccli. 7. habetur: *Conſidera opera Dei, quod nemo poteſt corrigere, quem ille deſpexerit*, id eſt difficile corrigere, ſecundum omnes Interpretes.

Reſpondeo III. diſtinguendo: Deus non vult ut aliquis oret oratione amicabili pro obdurato, quæque terminatur ad gratias ſpeciales, quales habuerant Judæi, & quibus ſe reddiderant indignos, concedo: oratione generali, & quæ terminatur ad gratias ſufficientes pro poſſibilitate ſalutis, nego: ipſe enim Chriſtus oravit in cruce pro perſecutoribus: *Pater ignoſce illis &c.* Eccleſia vero ejus inſiſtens veſtigiis, pro Paganis & Judæis die Paraſceves orat.

Inſtat: Iſaiæ 6, 10. habetur: *Excæca cor populi hujus, - - - ne forte videat*: Ergo deeſt gratia ſufficiens obduratis, ſiquidem obcæcantur ut non videant, ne Dominus ſanet eos.

Reſpondeo diſtinguendo: *Excæca cor populi hujus* permiſſive, concedo: poſitive, nego. Obduratio permiſſiva fit per ſubſtractionem gratiæ ſpecialis qua peccator ſe reddit indignum, & hanc obdurationem quandoque permittit Deus, inquit S. Auguſt. in

quan-

quantum ſinit peccatorem magis ruere in peccata. Poſitiva vero ea eſt qua effective aliquis prorumpit in peccatum, & hæc non habet Deum pro auctore, ſiquidem intentator malorum eſt: Tum quia etiam peccatum non habet cauſam efficientem, ſed ſolum deficientem. Propheta loquitur tantum de prima obduratione qua Judæi prævaricatores puniti ſunt in hoc mundo, nuſquam vero de ſecunda.

Reſpondeo II. iſtum loquendi modum: *Excæca cor populi hujus... ne forte videat oculis ſuis... & ſanem eum*; innuere orationis inutilitatem, eo quod Judæi futuri erant in infidelitate pertinaces, & hoc prænoſcebat Deus, quocirca Iſaias ut effectum jam præſentem enuntiat. Sic interpretatur Scripturam S. Thomas comment. in Iſaiam.

Replicat: Sunt quædam peccata quæ numquam remittuntur ſive in præſenti, ſive in futuro ſæculo: Sed ſi obdurati haberent gratiam, poſſent obtinere veniam peccatorum: Ergo &c. Sic habetur Joan. 1. 5.

Reſpondeo diſtinguendo: Et S. Joannes loquitur de impœnitentia finali, concedo: de aliis peccatis, ſubdiſtinguo: non remittuntur in præſenti ſæculo, id eſt, difficile remittuntur; concedo; nullo modo poſſunt remitti, nego. S. Athanaſius interpretatur locum Joannis de obduratione Phariſæorum: Norunt omnes Scripturam loqui ſecundum eorum diſpoſitionem qua ſemper reſiſtebant Spiritui ſancto, & nolebant a peccatis reſipiſcere: diu autem peccator in hac remanet diſpoſitione, hinc ejus peccata non remittuntur: & in hoc ſenſu dicuntur irremiſſibilia. Origenes textum Apoſtoli interpretatur de ſingulis peccatis mortalibus, & ſenſus eſt, homo a Deo averſus non meretur veniam, ſed ſi eum pœniteat, Deus concedet miſericordiæ indulgentiam. S. Aug. explicat auctoritatem de impœnitentia finali: Certum eſt autem eum qui perſeverat in peccato, non abſolvi, quia ad juſtificationem requiritur converſio ad Deum voluntaria.

Perſiſtit: Hebr. 10. 26. ſcriptum eſt: *Voluntarie enim, peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*: Sed ubi nulla eſt pro peccatis hoſtia, ibi nulla eſt gratia; ſiquidem gratiæ ab hoſtia immaculata profluunt: Igitur ſunt quidam peccatores obdurati, qui omni privantur gratia.

Reſpondeo diſtinguendo: Non relinquitur pro peccatis hoſtia, id eſt, peracta Chriſti oblatione, non expectatur alia victima, & alius Baptiſmus, concedo: nullæ ſunt pro peccatoribus gratiæ, nego. Apoſtolus loquitur contra Judæos ad fidem de novo converſos, qui legalia Sacramentis immiſcere volebant, immo & Baptiſmum reiterare ſicut legis Baptiſmata non ſemel renovabant. Probat autem eis Apoſtolus Chriſtum una oblatione in ſempiternum conſummaſſe ſanctificatos, adeoque inutilia eſſe veteris legis ſacrificia. Probat etiam Baptiſmum non eſſe reiterandum, eo quod gratiam regenerationis ex opere operato conferret, nec eſſe vacuum & egenum elementum ſicut Baptiſma Moſaicum, ſed ad perfectionem ducere eum qui illo initiatur. Solutio eſt divi Thomæ, qui comment. in cap. 10. ad Hebr. locum in objectione laudatum his verbis explicat: “ Sed poſt jam non eſt pro peccatis „ hoſtia; ante enim reparationem, quæ „ facta eſt per Chriſtum, relinquebatur „ hoſtia iſta quæ expectabatur: Sed nunc „ jam non expectatur alia mors ejus, ita „ nec poſt Baptiſmum ſemel acceptum ex- „ pectatur alius Baptiſmus. „

Solvuntur objectiones Janſenii ex S. Auguſtini auctoritate deprompta.

OBJICIT Janſenius lib. 3. de grat. Chr. cap. 10. multa S. Auguſtini loca, ut probet obduratos carere gratia ſufficienti qua videant & moveantur ad bonum faciendum. Primo quidem, quod Deus deſerat peccatorem; nam ſanctus Doctor q. 2. 12. lib. 1. ad Simplicianum ſic definit obdurationem; ait enim pag. 124. col. 2.: “ Ut obduratio Dei ſit nolle miſereri. „ “ Et inferius: Ut ob hoc dicatur obdura- „ re peccantes quoſdam quia non eorum „ miſeretur. „ In Pſalm. 147. “ Ecce, „ *inquit Auguſt.* deſerit peccatorem, ecce „ non vocat, ecce non aperit ſenſum, ec- „ ce non infundit gratiam. „ Igitur, *ait Janſenius*, Deus obdurat peccatorem nullam impertiendo gratiam. Quod confirmatur ex illo Auguſtini in Pſal. 6. “ Ea ‘, eſt cæcitas mentis: in eam quiſque datus fuerit, ab interiori Dei luce ſecluditur. „

Reſpondeo diſtinguendo: Deus obdurat non impertiendo & infundendo gra-

tiam uberiorem, & hoc in pœnam peccatorum præcedentium, concedo: & nullam omnino infundit gratiam, nego. Solutio eſt ipſius S. Auguſtini, qui poſt illa verba laudata: " Ea eſt cæcitas men„ tis; in eam quiſque datus fuerit, ab „ interiore Dei luce ſecluditur. „ Subdit: " Sed nondum penitus cum in hac „ vita eſt, „

Ad cujus intelligentiam triplex diſtinguenda eſt cum ſancto Doctore a Deo deſertio. Prima quidem juſti, quæ fit per ſubtractionem gratiarum ſpecialium. Secunda peccatoris, quæ cauſatur per ſubtractionem gratiæ ſufficientis uberioris. Tertia denique reprobi, quæ completur per ſubtractionem omnis gratiæ, & quam vocat S. Auguſtinus tenebras exteriores. De priori loquitur ſanctus Doctor lib. de nat. & grat. cap. 26. his verbis: " Deus, cum „ ad perfectam vitam juſtitiamque per„ duxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, „ ut pie ſemper, juſteque vivatur. „ De „ poſteriori ſerm. 88. " Volumus chari„ tati veſtræ ſuggerere qualiter obduratio„ nem illam debeatis accipere. Primo hoc „ fideliter & firmiter credat dilectio ve„ ſtra, quia numquam Deus prius deſerit „ hominem, niſi prius ab homine deſera„ tur. Cum enim & ſemel & ſecundo & „ tertio unuſquiſque gravia peccata com„ miſerit, expectat tamen Deus. „ De tertia ſermonem habet in Pſal. 6. cum hac triplici diſtinctione omnia ſolvuntur Janſenii argumenta. Et vero quando S. Auguſtinus dicit peccatorem a Deo derelinqui, loquitur ſolum in primo vel ſecundo ſenſu; namque de peccatoribus obduratis loquens, ait non omni luce, quandiu in hac vita degunt, privari; & non obſtante peccatorum reiteratione, eos tamen Deum ad pœnitentiam expectare; hinc ſi abſolute ſanctus Præſul quandoque dicat peccatorem omni prorſus gratia ſpoliari, manifeſtum eſt eum loqui de impœnitentia finali, quæ eſt per tenebras exteriores.

Inſtat Janſenius ibidem his verbis: " Sed „ non iſtis generalibus locutionibus, quam„ vis perſpicuis Auguſtinus ſtetit. Do„ cet enim conſequenter pluribus locis ita „ deſeri excæcatos atque obduratos, ut bo„ num quod eis volendum, aut faciendum „ eſt, facere ac velle, immo cernere non „ poſſint. Quod non aliud profecto eſt, „ quam eos ab adjutorio ſufficienti prorſus „ deſeri... aſſerit hoc exponitque diverſis „ locis Auguſtinus .... „ In lib. de perf. juſt. cap. 19. *Quaſi non debeat Deo agere gratias, qui præcepta voluit, qui deſertus omni lumine veritatis, hæc velle non poſſet*. Et in q. 14. in Matth. *Cogimur fateri aliis quibuſdam peccatis ita eos excæcari meruiſſe: qua tamen excæcatione non potuerunt credere*. Et mox iterum lib. 2. de ſerm. Dom. in monte cap. 9. *Non intuentes, non enim poſſunt, cum ſuperſtitione & contentione cæcati ſunt*. Duo infer ex illis locis Janſenius: unum, quandoque etiam peccator ab omni luce gratiæ ſecludatur; alterum vero quod ita deſeratur, ut non poſſit credere & velle bonum.

Reſpondeo I. negando ſequelam. Ad primam probationem diſtinguo: Quandoque peccator omni luce uberiori deſtituitur, concedo: omni abſolute, nego. Solutio eſt S. Auguſtini dicentis non omni prorſus privari quandiu eſt in hac vita.

Reſpondeo II. aliter diſtinguendo: Et in textu pro objectione laudato loquitur S. Aug. argumentando ad hominem contra Cæleſtium, qui contendebat hominem omni privatum gratia poſſe ſervare mandata, concedo, quod in hoc ſenſu neget ſanctus Præſul hoc: Et omnem excludat a peccatore gratiam, nego. Cum eo loci hoc potius aſtruat, quippe qui agat de neceſſitate gratiæ: Quia vero Cæleſtius inferebat ex illo Scripturæ loco: *Si velis, præcepta ſervabunt te*: hominem viribus innatis poſſe bonum, eum confutat dicens: " Quaſi non „ debeat Deo agere gratias, qui præce„ pta voluit, qui deſertus omni lumine „ veritatis hæc velle non poſſet. „ Quibus verbis hoc unum probat ſanctus Præſul, ſcilicet hominem qui vult præcepta ſervare, Deo ejuſque gratiæ id debere, quia ſi deſtitueretur omni veritatis lumine, hoc velle nuſquam haberet; & aſſert in probationem quod de omni bono opere patrato gratias Deo agere teneatur.

Ad ſecundum locum diſtinguo: Peccatores non poſſunt credere, & bonum facere quia nolunt, & quando agunt reduplicative ut peccatores, concedo: ſecus, nego. Solutio eſt ipſius Auguſtini lib. 2. de ſerm. Dom. in monte cap. 24. his verbis: " Quandiu quiſque malus eſt, „ non poteſt facere fructus bonos, ſi „ enim bonos fructus fecerit, jam ma„ lus non erit. Sic veriſſime dici po-

„ tuit,

„ fuit, non poteſt eſſe nix calida: „ cum enim calida eſſe cœperit non jam „ nivem, ſed aquam vocamus, Poteſt „ ergo fieri, ut quæ nix fuit, non ſit; „ non autem poteſt fieri, ut nix calida „ ſit. Sic poteſt fieri ut qui malus fuit „ non ſit malus: non tamen fieri poteſt „ ut malus benefaciat. „ Tum in verbis immediate antecedentibus. " Hinc „ & illi, non poterant credere, non „ quia mutari in melius homines non „ poſſunt: ſed quandiu talia ſapiunt, non „ poſſunt credere. „

Replicat ibidem: Atqui ab omni prorſus luce ſecluditur peccator obduratus, & nullo modo bonum poteſt facere: Ergo &c. Probat primam partem illo S. Aug. loco in Pſal. 57. " Jam eſt mentis cæci„ tas, jam oculus mentis extinctus eſt „ Et ex lib. de nat. & grat. cap. 51. " Poſ„ ſet, *ait Aug. loquendo de cæcato*, & Me„ dicum quærere; qui cæci oculos ſana„ ret, & videndi poſſibilitatem reſtitue„ ret, quæ fuerat amiſſa per cæcitatem: „ quoniam cæcus puto quod velit videre, „ ſed non poteſt; ſi autem vult & non po„ teſt, ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſ„ ſibilitas. „ Igitur ex S. Auguſtino obduratus omni luce gratiæ privatur; ſiquidem ex eodem non poteſt videre, & debet petere ut Chriſtus reſtituat videndi poſſibilitatem.

Probat alteram partem, ſcilicet quod obduratus non poſſit operari bonum, ex libro primo contra Jul. operis imperf. cap. 47. ubi ſic loquitur S. Aug. " Eademque cæ„ citas ſi peccati pœna non eſſet, non „ diceretur: *excæcavit enim illos malitia* „ *illorum*. Quod ſi de Dei judicio non ve„ niret, non legeremus, *obſcurentur oculi eo„ rum ne videant, & dorſum eorum ſemper in„ curva*. Quis porro volens cæcus eſt cor„ de, cum velit nemo cæcus eſſe vel „ corpore? „ Quibus verbis docet ſanctus Doctor cæcitatem eſſe pœnam præcedentis peccati, adeoque involuntariam; ex quo infert Janſenius inducere impotentiam abſolutam faciendi bonum, ſicut concupiſcentia, quæ quia eſt peccati originalis effectus, ideo ex neceſſitate habet motus adverſantes legi mentis.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad primam probationem, diſtinguo: Oculus mentis extinctus eſt moraliter per privationem gratiæ uberioris, concedo: ſimpliciter & omnimode, ſubdiſtinguo: quoad aliquam veritatem particularem, concedo: quoad omnes veritates, nego. Non penitus obcæcatur peccator quandiu eſt in hac vita, teſte ſancto Auguſtino: ſed quandoque peccatorum pondere & repetitione amitti fidem, aut ſaltem nihil amplius videt & cognoſcit de myſterio principali ſalutis. S. Præſul in primo loco loquitur ſolum de extinctione oculi circa veritatem particularem ſalutis; hæc enim ſubdit: " Si cæcus oculis carnis ad menſam ſuam „ quamlibet optimam diſcumberet, miſe„ rum eum diceres. Cæcus interius pa„ nem Chriſtum non videt. Et beatus eſt? „ Hoc non dicit niſi pariter cæcus. „ Igitur ex Aug. in eo tantum peccator cæcus eſt, quia panem Chriſtum non videt.

Ad ſecundum locum pro prima probatione adductum, diſtinguo: Obcæcatus non habet proximam videndi poſſibilitatem, concedo: hinc debet petere ut habeat uberiores gratias quibus ſanetur: Non habet remotam, nego: nam ex ſancto Auguſtino ineſt ei voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas, id eſt uberior & proxima, minime vero remota, alias nullam faciendi bonum haberet voluntatem.

Ad ſecundam probationem nego obduratum non poſſe operari bonum. Iprenſis deflorat locum S. Aug. & primam omittit partem, quæ talis eſt: " Cæcitas cor„ dis, ſi peccatum non eſſet, injuſte ar„ gueretur: arguitur autem juſte, ubi di„ citur; Phariſææ cæce, & aliis plurimis „ divinorum eloquiorum locis. „ Ad id vero quod dicitur quod eſt pœna peccati non eſt voluntarium, diſtinguo: in cauſa, nego: in ſe ſubdiſtinguo, ut pœna eſt, tranſeat: ut peccatum eſt, nego. Obduratio poteſt conſiderari dupliciter: I. ut pœna præcedentis peccati, & ſic non eſt voluntaria in ſe, ſed in cauſa ſua, quia eſt effectus multorum peccatorum voluntarie commiſſorum: II. ut peccatum eſt, in quantum depelli poteſt per pœnitentiam, & non vult peccator pœnitere, & ſic eſt grande ſcelus & maxime voluntarium; unde bene dicit S. Auguſtinus. " Si peccatum „ non eſſet, injuſte argueretur: arguitur „ autem juſte. „ Igitur obduratio in ſe peccatum eſt, & quidem maximum.

Inſtat: Atqui obduratus non poteſt depellere cæcitatem & cordis duritiam: Ergo &c. Probat antecedens ex S. Aug.

qui lib. de nat. & grat. cap. 22. ſic habet. " Nec cogitat prævaricatorem legis, ,, quam digne lux deſerat veritatis: qua ,, deſertus utique fit cæcus, & plus ne- ,, ceſſe eſt offendat, & cadendo vexe- ,, tur, vexatuſque non ſurgat, ut ideo ,, tantum audiat vocem legis, quo admo- ,, neatur implorare gratiam Salvatoris. ,, Sed ſi neceſſe eſt ut peccator offendat, & cadendo vexetur, ſi audiat tantum vocem legis & admoneatur implorare gratiam, non poteſt depellere duritiam cordis: Ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: Neceſſe eſt ut peccator offendat moraliter, quia non vult ſe convertere, concedo: neceſſe eſt abſolute, ita ut omni privetur gratia, nego. Solutio eſt in ipſo textu allato; dicitur enim quod habeat vocem legis interioris, quod admoneatur implorare gratiam efficacem, ut poſſit a tenebris liberari. Unde ibidem ait D. Aug. cap. 43. n. 50. " Non igitur ,, Deus impoſſibilia jubet: ſed jubendo ,, admonet & facere quod poſſis, & pe- ,, tere quod non poſſis. ,, Quod autem impotentia non ſit phyſica, ſed ortum habeat a propria voluntate, propriaque cordis malitia, dicit Aug. tract. 53. in Joan. ubi de Judæis ait: *Non poterant credere, quia nolebant*. Tum lib. de grat. & libero arbit. cap. 12. de eiſdem ſic habet: *Gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant*.

Solvitur argumentum ex obduratione Pharaonis deſumptum.

OBJICITUR: S. Auguſtinus in expoſitione quarumdam propoſitionum epiſt. ad Rom. cap. 62. ſic loquitur: " Non ergo hoc ,, illi imputatur, *Pharaoni*, quod tunc ,, non obtemperaverit, quandoquidem, ,, obdurato corde, obtemperare non pot- ,, erat: ſed quia dignum ſe præbuit cui ,, cor obduraretur priori infidelitate. ,, Igitur ex S. Auguſtino obduratus non habet gratiam ſufficientem, alias poſſet obedire.

Reſpondeo I. S. Auguſtinum ſcripſiſſe quæ in objectione proponuntur cum adhuc errore Semipelagianorum detineretur; hinc putabat obduratum Pharaonem obedire non potuiſſe; cum enim initium fidei & bonorum operum tunc poneret ex conatu naturæ, inferebat Pharaonem propter obdurationem non potuiſſe obedire, quia obduratio erat quaſi vinculum impediens voluntatem ne aliquod inchoaret bonum; unde lib. retract. cap. 23. fatetur opus expoſitionis in epiſt. ad Rom. ſe non ſatis accurate ſcripſiſſe.

Reſpondeo II. S. Doctorem, re maturius diſcuſſa, aliter ſcripſiſſe; in primis ſerm. 88. de tempore, ubi dicit expreſſe peccata Pharaonis jam obdurati merito fuiſſe illi imputata: " Quia, *inquit*, potuit ,, miraculis credens, Deum tantæ virtu- ,, tis agnoſcere. ,,

Reſpondeo III. Exodi 8. 9. 10. & 11. contumaciam Pharaonis illi verti in vitium & peccatum; & merito, quænam enim exoptanda erat major gratia ſufficiens, quam ea quæ adjuncta habebat portenta terribilia ad cor ejus emolliendum patrata: & de facto ex Scriptura conſtat quolibet miraculo cor ejus emolliri cœpiſſe, quandoquidem cito-citius advocabat Moyſen, & promittebat populi relaxationem.

Reſpondeo IV. ex Scriptura conſtare obduratos habere gratias ſufficientes ad reſipiſcendum; ſcriptum eſt enim Eccleſ. 15. *Non dixeris: Per Deum abeſt*. Et Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*. Tum Apoſtolus obduratum ſic alloquitur: *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram*: Si igitur obduratio vertatur in vitium & peccatum, ſi obduratus ipſe ſibi theſaurizat iram, ſi per Deum non abeſt; ſi vocatur ut convertatur, ſi perditio ex Iſrael promanet: addo ſi quidam obdurati ut Nabuchodonoſor & Saulus perſecutor converſi ſunt, manifeſtum eſt obduratum habere gratias ſufficientes, ut ſuam poſſit, ſi velit, operari ſalutem: alias obduratio nec foret peccatum, nec in vitium veteretur, nec ullam mereretur pœnam. Quod autem Auguſtinus dicat ibidem Pharaonis obdurationem eſſe præcedentium peccatorum pœnam, recte aſſignat ipſius cauſam; ſed non ſequitur ex hoc eſſe involuntariam, ſiquidem & dictum eſt, obduratos illam poſſe depellere, & in hoc ſpecialiter rei ſunt, quod noliut pœnitentiam agere.

Inſtabis: Sequitur ex dictis obdurationem vel ipſam orandi potentiam auferre, & neceſſitare ad malum: Igitur & abſolute omnem adimit gratiam. Probatur ſequela lib. 2. Mach. cap. 9. de impio Antiocho.

tiocho legitur: *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*. Tum Hebr. 12. Apoſtolus de Eſau, ſic loquitur: *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam*.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem, diſtinguo: Non invenerunt locum pœnitentiæ Antiochus & Eſau, quia ex malo motivo eam expoſtulabant, concedo: Enim vero primus ſolum orabat ad corporis ſanitatem recuperandam, alter vero lugebat non præciſe peccatum, ſed damnum temporale, ſcilicet primogenituram deperditam, quam quidem ipſe guloſus pro eſca modica vendiderat: non obtinuerunt pœnitentiæ locum quia nullam habebant gratiam ſufficientem, ſaltem remotam, nego. A quo enim procedebat inſpiratio pœnitentiæ, niſi ab auxilio ſupernaturali & interiori quo abuſi ſunt propter malum actionis motivum?

Dices: Saltem obduratio eſt levius peccatum; ſiquidem eſt quædam boni operandi impotentia moralis: ſed nequit eſſe levius cæteris peccatum niſi per privationem omnimodam gratiæ ſufficientis. Ergo &c.

Reſpondeo I. Eo ipſo quo obduratio eſt peccatum, manet ſemper quod adſit gratia ſufficiens: ideo enim eſt peccatum quia vitari potuit, non potuit autem abſolute ſine gratia vitari.

Reſpondeo II. Obdurationem eſſe enorme peccatum, & in ſe & in ſua cauſa; in ſe quidem, quia ut dicit Propheta de obdurato: *Noluit intelligere ut bene ageret*; & alibi de obduratis, *lætantur cum male fecerint*. Igitur ex certa malitia peccant; maxime voluntarie, aperto corde, & tota mentis jubilatione; hinc obduratio eſt peccatum in Spiritum ſanctum. Ille enim peccat in Spiritum ſanctum inquit D. Thomas 3. p. qui peccat ex certa malitia & ingratitudine, quæ maxime apparet in obduratis, ſiquidem ad obcæcationis gradum non perveniunt, niſi poſt multarum gratiarum contemptum, de quo per os David Pſal. 54. Deus conqueritur dicens: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique .... Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus: qui ſimul mecum dulces capiebas cibos*. In cauſa autem obdurationis eſt maximum peccatum, quia eſt iteratorum peccatorum fœtus, juxta illud Joannis Baptiſtæ ad Judæos obduratos Luc. 3. 7.: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*.

SYNOPSIS PROBATIONUM,

Obcæcati habent gratiam ſufficientem, qua poſſunt ad pœnitentiam adduci.

PRIMO: Hoc clare annuntiat Apoſtolus Rom. 2. 4. ubi loquens de obduratis, ait eos ſibi theſaurizare iram reſiſtendo gratiæ quæ eos ad pœnitentiam invitat: *Benignitas Dei*, ait, *ad pœnitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram*.

Secundo: Hoc docent SS. Doctores, in primis S. Aug. lib. 1. ad Simp. quæſt. 2. & S. Thomas 3. p. quæſt. 66. art. 1. in corp.

Tertio: Non una ratio concluſionem probat I. Quia Deus vult omnes & ſingulos homines ſalvos fieri. II. Chriſtus pro ſingulis mortuus eſt, utique pro omnibus meruit gratias ſufficientes. III. Præcepta obduratis proponuntur, & non ſunt eis impoſſibilia, ſin minus, non peccarent: ſed eſt de fide præcepta nemini eſſe impoſſibilia; vel ipſos obduratos teneri ea ſervare: Igitur poteſt dici & eſſe de fide ſaltem conſequenter, eos non privari omni luce & gratia qua ea adimplere valeant.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Ne miremini, ſi quandoque legatur Deum nolle ſanare peccatores, prohibere ne ſacrificia vel etiam preces pro eis fundantur; hæc & ſimilia unum tantummodo innuunt, videlicet Deum juxta præſcientiam qua prævidit abuſum mediorum, loqui: unde idem eſt ac ſi diceretur, & gratiam, & preces, & ſacrificia ex pravitate peccatores rejicient, hinc cuncta inutilia pro eorum ſalute futura ſunt; quocirca ex contemptu gratiarum obcæcati evadent, nec ſanabuntur, quia ſanari abnuent.

Secundo: Nec quicquam virium habent argumenta Janſenii in contrarium, cum

cum ex eis ſolum concludatur gratiam remotam ad converſionem habere obduratos, ſed non omni, ex Auguſtino privari. Neque vero negamus iſtos peccatores in malo obſtinatos quodammodo a Deo derelinqui; ſed in hoc dumtaxat ſenſu, quod gratia efficaci, immo & ſufficienti uberiori ſæpius priventur.

Tertio: Pharaonis exemplum fruſtra pro ſuis erroribus Novatores ventilant, quippequi quoties in ejus conſpectu Moyſes prodigia patravit, toties gratiam ſufficientem ad converſionem habuit; cujus rei argumentum irrefragabile eſt, quod ſæpius intrinſece commotus, ſæpius etiam in votis habuerit relaxare populum: Nec dicas ſolo timore perterritum ad meliorem frugem reverſum remiſiſſe populum, cum teſte S. Auguſtino, quoties Deus forinſecus per portenta cor movet, utique & intrinſecus ad convertendos peccatores loquatur.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Judæi habuerint gratiam ſufficientem ad legem ſcriptam adimplendam?

JANSENIUS lib. 3. de grat. Salvat. cap. 5. & ſequentibus, poſt Lutherum & Calvinum erga Judæos durus eſt. Hic omnes referre calumnias, quas evomit contra veterem legem & Synagogam, ſuperſedeo: ſufficit impræſentiarum dicere datam velle legem Moſaicam, non præciſe ut obſervaretur a Judæis, verum potius ut per varias tranſgreſſiones & prævaricationes homo ſuperbus humiliaretur, tum ſuam agnoſceret infirmitatem, & ardentius deſideraret Salvatorem, ex quo fucato & falſo principio concludit Judæos præter Patriarchas & quoſdam inſignes prælectos, non habuiſſe gratiam ſufficientem ad obſervanda præcepta: ex iſto vero aliud pejus eruit, nempe præcepta data Judæis fuiſſe, paucis exceptis, ad obſervandum impoſſibilia: contra quem ſit

CONCLUSIO.

Judæi omnes, ſive conſiderentur ante datam legem, ſive poſt, habuerunt gratiam ſufficientem, qua poterant præcepta Dei adimplere, & ſalvari.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

PRIMO: Ex dictis liquet Deum velle omnes & ſingulos homines ſalvos fieri, qui fuerunt, inquit Concilium Cariſſiacum ab initio mundi, qui ſunt & qui futuri ſunt: ſimiliter Chriſtus mortuus eſt pro ſingulis, ab Adam, eodem atteſtante Concilio: ſed ex ſanctis Doctoribus iterum atque iterum laudatis ordo voluntatis Dei volentis omnium & ſingulorum ſalutem eſt circa media ſufficientia: idem de morte Chriſti luce clarius demonſtratum eſt: Igitur illæ auctoritates valent & pro Judæis, maxime cum Cariſſiaca Synodus declaret Deum velle ſalutem omnium qui ab initio mundi extiterunt homines: cum Can. 4. dicat Chriſtum mortuum pro omnibus & ſingulis ſine exceptione: Igitur Judæi omnes habuerunt gratiam ſufficientem interiorem, qua poterant ſuam operari ſalutem.

Secundo: Hoc ipſum declarant ſacræ paginæ. Iſaiæ 5. 4. habetur: *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Eo loci loquitur Deus Judæis, vinea quippe Domini domus Iſrael eſt: Porro de eis conqueritur, quod incaſſum recepiſſent gratias, eiſque in ſuam perniciem reſtitiſſent; ſic loquitur Dominus Ezech. 24. *Væ* tibi, - - - *mundare te volui, & non es mundata*. Rurſus Proverb. 1. *Vocavi & renuiſtis*. Igitur Judæi gratias habuerunt ſufficientes, quibus legem, ſi vellent, poſſent adimplere: alias injuſta, quod abſit dicere, fuiſſet increpatio.

Secundo, ex S. Auguſtino.

I. S. DOCTOR lib. 5. ad Bonif. cap. 4. conqueritur de Pelagianis, his verbis: " Quis catholicus dicat, quod nos ,, dicere jactitant, Spiritum nempe ſanctum

„ ctum adjutorem virtutis in veteri Teſta-
„ mento non fuiſſe . „ II. Serm. 13. de
verbis Apoſt. cap. 2. " Lux , *inquit* , data
„ eſt , ut medicus , id eſt , gratia adju-
„ vans. „ III. Libr. de gratia & liber.
arbitr. de Judæis ait , cap. 12. nu. 24. "
„ Gratiam repellebant , & in Chriſtum
„ propterea non credebant . „ IV. Lib.
de prædeſt. SS. cap. 9. " Facile eſt ut in-
„ fidelitatem accuſemus Judæorum de li-
„ bera voluntate venientem , qui factis
„ apud ſe tam magnis virtutibus credere
„ noluerunt . „ V. Denique lib. 1. oper.
imperſ. pag. 41 . dicit : " Cæcitas cordis
„ ſi peccatum non eſſet , injuſte arguere-
„ tur ; arguitur autem juſte , ubi dicitur ,
„ Phariſæe cæce , & aliis plurimis divi
„ norum eloquiorum locis . „ Unde Tra-
ctat. 53. in Joan. ſubdit : " Iſta cæcitas
„ fuit Judæis grande incredulitatis ma-
„ lum , & grandis cauſa peccati , ut oc-
„ciderent Chriſtum . „

Jam perpendamus ſingula . Ille propugnat gratiam ſufficientem datam fuiſſe Judæis , qui dicit Spiritum ſanctum fuiſſe in veteri lege adjutorem virtutis : Atqui ſic docet in primo loco Auguſtinus : Igitur falſum eſt quod dicit Janſenius , eos qui ſub lege erant , omni virtute fuiſſe privatos .

Rurſus : Ille agnoſcit in Judæis gratiam ſufficientem , qui agnoſcit donatos fuiſſe luce interiori ut quærerent medicum ; enim vero lex ad hoc non ſufficit , & teſte Apoſtolo , velle bonum eſt a gratia , ſimiliter & quærere totius boni auctorem : atqui Auguſtinus in ſecundo loco ait Judæos luce donatos fuiſſe ut quærerent medicum : Igitur data eſt eis gratia ſufficiens qua poſſent quærere efficacem & adjuvantem , ut ipſe explicat Auguſtinus .

Rurſus : Ille docet Judæos accepiſſe gratiam ſufficientem qua poſſent præcepta adimplere , qui reos dicit eos de peccato infidelitatis , de peccato occiſionis Chriſti , de peccato cæcitatis , ſiquidem nemo peccat in eo quod vitare non poteſt , inquit S. Doctor libr. de natura & gratia cap. 69. ignorantia eorum profecto vincibilis erat , quum viſis tantis miraculis , nolebant credere : non credebant tamen , non quia non poterant , & gratia denudati ingemiſcerent , ſed ex eo quod nollent , ut ſæpius dicit S. Auguſt. Igitur habebant gratiam Judæi , & quidem tempore Chriſti : cum eos de hoc peccato arguerit Dominus . Tum tempore Prophetarum , exprobrat enim eis Salvator , quod eos , conſcientia reclamante , occidiſſent : immo ab omni ævo habuerunt , & illi reſiſtebant : Teſtis ſanctus Stephanus , qui ſermonem habens pro Chriſto apud Legis Doctores , qui viſis miraculis & audita fide non credebant , dixit eis Actor. 7. *Dura cervice & incircumciſis cordibus ---- vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis* : Igitur habuerant gratiam ; non alio quippe modo reſiſtitur Spiritui ſancto , niſi gratiæ reſiſtendo , Patres eorum ; non Prophetæ , non ſancti Patriarchæ , qui fideles in omnibus Spiritui ſancto obediebant : Igitur alii Patres qui gratiam ſufficientem atque prævenientem habebant , nec tamen obediebant , & in hoc ſane culpabiles ; hinc S. Stephanus comparat Judæos ſibi coævos Patribus malignis & peccatoribus . Igitur cum ex Auguſtino infidelitas & cæcitas Judæorum ſit a propria voluntate , cum ſit peccatum , habebant gratiam qua poterant vitare ejuſmodi peccatum , alias fuiſſent excuſabiles , quod per omnia ſententiæ S. Doctoris adverſatur .

Rurſus : Tract. 38. in Joannem explicans illa Chriſti verba : *Ego vado , & quæretis me , & in peccato veſtro moriemini* ; ait : "
„ Prænuntiavit ergo illis Dominus , di-
„ xitque ſententiam præſcius , quod in ſuo
„ peccato morerentur ; deinde adjunxit :
„ *quo ego vado , vos non poteſtis venire* ; non
„ abſtulit ſpem , ſed prædixit dilationem .
„ Quando enim hoc Diſcipulis Dominus
„ loquebatur , tunc non poterant venire ,
„ quo ille ibat , ſed poſtea venturi erant ;
„ iſti autem numquam , quibus præſcius
„ dixit , *in peccato veſtro moriemini* . „ Profert ſententiam non auferendo bene agendi voluntatem , ſed præſciendo firmam in malo voluntariam pertinacitatem .

Tertio , ex S. Thoma .

D. THOMAS fidelis Auguſtini interpres & diſcipulus eidem patrocinatur veritati , maxime 1. 2. quæſt. 98. art. 2. in quo hanc ſibi propouit objectionem . Deus vuit omnes homines ſalvos fieri ; ſed lex vetus non ſufficiebat ad ſalutem , ergo non pertinebat ad Deum talem legem dare ; ſic reſpondet ad 4. " Dico quod , & ſi lex
„ vetus non ſufficeret ad ſalvandum ho-

,, & ſi lex vetus non ſufficeret ad ſalvan- ,, dum homines , tamen aderat aliud au- ,, xilium a Deo hominibus ſimul cum le- ,, ge datum per quod ſalvari poterant, ,, ſcilicet fides Mediatoris , per quam ,, juſtificati ſunt antiqui Patres , ſicut & ,, nos juſtificamur , & ſic Deus non de- ,, ficiebat hominibus quin daret & ſalutis ,, auxilia . ,, Igitur ex D. Thoma Judæi omnes præter legem habebant gratiam interiorem qua poterant ſervare mandata : immo ad ipſam fidem habendam requiritur gratia vocans , & adjuvans : de fide enim definitum eſt in ſecundo Concilio Arauſicano , ne quidem fidei initium poſſe eſſe a natura : omnes Synodi contra Semipelagianos adunatæ idem concluſerunt . Igitur eo ipſo quo fides Mediatoris adjuvabat antiquos Judæos ut poſſent adimplere præcepta & ſuam operari ſalutem, adjuvabat & gratia.

Idem , Scholæ Angelus in 1. diſt. 40. quæſt. 4. art. 2. in argumento *ſed contra* , ait : " Dicunt ſancti communiter ,, Dionyſius , Auguſtinus , Anſelmus quod ,, cauſa quare iſte non habet gratiam , ,, eſt, quia ipſe noluit accipere , & non ,, quia Deus noluit dare ; quia lumen ſu- ,, um omnibus offert , quod tamen ab ,, omnibus non percipitur . ,, Quibus verbis duo exponit D. Thomas . I. Hominem quandoque non habere gratiam efficacem ; loquitur enim de illa , quia loquitur de opere quod non conſecutum eſt . II. Eam eſſe cauſam cur iſte non habuerit gratiam operis , quia noluit recipere . Si noluit , igitur reſiſtebat motioni & gratię ſufficienti , adeoque illam habebat : quia vero reſtitit, non pervenit uſque ad gratiam efficacem . Denique D. Thomas loquitur univerſaliter de omnibus hominibus . Igitur omnes , ne uno quidem excepto , habent aut habuerunt gratiam ſufficientem , qua ſuam operari ſalutem poſſent .

Quarto , ex factis & exemplis per ſeriem & traditionem deductis .

P R I M O : Abraham benedictus a Deo pater Judæorum conſtitutus eſt , nedum Judæi ſed & gentes in ipſo benedictæ ſunt : numquid igitur ſoli Prophetæ filii dilecti Abraham , numquid aliqui tantum Patriarchæ ? Si ita dicas , manifeſte contradicis Joanni , qui duodecim millia ex qualibet tribu ſignatos & electos vidit . Si tot electi ſunt, profecto gratias ſufficientes, quibus poſſent ſervare præcepta , receperunt . Immo cæteri non electi ubique habuerunt , ideo quippe reprobi : quia cum bonum operari valerent , noluerunt . Gratiam repellebant , & in Chriſtum propterea non credebant , inquit Auguſt.

Secundo : Colonus fuit in Ægypto Jacob , & multiplicatis ſupra numerum filiis , tunc oppreſſi ſunt ab iis qui operibus præerant : clamaverunt gementes ad Dominum , & ipſe exaudivit eos ; ſic enim habetur Exod. 3. 9. *Clamor ergo filiorum Iſrael venit ad me : vidique afflictionem eorum qua ab Ægyptiis opprimuntur . Sed Veni & mittam te ad Pharaonem , ut educas populum meum , filios Iſrael de Ægypto* . Igitur grati & Deo accepti tunc erant Judæi . Igitur gratiam ſufficientem habebant qua poſſent ſervare legem , immo & gratiam qua de facto illam adimplerent , alias ſi toti in malignitate fuiſſent poſiti , ſane non exaudiſſet eos Deus , juxta illud Pſalm. 49. *Peccatori autem dixit Deus , quare tu enarras juſtitias meas.* Et iterum Pſalm. 108. 7. *Oratio ejus fiat in peccatum* . Et adhuc Iſa. 46. 7. *Cum clamaverint ad eum , non audiet* . Igitur non ſoli Patriarchæ , non ſoli Prophetæ & alii numero pauciſſimi , ut vult Janſenius , habuerunt in veteri lege gratiam qua poſſent ſalvari & ſuam operari ſalutem , ſed ut habetur Exod. 12. numero circiter 600000. peditum virorum , non computatis mulieribus & parvulis .

Tertio : Educti filii Iſrael de Ægypto ita juſti extiterunt , ut gentes , Deo adjuvante , contriverint ; earum urbes & terras occupaverint ; multi quidem in deſerto peccavere , ſed cum puniret eos Deus , ad cor revertebantur ; quotquot ſerpentem æneum exaltatum fide viva conſpiciebant , ſanabantur , & ſanabantur per fidem in Chriſtum venturum : Igitur habebant gratiam qua poſſent credere ; qui vero gratiam repellebant , non credebant , quia nolebant .

Vel etiam tempore Judicum Idololatræ multi , & ideo in captivitatem ſæpius dati , ſæpiſſime utique per Judices , qui bella Domini gerebant , pœnitentes reſtituebantur patriæ : Igitur propter pœnitentiam ,

tiam, adeoque habebant gratias interiores quibus ſatisfacere Deo poterant; numquam enim niſi pœnitentia & bonis operibus flectitur Deus. Eum placaverunt Judæi tempore Eſther, quæ adjuvante Domino cor Regis convertit in miſericordiam pro populo, qui proximus morti, gemens & ſuſpirans clamabat tota fortitudine ad Dominum. Placaverunt tempore Judith, quæ confortata deſuper abſtulit opprobrium Iſrael. Placaverunt, clavum regni tenente David, tenente Ezechia, tenente Joſaphat, qui omnes pietate floruerunt: hoc ipſum victoriæ innumeræ ſuper Iſrael hoſtes reportatæ annuntiant. Placaverunt Judæi Dominum vel ipſo captivitatis Babylonicæ tempore, elapſis ſiquidem ſeptuaginta annis a Cyro liberati, iterum & Templum & Jeruſalem reædificaverunt lætantes. Igitur omni tempore fuerunt Judæi cultui divino addicti: quando vero abjicientes Dominum peccabant, luebant Idololatriæ pœnas: & hoc ipſum arguit gentem Judaicam totam habuiſſe gratias ſufficientes ad ſalutem, quibus converteretur ad Dominum; ideo quippe puniebantur, quia reſiſtendo gratiæ prævaricabantur Judæi legem. Et vero ſi omni gratia denudati extitiſſent, neceſſitate compulſi peccaſſent, adeoque non puniendi, quia peccaſſent ſolum materialiter, ſiquidem, teſte Auguſtino, nemo peccat in eo quod vitare non poteſt. Ergo &c.

Quarto: Non ſolum libri Regum, ſed & Machabæorum nobis exhibent infinitos prope Judæos, qui tanta devotione legem obſervabant, ut illam ad exilium uſque, captivitatem, & bonorum dilapidationem, immo uſque ad ſanguinis effuſionem defenderint. Et vero quot Aſſomonæorum ævo anguſtiati, bellis ſæpe contriti, ſæpe etiam victores Deo volente & protegente, ad Deum confugientes, immo & magna ex parte mandatis fideliter obtemperabant, ita ut Judas pro defunctis ſacrificia offerri voluerit. Igitur Judæi habebant gratias ſufficientes, quibus poſſent pie & religioſe ſecundum Deum vivere. Paucis omnia dicam, quot veteris teſtamenti libri, tot teſtes ſeu teſtimonia quæ nationem Judaicam, numquam fuiſſe gratia interiori ad ſalutem operandam deſtitutam annuntiant. Quod quidem S. Joannes clare admodum innuit Apoc. 7. 5. ubi vel etiam prædeſtinatorum multitudinem magnam numerat, dicens: *Centum quadraginta quatuor millia ſignati, ex omni tribu filiorum Iſrael* Ergo &c.

Quinto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA: Judęis data ſunt precepta adimplenda: Igitur & poſſibilia; nihil enim impoſſibile præcipitur. Quod autem eſſent poſſibilia, audi Dominum Iſrael Deut. 30. ſic alloquentem: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt.* Rurſus Eccl. 31. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus: facere mala & non fecit.* Igitur Judæi omnes habuerunt gratias ſufficientes ad obſervandm legem. Probatur conſequentia: præcepta ſupernaturalia non ſunt niſi per gratiam poſſibilia, juxta illud Chriſti Joan. 6. *Sine me nihil poteſtis facere*; unde Tridentinum dicit peccatori, *Deus adjuvat ut poſſis*. Illa vero data ſunt in veteri lege pro omnibus & ſingulis Judæis: Igitur quilibet habuit gratiam ſufficientem, alias mandatum fuiſſet impoſſibile, quod non poteſt dici. Et vero numquid Judæi pro tranſgreſſione legis quam adimplere non poterant, iterum atque iterum graviſſimas ſubiſſent pœnas, abſit dicere! Immo cogitare; Deus quippe intentator malorum eſt, nec in adultis punit, niſi culpas voluntarias.

Secunda: Lex vetus licet non perfecta fuerit ſicut lex Evangelica, attamen ſanctam fuiſſe inficiari nemo poteſt: ſiquidem data eſt a Deo: data ad cultum ſupremo numini rite & debite exhibendum, data ad regulandos mores: ſed hoc fieri nequit ſine gratia interiori, dicere enim ad hoc legem ſufficere, Pelagianum eſt; ſed lex erat pro omnibus: Igitur & gratia, qua & legem adimplere & ſalutem operari valerent.

Tertia: Omnia, teſte Apoſtolo, contingebant Judæis in figuris, omnia quippe Chriſtum repræſentabant, ut in ipſum credentes & peccatores juſtificarentur in fide Meſſiæ venturi, & juſti proficerent: ſed figuræ ſine gratia interiori inanes atque inutiles fuiſſent: Igitur cum figuræ datæ ſint omni populo tamquam Symbola, quibus moverentur ad fidem in Chriſtum venturum, Judei omnes habuerunt gratias ſufficientes, quibus excitarentur

tum

Digitized by Google

tum ad deſiderandum Salvatorem, tum ad credendum in ipſum; hinc crebra in cœlum vota: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*.

Quarta: Habebat lex Sacramenta & ſacrificia, alia ad cultum Deo debitis cæremoniis exhibendum; alia ad expianda peccata, alia ad gratias Deo pro beneficiis repetendas, alia pro novis obtinendis; & hæc Sacramenta ſpectabant totam gentem; quilibet pro peccatis expiandis ſacrificium offerre tenebatur: jam vero Sacramenta conferebant gratiam ex opere operantis, & hoc eſt de fide definitum in Florentino. Igitur quilibet habebat gratiam qua poterat bene operari, & bonis operibus tamquam diſpoſitionibus fructum ex Sacramentis ſuſceptis recipere.

Quinta: Gens Judaica erat populus acquiſitionis & electus: habuit omni tempore Prophetas qui omnes peccatores ad pœnitentiam adhortarentur, qui omnes inſtruerent de lege Dei, de amore virtutis, quique & precibus & miraculis atque portentis converſionem animarum obtinerent: hinc ab idololatria declinantes, ad Deum diluculo revertebantur. Solus Jonas prædicans in civitate Ninive, convertit corda Regis & populi ad Deum; quidni & cæteri Prophetæ Judæos rebelles convertiſſent, & de facto non ſemel, in primis Joannes Baptiſta, converterunt: Igitur Judæi omnes habuerunt gratias interiores, tum ad præcepta Dei adimplenda, tum ad operandam ſuam ſalutem.

Sexta: Omnes & ſinguli Judæi tenebantur iſtud omnibus propoſitum mandatum, diliges Dominum Deum tuum, adimplere; ſic enim habetur: *Audi Iſrael . . . Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Sed nemo, ſecluſa gratia, poteſt diligere Deum ex toto corde ut auctorem gloriæ: Igitur cum illud mirabile præceptum ſingulos ſpectaret, ſinguli utique gratiam, qua poſſent illud obſervare, habuerunt.

Solvuntur objectiones Janſenii.

OBJICIT: S. Auguſtinus ſerm. 3. de verb. Apoſt. cap. 4. ſic habet: *Pagani non habent gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Sed Judæi hodie quaſi ponuntur in ordine infidelium: Igitur non habent gratiam ullam; nam omnis gratia per Jeſum Chriſtum datur, & ab ipſo promanat, non ſolum nunc & in præſenti lege, ſed & tempore Legis antiquæ intelligendum eſt; quandoquidem Patriarchæ, Prophetæ, & ſi qui alii fuere, juſtificabantur per fidem in Chriſtum venturum.

Reſpondeo diſtinguendo: Ex S. Auguſtino Pagani & Infideles non habent gratiam qua liberentur actu a morte æterna, ut gloriam habeant tum animæ, tum corporis, concedo: gratiam qua poſſint præcepta Dei adimplere & pervenire ad fidem, nego. S. Doctor loquitur ſolum de gratia conſummata, qua gloria æterna donatur anima, & corpus mortale induet incorruptionem ſanctam, quam quidem non habent, nec habebunt Infideles, quia non habent fidem: unde a ſiniſtris & cum hædis ſtabunt in judicio; nec eos tamquam ſuos agnoſcet Chriſtus, ſed tamquam maledictos damnabit & mittet in ignem æternum. Quod autem hic ſit ſenſus Auguſtini, patet ex ejus ſcopo: ibi enim S. Præſul explicat iſta Apoſtoli verba Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum*. Unde ſic interrogat Paulum: " Numquid Pagani qui non habent gratiam Dei non morientur? " Tum Apoſtolum inducit ſic loquentem & reſpondentem. " Veniet dies quando omnes qui ſunt in monumento audient vocem ejus; & præcedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, ecce liberati a corpore mortis hujus. Qui vero mala fecerunt in reſurrectionem judicii, ecce redierunt ad corpora mortis hujus. " Hanc de infidelibus quæſtionem fuſiori calamo nos ex profeſſo tractabimus.

Inſtat: Atqui Judæi, exceptis quibuſdam majoribus, nullam ex Auguſtino habuerunt gratiam. Ergo &c. Sic probat ſubſumptum: S. Aug. in quæſt. 55. ſuper Exod. ait: " Lex data eſt Judæis, ut illis fieret Pedagogus a quo perducerentur ad gratiam. " Igitur Judæi non habebant gratiam, ſed Lex data eſt eis ut perducerentur gradatim & ſucceſſive ad gratiam. Confirmatur. Idem lib. de grat. & lib. arb. cap. 12. num. 24. de Judæis ita loquitur: " Sub lege erant, non ſub gratia, & ideo eis dominabatur peccatum. " Sed conſequentia Auguſtinii

nulla

nulla foret, ſi Judæi habuiſſent gratiam; quia concludit S. Doctor, ideo in eis dominatum fuiſſe peccatum, eo quod ſub lege eſſent, non ſub gratia : ſi igitur fuiſſent ſub gratia, non eis dominatum fuiſſet peccatum.

Reſpondeo negando ſubſumptum propter rationes ſupra allatas. Ad probationem, diſtinguo: Lex data eſt Judæis ut perducerentur ad gratiam Evangelii & fidem, concedo : ut inciperent habere aliquam gratiam, ita ut nullam omnino aut ante legem, aut cum lege haberent, nego. Immo hoc implicat contradictionem; eo enim ipſo quo lex & præcepta adimplenda impoſita ſunt Judæis, data eſt omnibus gratia, quia de fide definitum eſt hominem ſine gratia non poſſe ſervare legis mandata : quod ſi præcepta impoſſibilia dedit Deus, fruſtra dedit legem, quia lex eo datur ſcopo ut adimpleatur; hinc Deus apparuiſſet, abſit dicere, injuſtus, quia dediſſet legem ad damnationem, ſiquidem homines damnati fuiſſent propter legis præcepta, quæ omni adhibita diligentia ſervare haud potuiſſent.

Senſus igitur Auguſtini ille eſt, quod Judæi habuerint primo gratiam imperfectam, deinde legem cum gratia, ut utriuſque adjutorio ad fidem Chriſti & gratiam pleniorem poſſent pervenire. Hoc ipſum patet ex fine quem ſibi præfigit Auguſtinus: explicat enim Apoſtolum, qui in epiſtola ad Romanos revincit quoſdam Judæos qui in lege ita confidebant, ut evacuarent gratiam Chriſti, & inutilem crederent; hinc S. Paulus dicit eis, & poſt ipſum Auguſtinus legem fuiſſe ſolum inſtar Pedagogi a quo perducerentur ad plenitudinem gratiæ: unde in eodem capite S. Doctor iſta Apoſtoli Rom. 10. verba refert : *Ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*. Tum ſubdit S. Præſul : " De „ Judæis hoc dixit Apoſtolus, qui de ſe „ præſumentes, gratiam repellebant, & „ in Chriſtum propterea non credebant. „ Aurea ſententia, qua gratia ſufficiens pro ſingulis Judæis aſtruitur, & præoccupato telo confoditur Iprenſis.

Ad confirmationem diſtinguo : Et ibi S. Auguſtinus agit contra Pelagianos qui legem ut gratiam habebant, concedo : ſecus, nego. S. Præſul ibidem cap. 4. dicit ſe agere contra Pelagianos qui non aliam præter legem agnoſcebant gratiam: Igitur ad eos refellendos debuit iſta duo diſtinguere, eſſe ſub lege, & eſſe ſub gratia; quaſi diceret, gratia cordis immutativa, & quæ eſt per ſubminiſtrationem Spiritus omnino diſtinguitur a lege, quæ a ratione gratiæ deficit, quia ſolum illuminat & objective tantum movet : at vero gratia movet intrinſece, & cor convertit ad Deum.

Reſpondeo II. aliter diſtinguendo: Judæi erant ſub lege, & ideo dominabatur eis peccatum, id eſt, prævaricatores legis ſervi erant peccati & rei, concedo : id eſt, nullam habebant gratiam, nego: S. Aug. intelligit eſſe ſub lege reſiſtere gratiæ, & obedire legi peccati, quæ eſt vitioſa peccandi habitudo ſeu inclinatio, de qua loquitur Apoſtolus Rom. 7. dicens : *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; qui vero victores de concupiſcentia evadunt, illi ex Auguſtino non ſunt ſub lege, intellige peccati, quia peccatum eis non dominatur; ita ſe ipſum explicat epiſt. 19. unde pervertit ejus ſenſum Janſenius, dum ſub lege eſſe, intelligit omni gratia denudatum eſſe. Sed juvat afferre duo Auguſtini teſtimonia, alterum quo explicat obedire paſſioni, & eſſe ſub lege, idem dicere & ſignificare. Alterum vero quo probat illum eſſe a lege & ſervitute liberum, qui gratiæ motus in omnibus ſequitur. Primum depromitur e tractatu 3. in Joan. in quo ſic loquitur : " Quos „ reos facit lex non implentes legem ... „ facti erant homines ſub lege non im„ plendo legem; qui enim legem implet, „ non eſt ſub lege, ſed cum lege. „ Tum & lib. de gr. & lib. arb. c. 12. " Pec„ catum enim vobis non dominabitur; „ non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. „ Quid expreſſius. Secundum deſumitur ex eodem libro cap. 4. ubi dicit gratiam comitari legem, alias lex nihil prodeſſet: lex bonum oſtendit : " Quod tamen ut „ fiat, *inquit Aug.* adjuvat gratia : quæ „ niſi adjuverit, nihil lex erit, niſi vir„ tus peccati. „ Et iterum ibidem cap. 10. " Quando cognoſcit „ Homo pecca„ tum, ſi non adjuvat gratia, ut cogni„ tum caveatur, ſine dubio lex iram ope„ ratur. „ Rurſus ſer. 3. de verb. Apoſt. c. 10. " Vis videre quid valeat ſine ſpi„ ritu adjuvante, littera .... virtus pec-

cati lex. ,, Igitur ex Aug. gratia adjuvat legem, & ſine gratia lex non ſanctificat, quia homo videt bona, & niſi gratia adjuvet, deteriora ſequitur. Quinimmo vel ipſa lex Evangelica niſi accedat gratia non juſtificabit impium.

Replicat: Illi non habent gratiam etiam ſufficientem, qui tenentur petere gratiam ut poſſint bonum quod oſtenditur & præcipitur: Atqui ex S. Aug. lex & oſtendebat & præcipiebat bonum Iudæis; ipſi vero tenebantur poſtulare ut poſſent operari bonum: Igitur non habebant gratiam ſufficientem. Probatur minor in qua eſt difficultas: S. Auguſtinus epiſt. 68. ſic loquitur de Deo: " Jubet ideo, ut fa- ,, cere juſſa conati, & noſtra infirmitate ,, ſub lege fatigati adjutorium gratiæ po- ,, ſcere noverimus . . . qui enim Deo ,, dicit, adjutor meus eſto, confitetur ſe ,, velle implere quod juſſit: ſed ab eo, ,, qui juſſit, adjutorium poſcere, ut poſ- ,, ſit. ,, Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Illi non habent gratiam qui teneutur eam petere, ſi teneantur petere ſufficientem, concedo: Si ſolum efficacem & adjuvantem, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam: Ad probationem ſimiliter diſtinguo: qui fatigati ſub lege tenentur petere adjutorium ut habeant poſſe actuale & cum actu conjuncto, concedo: poſſe ut ſic, nego. Tria diſtinguit Auguſtinus, nempe legem veterem, quæ præ multitudine præceptorum multum gravabat. 2. poſſe ut ſic: Deinde poſſe conjunctum cum actu. Primum deſignat, his verbis: " Judet ideo, ut facere juſſa co- ,, nati &c. " Secundum notat per verbum, *conati*, nullus enim aliquem etiam incohatum conatum circa ſalutem habere poteſt ſine gratia præveniente: Igitur habet poſſe bonum ut ſic: hoc etiam deſignant verba ſubſequentia: " Qui enim ,, Deo dicit, adjutor meus eſto, confite- ,, tur ſe velle implere quod juſſit. ,, Qui autem petit, habet gratiam orationis, qui velle bonum confitetur, jam habet gratiam qua præparatur voluntas a Domino, ſiquidem illud velle licet imperfectum, eſt a gratia non a natura, ut definitum eſt contra Semipelagianos: Quid ergo petit? Certe non poſſe ut ſic, ut contendit Janſenius, ſed poſſe conjunctum cum actu; ſed gratiam adjuvantem & efficacem quæ ſanat & dat actum converſionis completum atque perfectum. Audi Auguſtinum ipſum ſui interpretem ſer. 13. de verbis Apoſt. cap. 3. ubi dicit datam fuiſſe Judæis legem: " Ut medicus, *id* ,, *eſt*, gratia adjuvans quæreretur. ,, Rurſus epiſt. 144. " Lex itaque docendo & ,, jubendo quod ſine gratia impleri non ,, poteſt, homini demonſtrat ſuam infir- ,, mitatem, ut quærat demonſtrata in- ,, firmitas Salvatorem, a quo ſanata vo- ,, luntas poſſit quod infirma non poteſt. ,, Lex igitur adducit ad fidem, fides im- ,, petrat ſpiritum largitorem. ,, His ſententiis revincit Auguſtinus & Judæos qui volebant legem ſufficere, & Pelagianos aſſerentes illam dare poſſe & facere bonum, unde loquitur tantum de gratia efficaci & operis, quam Judæus debet poſcere ut perveniat ad gratiam Evangelii ſine qua non eſt ſalus: Pelagianus vero ad fidem. Sed ſupponit in omnibus voluntatem præparari a Domino non ſolum per legem, ut demonſtratum eſt, ſed & per gratiam ſufficientem ſeu prævenientem.

Reponis: Si gratiæ ſufficientes Judæis fuerunt conceſſæ, maxime quia tenebantur adimplere præcepta: Atqui hæc ratio nulla eſt: & probatur. Dato quod omni gratia denudati fuerint, merito tamen prævaricationes propter peccatum originale illis imputatæ ſunt, & ad culpam, & ad pœnam; Auguſtinus enim paſſim docet homines propter peccatum primi parentis amiſiſſe jus ad gratiam. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: ſublata enim omni gratia præceptum ad vitam æternam conducens non eſt poſſibile; adeoque tranſgreſſio non imputaretur ad culpam, quia ex Auguſtino nemo peccat in eo quod vitare non poteſt. Unde ad probationem nego antecedens; licet enim homines amiſerint jus ad gratiam per peccatum Adæ, illud ipſum Chriſti ſatisfactione recuperaverunt, quia ubi abundavit delictum, ibi, teſte Apoſtolo, ſuperabundavit gratia. Cæterum erat in veteri lege Sacramentum ad delendum peccatum originale: Igitur Judæi non debuerunt privari gratiis ad ſalutem operandam neceſſariis. Auctoritas igitur S. Aug. ſi quæ contraria inveniatur, intelligenda eſt vel de pueris ſine Baptiſmo

mo-

Digitized by Google

morientibus, vel de adultis non baptizatis, qui quidem privantur gratia uberiori, ſed non omni, ut patebit infra quum de infidelibus tractabimus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Judæi habuerunt in veteri Teſtamento gratiam ſufficientem ad legem ſervandam.

PRIMO: Quia præcepta eis data non erant impoſſibilia, juxta illud Deut. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt.* Hinc increpantur a Deo Judæi quod reſiſtentes gratiæ, prævaricati ſint, ut habetur Iſaiæ 50. *Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ & non feci ei. An quod expectavi ut faceret uvas & fecit labruſcas?*

Secundo: Concinit S. Aug. lib. de gr. & lib. arb. cap. 12. num. 24. ubi de Judæis peccatoribus loquens, ait: "Gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant." D. Thomas idem docet 1. 2. q. 98. art. 2. ad 4.

Tertio: Hoc ipſum omnis ætatis annuntiat traditio; quandoquidem Judæi in Ægypto in immenſum multiplicati, ſic Deo placebant, ut eorum clamorem exaudiens, ipſos in manu forti e captivitate eruerit: placuerunt & tempore Judicum, qui eorum inimicos, ipſis de peccatis pœnitentibus, contriverunt, ut & tempore Machabæorum. Neque vero de hoc relinquitur ambigendi locus, cum vel ipſe Joannes Apoc. 7. inter eos numerat etiam centum quadraginta quatuor millia ex omni tribu Iſrael ſignatos, ſeu electos.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametſi S. Aug. ſolam legem Evangelicam nomine gratiæ celebret, & & Moſaicam Pedagogum appellet, non inde excludit ab illa gratiam, cum multos habuerit juſtos; ſed vult oſtendere & Judæis, qui in ſola lege confidebant, & Pelagianis, qui legem etiam Evangelicam ſine gratia ad ſalutem ſufficere propugnabant, quamcumque legem, ſecluſa gratia, neminem ſalvare poſſe.

Secundo: Neque vero demirandum, ſi S. Doctor ſæpius dicat Judæos fuiſſe ſub lege ſervos; ibi enim loquitur de concupiſcentia, quæ ipſo teſte Apoſtolo, eſt lex peccati in eo ſenſu, quod ad peccatum inclinet; ſub qua quidem lege teſtatur ſe etiam fuiſſe.

Tertio: Jam reſponſum eſt ad iſtud ulterius Ipreſis argumentum: Judæi ex S. Aug. gratiam tenebantur petere: Igitur ea carebant; ſic enim diſtinguitur: tenebantur gratiam operis, quæ jungit actum cum potentia, petere, concedo: gratiam ſufficientem, ſubdiſtinguo: uberiorem, concedo: ordinariam, nego. Gratia enim præveniens & prima eſt in nobis ſine nobis, & gratis meritis Chriſti, vel prævìſis, ut in veteri lege; vel præſentibus ut in nova omnibus conceditur, ut poſſint bonum operari, & ſalvari.

ARTICULUS QUINTUS.

Num infideles habeant gratiam ſufficientem qua poſſint legem naturalem perfecte obſervare, & ejus adimpletione pervenire ad fidem ut ſalventur.

PRÆNOTANDUM eſt, 1. Duplicis generis eſſe infideles ex D. Thoma 2. 2. q. 60. art. 1. in corp. Quidam nihil de Chriſto audierunt, nec audire potuerunt, & dicuntur infideles negative; quocirca excuſabiles ſunt diſcredendo: quidam alii audierunt, ſed ex innata pravitate nolunt credere, tales ſunt Judæi, & Infideles contrarii & poſitivi nuncupantur.

Obſervandum eſt, 2. Gratiam ſufficientem a Theologis duplicem diſtingui, unam immediatam & proximam, mediatam alteram & remotam. Prior ea cenſetur quæ immediate & explicite movet modo ad fidem ſuſcipiendam, modo ad juſtificationem & converſionem, modo ad alium actum ſalutis quem immediate reſpicit. Poſterior quæ aliqua exhibet media quibus ad perfectionem fit gradus; ſic obſervatione legis naturalis ad fidem pervenitur, ut legitur Act. 10. de Cornelio adhuc gentili. Controverſiæ ſtatus non procedit de Judæis, vel etiam de quibuſdam malis Chriſtianis, qui relicta religione, Chriſtum abnegando tranſeunt ad partes Infidelium, v. g.

Digitized by Google

v. g. Turcarum; certum eſt enim illos omnes habuiſſe quondam gratias ſufficientes, nec ipſis in præſenti infelici ſtatu carent. Quæſtio movetur de Infidelibus negative. Neque vero impræſentiarum quærimus, num habeant gratias ſufficientes quibus immediate ad fidem uſque & converſionem attingere valeant, ſed eas quibus promoveantur ad legis naturæ obſervationem, ut iſto adhibito medio gratiam fidei habeant & convertantur. Obſerves etiam velim, gratiam quæ ad obſervanda præcepta naturalia immediate ſtimulat, eſſe ſolum remotam reſpectu fidei & juſtificationis: Quinimmo inter gratias quæ ſunt pro Infidelibus quædam etiam remotæ dicuntur, ut cum implicite ſolum & levius ad obſervationem legis naturæ, puta ad aliqua præcepta: quædam vero proximæ, tales ſunt quæ vel ad totam legem obſervandam, & quod optimum eſt ad perfectam Dei, ut auctoris naturæ dilectionem excitant.

Partem negativam propugnant Calvinus lib. 2. inſt. cap. 3. num. 10. Molinæus in epiſtola quam refert Malderus hic q. 111. art. 3. dubio 5. membro 1. Petrus Martyr in locis communibus tit. de prædeſt. num. 38. Janſenius ex profeſſo lib. 3. de grat. Chriſti cap. 11. quod inſcribitur: *Infideles carent gratia ſufficienti ad ſalutem tam proxima quam remota, & omnibus principiis ejus*. Tum cap. 12. cujus eſt hic titulus: *Infideles non habent gratiam ſufficientem ordinis naturalis. Gratia ſufficiens Infidelium a Semipelagianis excogitata*. Quidam etiam recentiores Thomiſtæ rigidiores quam par ſit, Infidelibus gratiam ſufficientem abjudicant. In primis Gonetus tract. de prædeſt. & reprob. diſp. 5. art. 5. §. 4. non tamen iiſdem cum Calvino & Janſenio principiis, quippequi concedant nulla præcepta Dei eſſe impoſſibilia, neminem neceſſario ad bonum vel malum compelli, & Deum velle ſincere homines ſalvos fieri, hinc ab hac hæreticorum fæce removendi ſunt.

Multi inter veteres & recentiores Theologos propugnant infideles omni non privari gratia ad legem naturæ adimplendam. Nonnulli tamen ſatis jejune de hoc ſcripſere momento; ſed non deſunt infra appellandi, qui zelo ſecundum ſcientiam & pietatem ducti fuſo calamo hanc diſcutiant quæſtionem. Inter Ordinis S. Franciſci de Paula Lectores eminet ſane in hoc R. P. Joannes Aupied Bituricus Provinciæ Pariſienſis Alumnus, Profeſſus & Provincialis, qui iſtam controverſiam in manuſcriptis codicibus Theologicis egregie ſic concinnavit; ut in ejus diſſertatione quidquid vel ad ciendos pietatis affectus, vel ad animum Infidelis fractum erigendum, vel etiam ad conſolationem nonnullorum Catholicorum qui in peccatis gravioribus jam dudum ſeneſcentes, ſpe miſericordiæ erga omnes beneficæ ad meliorem frugem redire ſtimulantur, reperiri poſſit. Unde ſit cum illis

CONCLUSIO.

Infideles habent gratiam aliquam ſufficientem, qua poſſint ſervare legis naturæ præcepta, & ſic gradatim ad fidem pervenire.

Probatur multis momentis.

§. I.

Primum argumentum, ex Scriptura ſacra depromitur.

In his quæ ſalutem ſpectant audienda eſt Scriptura: Atqui non levius ſubindigitat Infideles aliqua donari gratia ad obſervandam legem naturalem, ut hac obſervatione ad fidem pervenire queant: Ergo &c. Probatur minor exquiſitis textibus.

Legitur Pſal. 18. *Non eſt qui ſe abſcondat a calore ejus*. Quam quidem ſententiam explanans S. Auguſtinus enarr. in hunc eumdem Pſalmum num. 7. ait: "Non „ permiſit ullum mortalium excuſare ſe „ de umbra mortis, & ipſam enim pe„ netravit verbi calor. „ Quæ verba ſi ſecluſa rixandi prurigine ponderentur, nemo dubio procul gratiam ſufficientem Infidelibus abnegabit.

Sapient. 13. Eadem inſinuatur veritas, his verbis: *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex .... iterum autem nec his debet ignoſci. Si enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum: quomodo hujus Domi-*

nu- *ner*

non facilius invenerunt? Audis Infideles de ignorantia Dei inexcuſabiles eſſe. Unde hoc? niſi quia gratiæ illuminantis & prævenientis auxilio poſſunt inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt cognoſcere & colere.

Eadem veritas confirmatur aureo iſto Ioan. 1. teſtimonio: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Hanc ſententiam Patres infra citandi de ſupernaturali illuminatione dubio-procul intelligunt: hoc eſt de lumine pertinente ad ordinem gratiæ, ideoque gratiæ ſpecialiter tribuitur adventui, meritiſque Chriſti, de quo loquitur Ioannes: dicit autem abſque ulla exceptione, aut reſtrictione, illuminari omnem hominem quando venit in hunc mundum, id eſt, juxta S. Cyrilli expoſitionem, quando per uſum rationis incipit vivere ut homo, ingrediturque moraliter in hunc mundum tamquam Dominus ſuorum actuum: cur ergo talis gratia Infidelibus negativis denegabitur?

Miro artificio utitur Gonetus ut tam aperti teſtimonii eludat vim, quippe qui tres referat illius explicationes, quarum meminit D. Thomas in Comm. ſuper cap. 1. Joannis, quæque olim ab Origene, Chryſoſtomo, & Auguſtino traditæ ſunt. Verum illæ expoſitiones gratiam Dei, eſto non extendant ad Infideles negativos, ſed nec ab eis illam excludunt. Aliam non ſine aliqua fraude omittit Chryſoſtomi interpretationem infra referendam; quam profert ibidem præceptor Angelicus, quæ dicit per illud lumen intelligendam eſſe gratiam Dei, quæ non tantum omnibus parata, ſed & ad omnes diffuſa eſt?

His adde teſtimonia quibus eædem litteræ ſacræ docent in terminis Deum velle omnes homines ſalvos fieri &c. Chriſtum Dom. pro omnibus mortuum eſſe. Enim vero nonne vana eſſet & Simulatoria illa Dei voluntas de ſalute omnium? Nonne fruſtra pro omnibus ſanguinem effudiſſet Chriſtus, niſi omnibus quandiu vivunt, rationiſque compotes ſunt, ſufficientia media ſuppeditarentur, quibus ad agnitionem veritatis & ſalutem perveni. re poſſent?

Non deſunt aliæ pro eodem momento Scripturarum Sententiæ: *Omnes ſitientes, venite ad aquas*, inquit Iſaiæ 55. Rurſus, *Quoſcumque inveneritis, vocate ad nuptias*, Matth. 22. & iſta Sap. 12. *O quam bonus & ſuavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant partibus corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris: ut relicta malitia, credant in te Domine.* Ex quibus patet, quod Deus omnes omnino vocet, invitet ad pœnitentiam, ad fidem, & conſequenter, quod omnibus gratiam ſufficientem largiatur ſaltem remotam, qua ſi bene uterentur, ipſis infallibiliter proximam, immo & efficacem præberet qua ad fidem & ſalutem pervenirent.

Celeberrima ſunt hæc Rom. 1. verba de Gentilibus, qui cum Deum potuiſſent cognoſcere & colere, non fecerunt, & ideo traditi in paſſiones ignominiæ, velut inexcuſabiles reprobati ſunt. *Inviſibilia Dei*, ait Apoſtolus, *a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* Quorſum inexcuſabiles? Hinc reddit rationem S. Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 6. " Cœlum & terra, & omnia quæ in eis ,, ſunt, undique mihi dicunt, ut te ,, amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut ,, ſint inexcuſabiles. ,, Conclude igitur amice Lector, Infideles habere gratiam ſufficientem, qua poſſint & Deum agnoſcere Creatorem ac colere, qua & legem naturalem, ut iis mediis ad fidem perveniant, adimplere valeant.

§. II.

Secundum argumentum petitur a traditione ab Adam ad Chriſtum, & a Chriſto per avum ad nos uſque deducta.

QUI a creatione mundi media ſalutis quibus acceditur ad cognitionem & amorem ſuum, tum & ad fidem ſuppeditavit, non reliquit homines ſic orphanos, ut inter creaturas ſuas Infideles gratia privarentur qua poſſent ſalvari: Atqui Deus hæc hujuſmodi media ſufficientia omnibus hominibus, vel ipſis infidelibus exhibet & exhibuit. Probatur minor diſcurrendo per omnia tempora.

1. *Adam* ad imaginem Dei conditus eſt, & cum gratia & ſcientia Dei: ut habetur Gen. 1. & iterum Eccliſ. *Diſciplina intel-*

Intellectus replevit illos, creavit illis ſcientiam Deus: Omnibus autem teſtantibus Patribus, docuit filios ſcientiam Dei & ipſum colere per 930. annos. Et vero Gen. 4. Abel & Cain offerunt Deo ſacrificia, & iſte reprehenditur, quod paſſionibus cedens occiderit fratrem. Ibid. habetur quod Enos invocaverit nomen Domini. Tum Enoch translatus ſit propter pietatem ad meliorem vitam.

2. *Gen.* 6. habetur quod omnis caro corruperat quidem viam ſuam, & terram repleverat iniquitate? Igitur homines rei exiſtebant: & unde, niſi quia cum poſſent facere bonum, inſpirante gratia, reſtiterunt? Nemo enim peccat in eo quod vitare non poteſt. Neque a lapſu Adami quiſque peccatum vitare valet, niſi per gratiæ auxilium: Igitur habebant gratiam ſaltem ſufficientem. Hinc ibidem Noe juſtus proclamatur, qui etiam poſt diluvium per 500. adhuc & amplius annos filios docuit ſcientiam Dei: Igitur homines habebant Dei fidem, aut ſaltem habere poterant, adeoque omnes habebant gratiam ſufficientem ad obediendum Dei mandatis.

3. *Ibidem* cap. 12. Abraham & Loth juſti habentur. Prior, quinque Regibus proſtratis, prædicat magnalia Dei victoriis, prædicat morum ſanctitate, prædicat portentis & prodigiis: ibidem enim ſic legitur: *Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis & domum ejus propter Sarai uxorem Abraham cap.* 13. Loth habitat in Sodomis, qui etiam præclaris geſtis peſſimis iſtis hominibus annunciat ſalutis ſcientiam: Quid plura? Quinque Urbium exterminium ſubſecutum, ſalvo Loth incolumi cum duabus filiabus, erat lingua diſerta quæ annuntiabat Deum, ſecreto quidem, ſed vehementer cæteris Infidelibus; teſte enim Auguſtino ſigna Dei & terribilia ſemper cum voce interiori conjunguntur, ut dicetur infra: Ergo &c.

4. *Joſeph* Magnus in Ægypto factus, coluit Deum in conſpectu omnis Ægypti, ſicut & Iſrael per 400. annos: Igitur Ægyptii admoniti exterius, etiam utique interius movebantur, tum ad colendum Deum, tum ad implendam legem ſaltem naturalem, & inter omnes Pharao in cujus gratiam ad emolliendum cor ejus Moyſes ſigna multa fecit, ut habetur Exod. cap. 8. 9. 10. 11. Non ne Job in lege naturæ ſanctificatus eſt, non ne Jacob non ne & poterat Eſau ad fratris exemplum meliora ſequi? unde dicit D. Thomas quod homines in lege naturæ moverentur interius & exterius ad colendum Deum.

Ex his jam ſic argumentor. Qui tenentur ad legem aliquam ſervandam quam ſine gratia nequeunt adimplere, illi habent gratiam ſufficientem, ut legi debitum ſolvant, alias forent excuſabiles tranſgrediendo legem, quod abſit dicere, quia teſte Apoſtolo, lex detegit peccatum, & qui illam tranſgreditur reus eſt ſupplicii & pœnæ: Atqui ab Adam omnes homines etiam Infideles uſque ad Moyſen tenebantur obſervare legem naturæ: Priores habebant magiſtros & exempla, immo ipſam traditionem ab Adam uſque ad Noe per filios, & a Noe uſque ad Moyſen de colendo Deo habebant: Igitur gratia ſufficiens ad ſalutem nulli defuit.

5. *Moyſes* Reges terræ infideles proſtravit partim præliis & victoriis, partim ſignis & portentis, ita ut omnes in circuitu nationes timerent Dominum, & confiteri cogerentur, ut Ipſe peſſimus Balaam; poſt Moyſen Joſue & cæteri Judices, & poſt ipſos Reges, tum Iſrael, tum Juda ut legitur in libris veteris Teſtamenti hiſtorialibus prædicaverunt Deum cultu ſuo, Prophetæ cultu, voce & ſcriptis, ipſe Aſſuerus per Eſtherem cognovit Dominum; tum Nabuchodonoſor qui & percuſſus ipſi poſtea fideliter ſervivit, ut refert Daniel, 4. Nonne pro Balthaſſar erat magna gratia ad converſionem, dum ſententiam articulis manus inviſibilis digeſtam conſpiciebat? Quid dicam de Cyro? Quid de Dario, & Artaxerxe Imperatoribus Paganis, qui demirantes magnalia Dei ære ſuo & propriis ſumptibus Templum & ſanctam Civitatem reſtaurari voluerunt, ut legitur in libris Eſdræ? Quid denique de Regibus Syriæ & Ægypti, qui teſtes prodigiorum Dei patratorum per Machabæos, audientes & ſanctos Prophetas, qui a Davide ad Chriſtum uſque prædicaverunt Deum omnipotentem, Deum unicum & verum, nonne potuerunt eumdem tot miris variiſque modis in corda ſe prodeuntem audire, & quaſi ſentire, & poſtea totis viribus colere & adorare?

6. *Chriſtus* manifeſtavit nomen Patris

ſui

Digitized by Google

ſui hominibus & per ſe, & per Apoſtolos, & per Martyres, quorum corpora dilaniata tot voces & oracula erant Deum coram tyrannis & infidelibus prædicantia, ita ut teſte Tertulliano, ſanguis martyrum foret ſemen Chriſtianorum, id eſt, lingua prædicans Chriſtum & ad cor infidelium ſuaviter ſimul & fortiter loquens, ut abjectis idolis, converterentur ad Dominum. Nonne Petrus miſſus eſt ad Cornelium Paganum, Paulus ad Macedonas, Philippus ad Eunuchum Reginæ Candacis?

VII. *A* Conſtantino primo Imperatore Chriſtiano floruit in toto mundo Eccleſia, & in omnem terram miſit operarios ad inſtruendos infideles: viderunt ſtupentes idololatræ templa ſubverſa, & Crucem in fronte Regum emicantem, inquit Ang. unde ipſe Julianus Apoſtata victus exterius & interius, ac tandem percuſſus a Deo animam agens exclamavit, Viciſti Galilæe. Vere vicit ubique Chriſtus, qui exaltatus omnia traxit ad ſe, & eſt dominator cordium per gratias quas ubique ſpargit affluenter. Dominator inquam, non ſolum fidelium, ſed & infidelium, quos acquiſivit ſanguine ſuo. Igitur omnes Infideles habent gratiam aliquam, qua ad fidem pervenire queant.

§. III.

Tertium argumentum ex SS. Patribus & Doctoribus eruitur.

PATRES & SS. Doctores ut plurimum inſpirati, aut ſaltem ſpecialiter illuminati de his quæ gratiam ſpectant, ſcripſere: Sed inter eos multi inſignes agnoſcunt gratiam Mediatoris ad infideles ſe extendi: Ergo &c.

Agmen ducet S. Ambroſius, qui in Pſal. 118. explicans iſtum 64. verſiculum: *Miſericordia Domini plena eſt terra*, ait: " Myſticus autem ſol ille juſtitiæ omnibus „ ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſ„ ſus eſt, & omnibus reſurrexit: Ideo „ autem paſſus eſt, ut tolleret peccatum „ mundi. Si quis autem non credit in „ Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe „ fraudat; ut ſi quis, clauſis feneſtris, „ radios ſolis excludat, non ideo ſol non „ ortus eſt omnibus, quia calore ejus ſe „ ipſe fraudavit: Sed quod ſolis eſt, prærogativam ſuam ſervat: quod imprudentis eſt, communis a ſe gratiam lu„ cis excludit.... docet autem Deus, & „ mentes illuminat ſingulorum, & cla„ ritatem cognitionis infundit, ſi tu ape„ rias oſtia cordis tui, & cæleſtis gratiæ „ recipias claritatem. „ Quibus verbis manifeſte patet de gratia interiori per Chriſtum data omnibus loqui. Sed pondera iſta verba: *Docet autem Deus & mentes illuminat ſingulorum*: his ſententiis recte explicat & interpretatur verſum 64. Pſal. 118. *Miſericordia Domini plena eſt terra*.

Concinit S. Auguſtinus lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 3. ubi ſic habet: " Solis iſtius lumen non illuminat omnem „ hominem, ſed corpus hominis & mor„ tales oculos, in quibus non vincunt „ aquilarum oculi, qui ſolem iſtum mul„ to melius quam nos dicuntur aſpicere; „ illud autem lumen non irrationabilium „ animalium oculos paſcit, ſed pura cor„ da eorum qui Deo credunt, & ab amo„ re viſibilium rerum & temporalium ſe „ ad ejus præcepta ſervanda convertunt. „ Quod omnes homines poſſunt, ſi ve„ lint: quia illud lumen omnem homi„ nem illuminat venientem in hunc „ mundum. „

Rurſus in Pſal. 57. n. 1. " Manu Sal„ vatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris „ veritas ſcripſit: quod tibi non vis fie„ ri, ne facias alteri. Hoc & antequam „ lex daretur, nemo ignorare permiſſus „ eſt, ut eſſet unde judicarentur, & qui„ bus lex non eſſet data. Sed ne ſibi ho„ mines aliquid defuiſſe quererentur, „ ſcriptum eſt, & in tabulis quod in cor„ dibus non legebant. „ Scilicet per gratiam Pſal. 67. 11. nomine pluviæ celebratam his verbis: *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ: & infirmata eſt, Tu vero perfeciſti eam*: videlicet per gratiam, quippe qui, dicat Ambroſius ſupra laudatus, pluat ſuper juſtos & injuſtos; hoc eſt, ſuper omnes & ſingulos homines.

Rurſus lib. de duabus animabus contra Manichæos cap. 14. n. 22. " Poteſt ali„ quis dicere, non ſe peccare: non au„ tem ſibi eſſe ſi peccaverit pœnitendum, „ nulla barbaries dicere audebit. „ Igitur nulla barbaries omni gratia, teſte Auguſtino, defraudatur, cum barbarus, ſecluſo omni

Dei auxilio, poſſet dicere de peccato non
eſſe pœnitendum.

Rurſus ſerm. 99. de verbis Evang. S.
Lucæ, alias homil. 23. inter 50. cap. 6.
n. 6. " Adulter non fuiſti .... ut non
,, conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo
,, gratiam ejus, cui debes, & quod non
,, admiſiſti. ,, Loquitur indiſcriminatim
de omni homine, cui ſemper adeſt gra-
tia ut non peccet, hinc & ſua culpa eſt
quum tentationi cedit, ait : *Salvator om-
nium hominum maxime Fidelium.*

Similia profert ibid. cap. 14. " Neque
,, ob hoc excuſabiles ſunt nationes quæ
,, alienatæ a converſatione Iſrael, ſpem
,, non habentes, & ſine Deo in hoc
,, mundo ſub ignorantiæ tenebris perie-
,, runt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ
,, nunc univerſum mundum rigat, pari
,, antea largitate non fluxit. ,,

Pergit cap. 15. " Adhibita enim ſem-
,, per eſt univerſis hominibus quædam ſu-
,, pernæ menſura doctrinæ, quæ etſi par-
,, cioris occultioriſque gratiæ fuit, ſuffi-
,, cit tamen, ſicut Dominus judicavit,
,, quibuſdam ad remedium, omnibus ad
,, teſtimonium. ,,

Non omittendus Oroſius Hiſpanus Pre-
sbyter, & S. Aug. diſcipulus, qui in apo-
logetico de liberi arbitrii libertate hæc
effatur : " Mea ſemper hæc eſt fidelis
,, atque indubitata ſententia, Deum ad-
,, jutorium ſuum non ſolum in corpore
,, ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia
,, ad credentium fidem gratiæ ſuæ dona
,, largitur, verum etiam univerſis in hoc
,, muudo gentibus propter longanimem
,, ſui æternamque clementiam ſubmini-
,, ſtrare. ,,

D. Thomas non ſemel ſuum huic veri-
tati addit calculum : in primis q. 14. de
verit. art. 11. ad 1. his verbis : " Si ali-
,, quis nutritus in ſylvis, vel inter bruta
,, animalia ductum naturalis rationis ſe-
,, queretur, in appetitu boni & fuga ma-
,, li, certiſſime eſt tenendum, quod ei
,, Deus vel per internam inſpirationem
,, revelaret ea quæ ſunt ad credendum
,, neceſſaria, vel aliquem fidei Prædica-
,, torem ad eum dirigeret, ſicut miſit Pe-
,, trum ad Cornelium, Act. 10. ,,

Idem lect. 3. in cap. 10. epiſt. ad Rom.
de iiſdem infidelibus loquens, ſic habet :
" Si qui tamen eorum feciſſent quod in
,, ſe eſt, Dominus eis ſecundum ſuam mi-
,, ſericordiam providiſſet, mittendo eis
,, Prædicatorem fidei, ſicut Petrum Cor-
,, nellio, Act. 10. ,, Et Paulum Macedo-
nibus, ut habetur Act. 16. " Sed tamen
,, hoc ipſum, quod aliqui faciunt quod in
,, ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum,
,, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad
,, bonum. ,, Ecce celebres S. Aug. diſci-
puli ipſius mentis interpretes, quique om-
nes conſpirant ad firmandum illud dogma,
quod gratia Dei nulli deſit, & quod vel
ipſis Infidelibus concedatur ; maxime S.
Thomas hic ubi iſta Apoſtoli verba, *Num-
quid non audierunt ? & quidem in omnem
terram exivit ſonus eorum*, ponderans, ex-
quiſitis rationibus probat gratiam Chriſti
ad Infideles ſe extendere.

S. Anſelmus in cap. 1. epiſt. ad Rom.
explicans illa verba : *Inviſibilia enim ipſius
a creatura mundi &c.* ait : " Dominus
,, manifeſtavit, id eſt, non ſolum natu-
,, ralis ratio profuit, ſed Deus quotidie
,, adjuvat, ne ſola natura ſufficere vide-
,, retur. ,,

Hugo a ſancto Victore tract. 1. ſummæ
Sententiarum cap. 3. eadem verba Apo-
ſtoli expendens ſic loquitur : " Cum ſub-
,, jungit, Deus illis revelavit, oſtendit
,, quod ratio humana per ſe inſufficiens
,, eſſet, niſi revelatio divina, illi in ad-
,, jutorium adeſſet. ,,

Ex D. Ambroſio ſol juſtitiæ & gratiæ
lucet omnibus : ex Auguſt. omnes, nemi-
ne excepto, poſſunt ad Deum ſe conver-
tere, quia illuminat omnem hominem ve-
nientem in hunc mundum : Ex divo Pro-
ſpero lumen gratiæ occulte omnibus adeſt,
hinc nullus a peccato ignorantiæ excuſa-
bilis : Ex S. Thoma nullus eſt qui ſe abſ-
condat a calore ejus : Ex Hugone nedum
ratione, ſed & gratia omnes homines il-
luminantur : Sed hæc omnia falſa forent
ſi Infideles omui gratia privarentur : Er-
go &c.

Theologi multi noſtram ex profeſſo do-
cent concluſionem. Ex Hiſpanis, Sal-
manticenſes; Joannes a S. Thoma, Sua-
rez, & alii. Ex Italis, Bellarminus, &
Ægidius Romanus, &c. Ex Gallis, Yſam-
bertus, Tournely, &c. Ex Flandris,
Eſtius, Stapleton. Ergo &c.

§. IV.

§. IV.

Argumentum ex rationibus Theologicis.

PRIMA ex Scriptura, Patribus, & Conciliis deducitur, qui una voce dicunt Deum non præcipere impoſſibilia: Sed præcipit infidelibus ut legem naturalem ſervent, quam quidem ſine gratia in præſenti ſtatu adimplere nequeunt, ut dictum eſt: Igitur habent gratiam ſufficientem qua legem obſervare queant.

Secunda: Infideles ſunt inexcuſabiles tranſgrediendo legem naturalem: Sed ideo ſunt, quia habent gratiam qua poſſunt illam ſervare, cui ſi obediant & non reſiſtant, habebunt efficacem qua actu præcepta adimpleant. Hoc ipſum patet Act. 17. ubi S. Paulus prædicans Chriſtum Areopagi, infidelibus Athenienſibus, quidam quidem irridebant, quidam dixerunt, audiemus te de hoc iterum, quidam vero crediderunt. Ecce Infideles in eadem infidelitate verſantes: eadem gratia ſufficiens ad fidem omnibus datur, alii penitus illam rejiciunt, quidam paululum emolliti nondum abſolute conſentiunt, ſed iterum adhuc penduli manentes, volunt rurſus edoceri; quidam vero obediunt & credunt: Ergo &c.

Tertia, ex morte Chriſti pro ſingulis hominibus depromitur; non enim in alio ſenſu Chriſtus dicitur mortuus pro omnibus, niſi in quantum omnibus promeruit gratias ſaltem ſufficientes. Quæ ratio traditur ab Aug. tract. 36. in Joannem his verbis: " Venit Chriſtus, ſed primo ſal- ,, vare, poſtea judicare, eos judicando in ,, pœnam, qui ſalvari noluerunt. ,, Tum ſerm. 68. de tempore Chriſtum inducit ſic loquentem ad reprobum quemcumque: " Suſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam ,, darem; ſuſcepi mortem tuam, ut in ,, æternum viveres.... Cur, ingrate, ,, redemptionis tuæ munera renuiſti? ,, Ergo &c.

Quarta fundatur in voluntate Dei de ſalute omnium; effectus enim talis voluntatis eſt ordinatio in ſalutem per media ſufficientia; quæ ratio colligitur ex SS. Aug. & Proſp. ille lib. de catech. rud. cap. 26. ſic habet: " A quo interitu, ,, hoc eſt pœnis ſempiternis, Deus mi- ,, ſericors volens homines liberare, ſi ſi- ,, bi non ſint inimici, & non reſiſtunt ,, miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Uni- ,, genitum Filium ſuum, &c. ,, Iſte vero lib. 2. de vocat. Gent. cap. 19. " Cum ... om- ,, nes homines velit ſalvos fieri ...non opor- ,, teat niſi perpetuum, æternumque ſen- ,, tiri, ſecundum eas menſuras quibus ,, Deus dona generalia ſpecialibus novit ,, cumulare muneribus: ut & qui exor- ,, tes gratiæ *efficacis* fuerint, de ſua ne- ,, quitia redarguantur. ,,

Quinta: Gratia ſufficiens conſiſtit in illuminationibus & piis motionibus: Sed eas habent Infideles: Ergo &c. Probatur prima pars ex S. Aug. qui lib. 10. Confeſſ. cap. 6. ait: " Cœlum & terra, & ,, omnia quæ in eis ſunt, undique mihi ,, dicunt ut te amem. ,, Tum S. Proſp. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 4. ſic diſcurrit: " In præteritis quidem ſæculis, ,, hæc eadem gratia, quæ poſt Domini ,, noſtri Jeſu Chriſti Reſurrectionem ubi- ,, que diffuſa eſt... defuit mundo. Quam- ,, vis enim ſpeciali cura atque indulgen- ,, tia Dei populum Iſraeliticum conſtet ,, electum, omneſque aliæ nationes ſuas ,, vias ingredi... non ita ſe tamen æter- ,, na Creatoris bonitas ab illis hominibus ,, avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe at- ,, que metuendum nullis ſignificationibus ,, admoneret. ,,

Probatur ſecunda pars, ſcilicet quod Infideles habeant pias motiones. Deus illos terret ad converſionem: Ergo &c. Ita Aug. hom. 23. cap. 6. ubi hominem ad fidem de novo traductum ſic alloquitur: " Ut adulterium non committeres ſuaſor ,, defuit: & ut deeſſet ego feci..., ut ,, non conſentires ego terrui; agnoſce er- ,, go gratiam ejus, cui debes. ,, S. Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 27. dicit conſenſum voluntatis per gratiam gigni non ſolum ex doctrina & illuſtratione, ſed etiam ex terrore & metu, intellige conſenſum ad bonum: Ergo &c.

Sexta: Quia Deus eſt omnium Creator, ideo eſt & conſervator per continuum influxum, quia conſervatio eſt iterata productio: Sed Chriſtus eſt novus recreator: Igitur & perpetuus reparator per continuum gratiarum imbrem: conſervatio enim reparationis, eſt iterata & per applicationem auxillorum vitæ continua & iterata reparatio. Igitur Infideles, utpote a Chriſto reparandi, habent

gratias ſufficientes ad ſalutem, & quandoque ſpeciales ad faciendum bonum. Ita colligitur ex S. Aug. lib. contra epiſtolam Fundamenti cap. 37. ubi loquens de natura humana, ſic habet : " Neque ta-
" men ſine miſericordia derelicta es, quæ
" certis rerum temporumque menſuris
" vocaris, ut redeas.

Septima ratio petitur ex cuſtodia ſanctorum Angelorum, qui omnium hominum, nullo excepto, invigilant ſaluti: Sed hæc cuſtodia, ſecluſa gratia pro Infidelibus, ipſis foret inutilis; eſſent enim neceſſitati ad malum, cum abſque ſupernaturali auxilio ex Conciliis Africanis contra Pelagianos adunatis nullus poſſit bonum ſalutis operari : Immo quod abſit vel cogitare, Deus videretur injuſtus dando præcepta Paganis, ſicut de facto ſingulis hominibus indiſcriminatim proponit ut illa adimpleant, namque in hypotheſi impoſſibile foret Infidelibus ea ſervare : Ergo &c. Hæc ratio eſt D. Thomæ qui 1. p. q. 113. articulis 1. 2. 3. 4. & 5. ut aſſolet, angelice probat quod ſinguli Angeli ad cuſtodiam deputantur omnibus, & ſingulis hominibus, etiam Infidelibus quandiu ſunt in ſtatu viæ : tum quia, inquit art. 4. in corp. in illa via multa pericula homini imminent, tum ab interiori, tum ab exteriori, ſecundum illud Pſal. 141. *in via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mibi* ; tum quia ait idem S. Doctor art. 1. in corp. " Manifeſtum eſt au-
" tem quod in rebus agendis cognitio &
" affectus hominis multipliter variari &
" deficere poſſunt a bono; & ideo neceſ-
" ſarium fuit quod hominibus ad cuſto-
" diam Angeli deputantur, per quos re-
" gularentur & moverentur ad bonum. "
Si ergo ex ſancto Doctore homines ſinguli, proindeque Infideles negativi per cuſtodes Angelos regulantur & moventur ad bonum; illorum certe miniſterio interiores a Deo illuſtrationes ſupernaturales recipiunt affectioneſque pias : itaque ex Doctoris Angelici mente omnibus, etiam negativis Infidelibus gratiæ ſufficientes ſaltem remotæ ad converſionem & ſalutem, non tantum parantur, ſed & præbentur, & infunduntur : alias inanis prorſus eſſet Angelorum præfectura & cuſtodia.

Octava, & poſtrema ratio proponitur. Suppono quod conſtans ſit, & apud Theologos omnes indubitata veritas, omnem hominem aliquando teneri convertere ſe ad Deum ut finem ultimum; licet non omnes conveniant de tempore quo incipit obligare illud præceptum : docent tamen unanimiter fideles S. Thomæ interpretes, hominem teneri ad impletionem illius præcepti in primo inſtanti morali uſus rationis, hancque veritatem, inquit Gonetus poſt Salmanticenſes, tam clare, tamque firmiter aſſertam habet S. Doctor 1. 2. q. 89. art. 6. & tam frequenter aliis in locis repetitam, ut merito a Thomiſtarum claſſe ille rejiciendus eſſet, qui ab ejus veſtigiis hac in parte recederet : hac igitur facta hypotheſi ſic argumentor.

Habere nequit Infidelis negativus gratiam ſufficientem remotam converſionis in Deum, ut finem ultimum, quum eamdem habeat reſpectu fidei & ſalutis : Atqui Infidelis quicumque etiam negativus gratiam habet ſufficientem ſaltem remotam converſionis in Deum ut finem ultimum; ergo & gratiam habet ſufficientem fidei & ſalutis. Major per ſe patet, nec eam inficiari poteſt ullus ex adverſariis, cum fiat in illa ſermo de gratia ſupernaturali : de minori dumtaxat poteſt dubitari, quam ſic oſtendo. Tenetur omnino puer quilibet etiam Infidelis negativus in primo inſtanti morali uſus rationis convertere ſe ad Deum, ut ad debitum finem ultimum, eo modo quo poteſt : Atqui ad hæc nequaquam teneretur, nec etiam poſſet obligari, niſi ad hoc gratiam haberet ſufficientem ſaltem remotam : Igitur omnis infidelis negativus gratia gaudet ſufficienti ad ſuam in Deum converſionem operandam. Major eſt, ut dixi, Thomiſtarum omnium : minorem vero de cujus veritate ambigunt adverſarii ſic demonſtro.

Nemo tenetur ad impoſſibile : Atqui impoſſibilis omnino foret illa converſio pueri in Deum, ſi careret gratia ſufficienti ſaltem remota ad illam : Ergo &c. Majorem expreſſe docent Concilia, SS. Patres, Catholicique omnes Theologi, ac noviſſime de fide definita eſt ab Innocentio X. contra Janſenianos, ut ſupra fuſe oſtendimus. Minor declaratur. Illud eſt homini impoſſibile abſque gratia ſufficienti, ad quod nequit pertingere per ſolas vires naturæ, aut per auxilium naturalis ordinis : Atqui prorſus eſt impoſſibile quod ſe infidelis convertat in Deum,

ut

ut finem ultimum per vires naturæ, aut per auxilium naturalis ordinis: Ergo hoc nonniſi per gratiam ſufficientem valet præſtare. Maiorem coguntur admittere adverſarii. Minor probatur.

I. *Quia* in præſenti ſtatu in quo humana natura ad ſalutem & finem ſupernaturalem elevata eſt, impoſſibilis eſt converſio in Deum ut auctorem naturalem abſque converſione in eum ut auctorem ſupernaturalem, ut fatentur omnes, & ſupra etiam probavimus: Atqui ut patet, penitus impoſſibilis eſſet puero infideli illa converſio in Deum ut auctorem ſupernaturalem per vires naturæ, aut ſuperadditam virtutem intra eumdem naturæ ordinem: Igitur etiam eſſet impoſſibile quod ſe puer ad Deum ut finem ultimum converteret per illas dumtaxat vires naturales.

II. *Probatur* eadem minor: etenim ſi poſſet homo per vires ordinis naturalis ad Deum ſe convertere, haberet ex natura initium ſalutis, gratiamque promereri poſſet; ſiquidem per illam converſionem diligeret Deum ſuper omnia; diligenti autem Deum ſuper omnia, gratiam ſuam denegare non poteſt Deus, qui diligit diligentes ſe: unde, inquit D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. in corp. ſi puer perveniens ad uſum rationis ſeipſum ordinaverit in debitum finem per gratiam, conſequetur remiſſionem peccati originalis: ex quo ibidem recte colligit peccatum veniale non poſſe eſſe in aliquo cum ſolo originali: Igitur implicat talis converſio in Deum per vires dumtaxat naturales: Igitur auxilium ſupernaturale neceſſario requiritur: Igitur illud Infidelibus omnibus negativis infunditur.

Reſpondet itaque P. Gonetus diſp. 5. de reprobatione art. 6. §. 3. & diſp. 9. de peccato mortali & veniali art. 6. §. 3. num. 210. quod licet actualis converſio in Deum ut auctorem naturæ numquam ponatur ſine auxilio gratiæ, eo quod, inquit, talis converſio non poſſit ſtare cum originali peccato, neque illud auferri ſine gratia: potentia tamen ad ſe convertendum in Deum ut auctorem naturæ ſtare poteſt etiam in præſenti ſtatu naturæ lapſæ ſine auxilio gratiæ, cum ſolo auxilio ſpeciali ordinis naturalis.

Sed contra I. Hæc Goneti doctrina Theologis ferme omnibus, ac præſertim Thomiſtis manifeſte contradicit; aſſerunt ſiquidem una voce, unanimi conſenſu puerum etiam infidelem negativum eo tempore quo obligatur ad converſionem ſui in Deum, habere in ſe gratiam Dei ſupernaturalem ſufficientem, qua tale poſſit præceptum adimplere. Ita præter extraneos docent expreſſe ex ſchola Thomiſtica Medina. 1. 2. q. 109. art. 10. Bannes 1. p. q. 23. art. 3. dubio 3. concluſionibus 1. 2. & 3. Curiel 1. 2. q. 109. art. 3. dub. ult. ubi in terminis aſſerit auxilium naturalis ordinis numquam in præſenti ſtatu dari ad amorem Dei etiam ut auctorem naturæ. Item Alvarez lib. 7. de auxiliis diſp. 56. num. 23. Carmelitæ Salmanticenſes tract. 13. de peccatis diſp. 20. dubio 1. §. 4. Joannes a ſancto Thoma 1. p. q. 23. diſp. 10. art. 3. Philippus a ſancta Trinitate tract. 3. de gratia Dei diſp. 3. dub. 4. aliique non pauci, qui pro eadem veritate citantur; attamen quia hoc in eorum operibus licet verificare, idcirco eorum auctoritatem prætermitto.

II. *Ex* ipſis Goneti Telis ipſummet facile poſſumus debellare; ait enim & recte, actualem converſionem in Deum ut auctorem naturæ in præſenti ſtatu numquam haberi de facto ſine auxilio ſuper. naturali, quia hæc etiam importat converſionem in Deum ut auctorem ſupernaturalem; Ergo pari ratiocinio, nec poteſt homo ſe in Deum ut auctorem naturæ convertere, quin & in ipſummet ut auctorem ſupernaturalem ſe queat convertere: debet enim eſſe proportio inter actum & potentiam; quia, inquiunt Philoſophi, quod actus eſt actu, potentia eſt poſſibiliter; & potentia ſpecificatur ab actu quem reſpicit: Ergo ſicut numquam ſe convertit in Deum ut auctorem naturæ ſine auxilio ſupernaturali efficaci; ſimiliter nec poteſt ſe in eum etiam ut auctorem naturæ convertere ſine gratia ſupernaturali ſufficienti.

Sed clarius ſe pro nobis contra ſemetipſum explicat Gonetus in tract. de fide diſp. 6. art. 5. §. 2. " Si homo, *inquit*,
" nutritus in ſylvis, vel apud Barbaras
" nationes educatus, ubi nil umquam audi-
" vit de Evangelio, bene viveret ſecundum
" legem naturalem, ex auxiliis divinæ gra-
" tiæ, ſine quibus tota lex naturalis obſer-
" vari diu non poteſt, tunc ex iiſdem au-
" xiliis facienti quod in ſe eſt, Deus non

,, denegaret gratias actuales neceſſario neceſſitate medii prævias ad juſtificationem, inter quas eſt fides explicita in Chriſtum Redemptorem, quam Deus illi concederet, vel mittendo aliquem prædicatorem, vel aliquem Angelum ad illum inſtruendum, vel illum immediate per ſe ipſum illuminando interius de tali myſterio.

Poſſemus-ne, quæſo, ipſi nitidioribus verbis explicare ſententiam noſtram, nimirum Infideles ante fidem & juſtificationem gratias actuales a Deo recipere ad bonum naturalis ordinis operandum, quibus ſi bene uterentur, cætera auxilia ad fidem, juſtificationem & ſalutem neceſſaria infallibiliter ipſis a Deo infunderentur.

Ex quo etiam patet Goneti doctrinam hac in materia nullo modo ſibi conſtare, ſed ipſum in apertam impingere contradictionem.

§. V.

Quintum argumentum ex definitione Eccleſiæ.

ILLUD citra errorem non poteſt nunc defendi, quod contra claram & apertam Eccleſiæ definitionem eſt: Atqui Alexander VIII. doctrinam eorum qui docent gratia ſufficiente carere Infideles veluti falſam & erroneam proſcripſit: & merito, quandoquidem tria de fide certa ſunt. 1. Deum omnibus & ſingulis hominibus ſua mandata obſervanda proponere. 2. Impoſſibilia non jubere. 3. Neminem ſine gratia mandata poſſe obſervare: Ergo &c. Probatur minor. Ecce decretum feria V. die 7. Decemb. ann. 1690. *Sanctiſſimus D. N. Alexander divina providentia Papa VIII. prædictus pro Paſtorali cura ovium a Chriſto Domino ſibi commiſſa, de earum ſalute ſolicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta propoſitionum examen pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis ac Reverendiſſimis D. D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquiſitoribus commiſit, qui tantum negotium diligenter aggreſſi, eique ſedulo, ac pluries incumbentes, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia ſanctitati ſuæ ſigillatim detulerunt.*

Quinta: Hæc eſt, *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes in illis eſſe voluntatem nudam & inermem ſine omni gratia ſufficienti.*

Sexta: ſic ſe habet: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis quam perniciosa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere, a gratia ſufficienti libera nos Domine.* Quod quidem impium eſt, quantum ad expreſſionem, & adverſatur quantum ad ſubſtantiam SS. Doctoribus ſupra laudatis, inprimis divo Thomæ, qui in cap. 12. epiſt. ad Hebr. lec. 3. ait: " Gratia ,, nulli deeſt, ſed omnibus, in quantum ,, in ſe eſt, ſe communicat. ,,

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Si infideles aliquam haberent gratiam, maxime per Chriſtum: Atqui non habent: Et probatur ex S. Aug. qui lib. de gratia & lib. arb. cap. 13. num. 25. ait: " Hanc enim naturam ,, etiam cum impiis & infidelibus certum, ,, eſt nobis eſſe communem: Gratia vero ,, per fidem Jeſu Chriſti eorum tantum- ,, modo eſt, quorum eſt ipſa fides. ,, Tum ſerm. 5. de verbis Apoſt. cap. 11. " Pagani non habent gratiam Dei per Jeſum Chriſtum. ,, Idem dicit S. Proſper lib. 2. de vocat. Gen. cap. 17. " In ,, extremis mundi partibus, ſunt aliquæ ,, Nationes quibus nondum gratia Salvatoris illuxit. ,, Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo: Sunt aliquæ Nationes, quæ non habent gratiam per Jeſum Chriſtum, id eſt, per fidem explicitam in Chriſtum, concedo: per fidem implicitam, nego. Sancti Doctores nominant gratiam Infidelium potius gratiam Dei quam Chriſti, ut S. Proſper citatus cap. 19. & cap. 31. quia nondum illis illuxit Chriſtus per Evangelium; quod verbum, *illuxit*, deſignat fidem explicitam: habent igitur gratiam Dei per merita Chriſti, ſed non per Chriſtum in eo ſolum ſenſu, quod nondum audierint Chriſtum per Evangelium. Quia vero fides operatur ſpecialiter per legem Evangelii, ideo qui illam audiunt magis proprie dicuntur habere per Chri-

Chriſtum : quod autem quidam audiant, quidam vero non, hoc refunditur in judicia Dei, ait S. Proſper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 21.

Reſpondeo 2. Fidem in Chriſtum non eſſe primam gratiam ut ſupponit objectio, ut iſta ulteriora S. Auguſtini verba Enchirid. cap. 107. indicant. " Fides impetrat ,, quod lex imperat. ,, Et videntur innuere Patres Africani apud Sardiniam exules, cum fides incohata & implicita ſit diſpoſitio ad fidem, qualis legitur in Actibus de Cornelio : Igitur fides iuxta Patres eſt quidem prima gratia reſpectu juſtificationis & ad Deum converſionis, minime vero ad bonum incohandum. Hinc iſtæ duæ Queſnelli propoſitiones damnatæ ſunt.

Vigeſima ſexta. *Nulla dantur gratiæ niſi per fidem.*

Vigeſima ſeptima. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

Inſtabis : Gratia quæ dicitur dari Infidelibus eſt mere naturalis, & ad ſummum extrinſeca, qualem admittebant Pelagiani : Ergo &c. Probatur antecedens. Ex ſancto Proſpero & Oroſio. Prior epiſt. ad Rufinum, ſic habet : " Intellectum eſt, ,, ſaluberrimeque perſpectum hoc tantum ,, eos gratia confiteri, quod quædam li- ,, bero arbitrio ſit domina, ſeque per co- ,, hortationes, per legem, per doctrinam, ,, per creaturam, per contemplationem, ,, per miracula, perque terrores extrin- ,, ſecus judicio ejus oſtendat. ,, Alter vero in Apol. pro arbitrii libert. ait, *ordinem ſuum compoſita : bene natura cuſtodit, ac per hoc Deus elementariis ſimul curſibus conſtitutis, facit inde quæ facit* : Sic Pelagium inducit loquentem : ſed dictum eſt ſupra ex Aug. gratiam Infidelium conſiſtere in exhortationibus, in terroribus & in contemplatione elementorum : Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo minorem : Gratia Infidelium conſiſtit in terroribus, admonitionibus & conſideratione elementorum, ſimul & in motione interiori, concedo : in ejuſmodi rebus tantum, nego. Ita Aug. in expoſit. in Pſal. 18. ubi ſic habet : " Non permiſit ullum mortalium excuſa- ,, re ſe de umbra mortis, & ipſam enim ,, penetravit verbi calor. ,, Ille autem verbi calor penetrans eſt gratia vera, eaque cordis immutativa. Ita & ſanctus Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 19. his verbis jam ſupra laudatis : " In extre- ,, mis mundi partibus, ſunt aliquæ Na- ,, tiones, quibus nondum gratia Salvato- ,, ris illuxit... Quibus tamen illa men- ,, ſura generalis auxilii, quæ deſuper ,, omnibus ſemper hominibus eſt præbita, ,, non negatur. ,, Si deſuper præbita, jam non eſt gratia pure naturalis & extrinſeca, quia tamen ſigna dantur infidelibus, & legibus humana mens regitur, non mirum, ſi auxilia illa extrinſeca adhibeat Deus, ad hominum converſionem, ſed dum foris ſonat per ſigna & legem, intus loquitur per gratiam, inquiunt Patres.

Urgebis : Error eſt Semipelagianorum dicere gratiam omnibus dari etiam Infidelibus ; & hoc probatur ex ſancto Proſpero, qui in epiſt. ad Aug. de Maſſilienſibus dicit : " Univerſis hominibus propi- ,, tiationem, quæ eſt in ſacramento ſan- ,, guinis Chriſti, ſine exceptione eſſe pro- ,, poſitam. ,, Intellige, aſſerunt, ut quicumque ad fidem, & ad Baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Et in hoc Semipelagiani non fuerunt hæretici, concedo : & in hoc fuerunt, nego. Contrarium definitum eſt ab Innocentio X. contra quartam propoſitionem. Enim vero fuerunt hæretici non in hoc, ſed in eo quod dicerent initium fidei eſſe a nobis, & in hominum voluntatibus latere ſemina virtutum ; ita S. Proſper in eadem epiſtola, his verbis : " Priorem eſſe vo- ,, lunt obedientiam quam gratiam, ut ini- ,, tium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ,, ex eo credendum ſit ſtare, qui ſalvat : ,, & voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi ,, pariat opem. ,, Idem contra collatorem cap. 28. dicit Semipelagianos defendere, naturaliter omni animæ ſemina ineſſe virtutum. Idem fuſe de eis refert S. Fulgentius Lib. de incarn. cap. 19.

Contunduntur alia ſpicula ſpecialia Janſenii ex auctoritate Auguſtini ſpecialiter deſumpta.

OBJICIT. Lib. 3. de gr. Ch. cap. 11. pag. 126. col. 2. Auguſtinus vocat tempus Evangelium præcedens, tempus ante gratiam : Igitur, inquit, Infideles ex S.

Auguſtino non habent gratiam.

Reſpondeo retorquendo argumentum. Sequeretur ex hoc Prophetas & Patres antiquæ legis, qui extitere ante Evangelium, non habuiſſe gratiam, ſi argumentum Janſenii aliquid probaret. Abſurdum conſequens, ergo & antecedens.

Reſpondeo II. diſtinguendo: Tempus Evangelium præcedens dicitur eſſe ante gratiam, id eſt, ante Chriſtum natum gratiæ auctorem, concedo: ante Chriſtum prævisum, nego. Igitur intuitu meritorum Chriſti venturi Deus miſericorditer largiebatur gratiam omnibus hominibus, ut conſtat ex auctoritate Aug. & aliorum Patrum in probationibus allata.

Inſtat: Lib. 3. de grat. Salv. cap. 11. pag. 127. col. 1. *Probavimus*, inquit, *fuſe in præcedentibus nullum omnino bonum moraliter opus, hoc eſt, nullum opus quod non ſit peccatum ab infidelibus poſſe fieri, ſed quicquid faciant, quo quo modo ſe vertant, quamcumque rectam meditentur operationem, totum in eis perverſi amoris cupiditate contaminatum eſſe*. Et hoc probat, quia carent fide & dilectione, ex quo infert eos nullam habere gratiam, quia nullam habent fidem & charitatem. Et in probationem adducit duo Aug. loca primum ex lib. de gr. & lib. arb. cap. 14. ubi ſic loquitur: " Ergo ſpiritus gratiæ facit ut habeamus „ fidem. „ Igitur qui non habet fidem, non habet gratiam, quia ſi illam haberet, crederet: Secundum, ex lib. 2. de pecc. meritis cap. 18. in quo ait Sanctus Aug. " Quis enim dubitet dicere, voluntatem „ nullo modo juſtitiam diligentem, non „ modo eſſe malam, ſed etiam peſſimam „ voluntatem. „ Igitur Infideles ſemper male agunt, nec aliter poſſunt facere, quia non habent gratiam.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo: Qui non habent fidem non habent gratiam fidei, concedo: gratiam qua poſſint ad fidem pervenire, nego. Ad alium locum diſtinguo: Infideles non amant juſtitiam ſupernaturalem, tranſeat; legitur enim de Cornelio pagano quod oraret Dominum, & quod ipſius eleemoſynæ gratæ eſſent Deo. Non amant juſtitiam moralem naturalis ordinis, nego. Dictum eſt enim ſupra agendo de actionibus Infidelium, quandoque ex S. Aug. eos operari ſecundum juſtitiæ regulas: quando vero ſanctus Doctor negat opera eorum eſſe bona, loquitur in ſenſu oppoſito Juliani, id eſt, non eſſe vitæ æternæ meritoria, quod volebat hæreſiarcha.

Urget: S. Aug. lib. 83. qq. q. 68. ſic loquitur: " Sub iſtis paſſionibus tamquam „ ſub viro dominante agebat anima, an„ tequam veniret gratia per fidem.... „ Sub lege actio eſt, cum jam prohibe„ mur a peccato, & tamen conſuetudi„ ne ejus victi peccamus, quoniam nos „ nondum adjuvat fides. Tertia actio eſt „ quando jam pleniſſime credimus libera„ tori noſtro... neque lex mala eſt quæ „ oſtendit homini in quibus peccatorum „ vinculis jaceat, ut per fidem implora„ to liberatoris auxilio, & ſolvi, & eri„ gi firmiſſime conſtitui mereatur. „ S. Aug. ponit diſcrimen, ait Janſenius inter actionem factam ante legem Evangelicam, & aliam quæ fit per fidem; quod prima ſit ſemper mala propter cupiditatem, & defectu fidei, altera vero minime, propter fidem quæ ſanat. Igitur Infideles qui nihil audierunt de Evangelio, nullam habent gratiam. Ergo &c.

Reſpondeo, verba S. Aug. innuere ſolum excellentiam legis novæ ſuper Moſaicam, quæ erat vacua & non ducens ad perfectionem. Unde diſtinguo: Anima tamquam ſub viro dominante agebat, id eſt, erat magis paſſionum ſerva, antequam veniret gratia abundans per fidem Evangelicam concedo: quia ut primum Chriſtus exaltatus eſt, & in ligno ſuſpenſus, princeps mundi, ipſo teſte, ejectus eſt foras: id eſt, anima nullam habebat gratiam, nego. Quod quidem patet ſufficienter ex repetitis S. Aug. auctoritatibus.

Replicat: Ibidem ex S. Aug. homines ante Chriſti adventum non poterant remiſſionem habere peccatorum, ſicut & impræſentiarum etiam hi qui fidem non habent: & hoc probat ex S. Aug. qui in epiſt. ad Galat. ſic effatur: " Non enim „ aufert peccata niſi gratia fidei quæ per „ dilectionem operatur. „ Atqui, inquit, infideles non habent gratiam fidei, juxta illud ejuſdem S. Aug. lib. de grat. & libero arbit. cap. 13. " Gratia vero „ Jeſu Chriſti eorum tantummodo eſt, „ quorum eſt ipſa fides. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando majorem: Ad probationem diſtinguo: Et Infideles habentes gratiam ſufficientem poſſunt habere & efficacem, ad diligendum Deum ut aucto-

rem

rem naturæ, & implicite ut auctorem gratiæ, quæ dilectio cum contritione poteſt delere peccata contra legem naturæ, concedo: quoties autem Deus dat gratiam ſufficientem ad aliquod bonum faciendum, toties offert efficacem. Et non poſſunt habere illam gratiam efficacem, nego. Hoc explicat S. Proſper citatus, dicendo Deum occultis modis agere in cordibus hominum.

Ad alium S. Aug. locum diſtinguo: Gratia Jeſu Chriſti eorum tantummodo eſt, quorum eſt ipſa fides, gratia abundans, concedo: remota, ſubdiſtinguo; eorum eſt quorum eſt ipſa fides implicita, vel explicita, concedo: quorum eſt ipſa fides explicita, nego. Omnis gratia eſt a Chriſto; qui vero illam audit, etiamſi ſit infidelis ſeu Paganus, eatenus habet fidem implicitam, quatenus paratus eſt obedire & credere ſupremo numini.

Perſiſtit: Ibidem Aug. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ſic habet: " Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit credere Deo, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem." Igitur inquit, qui non habet fidem, nullam habet gratiam, ſiquidem ex S. Aug. incipit tantum habere gratiam, quando incipit habere fidem.

Reſpondeo diſtinguendo: Incipit homo habere gratiam ſpecialem & uberiorem quando incipit habere fidem, concedo: incipit habere gratiam ſufficientem, nego. Solutio eſt ipſius Aug. qui ibid. ſubdit: " Sed intereſt quibus articulis temporum, vel celebratione Sacramentorum gratia plenior, & evidentior infundatur. Non enim Catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum eleemoſynis & orationibus dignum ſe præberet cui Angelus mitteretur? Sed nullo modo iſta operaretur niſi ante crediſiſſet: nullo modo autem crediſiſſet niſi ſecretis per viſa mentis, vel manifeſtioribus, per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur .... ſiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus ſimiles; non tamen ſolum concipi, ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam." Tria in hoc diſtinguit ſanctus Doctor. Primo quidem, gratiam pleniorem & evidentiorem ad fidem habendam, quam ſanctus Proſper lib. 2. de vocat Gent. cap. 23. appellat generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulſantem. Secundo, Admonitiones, de quibus S. Proſper ibid. cap. 4. ſic loquitur: " Non ita ſe æterna Creatoris charitas ab illis hominibus, *Infidelibus*, avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe, atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret." Tertio, inchoationes conceptionibus ſimiles. Catechumeni habent primam gratiam, magnos ſcilicet motus, magnaſque propulſationes ad fidem. Cornelius habuit ſecundas admonitiones, tum interiores, tum exteriores, quod quidem probant ipſius eleemoſynæ & orationes. Cæteri Pagani habent inchoationes conceptionibus ſimiles; licet enim non habeant fidem inchoatam ut Cornelius, habent tamen inſpirationem fidei inchoatæ, id eſt, aliquas, gratiarum ſufficientium beneficio, & ope, ad fidem præparationes.

Reſpondeo II. S. Præſulem in loco objecto loqui de his qui jam incipiunt habere fidem; tunc enim habent gratiam per quam pie vivitur, ſeu incipiunt habere; ita ipſe Aug. lib. de præd. SS. cap. 7. his verbis: " Fides prima datur ex qua impetrentur cætera quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juſte vivitur."

Solvitur argumentum Goneti.

OBJICIT: Infideles de quibus procedit controverſia, ſunt Infideles negative: ſed ſi gratiam habeant ſufficientem, jam non ſunt Infideles negative. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Si gratiam fidei habeant, concedo: ſi ſola gratia operis donentur, nego. Gratia duplex diſtinguitur, una fidei, operis altera: Prima, circa fidei aſſenſum verſatur: Secunda, circa opus quod ad fidem diſponit: iſtam tantum habent Infideles, videlicet ad legem naturalem adimplendam, qua gratia ſi bene utantur in appetitu boni & fuga mali, Deus inquit D. Thomas, illos vel interius illuminabit circa credenda, vel mittet eis prædicatorem qui eos de credendis inſtruat.

Urgebis: Atqui ſi aliquam habent gratiam, Infideles negative non dicendi ſunt. Et probatur: non ſunt in diſcredendo excuſabiles: Igitur nec Infideles negative.

Pro-

Probatur antecedens : obcæcatus tametſi gratiam ſolummodo remotam converſionis habeat, quia tamen orare poteſt, ut uberiorem ad conterendum gratiam obtineat, profecto non excuſatur a peccato, ſi dum contritionis præceptum urget, de peccatis non conteratur : Igitur nec Infidelis a peccato excuſari debet, eo ipſo quo gratiam fidei remotam obtinet, quippequi orare queat, ut gratiam fidei proximam cito citius aſſequatur.

Reſpondeo negando ſubſumptum : Ad primam probationem, nego etiam antecedens. Ad ulteriorem, nego paritatem. Ratio diſcriminis in eo potiſſimum eſt, quod obcæcatus habeat, ut ſupponimus, fidem, unde omnia tentare debet, ut ſe moveat, ſicut oportet circa finem, quocirca orare debet, ut uberiorem aſſequatur gratiam qua per amorem doloris ad Deum ſeſe convertat : ſed Infidelis negative finem non cognoſcit ſupernaturalem, ſeu Deum ut gratiæ auctorem, & Chriſtum ut fidei conſummatorem : *Quomodo autem*, inquit Apoſtolus Rom. 10. de Infidelibus loquens, *audient ſine prædicante, quomodo vero prædicabunt niſi mittantur ?* Igitur Infidelis non ad aliud tenetur, quam ad legem naturalem adimplendam; & poteſt, immo orare debet Creatorem ut illum illuminet : ſic orabat Cornelius, & ejus orationes in odorem ſuavitatis ita aſcenderunt, ut Deus ad eum miſerit Petrum, qui illum in fide Chriſti inſtrueret : ex quo liquet Infidelem non peccare præcepta Chriſti circa finem ſupernaturalem omittendo, donec inſtruatur : & ſic latum eſt inter obcæcatum Fidelem, & Infidelem negativum diſcrimen : ille peccat non ſe convertendo ad Deum ut auctorem gratiæ dum urget præceptum : nuſquam vero alter. Cæterum præter gratiam motionis prærequiritur propoſitio credendorum : hanc habet obcæcatus Chriſtianus, non Infidelis, quocirca diſcredendo a peccato excuſatur.

Perſiſtes : Iſtis maxime rationibus aſtruitur gratia aliqua pro Infidelibus ut ſalvetur voluntas Dei antecedens de ſingulorum hominum ſalute, & mors Chriſti pro iiſdem, tum ut ſint in peccato inexcuſabiles : Atqui ad hæc omnia jura ſervanda non requiritur quod Deus gratiam aliquam ſufficientem Infidelibus elargiatur. Et probatur. I. Ut Deus dicatur velle omnes ſalvos fieri, ſatis eſt ut illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum de ſua exiſtentia; ſic enim quiſque poterit inviſibilia Dei per viſibilia conſpicere, & gradatim ad fidem uſque ipſius ope futura pervenire ; ait enim Philoſophus 3. Ethic. cap. 3. & cum eo S. Thomas quod per amicos poſſumus, per nos poſſumus ; Deus autem nedum amicus, ſed & pater eſt. Igitur ſecluſa gratia Infideles non quidem proxime, ut Pelagiani dicebant, ſed remote poſſunt ſalvari, cum Deus de hoc habeat voluntatem. II. Similiter ut mors Chriſti ad omnes ſeſe extendat, non opus eſt ut dentur auxilia, ſed quod ſint omnibus parata ; habetur enim in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 3. " Etſi ille *Chriſtus* pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat quibus meritum paſſionis ejus communicatur. " Neque vero ceſſarent Infideles eſſe inexcuſabiles, quamvis omnis gratiæ forent expertes, cum iſta privatio juſte in culpam eis reputaretur, tum propter peccatum originale, tum propter peccata propria ex peccato originis fluentia.

Ad hanc rationem videtur attendere S. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 6. num. 9. eo quippe loci refert querelam quorumdam qui ſe immerito corripi obtundebant, eo quod nullam, ajebant, recepimus gratiam. Porro probat eis irrefragabiliter regeneratos recte corripi, quippequi ab accepta juſtitia prorſus ſua culpa exciderint : " Ex bona, *ait cap.* 7. in malam vitam ſua voluntate mutati ſunt.. Etiam divina in æternum damnatione digni ſunt. "

Inſtabis : Si Infideles gratiam ſufficientem ad bonum operandum haberent, ſimiliter reſponderet, eos recte corripi & damnari, quia reſtiterunt gratiæ invitanti ad vitam, ſed nequaquam hoc dicit, ſolum ab originali peccato eorum repetit pro mandatis ſervandis inobedientiam, tum & æternum interitum : " Nec attendunt, *ait, ibid. cap. 6. num.* 9. ſi nondum regenerati ſunt primam eſſe cauſam, cur objurgati quod ſint inobedientes Deo, ſibi debeant diſplicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non eſt iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas qua Deo non obedi-

„ obeditur, ab homine eſt; quia ex re- „ ctitudine, in qua eum Deus primitus „ fecit, ſua mala voluntate decidens, „ pravus effectus eſt. „ Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad primam probationem, nego ſalvari voluntatem ſinceram Dei de ſingulorum ſalute, abſque gratia ſufficiente in omnes diffuſa; in hac enim hypotheſi voluntate dumtaxat ſigni & metaphorica, ſeu mere extrinſeca, quæ nihil ponit in re, vellet omnium ſalutem, quæ quidem voluntas non eſt vera voluntas. Neque vero citra errorem Pelagianiſmi dici poteſt hominem, qui viſis Creatoris effectibus, ratione naturali ad exiſtentiam Dei ut auctoris naturæ pervenit, poſſe utique Deum ut auctorem gratiæ cognoſcere, & veluti per gradum ad cognitionem & amorem myſteriorum Redemptionis & ſalutis aſcendere; ad hoc enim & gratia, & fides præerequiruntur, dicente Apoſtolo Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

Ad ſecundum, nego utique ſufficere parare ſolum media, ut ſalvetur ratio Mediatoris, cujus Officium eſſentiale eſt juxta Apoſt. 2. Cor. 5. reconciliare mundum, de quo dubio procul ſunt Infideles: nec diſſentit vel ipſum Concilium Tridentinum; eadem enim ſeſſ. 6. cap. 16. ait: " Chriſtus Jeſus tamquam caput in mem- „ bra. „ influit in juſtificatos ut ſerventur in juſtitia accepta, & in juſtificandos & convertendos, quod omnes omnino ſpectat homines. Nonne Gentiles ab Apoſtolis ad fidem converſi ſunt? Igitur antequam in Chriſtum crederent, aliquam habebant gratiam ut ad fidem præpararentur; ſic enim legitur Act. 16. 14. *Quædam mulier nomine Lydia .... colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo.* Obſerves velim eam mulierem coluiſſe Deum antequam a Paulo audiret fidem in Chriſtum; adeoque tunc infidelem. Igitur falſiſſimum eſt, Infideles carere omni gratia, cum infiniti prope & tempore Apoſtolorum, eorumque in Paſtorali Officio ſucceſſorum, & ævo S. Franciſci Xaverii, qui innumeros Idololatras convertit, fidem, prçviis diſpoſitionibus a gratia ſufficiente profluentibus, acceperint, & in extremis terræ partibus charitate & prædicatione Miſſionariorum quotidie ſuſcipiant.

Jam venio ad auctoritatem Concilii, & diſtinguo: Non omnes mortis beneficium primarium, videlicet quantum ad juſtificationem, recipiunt, concedo: quantum ad ſecundarium, & gratias ſufficientes quibus quilibet etiam Infidelis converti & juſtificari poteſt, nego. Primum ſolutionis membrum patet, cum eo loci ſacra Synodus agat ex profeſſo de juſtificatione per Chriſti merita, ut vel ipſe capitis titulus indicat, talis eſt: *Qui per Chriſtum juſtificantur.* Alterum ex capite præcedenti, ubi ex profeſſo docet Chriſtum veniſſe ut Judæos & Gentiles ſalvaret: habuerunt igitur poſſe ſalvari per gratias ſufficientes, quia erat omnium propitiatio: non tamen ſinguli efficaces quantum ad juſtificationem, cum multi inter Judæos ipſi Chriſto loquenti & vocanti reſtiterint. Ecce verba Concilii: " Cum venit beata „ illa plenitudo temporis, ad homines „ *Deus Filium ſuum*, miſerit ut & Judæos „ qui ſub lege erant redimeret, & gentes „ quæ non ſectabantur juſtitiam, juſtitiam „ apprehenderent, atque omnes adoptio- „ nem filiorum acciperent, hunc propo- „ ſuit Deus propitiatorem per fidem in „ ſanguine ipſius pro peccatis noſtris; non „ ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro „ totius mundi. „

Ad tertium difficultatis punctum nego, Infideles, ſecluſa gratia ſufficiente, evadere in peccatis inexcuſabiles, cum teſte Auguſtino, ſæpius pro iſta objectione ſolvenda citato, nemo peccat in eo quod vitare non poteſt; cum autem ex eodem S. Doctore mandata circa finem ſupernaturalem aſſequendum ſine gratiæ auxilio ſervare nemo poſſit, Infideles, ſi gratia omni denudentur, non peccarent illa tranſgrediendo. Cæterum auctoritas S. Auguſt. nullas addit vires adverſarii argumento, quin potius præmaturo telo illum confodit; recte enim litem Monachorum Adrumetinorum obſtrepentium componit, dicendo regeneratos recte corripi, eo quod ab accepta per regenerationis lavacrum juſtitia, & voluntaria pravitate exciderint; Infideles utique corripiendos ea de cauſa fuiſſe, quod per peccatum originale jure hæreditatis expoliati, non ſolum non ſtuduerint ad fidem pervenire, ſed nova addiderint prævaricationi innatæ peccata, quibus iram promeruere. Quod autem non omnes priventur gratia, non dicit Augu-

Auguſtinus, immo eo loci inſinuat gratiam omnibus datam, cum vel ipſos Infideles, nondum regeneratos corripi velit, ut correctione & occultis inſpirationibus, quæ ſunt ipſæ gratiæ ſufficientes, ad cor poſſint redire, tum & ad converſionem, & ſalutem pervenire; ſic loquitur ibidem cap. 6. num. 9. " Corripiatur ergo ori-" go damnabilis, ut ex dolore corre-" ptionis voluntas regenerationis oriatur " ... Ut ſtrepitu correptionis forinſecus " inſonante ac flagellante, Deus in illo " intrinſecus occulta inſpiratione operetur & velle. " Supponit in iſtis Infidelibus gratiam ſufficientem, ut terrente extrinſecus correptione, intus per gratiam moveantur ad bonum. Tum de gratia efficaci inſtituit ſermonem; ſi enim priori & prævenienti non reſiſtant, uberiorem a cujus efficacia operabuntur bonum, habebunt: *Ut .... Deus .... ait, occulta inſpiratione operetur & velle*.

Repones: Ex hoc ſequitur gratiam ſufficientem neceſſariam eſſe in Infidelibus ut peccent. Abſurdum conſequens: Ergo & antecedens. Probatur ſequela. Si habeant gratiam, jam in omiſſione mandatorum, tum circam amorem perfectum erga auctorem naturæ, tum circa finem ſupernaturalem inexcuſabiles ſunt; ſin minus e contra, cum plenitudinem legis naturalis & ſupernaturalis abſque gratia poſſint obſervare; nemo enim peccat in eo quod vitare non poteſt, ut iterum atque iterum ex S. Aug. decantatum eſt, Ergo &c.

Reſpondeo I. Retorquendo argumentum: Vel ipſi electi quandoque graviter peccant; & ad tempus a juſtitia excidunt, quippe qui in peccatum prolabantur reſiſtendo gratiæ, & concupiſcentiæ titillanti cedendo: Ergo-ne Novatores dicent gratiam eſſe peccati cauſam? Abſit.

Reſpondeo II. negando ſequelam. De fide eſt bonum a Deo procedere, malum vero quod non habet cauſam efficientem, ſed ſolum deficientem, ex ſola creatura promanare; unde ait Scriptura Oſee 13. 9. *Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum*. Peccant igitur qui nec obediunt mandatis, nec ipſi gratiæ eos hoc invitanti.

Dices: Gonetus eſt ſatis celebris Thomiſta, quem alii ſcholæ Angelicæ diſcipuli audire debent.

Reſpondeo iſtum auctorem in multis eſſe Divi Thomæ ſequacem, ſed non in omnibus, puta cum conſtitutivum Dei in intelligere, peccati vero eſſentiam in poſitivo reponat, ſed maxime in controverſia præſenti. Præter Thomiſtas ſupra laudatos duos potiſſimum adverſarios ſui Ordinis habet adverſarios. Primus eſt Joannes a ſancto Thoma Dominicanus Hiſpanus qui 1. p. q. 23. diſp. 10. art. 3. propugnat Infideles non carere gratia ſufficienti, quod quidem probat auctoritate & ratione.

Contendit verbis expreſſis pag. 421. Infideles gratia ſufficienti ad legem naturalem implendam donari, & ait; " Se-" cunda pars hujus 2. dicti docet pro præ-" ceptis adimplendis in adultis ſemper " dari ſufficiens auxilium. Et hoc con-" ſtat, quia ſi deeſſet, non peccaret ho-" mo, ut dicit Auguſtinus loco citato .... lib. de gr. & lib. arb. cap. 16. *Non juberet Deus quod ſciret ab homine fieri non poſſe*.

Rurſus hanc ſibi proponit objectionem pag. 422. " In ſententia D. Thomæ qui-" cumque perveniens ad uſum rationis " tenetur converti ad Deum converſio-" ne juſtificativa, in tantum quod ſi non " juſtificetur, tunc non ſolum manebit in " peccato originali, ſed etiam in actuali, " ut docet 1. 2. q. 89. arts 6. & q. 14. de verit. art. 11. ad 1. Ergo debet omnis " homo habere auxilium ſufficiens ad fi-" nem, & ad ſupernaturalem conver-" ſionem. "

Reſpondeo ibidem ad hanc difficultatem, ſufficere homini quod habeat auxilium ſufficiens immediatum ad legem naturalem adimplendam quam ipſe novit; hinc eam prævaricando inexcuſabilem eſſe; remotum vero & mediatum pro lege ſupernaturali: cum enim Chriſtum prorſus ignoret, ejus omittendo legem non peccat: ad ejuſdem tamen notitiam obſervatione legis naturæ pervenire poteſt: " Perveniens, *ait*, ad uſum rationis ha-" bet præceptum convertendi ſe ad Deum, " & acceptandi totam ejus legem, quæ " tunc ſibi ponitur ſaltem implicite, ut in " illis communioribus præceptis, *Declina a malo, & fac bonum* ... unde ut iſte qui " pervenit ad uſum rationis acceptet to-" tam illam legem, indiget ſtimulari ejus " voluntatem aliquo ſuperiori, & grandi

moti-

„ motivo, ſine quo non acceptabit illam; „ & ſic indiget ſupernaturali auxilio, ut „ totam legem acceptet volens implere: „ ſic enim plenitudo legis eſt dilectio.„ Aſſerit ibidem auctor hominem ad auroram rationis accedentem habere aliquam implicitam legis ſupernaturalis notionem, quatenus ſentit ſe ſine auxilio extraordinario vel ipſam legem naturæ, totaliter obſervare non poſſe.

Alterum ejuſdem familiæ S. Dominici recentiorem, ſed eruditiſſimum Theologum Belgam habemus, videlicet R. P. Franciſcum *Van Ranſt* in alma Univerſitate Lovanienſi Licentiatum & Profeſſorem, qui in opuſc. cui titulus: *Veritas in medio: ſeu D. Thomas Doctor Angelicus, propoſitiones omnes circa theoriam, & praxim, rigorem ac laxitatem verſantes a Baianis uſque ad Queſnellianas* 101. *incluſive per tutiſſima, & inconcuſſa atque ab omni extremo remota dogmata* PRÆDAMNANS; oſtendit poſitionem iſtam, *Infideles negative non habent ullam gratiam*, a ſancto Thoma, tum ab Alexandro VIII. proſcriptam, ita ut ab hoc decreto tuta conſcientia, & citra errorem nemo poſſit eam defendere. Ex dictis quoque patet alios plurimos Scholæ Angelicæ adverſari Goneto; hinc Thomiſtam ſecundum genuinum D. Thomæ ſenſum, minime vero circa opiniones aliorum in multis a placitis Doctoris Angeli peregrinorum, ſeu diſcipulum D. Thomæ, non quorumdam Thomiſtarum eſſe gloriamur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Infideles negative habent aliquam gratiam qua poſſint ad fidem pervenire, tum & ſalvari.

PRIMO: Scriptura ſacra hoc paſſim indicat, Pſal. 18. *Non eſt qui ſe abſcondat a calore ejus*. Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Tum. Rom. 1. ubi Gentiles in reprobum ſenſum abire dimittuntur, eo quod cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificaverint.

Secundo: Aſtipulantur ſancti Doctores, maxime S. Auguſtinus lib. 10. Confeſ. cap. 6. his verbis: " Cœlum & terra, & om„ nia quæ in eis ſunt, undique mihi di„ cunt, ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles. „ Suum addit calculum S. Thomas q. 14. de verit. art. 11. ad 1. tum comment. in cap. 12. epiſt. ad Heb. lect. 3. " Gratia „ nulli deeſt, ſed omnibus, quantum in „ ſe eſt, ſe communicat. „ Ergo &c.

Tertio: Ratio non una eſt. Et vero Deus vult ſincere omnes homines ſalvos fieri; & Chriſtus pro ſingulis mortuus eſt; nam ex Concilio Trid. ſeſſ. cap. 2. eſt propitiatio pro omnium peccatis, quæ quidem beneficia, ſecluſa extenſione gratiæ ſufficientis ad omnes, etiam Infideles, non ſunt realia, ſed potius conficta.

Ratio ulterior hæc aſſignatur. Eſt de fide, I. Deum ſua proponere omnibus mandata ſervanda: II. Ea ſine gratia obſervari non poſſe: III. Homines ea voluntarie omittendo inexcuſabiles eſſe. Igitur conſequenter & indirecte eſt de fide gratiam ſufficientem qua reddantur poſſibilia, ſeſe ad omnes extendere; alias Infideles non peccarent vel ipſam legem tranſgrediendo; nemo enim peccat ex S. Auguſtino in eo quod vitare non poteſt. Porro Infideles præceptum legis naturæ præcipuum, quod in amore Dei ut auctoris naturæ perfecto ſitum eſt, ſicut & totam legem ſine gratia adimplere nequeunt.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Fides in Chriſtum non eſt prima gratia niſi ad juſtificationem, ſed quædam priores ſunt, quibus anima præparatur ad fidem, ut habetur in Actibus 10. & 16. de Cornelio & de Lydia purpuraria; uterque enim ante acceptam fidem colebat Deum; hinc tunc gratiam inchoatam habebant, non quidem per Evangelium, bene vero per merita Chriſti.

Secundo: Dicimus quoque cum Concilio Trid. ſeſſ. 6. cap. 3. non omnes percipere fructum paſſionis quantum ad juſtificationem, de qua ſolum eo loci movet quæſtionem, bene vero quantum ad gratiam ſufficientem, quippe quod ibidem cap. 2. dicat Chriſtum eſſe propitiationem pro totius mundi delictis.

Tertio: Nec adjuvat partes Goneti, aſſerere voluntatem Dei & mortem Chriſti

pro omnium ſalute recte ſalvari, tametſi Infideles careant gratia ſufficiente, quia parata ſunt auxilia; non enim ad hoc ſufficit parare, cum & poſſent dici parata pro dæmonibus eo ipſo quo Mediatoris merita ſunt infiniti valoris, ſed requiritur quod de facto dentur; quandoquidem non aliter influit actu caput in membra, quam per gratias interiores; ſin minus nullo modo influeret, quod adverſatur Concilio Tridentino ſupra laudato.

ARTICULUS SEXTUS.

An detur omnibus parvulis ante Baptiſmum morientibus ad ſalutem medium aliquod ſufficiens?

NOTANDUM eſt I. gratiam ſufficientem ſumptam pro illuminationibus & piis motionibus duplicem eſſe; unam immediatam, mediatam alteram. Prima eſt quæ datur adultis, & immediate infunditur eorum animæ ad faciendum bonum: ſecunda vero ea eſt quæ datur uni pro bono alterius, ut ſi quis intentionem habeat benefaciendi proximo. Certum eſt parvulos, utpote liberi arbitrii uſum nondum habentes, carere gratia ſufficiente immediata, ſaltem de via ordinaria & ſine miraculo, quo ab initio conceptionis & adhuc intra matris clauſtrum vagientes ſanctificarentur.

Notandum eſt II. medium ad ſalutem ſufficiens eſſe duplex, aliud intrinſecum, extrinſecum alterum: Primum conſiſtit in gratia interiori: ſecundum vero in aliquo remedio præparato ad ſalutem, puta in Baptiſmate, cujus ſunt parvuli capaces.

Notandum eſt III. difficultatem præſentem non eſſe de pueris qui in lucem editi aut negligentia, aut quod pejus malitia parentum non ſuſcipiunt Baptiſmum; Quæſtio igitur procedit de eis qui ſine culpa parentum vel in utero materno moriuntur, vel aliquo fatali caſu dum deferuntur ad Eccleſiam baptizandi, morte inopinata decumbunt. Pro cujus reſolutione ſit:

CONCLUSIO.

Deus ſufficienter providit ſaluti omnium parvulorum.

PROBATUR I. *ex Scriptura ſacra*, quæ ſine reſtrictione affirmat Deum velle omnes homines ſalvos fieri, Chriſtum eſſe mortuum pro ſingulis: Ex quibus oraculis manifeſte ſequitur Deum ſufficienter providiſſe ſaluti parvulorum; ſin minus falſum foret dicere Deum velle ſincere omnium ſalutem, ſimiliter & Chriſtum pro ſingulis mortuum, cum infiniti prope parvuli ab iis beneficiis exciperentur.

Probatur II. *ex SS. Doctoribus*. S. Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 23. ait: " Non irreligioſe arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus: quæ utique ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur. Omnium namque exordia parvulorum, tota illa principia needum rationalis infantiæ, ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis niſi per alios conſuli poteſt: & conſequens eſt, illos ad eorum pertinere conſortium, quorum vel pravo vel recto aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confeſſione credunt, ita ex aliena infidelitate aut diſſimulatione non credunt: & cum ipſi nec præſentis vitæ deſiderium habuerunt, nec futuræ: quam ipſorum factum eſt naſci, tam ipſorum efficitur non renaſci. Sicut autem circa majores præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exeritur: ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifeſtatur electio.

Divus Thomas in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. ad 1. ſic loquitur: " Dicendum, quod non eſt ex defectu divinæ miſericordiæ quod exiſtentibus in viſceribus maternis, remedium non exhibetur, ſed quia non ſunt capaces illius remedii. ". Ergo &c.

Probatur III. *ratione*. Ille ſufficienter providit ſaluti parvulorum, qui medium pro-

proportionatum & conveniens præparavit ad eorum ſalutem: Atqui Deus ſic providit ſaluti infantium: Ergo &c. Probatur minor.

Primo: Quia Deus adhibet Baptiſmum in aqua naturali, quæ ubique reperitur, & omnem tum ſexus, tum conditionis & religionis hominem admittit ut miniſtrum, ut detur Baptiſmus pueris. Ergo &c.

Secundo: Dat parentibus gratias ſufficientes ut invigilent ſaluti parvulorum, unde, inquit ſanctus Auguſtinus, qui aliena voluntate peccaverunt, etiam aliena voluntate ſalvantur: hinc accommodat eis Eccleſia aliorum cor & pedes ad hunc finem, ut ſcilicet deferantur ad Baptiſmum ſuſcipiendum, & credant.

Tertio: Medicus cenſeretur ſufficienter providiſſe ſaluti alicujus ægroti, quum medicamentum quod faciliter applicari poteſt, per famulum mitteret ægroto porrigendum, quamvis interea contingeret famulum in via vel occidi, vel detineri, & ſic deficere remedii applicationem.

Quarto: Qui mitteret hominem ad redimendos captivos, quamvis hic in Pyratarum incideret manus, qui illum ſpoliarent, cenſeretur tamen ſufficienter, quantum in ſe eſt, providiſſe ſaluti captivorum: Igitur Deus ſufficienter providit ſaluti parvulorum & per Baptiſmi præparationem in materia facili; & per gratias ſufficientes, quas elargitur parentibus, ut procurent Baptiſmum infantibus.

Quinto: Providentia ita omnia ordinat pro ſalute omnium, ut aliorum attributorum jus non lædat: Igitur eo ipſo quo media ſufficientia præparavit, non eſt ſua culpa ſi aliquis a ſalute deficiat, immo ipſum providentiæ jus læderetur, ſi miracula perpetuo fierent ad impediendum naturalem cauſarum ſecundarum curſum, ne caſu repentino parvuli privarentur gratia Baptiſmi.

Reſponſa ad Objectiones.

OBJICIES: S. Auguſtinus lib. de dono perſev. c. 12. n. 31. ait: " Plerumque „ enim feſtinantibus parentibus, & paratis Miniſtris ut Baptiſmus parvulo detur, „ Deo tamen nolente, non datur. „ Igitur ex S. Auguſtino videtur quod Deus non ſufficienter providerit ſaluti parvulorum ſine Baptiſmo decedentium.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Nolente Deo, non datur Baptiſmus, id eſt, permittente, concedo: ita ut iſtud malum ſit ab ipſo Deo intentum & factum, nego. Siquidem Deus intentator malorum eſt, ut dicit S. Jacobus. Præterea ſanctus Doctor loquitur hic contra Pelagianos, qui volebant pueros ſine Baptiſmo e vita migrare propter mala eorum opera prævisa, ſi vixiſſent; alios vero Baptiſmo donari & rapi in cœlum propter prævisa eorum bona opera, ſi in terris permanſiſſent; hinc evacuabant gratiæ neceſſitatem merita naturæ per omnia exaltando. Sanctus Doctor eos revincit, oſtendendo I. Parvulos multos intra clauſtrum matris mori, & defectu gratiæ Baptiſmatis a gloria excidere. II. Bona eorum ſicut & mala prævisa eſſe imaginaria, Deumque non attendere ad præmiandum vel puniendum ad id quod non eſt futurum: Ecce verba objectum textum antecedentia: " „ Videtis enim chariſſimi, quam ſit abſurdum, & a fidei ſanitate atque ſinceritate veritatis alienum, ut dicamus „ parvulos mortuos ſecundum ea judicari, quæ præſciti ſunt facturi eſſe ſi viverent? In hanc autem ſententiam, „ quam certe omnis ſenſus humanus quantulacumque ratione ſubnixus, maximeque Chriſtianus exhorret, ire compulſi „ ſunt, qui ſic a Pelagianorum errore alieni eſſe voluerunt, ut tamen gratiam „ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qua nobis una poſt lapſum primi „ hominis, in quo omnes cecidimus, ſubvenitur, ſecundum merita noſtra dari „ ſibi adhuc exiſtiment eſſe credendum, „ & diſputatione inſuper proferendum. „ Quod ipſe Pelagius ante Orientales Epiſcopos judices, damnationis ſuæ timore „ damnavit. Hoc autem ſi non dicatur, „ de mortuorum ſcilicet operibus, quæ facturi fuerant ſi viverent, bonis aut malis, ac per hoc nullis, & in ipſa Dei „ præſcientia non futuris: hoc ergo ſi „ non dicatur, quod cernitis quanto errore dicatur; quid reſtabit, niſi ut „ gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari, quod contra hæreſim Pelagianam Catholica defendit Eccleſia... „ atque id maxime in parvulis evidentiore veritate cernamus; „

Reſpondeo II. aliter diſtinguendo: Et ſanctus Auguſtinus loquitur in ſenſu Pelagia-

lagianis oppoſito, concedo: excludendo media ſalutis pro illis parvulis, nego. Hæretici volebant quoſdam, ex eis qui ſine Baptiſmo moriuntur, ex prævisis peccatis, ſi diutius viverent a gloria excidere; quoſdam vero e contra præmio donari propter merita præſcita, quibus reſpondet ſanctus Doctor Deum nolle gloriam, ſecluſo Baptiſmate, donari; gratiam vero non omnibus indiſcriminatim conferri, ut ex morte iſtorum infantium intelligerent Pelagiani gratiam eſſe mere gratuitam, non fato, ſed Deo volente ſeu permittente, quandoque contingere quoſdam parvulos Baptiſmo ſimul & gloria privari: " Neque enim, *ait ibidem*, ,, fato cogitur Deus illis infantibus ſubve- ,, nire, illis autem non ſubvenire .... ,, ut nihil ibi agant ſuperna judicia .... ,, plerumque enim feſtinantibus, &c.

Inſtabis: Idem epiſt. 105. vet. edit. & lib. 4. contra Julianum cap. 8. ad inſcrutabilia Dei judicia revocat, quod Deus parvulo alias ſpurio procuret Baptiſmum, dum filius legitimus inopinate e vita rapitur ſine Baptiſmo: Sed ſi ſufficienter providiſſet, non recurrendum foret ad inſcrutabilia Dei judicia: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Recurrit S. Auguſtinus ad inſcrutabilia Dei judicia, quod unus parvulus actu baptizetur, alter vero minime, concedo: quod poſſint ambo baptizari, vel non baptizari, nego. Receptio Baptiſmi eſt pro parvulis, quod gratia efficax eſt pro adultis; unde quod unus parvulus baptizetur, alter vero minime, *o altitudo divitiarum*; ſed quæſtio procedit de præparatione medii ſufficientis ad ſalutem parvulorum. Certum eſt autem Deum ſufficienter providiſſe, ut in probationibus explicatum eſt.

Inſurges: Proviſor non cenſetur providere ſufficienter eis, qui malum imminens non propulſat quum propellere poteſt: Atqui Deus poteſt removere omnia impedimenta, quibus aliquando parvuli a Baptiſmo propelluntur, & tamen non facit: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Si hoc poſſit fieri, ſalvo jure ſapientiæ, cæterorumque attributorum, concedo: ſecus, nego. Recte autem diceretur perverti ordo univerſi, ſi cauſæ ſecundæ impedirentur ne modo agerent connaturali: Sinit igitur modo tegulas quandoque impetu venti propulſas cadere ſuper caput parvulorum, qui ad Eccleſiam deferuntur ut recipiant Baptiſmum, & non recipiunt: Sinit matres gravidas naufragium nonnumquam pati, & cum puero in viſceribus concluſo perire. Cæterum Deus eſt Proviſor generalis habens pro fine bonum univerſale, unde non ſicut Proviſor particularis defectus ſpeciales tenetur impedire, quia omnia cedunt in gloriam ſuam, ſive ad exaltationem miſericordiæ, cum parvuli baptizantur, ſive ad gloriam juſtitiæ, dum in pœnam peccati originalis quidam privantur gratia Baptiſmi. Reſponſio colligitur ex divo Thoma qui 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. ſic habet.

Ad ſecundum dicendum quod aliter de ,, eo eſt, qui habet curam alicujus par- ,, ticularis, & de proviſore univerſali; ,, quia proviſor particularis excludit de- ,, fectum ab eo, quod ejus curæ ſubditur ,, quantum poteſt: Sed proviſor univer- ,, ſalis permittit aliquem defectum in ali- ,, quo particulari accedere, ne impedia- ,, tur bonum totius. Unde corruptiones ,, & defectus in rebus naturalibus dicun- ,, tur eſſe contra naturam particularem, ,, ſed tamen ſunt de intentione naturæ ,, univerſalis, in quantum defectus unius ,, cedit in bonum alterius, vel etiam ,, totius univerſi. Nam corruptio unius ,, eſt generatio alterius, per quam ſpecies ,, conſervatur. Cum igitur Deus ſit uni- ,, verſalis Proviſor totius entis, ad ipſius ,, providentiam pertinet ut permittat ,, quoſdam defectus eſſe in aliquibus par- ,, ticularibus rebus, ne impediatur bonum ,, univerſi perfectum. Si enim omnia ma- ,, la impedirentur, multa bona deeſſent ,, univerſo. Non enim eſſet vita leonis, ,, ſi non eſſet occiſio animalium: nec ,, eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet ,, perſecutio Tyrannorum. Unde dicit ,, Auguſtinus in Enchiridio, Deus omni- ,, potens nullo modo ſineret malum ali- ,, quod eſſe in operibus ſuis, niſi uſque ,, adeo eſſet omnipotens & bonus ut be- ,, neſaceret etiam de malo. Ex duabus ,, autem rationibus quas nunc ſolvimus, ,, videntur moti fuiſſe, qui divinæ pro- ,, videntiæ ſubtraxerunt corruptibilia, ,, in quibus inveniuntur caſualia & ma- ,, la. ,,

Repones: Saltem parvuli infidelium omnes, vel etiam alii in utero materno morien-

morientes non habent remedium ſufficiens: Et probatur. Primo quidem non habent ex parte Baptiſmi, quia non poteſt illis applicari; neque etiam ex parte parentum, quippe qui neſciant Chriſtum, & ipſum Baptiſma: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Non habent remedium ſufficiens proximum, concedo: remotum, nego. Eodem prope modo ratiocinandum eſt de remedio ſufficienti illorum parvulorum, ſicut de gratia ſufficiente parentum infidelium; ſicut ergo parentes infideles habent gratiam ſufficientem remotam ad fidem habendam, quia ut dictum eſt ex S. Thoma, ſi ſequantur dictum rationis in proſecutione boni, & fuga mali, vel Deus illuminabit eos interius de fide, vel mittet Prædicatorem qui illos inſtruat de Evangelio, ſicut miſit Paulum ad Macedonas; ita dicendum de parvulis, quod ſcilicet habeant gratiam ſufficientem mediatam in parentibus, ut docet S. Proſper univerſaliter de omnibus; & ſic poſſunt ad Baptiſmum pervenire, ſi parentes convertantur ut quotidiana probat experientia. Habent etiam remedium paratum ex parte Baptiſmi, quia materia ſubjacet omnium oculis. Denique ut notat S. Proſper lib. 2. de vocat. Gent. ſunt infiniti modi, occulti quidem, ſed veri, quibus Deus procurat ſalutem Infidelium tam adultorum quam parvulorum.

Urgebis: S. Aug. lib. de nat. & grat. cap. 8. n. 9. ait: " Ego autem dico par-
„ vulum natum in eo loco ubi ei non po-
„ tuit per Chriſti Baptiſmum ſubveniri
„ morte præventum, idcirco talem fuiſ-
„ ſe, id eſt, ſine lavacro regenerationis
„ exiiſſe, quia eſſe aliud non potuit.„
Igitur ex Aug. non fuit remedium ſufficiens pro parvulo qui in utero materno moritur: immo fuit impoſſibilitas applicandi remedium. Jam vero ſi dicatur ſufficere, fuiſſe paratum, etiam in hoc ſenſu poterit dici pro damnatis ſufficiens.

Reſpondeo I. Hanc eſſe Pelagii objectionem, non Auguſtini fœtum; habetur enim: *Videte quid dixerit*: *Ego autem &c.*

Reſpondeo II. diſtinguendo: Non potuit applicari remedium defectu cauſarum ſecundarum, quæ impedimentum præſtiterunt, concedo: defectu proviſoris, nego: aliud eſt applicari remedium; aliud eſt parari. Qui corripitur apoplexia, moritur ſine confeſſione, ſed non defectu remedii parati in Eccleſia: At vero neque applicatur, neque applicari poteſt damnatis, quia non eſt pro eis, ſiquidem ſunt confirmati in malo: & in inferno nulla eſt redemptio.

Reſpondeo III. S. Aug. non movere quæſtionem in loco laudato de ſufficientia remedii pro parvulis, ſed de peccato originali quod negabat Pelagius, dicens hominem quidem eſſe culpabilem, ſed quia propria voluntate peccat, ita tamen quod aliud eſſe potuit. Hunc autem revincit Auguſtinus duplici medio, probans illi peccatum originale, I. quia homo in hac vita non eſt ſine peccato, in multis enim offendimus omnes; unde hoc, niſi a peccato originali? II. quia parvuli ſine Baptiſmo e vita migrantes excluduntur a regno, licet propria voluntate non peccaverint: hinc ibidem Auguſtinus ſic concludit: " Recte
„ ergo ex damnatione quæ per univerſam
„ maſſam currit non admittitur in re-
„ gno cœlorum, etſi Chriſtianus non
„ ſolum non fuerit, ſed nec eſſe potue-
„ rit.„ Ex hoc exemplo infert dari peccatum originale; & ſic ſolvit objectionem. Cæterum hoc unum probant adverſarii, videlicet pueros in utero materno morientes non habuiſſe quidem gratiam actionis, bene tamen gratiam ſalutis extrinſecam. Illa ſita eſt in illuſtrationibus & inſpirationibus quæ ſolis adultis ratione utentibus conceduntur: iſta in præparatione mediorum omnibus oblata, & pro omnibus ordinata ac ſtabilita, a quibus ſi caſu priventur pueri, non vituperandus ſed ſupra modum ſemper laudandus Deus, cuius quidem providentia ad omnium & ſingulorum hominum ſalutem miſericorditer ſeſe extendit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus ſufficienter providit ſaluti parvulorum e vita abſque Baptiſmo migrantium.

PRIMO: Hanc probant veritatem tum voluntas antecedens ſincera Dei de omnium hominum ſalute, tum pro eiſdem Chriſti mors, quod non foret verum, ſi Creator & Redemptor infinitos prope parvulos ab omni ſalutis medio excluſiſſet.

Secundo: S. Proſper lib. de vocat. Gent.

Digitized by Google

Gent. cap. 23. expreſſe dicit Providentiam tametſi ſecretius ad eos ſe extendere. Suum huic veritati addit calculum S. Thomas in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. ad 1.

Tertio: Ratio ſuffragatur. Apoſt. Rom. 5. dicit gratiam abundare ubi regnavit delictum: Sed delictum in parvulis, de quibus quæſtio movetur, regnat: igitur & gratia ſaltem oblata. Rurſus 2. Cor. 5. infert Chriſtum pro omnibus ex charitate mortuum, quia omnes mortui ſunt: *Charitas enim Chriſti*, ait, *urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. Hanc eruit S. Paulus conſequentiam, videlicet omnes mortuos eſſe, quia Chriſtus mortuus eſt pro omnibus: Sed hæc falſa foret, ſi ſaluti parvulorum intra uterum maternum morientium non conſuluiſſet; inde enim ſequeretur illos in Adam non eſſe mortuos, cum Chriſtus non eſſet pro eis mortuus; non eſſet autem, quod abſit dicere, cum nullo modo eorum invigilaſſet ſaluti; quod quidem catholice dici non poteſt: Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: S. Auguſtinus lib. de dono perſever. cap. n. 31. ait quoſdam parvulos a Deo nolente, abſque Baptiſmo mori, ſed in ſenſu oppoſito Pelagianis, qui ex peccatis prævifis, ſed confictis, volebant, gloria alios excidere, alios vero ex prævifis meritis e contra, tametſi utique ſine ſacro regenerationis lavacro mortuos. S. Præſul ait tum ad propellendum Pelagianum dogma, Deum nolle dare ſine Baptiſmo gloriam, tum ita ſtatuiſſe, ne hoc caſu contingere aliquis autumaret. Demum nolente Deo, idem eſt, ac permittente.

Secundo: Ultro fatemur cum S. Aug. inſcrutabilia ſpectare judicia, quod unus moriatur ſine Baptiſmo, alter vero baptizetur: Ibidem S. Doctor hoc utitur exemplo, ut probet adverſus Pelagianam perfidiam gratiæ gratuitatem, ſed non inde concludit Chriſtum prætermiſiſſe omnino parvulos.

Tertio: Nec quemquam movere debet, quod hoc aliquando contingat; Deus enim non eſt Proviſor particularis, qui ſingulos defectus a ſubditis propellere debeat, ſed univerſalis qui aliquos ſinit evenire, ut inde quædam univerſo bona accedant. Ita S. Thomas 1. p. q. 22. art. 2. ad 2.

DIS

DISSERTATIO SEXTA
DE
PRIMO EFFECTU GRATIÆ
SCILICET DE JUSTIFICATIONE.

LUTHERANI, & Calviniſtę errant circa juſtificationem, quam pure imputativam defendunt, & ſoli juſtitiæ Chriſti tribuunt, qua peccator veluti pallio tegitur, illo abutentes Pſal. 31. loco: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: Et quorum tecta ſunt peccata*. In multis offendunt circa iſtud momentum. Primo quidem, ſuſtinendo fidem ſolam juſtificare. II. Juſtificationem eſſe mere imputativam, & in eo principaliter conſiſtere, quod Deus non imputet amplius ſuo cedendo juri peccatum homini reo. III. Negando juſtificationem eſſe intrinſecam & fieri per interiorem hominis renovationem. IV. Rejiciendo diſpoſitiones quas prædicant inutiles, ſed contra quod dicit Apoſtolus epiſt. ad Tit. 3. 7. *Juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*.

Dogma de eſſentia juſtificationis interioris quatuor momentis explicatur & defenditur.

PRIMO: Non ſola fides juſtificat impium.

Secundo: Nec ſola non imputatio peccati.

Tertio: Juſtificatio fit per gratiam ſanctificantem, & interiorem hominis renovationem.

Quarto: Diſpoſitiones interiores requiruntur ad emoliendum cor impii, ut convertatur.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ſola fides juſtificet impium?

JUSTIFICATIO ſumitur multipliciter: I. Pro mandatorum & legum divinarum obſervantia, qua Deo acceptabiles ſumus, juxta illud Pſal. 118. *Juſtificationes tuas cuſtodiam*. II. Pro declaratione juſtitiæ veræ vel falſæ, Luc. 10. 29. *Ille autem volens juſtificare ſeipſum*; id eſt, oſtendere ſe eſſe juſtum. III. Pro augumento juſtitiæ, ut habetur Apoc. 22. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*. IV. Pro adeptione juſtitiæ; & hæc adeptio fieri poteſt dupliciter: I. Per modum ſimplicis generationis, ſive ſanctificationis primæ, quam non præceſſit peccatum, ſed ſimplex juſtitiæ negatio, qualis fuit in Angelis, & in primis parentibus, quos in hoc ſenſu Auguſtinus ait fuiſſe in creatione juſtificatos. II. Per modum motus, ſive tranſitus a peccato in gratiam juſtificantem, qua impius formaliter fit juſtus & ſanctus, & hæc dicitur talis formaliter, eſtque forma ſpiritualis, qua peccator ex inimico conſtituitur amicus: de juſtificatione impii in hoc ultimo ſenſu conſiderata quæſtionem movemus.

Certum eſt fidem eſſe juſtificationis principium, dicente Apoſtolo Heb. 11. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo*. Tum fides ſumi poteſt tripliciter. I. Pro fide qua credimus hiſtorias in Scripturis ſacris contentas, ibid. Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula, verbo Dei*. II. Pro fide miraculorum, qua credimus miracula a Chriſto, tum ab Apoſtolis patrata, juxta illud 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferrem*.

ram. III. Pro fide promiſſionum qua aliquis in Deo confidens credit remiſſionem peccatorum ſibi concedi, & vitam æternam in futuro ſibi donandam fore, ſicut habetur Marc. ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*.

Calvinus lib. 3. inſt. cap. 2. parag. 9. Kemnitius in prima parte examinis Concilii Tridentini, & alii Proteſtantes diſtinguunt realiter & ab invicem fidem hiſtoricam, fidem miraculorum & promiſſionum, quæ tamen unica eſt ex parte ſui, & ſolum multiplex ex parte objecti materialis circa quod verſatur; ſiquidem uno & eodem motivo, nempe propter Verbum Dei & revelatinnem credimus, tum hiſtorias, tum miracula, tum etiam promiſſiones in Scriptura celebratas; hinc & in varios abeunt errores circa illud momentum. I. Quidem aſſerendo fidem qua juſtificamur eam eſſe qua aliquis in Domino confidens credit certo & ſibi remitti peccata; hinc fidem juſtificantem, fiduciam ſpecialem in miſericordiam vocant. II. Dicunt fidem juſtificantem eſſe notionem claram, quam peccator habet de promiſſionibus & myſteriis, & hac fide ſibi applicare Chriſti juſtitiam, qua quidem remittuntur peccata. Denique contendunt ſolam fidem eamque promiſſionum juſtificare impium, nec aliud eſſe pro peccatis actualibus remedium; & ſic ſacramentum pœnitentiæ evacuant. Contra primum errorem ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Fides, quæ eſt principium juſtificationis, non conſiſtit formaliter in fiducia.

Probatur primo, ex Scriptura.

Luc. 18. Chriſtus Dominus condemnat eum qui en ſuperbiæ devenit, ut certo credat ſe eſſe juſtum, & hoc per parabolam Phariſæi & Publicani; prior enim in ſua juſtitia confidebat, poſterior vero, nihil de ſe præſumens ſe magnum confitetur peccatorem. Act. 8. S. Petrus adhortatur Simonem Magum ad pœnitentiam, & hoc cum dubio de illius reconciliatione cum Deo; ait enim illi: *Pœnitentiam, itaque, age ab hac nequitia tua: & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Tum Jonæ 3. habetur: *Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat Deus*: Ergo fides juſtificans non conſiſtit in fiducia de peccato remiſſo propter miſericordiam & Chriſti juſtitiam.

Probatur ſecundo, ex Concilio Trid.

SYNODUS *ſeſſ.* 6. *can.* 12. ſic proſcribit errorem Proteſtantium. *Si quis dixerit fidem juſtificantem nihil aliud eſſe quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis, propter Chriſtum, anathema ſit.*

Probatur tertio, ex Symbolis.

APOSTOLICUM, Nicænum & S. Athanaſii, quæ ſumma credendorum continent, nulla, ut ita dicam, facta mentione de fiducia, ſolum de credendis agunt: Igitur fides, principium juſtificationis non conſiſtit formaliter in fiducia prædicta, ſed in lumine Spiritus ſancti, quo illuſtratus peccator firmiter credit quæ Deus revelavit.

Probatur quarto, ex Patribus.

HIERONYMUS explicans verba Jonæ relata, ſic habet: " Ideo ambiguum po-
„ nitur & incertum; ut dum homines
„ dubii ſunt de ſalute, fortius agant pœ-
„ nitentiam, & magis ad miſericordiam
„ provocent Deum.

S. Aug. in Pſal. 50. explicans illa verba: *Ecce enim veritatem dilexiſti*, loquitur de pœnitentia Ninivitarum, & ponderans illas particulas, *quis ſcit* ..... " Incer-
„ tum erat, *ait*, cum dicitur, quis no-
„ vit, de incerto pœnitentiam egerunt,
„ certam miſericordiam invenerunt. „
Tum lib. 3. contra duas epiſtolas Pelag. ſic habet: " Noſtra fides, hoc eſt, Ca-
„ tholica fides juſtos ab injuſtis non ope-
„ rum, ſed ipſa fidei lege diſcernit, quia
„ juſtus ex fide vivit. „ Igitur fides juſtificans non eſt præciſe fiducia.

Leo Magnus ſerm. 4. de Epiph. ſic habet: " Hoc enim eſt, quod juſtificat im-
„ pios, hoc eſt, quod ex peccatoribus facit
„ Sanctos, ſi in uno eodemque Domino no-
„ ſtro Jeſu Chriſto & vera deitas, & ve-
„ ra credatur humanitas. „ Igitur non fiducia, ſed fides reſpiciens veritatem myſteriorum, eſt juſtificationis principium.

S. Proſper lib. de vita contempl. cap. 18.

enu-

enumerat ſummam fidei de Trinitate & Incarnatione, & cap. 19. hanc dicit juſtificare: " Qui non crediderit, *inquit*, „ non habendo fidem, nec juſtitiam cor- „ dis habere poterit, nec ſalutem. „

S. Fulgentius de eadem fide in prologo libri de fide ad Petrum ſit ait: " Gau- „ deo quidem quod de fide vera ſine ullo „ perfidiæ vitio cuſtodienda ſolicitudinem „ geris, ſine qua nulla poteſt prodeſſe, „ immo nec eſſe converſio. Apoſtolica „ quippe dicit auctoritas, quia ſine fide „ impoſſibile eſt placere Deo. Fides nam- „ que eſt bonorum omnium fundamen- „ tum. Fides eſt humanæ ſalutis initium. „ Sine hac, nemo ad filiorum Dei nu- „ merum poteſt pervenire: quia ſine i- „ pſa, nec in hoc ſæculo quiſquam juſti- „ ficationis gratiam conſequitur, nec in „ futuro vitam poſſidebit æternam. „

Ex his ſequitur iſtud probationis argumentum: fides quæ reſpicit myſteriorum veritatem ea eſt, quæ, teſte Aug. diſcernit juſtos ab injuſtis, quæ ex Leone juſtificat impios, ex Fulgentio aggregat ad filiorum Dei numerum, & dat vitam æternam; quæ denique facit vivere juſtum, & vincere mundum: ergo fides quæ eſt juſtificationis principium ſumpta formaliter & ut talis, non eſt fiducia de peccato remiſſo.

Probatur ratione multiplici.

PRIMA: Fides juſtificans ea eſt qua homo in ſpem contra ſpem credit, juxta illud Apoſtoli Rom. 4. de Abraham: *Contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret Pater multarum gentium ... & reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Sed quomodo? quia ex Apoſtolo ibid. *Credidit Deum ſufficienter potentem*, ut, licet immolato filio, poſſet adimplere promiſſionem pro bonis futuris a ſua poſteritate poſſidendis. Igitur fides non præcise ut fiducia, ſed ut veritatem myſteriorum reſpiciens, eſt juſtificationis principium.

Altera: Quod ſubſequitur ad juſtificationem & per fidem producitur, non eſt juſtificationis principium: Sed fiducia ad juſtificationem ſubſequitur, & perficitur per fidem, ut habetur Epheſ. 3. *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus*. Igitur non fiducia, ſed fides juſtificat impium initiative.

Tertia: Quod dat vitam æternam juſtificat impium: Atqui non fiducia, ſed fides hoc operatur, juxta illud 1. Joan. 5. *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*. Et Rom. 10. *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris*: Ergo &c.

Quarta: Illud juſtificat, in quod ipſe Chriſtus refundit vitam æternam & beatitudinem: Atqui talis eſt fides, & non fiducia; ſic enim habetur Matth. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, inquit Petrus: & Chriſtus ad ipſum: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt*. Tum Joan. 11. *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me .... non morietur in æternum*, & adhuc Marc. ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*.

Quinta: Illud eſt juſtificationis cauſa ſine quo impoſſibile eſt placere Deo: Atqui ex Apoſtolo Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*: Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Non notitia clara & penetrans myſteria, ut volunt Proteſtantes, ſed aſſenſus fidei rebus a Deo revelatis eſt juſtificationis principium.

Probatur primo, ex Scriptura.

ISAIÆ 9. habetur: *Niſi credideritis, non intelligetis*. Et 1. Cor. 13. *Si habuero omnem ſcientiam, & noverim myſteria omnia: charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans*: Tum illud Chriſti ad Thomam: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, Joan. 20. Igitur fides juſtificat, non præciſe ut eſt notitia clara, ſed ut eſt aſſenſus fidei.

Probatur ſecundo, ex SS. Patribus.

Irenæus lib. 2. cap. 45. ſic habet: " Me- " lius itaque eſt .... nihil omnino ſcien- „ tem quempiam ... credere Deo, & per- „ ſeverare in ejus dilectione, quæ ho- „ minem vivificat ... quam per quæſtio- „ num ſubtilitates, & multiloquium in „ impietatem cadere. „

S. Auguſtinus tract. 40. eodem prope

modo loquitur, his verbis: " Non quia ,, cognoverunt crediderunt, ſed ut cognoſcerent crediderunt; quid enim eſt fi- ,, des, niſi credere quod non vides. ,,

S. Proſper lib. 1. de vita comtempl. cap. 19. ,, Dicente, *inquit*, Apoſtolo: Niſi ,, credideritis non intelligetis. Unde da- ,, tur intelligi, quod non fides ex intelle- ,, ćtu, ſed ex fide intellećtus exiſtat, nec ,, qui intelligit, credat; ſed qui credit, ,, intelligat.. ,,

Ex Irenæo, melius eſt diligere quam multa ſcire: ex Auguſtino, non quia cognoſcunt credunt homines, ſed credunt ut cognoſcant, idem & ex Proſpero. Igitur fides juſtificans non ea eſt, ut autumant Proteſtantes, quæ clariſſime penetrat myſteria, verum potius ea qua aſſentimur revelatis cum ſimplicitate, juxta illud Apoſtoli 2. Cor. 10. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*. Quam quidem fidem obedientem & ſimplicem multi faciunt Patres, hinc ſummis afficitur Encomiis fides Corbonarii, & ipſe Chriſtus demiratus eſt fidem Centurionis; qui ne quidem hæſitans corde, credebat ſolo ſuo verbo poſſe ſanare filium ſuum.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Fides eſſentialiter obſcura eſt: definitur enim Hebr. 11. *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Subſtantia fides ex ratione ſua, id eſt, ut Græcum loquitur, hypoſtaſis, quia eſt baſis & fundamentum omnium veritatum quas attingit; ea enim credimus quæ a Deo revelata, & ab Eccleſia propoſita ſunt. Argumentum vero rerum non apparentium, juxta illud Chriſti Joan. 20. 29. *Beati qui non viderunt & crediderunt*. Ergo fides juſtificat, non præciſe, ut notitia eſt clara; ſed ut credit & aſſentitur revelatis.

Secunda: Fides in hoc a ſcientia diſtinguitur, quod iſta ſit cognitio clara & evidens, ſecus vero fides; ipſius enim meritum & valor in eo ſita ſunt, quod credimus ea quæ neſcimus: Igitur fides juſtificans non eſt notitia clara, ſed aſſenſus humilis ipſi veritati.

Tertia: Fides reſpicit myſteria quæ tranſcendunt totum naturæ ordinem, unde legitur 2. Paralip. 5. *Dominus pollicitus eſt, ut habitaret in caligine*. Et Dionyſius, lumen fidei vocat ſacras tenebras, Paulus vero ſacrum ænigma. Igitur fides ut principium juſtificationis eſt obſcura.

Quarta: Si fides juſtificans ſit notitia myſteriorum clara, ut contendunt Proteſtantes, ita ut quiſque clare penetret omnia myſteria, jam inutiles ſunt Paſtores in Eccleſia, nec opus eſt ut vir doceat proximum, & quod ſcientia requiratur ex labiis Sacerdotis: Sed hæc omnia aperte pugnant contra Scripturam, quandoquidem Spiritus ſanćtus poſuit in Eccleſia Paſtores & Doćtores ad erudiendum populum in fide.

Quinta: Sine fide obediente, & aſſentiente Deo prorſus vana eſt ipſa fides, juxta illud 1. Cor. 13. *Si habuero omnem ſcientiam, & noverim omnia myſteria, charitatem autem non habeam*, id eſt, ſidem Deo ex amore obedientem, nihil ſum. Rurſus Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. De quanam fide loquitur Apoſtolus? de fide credente & aſſentiente Deo loquenti; unde ſubdit *accedentem ad Deum oportet credere quia remunerator eſt*. Igitur fides ſine aſſenſu & obedientia non juſtificat, quia aut nihil, aut parum prodeſt.

CONCLUSIO TERTIA.

Sola fides non juſtificat.

PROTESTANTES in hoc inter ſe conveniunt fidem ſolam juſtificare; differunt tamen in modo explicationis. Lutherus in ſecundum caput ad Galat. dicit fidem eſſe formalem juſtitiam; & hic eſt hujus propoſitionis ſenſus: homo juſtificatur per gratiam Dei, non imputantis peccata, quam gratiam fides credendo recipit; ſicut enim pauper, inquit, manu eleemoſynam recipit qua dives ſit, ita peccator fide apprehendit juſtitiam Chriſti quam ſibi applicat, ſicque juſtificatur. Alii etiam aćtus aliarum virtutum ad juſtificationem exigunt, non quidem ut veras juſtificationis cauſas, ſed tamquam veræ fidei ſigna, ad quorum præſentiam juſtificat Deus impium per fidem, ita docent Wittembergenſes in Colloquio Altemburgenſi: ita Melanćton docet; Saxonici vero hoc eſt rigidi Lutherani in eodem Colloquio ſuſtinent ita ſolam fidem juſtificare, ut præ-

Digitized by Google

præſentiam aliarum virtutum pœnitus excludant.

Senſus igitur concluſionis eſt, quod fides juſtificans neque ſit ſola apprehenſio juſtitiæ Chriſti, neque ſola fides per excluſionem cæterarum virtutum.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura ſacra.

LEGITUR Rom. 10. *Quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit.* Rurſus 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Jacobi 2. *Quid proderit fratres mei ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum.* Unde idem dicit quod fides ſine operibus mortua ſit. Igitur ex SS. Paulo & Jacobo non ſola fides juſtificat.

Secundo, ex SS. Patribus.

CLEMENS Alex. lib. 2. Strom. ante medium, ait: " Fides eſt prima ad ſalutem inclinatio, poſt quam timor & ſpes & pœnitentia &c. "

Cyrillus Hieroſol. Catecheſi 1. dicit fidem eſſe quaſi oculum & lampadem ad viam ſalutis inveniendam; deinde admittit alias virtutes, ſicut Euſebius Emiſſenus hom. 2. de Symb. Concinit Hieronymus comm. in cap. 3. epiſt. ad Epheſ. his verbis: " Fiduciæ atque acceſſus ad Deum principium, atque Origo fidei in Chriſto eſt. " S. Auguſtinus lib. de natura & grat. cap. ultimo num. 84. " Charitas ergo inchoata, inchoata juſtitia eſt; caritas provecta, provecta juſtitia eſt. Charitas magna, magna juſtitia eſt. " Tum tract. 9. in epiſt. Joan. " Stimulat timor, ſed noli timere, intrat charitas quæ ſanat quod vulnerat timor. "

Gregorius homil. 34. in Evang. ſic loquitur: " Prava mens ſi non prius per timorem evertitur ab aſſuetis vitiis, non emundatur. "

Caſſianus lib. 4. de inſtitutis renuntiantium cap. 39. ſic habet: " Principium noſtræ ſalutis, ejuſdemque cuſtodia, ſic, ut dixi, timor Domini eſt. " Eodem prope modo loquuntur de timore Baſilius in Pſal. 33. & Hieronymus in comment. ad primum caput Malachiæ.

Ambroſius lib. 1. de pœnit cap. 1. ſic effatur: " Nemo poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam.

Cyprianus ſerm. 5. de lapſis, multum etiam commendat, ſpem pro juſtificatione. Igitur ſola fides non eſt cauſa juſtificationis, ut contendunt Lutherani.

Tertio, rationibus Theologicis.

PRIMA: Fides inchoat juſtificationem: Sed ſæpiſſime ſterilis manet propter cordis pravitatem: Igitur fides non eſt ſola juſtificationis cauſa. Probatur Antecedens. Joan. 12. habetur: *Verumtamen multi ex principibus crediderunt in eum, ſed non confitebantur, dilexerunt enim magis gloriam hominum quam gloriam Dei*; quæ verba ponderans *S. Aug. tract. 53. in Joan.* " Vide, *inquit*, quemadmodum notaverit Evangeliſta, & improbaverit quoſdam, quos tamen in eum crediſſe dixit, qui in hoc ingreſſu fidei, ſi proficerent, amorem quoque humanæ gloriæ proficiendo ſuperarent. " Ergo &c.

Secunda: Fides apprehendens juſtitiam Chriſti non convertit cor, reduplicative ſolum ut apprehendens: Igitur ruit fundamentum Proteſtantium: Conſequentia patet, ſiquidem converſio eſt motus averſionis a creatura, & converſionis ad Creatorem. Probatur igitur Antecedens: Primo quidem, quia apprehenſionis non eſt mendacium; cum enim ſit motus primo-primus non ſubeſt moralitati. II. Quia apprehendere aliquod myſterium, eſt quid commune bonis & malis, immo & dæmonibus, dicente D. Jacobo, *credunt & contremiſcunt*; ad juſtificationem autem requiritur unio cum Deo, juxta illud Apoſtoli, *qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*. III. Apprehenſio eſt ſolum actus intellectus, juſtificatio autem eſt actus voluntatis, quia eſt converſio cordis ad Deum per amorem caſtum; ſiquidem juſtificatio fit per hoc quod peccator ſuam ponat beatitudinem & ultimum finem in Deo tamquam in ſummo bono, unde juſtificatio ſupponit quidem fidem, ſed non eſt formaliter fidei actus, ut falſo exiſtimant Lutherani. IV. Nemo

ſanæ mentis dixerit manum accipientem eleemoſynam qua pauper evadit dives, eſſe formaliter pauperis felicitatem, ſed potius theſauri accepti poſſeſſionem; ita pariter non poteſt dici, quod fides qua veluti manu apprehenditur juſtitia Chriſti, ſit formaliter juſtitia peccatoris, quin potius eſt donum per merita Chriſti acceptum. V. Fides non immediate opponitur peccato, ſed gratia: contraria autem ſe mutuo expellunt ab eodem ſubjecto. Igitur non fides apprehendens juſtitiam delet peccatum & juſtificat, ſed gratia.

Tertia: Vel etiam ipſa fides ut dicit aſſenſum Deo loquenti non eſt ſola juſtificationis cauſa: Igitur a fortiori nec fides apprehendens juſtitiam Chriſti. Probatur Antecedens. I. Propter rationem mox allatam, ſcilicet quia fides non immediate opponitur peccato, ut eſt macula in anima relicta, & privatio. II. Quia etiam, ut dictum eſt, converſio eſt formaliter voluntatis actus. III. Quia ſolum diſpoſitive ſe habet ad juſtificationem, eo prope modo, quo ſe habent diſpoſitiones ad introducendam formam ignis in ligno, adeoque ſe tenet ex parte cauſæ materialis, & ad ſummum efficientis inſtrumentalis. IV. Quia ex Scriptura & Patibus liquet alias virtutes etiam concurrere ad juſtificationem, ut dicetur adhuc infra. V. Gratia juſtificat, ſiquidem vocatur in Scripturis juſtitia noſtra: Sed non juſtificat niſi in ratione cauſæ formalis: Igitur cum non ſit multiplex forma primaria pro eadem re, fides non eſt cauſa formalis juſtificationis, ſed gratia, ut ex profeſſo probabimus in articulo ſequenti. Igitur non ſola fides eſt principium juſtificationis, ut contendunt Heretici.

Quarta: Fides eſt a charitate ſeparabilis: Sed ſine charitate nulla eſt juſtitia: Igitur fides ſola non eſt cauſa juſtificationis, alias etiam abſente charitate peccator foret juſtus, quod implicat etiam ſecundum hæreticos, qui agnoſcunt juſtificationem eſſe amicitiam inter Deum & hominem, & duorum cordium reconciliationem. Probatur major in qua eſt difficultas: 1. Cor. 13. habetur: " *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum*: Igitur fides poteſt eſſe ſine charitate, quod quidem clariſſime exprimit S. Jacobus cap. 2. dicens: *Fides ſine operibus mortua eſt*.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum, contra primam concluſionem.

Objiciunt: Fides juſtificans eſt fiducia quam unuſquiſque habet in particulari, de remiſſione peccatorum; & probatur ex illo Pſal. 38. *Quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus? Et ſubſtantia mea, apud te eſt &c.* 3. Epi. ad Hebr. *Quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei, uſque ad finem firmam retineamus*. Unde & illud Hebr. 11. *Fides eſt ſubſtantia rerum*, ſic vertitur, *eſt expectatio rerum*, unde poſtquam Pſalmiſta dixit: *Quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* Subdit, *& ſubſtantia mea apud te eſt*: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo Ant. Fides juſtificans eſt fiducia conſequenter & effective, concedo: incohative, nego. Fides firma producit dilectionem, quia quando pulchritudo bene cognoſcitur, amatur; tum & fiduciam, juxta illud 1. Tim. 3. *Qui bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto*: producit & fortitudinem; ſic enim habetur Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, fortes facti ſunt in bello*; denique etiam producit ſpem juxta illud Marc. 11. *Credite quia accipietis*. Et Luc. 1. *Non erit impoſſibile, apud Deum omne Verbum*. Rurſus 2. Paral. 28. *Credite in Dominum Deum veſtrum, & ſecuri eritis*.

Ad probationes dico, locum Apoſtoli, & etiam Pſalmiſtæ ubi loquuntur de ſubſtantia, non intelligi de expectatione, ſed de fide dogmatica quæ credit revelata: ita Chryſoſtomus linguæ Græcæ peritiſſimus; ſic enim explicat verbum hypoſtaſis hom. 12. in epiſt. ad Hebr. "
„ Quoniam ea quæ ſunt in ſpe, ſine ſub-
„ ſtantia eſſe putantur, fides eis tribuit
„ ſubſtantiam, magis autem eis non tri-
„ buit, ſed ipſa eſt eſſentia eorum, ut
„ puta reſurrectio nec dum facta eſt, &
„ nec dum eſt in ſubſtantia, ſed fides fa-
„ cit eam ſubſiſtere in anima noſtra, hoc
„ eſt, quod dixit ſubſtantia. „ Quod autem Apoſtolus loquatur de fide dogmatica, patet ex ſcopo quem ſibi proponit; vult enim probare divinitatem Chriſti in epiſt. ad Hebr. unde initio capitis dicit: *Qui cum*

ſit ſplendor Patris & figura ſubſtantiæ ejus. Tum poſtea, *Cui Angelorum dixit, filius meus es tu.*

Rurſus reſpondeo aliter diſtinguendo: Et verba Pſalmiſtæ & Apoſtoli ex capite 3. ad Hebr. ubi ſermo eſt de expectatione, terminantur ad vitam æternam, concedo: ad fidem quæ ſit juſtificationis initium, ut volunt hæretici, nego. Siquidem illa expectatio conſequitur ad fidem, ut effectus ad cauſam: quod autem vox expectatio terminetur ad vitam æternam & non ad juſtificationem, patet ex illo Rom. 8. *Intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Et ex illo ad Titum 2. *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei.*

Inſtant: Matth. 6. habetur: *Quanto magis vos modicæ fidei.* Et cap. 8. *Quid timidi eſtis modicæ fidei.* Quibus verbis defectus bonorum ſperandorum refunditur in defectum fidei ut eſt fiducia: Igitur a contrario omne juſtificationis bonum in fiduciam fidei refundendum eſt.

Reſpondeo diſtinguendo: Et hoc denotat firmum fidei aſſenſum quem debemus habere ad remiſſionem peccatorum obtinendam per Chriſti merita, concedo: unde in Evangelio habetur, quod debeamus petere non hæſitando in corde, ſic Apoſtolus Rom. 4. de Abraham dicit: *Non hæſitavit diffidentia.* Rurſus Marc. 11. *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis.* Tum Jacobi 1. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Et verba denotant fiduciam, ſubdiſtinguo: tamquam fidei effectum, & aliquid ad juſtificationem conſequens, concedo: tamquam juſtificationis principium & cauſa, nego. Fides enim juſtificans eſt fides dogmatica eaque charitate formata, qua ex amore creditur, juxta illud Marc. ultimo: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et illud Act. 3. *In fide nominis ejus hunc quem vos videntis, confirmavit nomen ejus, & fides quæ per eum eſt dedit integram ſanitatem.*

Urgent: Rom. 4. habetur de Abraham, quod juſtificatus ſit, & reputatum ſit illi ad juſtitiam, in eo quod contra ſpem, in ſpem crediderit, & non hæſitaverit diffidentia; ita verſ. 5. his verbis: *Credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei.* Ergo &c.

Reſpondeo, ut prius diſtinguendo: Et hoc ſolum denotat hominem debere credere firmiter in Deum, concedo: alias eſſet juſtus titubans, qui quidem in Evangelio ſic reprehenditur: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Secus nego.

Reſpondeo II. Verba Apoſtoli non intelligi de fide juſtificante, ſed de vocatione gentium promiſſa Abrahæ propter ipſius fidem, ut eſſet pater credentium non ſolum in circumciſione, id eſt, Judæorum, ſed etiam in præputio, ut loquitur Apoſtolus, hoc eſt, Gentilium; hinc ibidem verſ. 18. habetur: *Qui contra ſpem inſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium.* Et verſ. 20. *In repromiſſione etiam Dei, non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide dans gloriam Deo.* Tum verſ. 23. & 24. *Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam: ſed & propter nos quibus reputabitur credentibus in eum qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum.*

Inſiſtunt: Epheſ. 1. habetur: *In quo & credentes, ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* Et 1. Joan. 3. *Scimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam.* Sed hæc omnia dicunt fiduciam. Ergo &c.

Reſpondeo ad hæc & alia eodem modo diſtinguendo: Hæc important fiduciam ſumptam pro aſſenſu fidei firmo, concedo: pro ſpe, ſubdiſtinguo; dicunt fiduciam tamquam effectum fidei, concedo: tamquam juſtificationis principium, nego. Immo verba ad Epheſ. ſumuntur pro *charitate*, juxta illud: *Credentes ſignati eſtis ſpiritu.* Spiritus enim ſanctus charitatis nomine deſignatur.

Reponunt: Matth. 9. habetur: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Sed iſta confidentia exigitur ad remiſſionem peccati, & eſt aliquid prærequiſitum ad juſtificationem. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Iſta confidentia requiritur ut producta per fidem, concedo: quomodo enim aliquis poteſt confidere in Principe, niſi prius cognoſcat ipſius & bonitatem & potentiam? Requiritur tamquam ſolum juſtificationis principium, ut contendunt hæretici, nego. Non negamus ſpem & fiduciam eſſe diſpoſitiones ad juſtificationem, ſed contendimus fiduciam, & certitudinem particula-

cularem phyſicam de remiſſione ſui peccati, non eſſe formale juſtificationis principium : tum quia nullus poteſt eſſe certus de ſua juſtificatione, certitudine phyſica; tum quia fides eſt primum juſtificationis principium, non fiducia.

Perſiſtunt : Fides juſtificans, non eſt fides hiſtorica; parum enim confert ad juſtificationem ſcire quod Abraham duos habuerit filios : neque fides comminatoria, cum enim exhibeat pœnas, peccator quandoque flectitur ad deſperationem : Igitur ſola fides promiſſoria juſtificat.

Reſpondeo I. negando, fidem hiſtoricam & comminatoriam non diſponere ad juſtificationem. Primam quidem, quia homo accenditur exemplis Sanctorum & pœnitentium, de quibus ſermo eſt in Scriptura, ut ipſe bona operetur & pœnitentiam agat. Alteram vero, quia comminatio pœnarum deterret impium a peccato in poſterum committendo, juxta illud Habac. 3 *Audivi auditionem tuam, & timui*. Et illud Pſal. 77.34. *Cum occideret eos... revertebantur ad eum*. Habetur in libris Regum quod cum adducti fuiſſent libri Legis coram Ozia impio Rege, & audiſſet maledictiones contra Idololatras, ipſe de repente mutatus egerit pœnitentiam; unde hanc orationem fundit David Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*.

Reſpondeo II. in forma : Fides juſtificans, non eſt fides hiſtorica terminative ſumpta, transeat : active & ſecundum ſe ſumpta, nego. Fides credens hiſtorias eadem eſt cum ea quæ credit pœnas & promiſſa indulgentiæ, & eodem attingitur principio, nempe Deo loquente, & revelante : Igitur fides hiſtorica, & alia active ſumpta concurrunt ad juſtificationem, quia eadem eſt formaliter fides, quæ quidem juſtificat reduplicative, ut aſſentiamur Deo loquenti, unde Joannes in Apocalypſi, ait cap. ultimo : *Si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ*. Vult ergo Evangeliſta omnia tam hiſtorica quam cætera eſſe credenda, ut vitam habeamus æternam.

Quædam objiciuntur ab Hæreticis circa ſecundam concluſionem, quibus probare tentant fidem quatenus notitiam, utique eſſe juſtificativam; ſed hæc omnia facile diluuntur, ſic diſtinguendo : Fides ut eſt notitia, eſt juſtificativa diſpoſitive, & materialiter, concedo : prærequiritur enim ut cognoſcamus Deum & myſteria. Formaliter & effective ſubdiſtinguo : ut eſt conjuncta cum aſſenſu fidei, concedo : ſecus, nego. Fides igitur ſolum ut eſt aſſenſus rebus revelatis, eſt principium formale juſtificationis ſeu effectivum. Sed major eſt difficultas pro tertia concluſione.

Objectiones contra tertiam concluſionem ex ſacra Scriptura proponuntur & diluuntur.

OPPONUNT Proteſtantes : Sola fides juſtificat, quia ad hoc opera non requiruntur. Et probatur. Rom. 3. habetur : *Excluſa eſt gloriatio tua. Per quam legem? factorum? Non, ſed per legem fidei*. Sed ſi homo juſtificaretur ex operibus, haberet gloriam ex his, ſiquidem opera ex homine agente prodeunt : Igitur homo ex ſola fide juſtificatur; unde paulo poſt ſubdit Apoſtolus : *Arbitramur enim hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis*. Et Rom. 4. *Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum*. Et ad Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem... non ex operibus*. Ergo &c.

Reſpondeo I. retorquendo argumentum. Ipſa fides eſt opus bonum, & Abraham per fidem vivam operibus ſe prodeuntem meruit eſſe multarum gentium pater : ab initio mundi præcepit Deus bona opera, Adamo quidem obedientiam, & Caino dixi : *Nonne ſi bene egeris, recipies*. Item per os Moyſis promiſit populo benedictiones, tum temporales, tum ſpirituales propter bona opera. Daniel. cap. 4. præcepit Nabuchodonoſori redimere peccata eleemoſynis, & Prophetæ ſine fine clamant, ut Joel. 2. 13. *Scindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra*. Et iterum *in jejunio & in fletu & in planctu*. Unde Apoſtolus 2. ad Tim. 4. dicit : *Bonum certamen certavi &c*. Tum Jacobus expreſſe dicit : *Fidem ſine operibus mortua eſt*. Ergo fides ſine operibus non juſtificat.

Reſpondeo II. diſtinguendo : Fides ſine operibus eſt principium juſtificationis inchoative, quatenus eſt primum bonorum operum principium, concedo : Fides viva, & quæ operatur proxime juſti-

fica-

ficationem, eſt juſtificativa ſine operibus, ſubdiſtinguo: ſine operibus Legis Moſaicæ, vel iis quæ fiunt quidem in fide, ſed ſine charitate, concedo: ſine operibus ex charitate prodeuntibus, nego. Duplex eſt fides; alia informis, omnem antecedens gratiam, alia vero viva & charitate formata: prior quidem eſt principium juſtificationis, ſed remotum; & quidem ſine operibus meritoriis quia antecedit omnia bona opera, & eſt illorum principium, ſicque poteſt intelligi Apoſtolus, quando Rom. 3. dicit: *Excluſa eſt gloriatio tua ... Per legem fidei*. Quia vocatio ad fidem eſt pure gratuita, omnia antecedens merita & opera: ita S. Aug. lib. de prædeſt. SS. cap. 7. " Ideo per fidem
,, juſtificari dicit Apoſtolus hominem,
,, non ex operibus, quia ipſa prima da-
,, tur, ex qua impetrantur cætera. Rur-
,, ſus lib. de grat. & lib. arb. cap. 7. Apo-
,, ſtolus dicit hominem juſtifirari per fi-
,, dem ſine operibus, quia & ipſa bona
,, opera nobis ex Deo ſunt, a quo nobis
,, & fides eſt, & dilectio. ,, Igitur bene dicit Apoſtolus: *Excluſa eſt gloriatio tua per legem fidei*; quia homo ſine gratia, nihil poteſt pro ſalute: hinc ſcriptum eſt 2. Cor. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*. Fides alia eſt viva, & hæc bonis operibus fecundatur, eſtque proximum juſtificationis principium, unde quando Apoſtolus excludit opera, loquitur ſolum vel de operibus legis, in quibus adhuc non modicum confidebant Judæi, vel de operibus ſine charitate factis, vel etiam ſine fide, qualia erant opera Philoſophorum quæ actitabant Gentiles ad Chriſtum venientes. Paulus autem revincit primos per loca in objectione adducta, & per illud ad Galat. 2. *Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus legis*; Alios vero per illud ad Titum 3. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos*. Et illud ad Rom. 9. *Gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam: Juſtitiam autem quæ ex fide eſt*.

Solutio eſt etiam S. Aug. qui lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 7. " Arbitrii ſui viribus implere legem
,, jubentem, *dicunt*, & illa implicati ſuper-
,, bia ad gratiam non convertuntur ju-
,, vantem... Intelligendum eſt igitur ju-
,, ſtitiam legis non impleri ſecundum ju-
,, ſtitiam quæ in lege eſt, vel ex lege;
,, id eſt, ſecundum juſtitiam hominis,
,, ſed ſecundum juſtitiam quæ eſt in ſpi-
,, ritu gratiæ. Quod planius & brevius
,, ita dici poteſt, juſtitiam legis Dei non
,, impleri, cum lex jubet, & homo qua-
,, ſi viribus ſuis facit, ſed cum ſpiritus
,, adjuvat, & hominis non libera, ſed
,, Dei gratia liberata voluntas facit. ,,

Reſpondeo III. aliter diſtinguendo cum Bellarmino hic lib. 1. de juſtificatione cap. 19. Homo per fidem juſtificatur, & per opera in fide facta, concedo: ſine operibus ex fide factis, & per legem fidei, nego. Duplex eſt lex, altera factorum, quæ jubet facere, & continet præcepta: hac fidem legis juſtificare volebant Judæi & Pelagiani, ſed contra priores ubique loquitur Apoſtolus, & conſequentur contra alios; altera fidei, & eſt lex ſpiritus continens gratiam, & hæc juſtificat per opera quorum eſt principium. Cæterum S. Aug. citatus, & Hier. in epiſt. ad Cteſifontem dicunt Apoſtolum excludere ſolum opera ſine fide facta, ut opera legis Moſaicæ facta ſine fide Redemptoris; a fortiori opera Gentilium.

Inſtant: Abraham dicitur Rom. 4. juſtificatus per fidem ſine operibus; & tamen erat juſtus: Igitur abſolute S. Paulus exſufflat omnia bona opera.

Reſpondeo negando conſequentiam propter duo. Primo quidem, fides quæ reputata eſt ad juſtitiam Abrahæ, non erat fides juſtificativa & ſpecialiter ad ipſum ordinata: Et vero jam erat juſtus: Igitur illa fides non erat ad ipſius juſtificationem, verum potius ad vocationem Gentium, quarum meruit eſſe patrem per fidem. Secundo, dato & non conceſſo, quod illa fides ordinata ſit ad juſtificationem Abraham, ſenſus eſt ſolum quod opera facta ante ipſius fidem non fuerint juſtificationis principium; ſiquidem fides prerequiritur ut opera valeant ad meritum & ſalutem, juxta illud Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*.

D: Jacobus, in ſua epiſt. catholica hoc momentum exacte diſcutit, explicat & probat, oſtendendo neceſſitatem operum cum fide, immo & ſolvendo objectio-

nem

nem de Abraham cap. 1. verſ. 23. ſic loquitur : *Eſtote autem factores verbi , & non auditores tantum* . Cap. 2. verſ. 14. *Quid proderit fratres mei , ſi fidem quis dicat ſe habere , opera autem non habeat , numquid poterit fides ſalvare eum ?* v. 17. & 18. *Fides ſi non habeat opera , mortua eſt in ſemetipſa : ſed dicet quis , tu fidem habes & ego opera habeo , oſtende mihi fidem tuam ſine operibus , & ego oſtendam tibi , ex operibus fidem meam ; tu credis quoniam unus eſt Deus , bene facis : & dæmones credunt & contremiſcunt : vis autem ſcire o homo inanis quoniam fides ſine operibus mortua eſt , Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt , offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare : vides quoniam fides cooperabatur operibus illius , & ex operibus fides conſummata eſt* .

Urgent : Multis in Scripturæ locis juſtificatio tribuitur fidei , nulla facta mentione de aliis virtutibus , ut Luc. 7. *Fides tua te ſalvam fecit* . Cap. 8. *Crede tantum & ſalva eris* . Joan. 3. *Qui credit in filium habet vitam æternam* . Rurſus Rom. 1. *Evangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti* . Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Fides viva ſalvum facit , concedo : quia eſt charitate formata , & conſequenter omnibus circumſepta virtutibus quæ ad charitatem conſequuntur : ſine charitate , nego . Nam teſte D. Jacobo , fides ſine charitate & operibus mortua eſt . Cæterum quando multæ res producunt eumdem effectum , ſæpe tacitis aliis , commemoratur una , quia aliæ ſufficienter intelliguntur . Sic quandoque juſtificatio tribuitur ſpei & charitati , nulla facta mentione fidei , juxta illud Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa , quoniam dilexit multum* . Tum Rom. 8. *Spe ſalvi facti ſumus* . Unde Habac. 2. *Juſtus autem in fide ſua vivet* . Id eſt , in fide per charitatem animata , quæ eſt ipſius vita : Igitur neque excluduntur ceteræ virtutes , quum ſola nominatur fides , neque utique fides , quando cæteræ ſine fide appellantur .

Ad ulteriorem confirmationem , diſtinguo : Evangelium ut eſt lex gratiæ eſt virtus Dei in ſalutem omni credenti , concedo : ut excludit gratiam per opera ſe manifeſtantem , nego . Pelagianum eſt enim dicere ſolam legem juſtificare cum fide : quid plura adjiciam ? ſenſus eſt quod ad ſalutem habendam requiratur fides catholica , id eſt , ut nullus ſit Arianus , vel alius hæreticus , in quo ſenſu S. Athanaſius in Symbolo dicit , poſtquam enumeravit credenda de Trinitate & Incarnatione : *Hæc eſt fides catholica , quam niſi quiſque fideliter crediderit , ſalvus eſſe non poterit* . Et ſic patet ſolutio ad id quod dicitur , fidem dare vitam , & habere omnia ſufficientia ad juſtificationem ; hoc enim intelligitur de fide viva & operante , quod mirum in modum explicat Apoſtolus Hebr. 11. his verbis : *Fide plurimam hoſtiam Abel , quam Cain , obtulit Deo , per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus...... Fide Enoch , translatus eſt ne videret mortem...... Fide Noe reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur , metuens aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ..... Fide obtulit Abraham Iſaac , cum tentaretur , & unigenitum offerrebat..... Per fidem vicerunt regna , operati ſunt juſtitiam , adepti ſunt repromiſſiones* . Ibi Paulus commemorat , fidem ſcilicet Patrum , & fidei opera , aſſeritque per ejuſmodi mira opera adeptos fuiſſe Dei repromiſſiones : Igitur a veritate aberrant hæretici , dum dicunt fidem ſolam juſtificare .

Replicant : Homo juſtificatur gratis per fidem , juxta illud Rom. 4. *Ei autem qui non operatur , credenti autem in eum , qui juſtificat impium , deputatur fides ejus ad juſtitiam* . Et cap. 11. *Si gratia , jam non ex operibus , alioquin gratia jam non eſt gratia* . Unde Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem , non ex operibus* . Igitur de facto ſine operibus fides juſtificat , alias evacuatur ratio Apoſtoli , quia ſi ex operibus homo juſtificetur , jam gratia non eſt gratia , & juſtificatio gratuita .

Reſpondeo , ut ſupra : Homo juſtificatur ſine operibus naturæ , vel etiam legis Moſaicæ , aut etiam ſine operibus quæ fiunt in peccato mortali , & ſecluſa charitate .

Ad probationem conſequentis , diſtinguo : Si homo juſtificatur per opera naturæ , juſtificatio non erit gratuita , concedo : ſi per opera gratiæ , ſubdiſtinguo : non erit gratuita proxime & formaliter tranſeat : radicaliter & in principio , nego . Juſtificatio igitur non fit ex operibus naturæ ſolitarie ſumptæ , bene vero ab operibus gratia elevatis ; prima autem gratia non cadit ſub meritum , & cum ab ea exordium

dium ſumat juſtificatio & a fide, ideo dicitur radicaliter gratuita. Suppoſita autem fide & gratia præveniente, peccator jejunat, orat, & ſimilia operatur, quibus gratiam juſtificationis meretur aliqualiter de congruo, ſed non de condigno & ex juſtitia, & ideo juſtificatio formaliter ſumpta eſt partim gratuita, partim etiam & ſecundum quid ex meritis.

Solutio eſt Aug. qui epiſt. 105. ad Sixtum, Myſterium ſic explicat: " Nec ipſa „ remiſſio peccatorum ſine aliquo merito „ eſt, ſi fides hanc imperrat; neque enim „ nullum eſt meritum fidei.... Reſtat igi- „ tur ut ipſam fidem, unde omnis juſti- „ tia ſumit initium, non humano quo „ iſti extolluntur tribuamus arbitrio, nec „ ullis præcedentibus meritis, quoniam „ inde incipiunt bona quæcumque ſunt „ merita, ſed gratuitum Dei donum eſ- „ ſe fateamur, ſi gratiam veram, id eſt, „ ſine meritis cogitamus. „ Cæterum Apoſtolus dicit Rom. 3. hominem juſtificari per gratiam, his verbis *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*. Igitur non per ſolam fidem, cum hic nequidem illam nominet.

Solvuntur Proteſtantium objectiones ex ſanctis Patribus.

OBJICIUNT I. Origenes in cap. 9. epiſt. ad Rom. ſic loquitur: " Dicit Apoſto- „ lus ſufficere ſolius fidei juſtificationem, „ ita ut credens quis tantummodo, ju- „ ſtificetur, etiamſi nihil ab eo operis „ fuerit expletum. „ Igitur omni excluſo opere fides ex Origene juſtificat.

Reſpondeo I. Opponendo Originem Origeni. Enim vero in cap. 4. ejuſdem epiſt. ſic habet: " Puto quod prima ſalutis ini- „ tia, & ipſa fundamenta, fides eſt, „ profectus vero & augmenta ædificii, „ ſpes; perfectio autem & culmen to- „ tius operis, charitas.... Credentibus „ quidem Chriſto, nec tamen deponenti- „ bus veterem hominem cum actibus ſuis „ injuſtis, fides reputari non poteſt ad ju- „ ſtitiam. „ Igitur ex Origene requiruntur opera cum fide.

Reſpondeo II. diſtinguendo conſequens: Fides juſtificat, ſecluſo quandoque opere externo, concedo: ſic qui apoplexia correptus interius conteritur de peccatis, juſtificatur cum voto Sacramenti, licet confiteri peccata non valeat, & eſt ſenſus Origenis: ſecluſo omni opere tam interno quam externo, nego.

Reponunt: S. Hilarius in cap. 8. Matth. ait: " Movet Scribas, remiſſum ab ho- „ mine peccatum, hominem enim tan- „ tum in Jeſu Chriſto intuebantur, & „ remiſſum ab eo quod lex laxare non „ poterat, fides enim ſola juſtificat. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Sola fides juſtificat per excluſionem operum Legis Moſaicæ, concedo: lex enim vetus, facta Evangelii promulgatione, non obligabat amplius: per excluſionem aliorum operum, nego. S. Hilarius cap. 7. in Matth. eſt ſui ipſius interpres, his verbis: " Sa- „ lus gentium omnis in fide eſt, & in „ præceptis Domini vita eſt univerſarum. „ Igitur requiruntur opera ex Hilario, nempe præceptorum adimpletio.

Eodem modo explicatur Ambroſius vel auctor Serm. 45. qui illi tribuitur, cum dicit: " Sicut ſufficit Judæ ad ſcelera „ Chriſtum deſeruiſſe; ita ſufficit latro- „ ni ad innocentiam Domino credidiſſe. „ Idem in c. 3. ad Rom. ſic loquitur de Gentilibus: " Juſtificati ſunt gratis, quia „ nihil operantes, neque vicem redden- „ tes ſola fide juſtificati ſunt dono Dei. „ Ibi enim excludit ſolum opera Legis Moſaicæ, nam in cap. 4. epiſt. ad Hebr. ait: " Sola fides non ſufficit, opera- „ ri fidem per dilectionem neceſſarium „ eſt. „

Inſiſtunt: Chryſ. hom. de fide & lege naturæ, ait: " Eum qui operatur opera „ juſtitiæ ſine fide, non poſſum probare „ vivum eſſe. Fidelem abſque operibus „ poſſum monſtrare... latro autem credidit „ tantum, & juſtificatus eſt. „ Ergo &c.

Reſpondeo I. ut ſupra, Chryſoſtomum velle ſolum fidem quandoque ſine operibus externis juſtificare; & ut Latronis exemplo inhæreamus, nonne juſtificatus eſt per opera etiam externa, ſcilicet Chriſtum confitendo, & poſtea in reliquo vitæ patienter ſufferendo crucis tormentum, tum propter Chriſti amorem, tum etiam ad expianda peccata? unde idem Chryſ. hom. 1. in epiſt. ad Timot. ſic fatur: " Non fide ſolum opus eſt, ſed „ etiam charitate. „

Reſpondeo II. diſtinguendo: Et S. Chryſoſt. excludit ſolum opera Legis Moſaicæ

laicæ & cæremonias, concedo: opera in Evangelio commendata, nego. Ipſe ſuam prodit mentem; hæc enim poſt verba in objectione laudata, ſubdit: " Quid te ſpon„ taneæ ſervituti ſubdis, & legis jugo col„ lum ſubmittis. „

Simili modo ſolvuntur aliæ Patrum auctoritates in contrarium adductæ ab Hæreticis, ut fucum faciant: volunt enim SS. Doctores vel opera ſine fide & charitate facta, vel cæremonialia Moſaica nihil prodeſſe ad juſtificationem; vel etiam loquuntur de fide viva, quando dicunt fidem ſufficere, vel denique contendunt ſolam fidem catholicam, omni ſecluſo errore, eſſe juſtificationis initium, nec quemquam juſtificari poſſe, niſi credat revelata; in quo ſenſu intelligendus venit S. Leo, cum epiſt. 70. ait: " Sola „ fides catholica vivificat & ſanctificat. „ Rurſus ſerm. 4. de Epiph. " Hoc eſt quod „ juſtificat impium .... ſi in uno eodem„ que Domino Jeſu Chriſto & vera dei„ tas, & vera credatur humanitas. „

Replicant: Fides habet omnia requiſita ad juſtificandum hominem, & ut ſit cauſa formalis juſtificationis, ut contendit Lautherus: Ergo &c. Probatur antecedens. Peccatum conſiſtit in averſione a Deo ut prima veritate, & ſummo bono reduplicative ut vero. Tum & in converſione ad creaturam; juſtificatio vero in averſione a creatura & converſione ad Creatorem ut primam veritatem, id eſt, ut eſt veritas ſummi boni, ſeu ut eſt bonum verum & non apparens, juxta illud Joan. 17. verſ. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum*: Sed fides avertit peccatorem a creatura ut falſo bono, & convertit ad Creatorem ut eſt prima veritas: Ergo &c.

Confirmatur: Sola fides reſpicit Deum ut verum: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo primam partem: Peccatum conſiſtit in averſione a Deo, ut eſt veritas ſimul & ſumma bonitas, concedo: ut eſt ſolum veritas, nego. Ad aliam partem ſimiliter diſtinguo: juſtificatio conſiſtit in converſione ad Deum ut primam veritatem & ſummam bonitatem, concedo: ſecus, nego. Et vero vita hominis in poſſeſſione ſummi boni ſita eſt, unde minore conceſſa, diſtinguo conſequens: Fides viva & charitate operans, eſt cauſa juſtificationis, concedo: ſecluſis virtutum, maxime charitatis operibus, nego.

Ad confirmationem ſimiliter diſtinguo: Fides reſpicit Deum ut primam veritatem aſſequibilem, concedo: non aſſequibilem, ſubdiſtinguo: fides informis, tranſeat: viva, nego. Juſtificatio conſiſtit in eo quod peccator convertatur ad Dominum, ut ad ultimum finem in quo quieſcat, adeoque ut veritatem aſſequibilem & poſſidendam; hoc autem non poteſt fieri ſine charitate quæ reſpicit Deum ut ſummam bonitatem, & ultimum finem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Fides initiative juſtificans non eſt I. fiducia. II. nec notitia clara Myſteriorum. III. nec ipſa fides ſe ſola juſtificat.

PRIMUM patet, quandoquidem Chriſtus Luc. 18. damnat Phariſæum ſuperbum, eo quod ſe propter bona opera crederet juſtum: hinc Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 12. proſcribit Lutheranos & Calviniſtas, eo quod dicerent fidem juſtificantem nihil aliud eſſe quam fiduciam divinæ miſericordiæ. Nec mirum: Fides juſtificans ea eſt, qua quis in ſpem contra ſpem credit, ut habetur Rom. 4. Ergo &c.

Secundum utique claret: habet enim Heb. 11. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Et Joan. 20. Chriſtus dixit Thomæ: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Cæterum fides eſt eſſentialiter obſcura, & in hoc a ſcientia ſecernitur. Ergo &c.

Tertium eſt etiam veriſſimum, juxta illud 1. Cor. 13. *Si habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia ... charitatem autem non habeam, nihil ſum*. Concinunt Patres. Clemens Alex. lib. 2. Strom. ante medium. S. Aug. lib. de natura & grat. cap. ult. Ratio eſt, quia fides ſine operibus, teſte D. Jacobo, cap. 2. mortua eſt. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non ſemel mentio fit in ſacris Scripturis de fiducia in Deum, ſed ſolum.

ſolum ut de juſtificationis effectu; nuſquam vero ut de cauſa formali juſtificationis: prius enim eſt eſſe juſtificatum, quam a Spiritu ſancto reſponſum aliquod interius accipere, quod ſimus Filii Dei.

Secundo: Nec quemquam movere debet, quod juſtificatio in ſacris eloquiis tribuatur fidei; hoc enim unum probat, videlicet juſtificationem ortum ducere a fide. Cæterum fides juſtificans, eſt fides viva, adeoque non ſola, ſed charitati cæteriſque virtutibus ad charitatem ſequentibus conſociata.

Tertio: Eſto quod in quibuſdam Scripturæ textibus, ubi de juſtificatione agitur, ſola fides nominetur, ſed in aliis recenſetur, immo, teſte D. Jacobo, *fides ſine operibus mortua eſt*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum juſtificatio ſit ſolum imputativa?

EX dictis liquet ſolam fidem non eſſe juſtificationis cauſam, & hoc contra Lutheranos, ſed novus exurgit error cæterorum Proteſtantium dicentium illam conſiſtere in juſtitia imputativa per fidem, quod etiam dicunt Lutherani, ſed diverſimode ſe explicant: quidam enim ajunt peccatorem juſtificari eo ipſo quo credit, & imputatur illi juſtitia Chriſti qua peccata veluti pallio teguntur: ita Calvinus & ſui: Alii vero contendunt impium juſtificari per fidem, qua ipſa Dei juſtitia illi imputatur, ut non imputentur amplius illi peccata ſua: ita Hoſiandrus, ut refert Bellarminus lib. 2. de juſtif. cap. 5. contra quos ſit

CONCLUSIO.

Peccator non juſtificatur per imputationem juſtitiæ Chriſti.

Prima probatio, ex Scriptura ſacra.

Ex veteri Teſtamento 1. Paral. 2. *Obſecro, Domine, aufer iniquitatem ſervi tui*. Pſal. 30. *Aſperges me, Domine, hyſſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*. Iſaie 44. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam, peccata tua*. Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Mich. 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*.

Ex his hoc ſequitur in probationem argumentum. Qui aufert iniquitates, qui eas delet ut nubem, qui mundat animam a culpa, ſicut corpus per aquam ab inquinamentis abluitur, immo qui mundat ſuper nivem dealbans animam peccatricem: denique qui projicit in mare peccata, ille ea delet non per puram imputationem, ſed vere & realiter, ita ut nihil de priori culpa remaneat: Atqui ex Scriptura ſic juſtificat Deus peccatorem: Igitur peccata non remanent, ut volunt Proteſtantes, nec ſimpliciter non imputantur per juſtificationem, ſed vere & intrinſece delentur.

Ex novo Teſtamento, Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri*. Et iterum: *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Rom. 5. *Abundantiam gratiæ & donationis... accipientes* 1. Cor. 6. *Et hæc quidam fuiſtis*, ſcilicet peccatores, *ſed abluti eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Rurſus ad Tit. 3. *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius, heredes ſimus, ſecundum ſpem vitæ æternæ*.

Unde iſta ſequitur probatio contra Proteſtantes. Qui ſiunt filii Dei adoptivi, & hoc per inhabitationem Dei in ſeipſis: qui ita abluuntur ut ex peccatoribus Sancti evadant, qui gratia Chriſti juſtificantur qua vitæ æternæ heredes ſunt, non juſtificantur per ſolam juſtitiæ aut Dei aut Chriſti imputationem, ſed per juſtitiam intrinſece in anima inhærentem: Atqui ſic juſtificatur peccator ex Scriptura: Ergo &c.

Secunda probatio, ex Concilio Tridentino.

CONCILIUM ſeſſ. 6. cap. 7. ſic loquitur: "Unica formalis cauſa, *juſtificationis*, eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua „ vide-

Digitized by Google

„ videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed vere juſti nominamur & ſumus.... id in hac impii juſtificatione fit, dum ejuſdem ſanctiſſimæ Paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret. „

Ibidem can. 9. *Si quis dixerit ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari atque diſponi; anathema ſit.*

Ibidem can. 10. *Si quis dixerit homines ſine Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit juſtificari, aut per eam ipſam formaliter juſtos eſſe; anathema ſit.*

Ibidem can. 11. *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei; anathema ſit.*

Ibidem can. 12. *Si quis dixerit fidem juſtificantem nihil aliud eſſe quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe qua juſtificamur; anathema ſit.*

Illis definitionibus explodit Synodus Trid. varios Proteſtantium circa juſtificationem errores, declarando juſtificationem non fieri, I. Per ſolam fidem ſine operibus: II. nec per ſolam imputationem juſtitiæ Chriſti: III. nec per eamdem Chriſti juſtitiam tamquam per cauſam formalem: IV. nec etiam per ſolam peccati remiſſionem, ſed per renovationem interiorem, mediantibus gratia & donis Spiritus ſancti, ut dicetur fuſius articulo ſequenti. Ergo &c.

Tertia probatio, ex ſanctis Doctoribus.

S. HIERONYMUS lib. 1. adverſus Pelagianos ſic habet: “ Hæc eſt hominis „ ſumma juſtitia, quidquid potueris habere juſtitiæ, non tuum eſſe putare, ſed „ Domini qui largitus eſt. „

Ambroſius lib. 6. Exam. cap. 8. ait: “ Utrum juſtificatio ſecundum corpus, an „ ſecundum animam tibi conferri videatur, quæſo, reſpondeas? Sed dubitare „ non potes, cum juſtitia, unde juſtificatio derivata eſt, mentis tuæ utique, „ non corporis ſit. „

S. Auguſtinus lib. de ſpir. & litt. cap. 9. “ Sicut fides Chriſti dicta eſt, non qua „ credit Chriſtus, ſic juſtitia Dei, non „ qua juſtus eſt Deus„: & paulo ante„: juſtitia Dei, non qua Deus juſtus eſt, ſed „ qua induit hominem dum juſtificat impium. „ Rurſus epiſt. 120. cap. 30. “ Ignorantes Dei juſtitiam, qua nos ejus „ gratia juſti ſumus. „

Cyrillus Alex. lib. 6. de Trinit. ſic loquitur: “ Calor ſpiritus eſt, qui ſimul „ ut charitatem in nobis diffuderit, & „ ejus igne mentes noſtras inflammaverit, „ jam ſumus juſtitiam conſecuti. „

S. Proſper ſuum addit calculum in reſponſione ad caput ſextum Gallorum his verbis: “ Juſtificatus homo, id eſt, ex „ impio pius factus nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio „ acquirat & meritum, ut quod in illo „ inchoatum eſt per gratiam Chriſti, etiam „ per induſtriam liberi augeatur arbitrii, „ numquam remoto adjutorio Dei, ſine „ quo nec proficere, nec permanere in „ bono quiſquam poteſt. „

Gregorius lib. 18. Moral. cap. 33. ſic effatur: “ Non commemorabuntur in comparatione ejus, omnes ſupernæ patriæ „ electi: Sancti quidem & juſti ſunt, ſed „ participatione ſapientiæ non comparatione. Juſtitia quidem ſapientiæ, juſtitia & ſervi ſapientiæ nuncupantur, „ ſed illa juſtitia juſtificans eſt, iſti autem „ ſunt juſtitia juſtificata.

Quibus poſitis, ſic argumentor: Juſtitia qua impius juſtificatur eſt inhærens: Ergo non ſola juſtitia aut Dei aut Chriſti imputata. Probatur antecedens: Ex S. Hieronymo juſtitia qua impius juſtificatur eſt donum Dei: Ex Ambroſio tangit animam: Ex S. Auguſtino non eſt juſtitia qua Deus eſt, ſed qua induit hominem: Ex S. Cyrillo eſt a Spiritu ſancto charitatem diffundente & mentes inflammante: Ex S. Proſpero eſt adjutorium & gratia Chriſti: Ex S. Gregorio non eſt ipſa ſapientia juſtificans, ſed ſapientia per participationem & juſtificata. Igitur eſt juſtitia vere inhærens & interior, & non pure extrinſeca ſeu mere imputata.

Pro-

Probatio quarta, ex rationibus Theologicis.

PRIMA: Eodem proportionalis modo homines conſtituuntur juſti, quo a contrario conſtituti ſunt peccatores, juxta illud Apoſtoli Rom. 5. *Sicut enim per unius inobedientiam... peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obedientiam, juſti conſtituentur multi*. Ibi Apoſtolus demonſtrat Chriſtum deleviſſe chyrographum mortis, contraria peccato Adami in nobis operando: Sed homines conſtituti ſunt, peccatores non ſolum per imputationem extrinſecam peccati Adæ, ſed per realitatem; omnes enim ſunt ex natura & intrinſece filii iræ, teſte eodem Apoſtolo: Igitur impius conſtituitur juſtus per realem gratiæ Chriſti acceptionem, & renovationem interiorem.

Secunda: Gratia Chriſti, ex eodem Apoſtolo, *ſuperabundavit ubi abundavit delictum*; ſed ex eodem mors ſeu peccatum regnavit intrinſece ab Adam in omnes, etiam in his qui non peccaverunt *in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, ſcilicet in pueris, qui propria voluntate non deliquerunt: regnavit inquam intrinſece & non pure extrinſece: Igitur a fortiori gratia regnat intrinſece per juſtificationem impii, adeoque juſtificatio non fit per meram Chriſti juſtitiam extrinſece imputatam.

Tertia: Ex eodem Apoſtolo credidit Abraham, & imputatum eſt illi ad juſtitiam, & quidem non pure extrinſece, ſiquidem in Scriptura dicitur benedictus, Propheta & Dei amicus: Sed per juſtificationem homo de inimico fit Dei amicus, juxta illud Scripturæ: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus*. Et iterum: Alia Scriptura dicit *quod Chriſtus mundaverit ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum*. Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Act. 3. *Convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. Ergo &c.

Quarta: Illa juſtitia eſt intrinſeca, quæ reddit hominem de tenebroſo lucidum, & de mortuo vivum: Sed hoc facit gratia juſtificans, juxta illud Epheſ. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Et ad Coloſſ. 2. *Convivificavit vos Chriſto, donans vobis omnia delicta, delens quod adverſus vos erat chyrographum decreti*.

Quinta: Imputatio extrinſeca juſtitiæ, nihil ponit in re, ſed relinquit hominem ſemper coinquinatum: Atqui e contra juſtificatio plus facit, ſiquidem ſuper nivem dealbat impium, & reddit illum bonorum Dei hæredem, tamquam Filium dilectiſſimum in quo ſibi complacet Deus; ſi autem ſolum foret extrinſeca, neque filius, neque hæres Dei in juſtificatione evaderet peccator; non quidem filius, quia in hypotheſi eſſet ſemper inimicus realiter, ſemper enim haberet realitatem peccatorum ſuorum; neque hæres conſequenter, quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum: Ergo &c.

Sexta: Si impius juſtificaretur per imputationem, nullo modo juſtificaretur, quia vere ſicut antea foret juſtitiæ hoſtis peccator; cum enim peccatum inducat in animas maculam intrinſecam, peccator nondum juſtificari cenſetur, donec intrinſece ſanctificetur.

Septima: Implicat impium juſtificari formaliter per juſtitiam qua Chriſtus juſtus eſt, & ut Chriſtus, & ut Deus præciſe: Ergo &c. Probatur antecedens. Si impius juſtificaretur juſtitia qua Chriſtus juſtus eſt, foret eodem modo juſtus ac ipſe Chriſtus, quia haberet eamdem formaliter juſtitiam, & ſic eſſet alter Chriſtus, quia ubicumque reperitur eadem forma, ibi eumdem producit effectum, adeoque illa juſtitia produceret eamdem ſanctitatem quæ eſt in Chriſto. Item ſi foret juſtus eadem juſtitia quæ eſt formaliter in Deo, etiam fieret Deus, quandoquidem haberet eamdem ſanctitatem: Sed abſurdum conſequens: Ergo & antecedens.

Solvuntur objectiones Hæreticorum ex Scriptura prodeuntes.

OPPONES: Rom. 4. habetur: *Credidit Abraham, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*. Et cap. 5. *Per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. Per ... obedientiam unius juſti conſtituentur multi*. Igitur per imputationem juſtitiæ Chriſti juſtificatur homo.

Reſpondeo ad 1. diſtinguendo: Et ex hoc ſequitur quod fides ſit juſtificationis initium & fundamentum, concedo: quia enim credidit Abram fide viva, bene ſequitur quod fidelis inventus ſit. Ex

ex hoc ſequitur quod juſtificatus ſit per puram juſtitiæ Dei imputationem nego. Addidit enim fidei charitatem, & charitati opera, ut dictum eſt ſupra.

Ad 2. diſtinguo: Juſtificatio fit per obedientiam Chriſti, tamquam per cauſam meritoriam, concedo: obedientia enim Chriſti noſtram operata eſt ſalutem, juxta illud ad Philip. 2. *Factus obediens uſque ad mortem .... propter quod & Deus exaltavit illum*, *&c.* Tamquam per cauſam formalem, nego. In hoc igitur eſt paritas, quod ſicut Adæ inobedientia in genere cauſæ demeritoriæ fuit cauſa perditionis generis humani, a contrario obedientia Chriſti fuit cauſa vitæ & ſalutis.

Inſtant: 1. Cor. 1. legitur: *Qui factus eſt nobis ſapientia a Deo & juſtitia*. Tum Jerem. 23. *Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum*, *Dominus juſtus noſter*. Igitur juſtificatio fit per juſtitiam Chriſti quæ imputatur nobis. Confirmatur: 2. Corint. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, *non reputans illis delicta ipſorum*. Ergo &c.

Reſpondeo ad 1. diſtinguendo: Impius juſtificatur juſtitia Chriſti in genere cauſæ meritoriæ, concedo: ita Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. in genere cauſæ formalis, nego. Alias eodem modo peccator juſtificatus, juſtus, & ſanctus foret, ſicut ipſe Chriſtus, quod implicat.

Ad 2. diſtinguo: Impius reconciliatur per Chriſtum qui non reputat illi delicta ſua, illa delendo per ejus gratiam, concedo: ſimpliciter non imputando, nego. Imputatur igitur nobis juſtitia Chriſti in juſtificatione, ſed non vacue & mere extrinſece, verum potius intrinſece ſimul & extrinſece: extrinſece quidem, in quantum Chriſtus ſolvit pretium & ſatisfecit, ſeipſum offerendo Patri hoſtiam pro peccatis noſtris, in quo ſenſu delevit Chyrographum mortis, & nos reconciliavit ſolvendo debitum pro peccato; intrinſece vero applicando nobis merita ſua per gratiam quæ delet peccata, quæque nos Deo conjungit, nos reconciliat & quidem intrinſece, ſicque reconciliatio noſtra duplicem habet cauſam; alteram extrinſecam, Chriſti ſcilicet mortem; alteram vero intrinſecam, nimirum gratiam & donum Chriſti. Primum docet Apoſtolus ad Coloſſ. 2. his verbis: *Convivificavit vos cum Chriſto*, *donans vobis omnia delicta*, *delens quod adverſus nos erat Chyrographum decreti*: id eſt maledictio propter peccatum originale; ſecundum vero Rom. 5. *Gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, *per quem nunc reconciliationem accepimus ..... abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ accipientes*, *in vita regnabunt per unum*. Igitur non imputatio peccati fit per ejuſdem peccati abolitionem, & gratiæ infuſionem. Hac ſolutione evaneſcunt omnia hæreticorum ſophiſmata.

Inſiſtunt: Epheſ. 1. habetur: *Deus*, *gratificavit nos in dilecto filio ſuo*: Igitur juſtificatio eſt mere extrinſeca, ſiquidem habetur ex eo quod Deus in ſuam amicitiam recipiat peccatorem; & cap. 4. *Induite novum hominem*, *qui ſecundum Deum creatus eſt*: Sed veſtimentum eſt pure extrinſecum. Igitur cum Apoſtolus comparet juſtificationem indumento, extrinſeca dici debet.

Reſpondeo ad 1. diſtinguendo: Deus nos acceptos ſive gratioſos habuit, id eſt, fecit, concedo: habuit ſimpliciter, nego. Ita vertit Chryſoſtomus his verbis; *Gratioſos nos reddidit*, *hoc eſt*, *non ſolum peccatis liberavit*, *ſed & dilectos amicos effecit*. Ibi duo notat S. Doctor, ſcilicet deleri peccata in juſtificatione, deinde peccatorem fieri Dei amicum. Similiter interpretatur hunc locum Theodoretus.

Ad 2. diſtinguo: Et comparatio indumenti eſt in aliquo, concedo: in omnibus, nego. Senſus Apoſtoli eſt, quod ſicut induimur veſte extrinſece, quæ totum corpus tegit, ita debemus totaliter induere Chriſtum intrinſece, ut ipſius gratia regnet & in anima, & in potentiis animæ, immo & in ipſo corpore, reprimendo paſſiones, unde ad Coloſſ. 3. ſeipſum explicat Apoſt. dicens: *Expoliantes vos veterem hominem .... induentes novum*, *eum qui renovatur in agnitionem*, *ſecundum imaginem ejus*. Si renovatur, igitur accipit formam intrinſecam ſanctitatis & pulchritudinis, quam habuit homo innocens factus ad imaginem Dei. Quod autem iſta imago redeintegretur per gratiam, dicit Aug. lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 26. *Hanc imaginem in ſpiritu mentis impreſſam perdidit Adam per peccatum*, *quam recipimus per gratiam juſtitiæ*.

Urgent: Pſal. 31. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates*, *& quorum tecta*

ſunt

ſunt peccata. Igitur juſtificatio eſt pura tectio; unde 2. Eſdræ cap. 4. *Ne operias iniquitatem eorum*: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et Propheta loquitur de tectione tam interiori quam exteriori, concedo: de exteriori tantum, nego. Nam dicit, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*: Et Pſal. 50. *Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele;* ita interpretatur Juſtinus martyr in dial. cum Tryphone circa finem: " Beatus, *inquit*, cui non imputavit Do„ minus peccatum, hoc eſt, cui pœni„ tenti Deus peccata remittet. „ Sic etiam Aug. ſerm. 2. in hunc Pſal. *Beati quorum*, his verbis, *non ſic intelligatis quod dixit, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & vivant.... medicus tegit ut curet emplaſtro enim tegit*, Ergo ex Aug. vere delet, nam emplaſtrum curat tollendo malum.

Ad confirmationem diſtinguo: Et Eſdras petit ne operiat iniquitatem eorum eam delendo, concedo: ſecus, nego. Namque ſubjungit, *& peccatum eorum coram facie tua non deleatur*.

Solvuntur argumenta ex Patribus.

OBJICIUNT: Ambroſius lib. 2. de Jacob & vita beata explicat exemplo Jacob ſe ſe occultantis habitu ſui fratris, noſtram juſtificationem; ſed Jacob tegebatur ſolum extrinſece per veſtimenta Eſau, cui tamen imputata eſt perſona Eſau, propter quod recepit benedictionem tamquam primogenitus: Igitur peccator tegitur ſolum extrinſece juſtitia Chriſti, quæ illi imputatur ut recipiat juſtificationis benedictionem.

Reſpondeo I. locum non inveniri in libro Ambroſii, unde ab hæreticis citatur ſine capite, cum tamen liber per capita diſtribuatur.

Reſpondeo II. dato & non conceſſo quod auctoritas ſit genuina, diſtinguo: Juſtificamur juſtitia Chriſti tamquam a cauſa efficiente & meritoria, concedo: nam ut Deus eſt cauſa principalis & phyſica noſtræ juſtificationis, juxta illud Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*; ut homo vero eſt cauſa meritoria per paſſionem ſuam: Imputatur illi ut cauſæ formali, nego. Ad exemplum veſtimenti dico cum S. Chryſ. exempla non eſſe ſecundum omnia accipienda.

Inſtant: S. Auguſtinus Enchir. cap. 41. ait de Chriſto: *Ipſe factus eſt peccatum ut nos juſtitia, nec noſtra, ſed Dei ſimus: nec in nobis, ſed in ipſo ſicut ipſe peccatum, non ſuum, ſed noſtrum, nec in ſe, ſed in nobis conſtitutum*. Atqui Chriſtus factus eſt peccatum ſolum per imputationem, ex Aug. vero ſimiliter ſumus juſti per imputationem ipſius juſtitiæ, quia ex S. Doctore non ſumus juſti juſtitia quæ ſit in nobis, ſed juſtitia quæ eſt in Deo: Igitur ſolum per imputationem; alias ſi eſſemus per gratiam intrinſece inhærentem, eſſemus juſti juſtitia quæ eſſet in nobis, quod eſt contra Auguſtinum.

Reſpondeo diſtinguendo: Sumus juſti per imputationem juſtitiæ Chriſti, quo ad redemptionem generalem, & ſolutionem debiti pro peccato originali, tum quoad recuperationem juris ad vitam æternam habendam, concedo: quoad ſingularem juſtitiam, ſubdiſtinguo: per imputationem juſtitiæ Chriſti quæ operatur in nobis per infuſionem gratiæ, concedo: extrinſece & mere imputative, nego. Duplex eſt in homine injuſtitia; altera generalis quæ provenit ex maledictione Adæ ad poſteros tranſmiſſa, per quam clauſum eſt nobis cœlum & amiſimus gloriam: altera peculiaris tum per peccatum originale, tum per actuale contracta. Primo modo conſtituimur juſti per ſatisfactionem Chriſti qua aperuit cœlos, quod quidem opus ſoli Chriſti juſtitiæ tribuitur per excluſionem juſtitiæ legis naturæ & Moſaicæ, cujus opera excludit S. Auguſtinus poſt S. Paulum; quocirca recte dicit in hoc ſenſu quod ſumus juſti, non juſtitia quæ eſt in nobis, quia purus homo, ut ait Propheta, non dabit Deo placationem ſuam; at vero ſumus juſti juſtitia propria per gratiam infuſam: ita S. Aug. ſerm. 15. de verbis Apoſt. " Nos, *inquit*, ſumus, „ juſtitia non noſtra, ſed Dei; ab illo „ accepta, non a nobis aſſumpta, im„ partita, non uſurpata, donata, non ra„ pta. „ Si data, igitur ex Aug. per gratiam infuſa.

Perſiſtunt: S. Bern. epiſt. 190. ad Innocentium, ſic loquitur: " Juſtum me di„ xerim, ſed illius juſtitia. Quænam „ ipſa? Finis legis Chriſtus ad juſtitiam „ omni credenti: denique qui factus eſt „ nobis juſtitia a Deo Patre. „ Et ſerm. 23. in Cant. " Sufficit mihi ad omnem ju-

„ ſtitiam ſolum habere propitium cui ſoli „ peccavi. „ Et ſerm. 61. in Cant. explicans illud Pſal. 70. *Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius*, dicit: " Ipſa enim eſt „ & mea; nimirum factus es mihi tu ju- „ ſtitia a Deo. Numquid mihi verendum „ eſt, ne non una ambobus ſufficiat? non „ eſt pallium breve, quod ſecundum Pro- „ phetam, non poſſit operire duos. „ Sed pallium tegit ſolum extrinſece: Ergo &c.

Reſpondeo ut ſupra. Ad primum diſtinguo: peccator fit juſtus juſtitia Chriſti, illam participando per gratiam, concedo: ſecus, nego. Vult ſolum S. Bernardus quod eodem modo juſtificemur per gratiam Chriſti, ſicut peccatores conſtituti ſumus per peccatum Adami. Sicut ergo realiter nobis tranſmiſſa eſt culpa Adæ, per peccatum originale, ita nobis communicatur juſtitia Chriſti, per gratiam, unde Bern. in eadem epiſt. 190. ſic ſe explicat, loquens de Chriſto: " Qui factus eſt nobis „ juſtitia a Deo Patre; quæ ergo mihi „ juſtitia facta eſt, mea non eſt, ſi mea „ traducta culpa, cur non & mea indul- „ ta juſtitia; & ſane mihi tutior donata „ quam innata. „ Igitur S. Bern. agnoſcit juſtificationem inhærentem, & gratiam delentem peccata, juxta illud ſerm. 22. in Cant. de Petro: " Qui lapſus fle- „ vit amare quatenus culpam dilueret, „ recuperaret juſtitiam.

Ad ultimum locum dico S. Bern. velle ſolum Chriſtum eſſe cauſam meritoriam noſtræ juſtitiæ, unde ibidem ſic loquitur: " Meum proinde meritum miſeratio Do- „ mini. Non plane ſum meriti inops, „ quamdiu ille miſerationum non fuerit; „ quod ſi miſericordiæ Domini multæ, „ multis ego in meritis ſum. „

Dices: Homo non poteſt juſtificari ſine fide in Chriſtum & niſi imputetur illi juſtitia Chriſti: Ergo &c.

Reſpondeo ut ſupra, niſi imputetur per applicationem & infuſionem gratiæ, concedo: pure extrinſece, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Peccator non juſtificatur per imputationem juſtitiæ Chriſti.

PRIMO: Hoc paſſim annuntiant divinæ Scripturæ: Pſal. 50. *Lætabis me, & ſuper nivem dealbabor*. Tum 1. Cor. 6. *Et hæc quidem fuiſtis*, ſcilicet peccatores, *ſed abluti eſtis...ſed juſtificati eſtis*. Sic de fide definivit ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 6. can. 9. 16. 11.

Secundo: Suffragantur Patres: Hieron. lib. 1. adverſus Pelag. Aug. lib. de ſpirit. & litt. cap. 9. &c.

Tertio: Nec deſunt rationes quibus veritas probetur. Prima, quia Scripturæ & Patres aſſerunt deleri peccata: Igitur, homine juſtificato, non ſunt amplius. Secunda Apoſt. 5. de peccato ab Adamo contracto, & de gratia per Chriſtum diffuſa relative loquitur: Sed peccatum realiter & intrinſece ab Adam in poſteros tranſfuſum eſt: Igitur a fortiori gratia juſtificans per Mediatorem ad nos intrinſece habetur. Tertia, quia ex eodem Apoſt. ibidem: ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia: Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Quando Scripturæ dicunt pœnitentibus non amplius imputari peccata, ſupponunt deleta; hoc eſt, Deus non habet ultra peccatorem pœnitentem ut inimicum.

Secundo: Similiter quum ajunt Chriſtum eſſe juſtitiam noſtram, intelligendum eſt cauſaliter, minime vero formaliter.

Tertio: Neque negamus tegi peccata in juſtificatione, ſed ſtrictiſſime teguntur, pro ut vox *tegi*, idem eſt ac *deleri*. Sic Patres interpretantur iſtud Pſal. 31. *Beati, quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Hunc vel ipſe Propheta exhibet ſenſum: ſi enim remiſſæ ſunt iniquitates, jam amplius non ſubſiſtunt, ſicut de facto remanerent, ſi per ſolam juſtitiæ Chriſti imputationem extrinſece tantum dimitterentur.

ARTICULUS TERTIUS,

Utrum juſtificatio ſit formaliter renovatio per gratiam habitualem & permanentem?

PROTESTANTES non ſolum errant circa cauſam efficientem juſtificationis, ſed etiam in cauſa formali, & effectu primario,

rio aſſignando; ſiquidem tenent juſtificationem eſſe meram peccatorum tectionem & non abolitionem: voluntque in hoc formaliter conſiſtere; unde duo incumbunt contra iſtum errorem probanda, nimirum Juſtificationem eſſe veram & internam hominis renovationem: alterum vero eam conſiſtere formaliter in gratia habituali & ſanctificante. Unde ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Juſtificatio eſt interior hominis renovatio.

PROBATUR I. *ex Scriptura*: Joan. 1. habetur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: Unde Apoſtolus ait Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*: Ibidem 8. *Quos vocavit, hos & juſtificavit*: Gloſſa dicit *remiſſione peccatorum*. Igitur juſtificatio eſt interior hominis renovatio.

Probatur II. *ex Symbolo Apoſtolorum*, in quo profitemur, non tantum peccatorum tectionem, ſed & remiſſionem: & hic articulus fidei fundatur in verbo Chriſti dicentis Joan. 20. 21. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Ergo &c.

Probatur III. *ex Concilio Trid.* Quod ſeſſ. 6. can. 11. ſic definit. *Si quis dixerit, homines juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei: anathema ſit*. Prius cap. 4. juſtificationem ſic delineat: cap. 4. " Translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum." Ita S. Aug. l. de ſpir. & litt. cap. 9. de verbo ad verbum.

Probatur IV. *ex divo Thoma*, qui hic 1. 2. q. 113. art. 1. ex profeſſo docet noſtram concluſionem: ibi enim duplicem diſtinguit juſtificationem: alteram quæ fit per ſimplicem motum a non eſſe gratiæ, ad eſſe gratiæ, ut in Angelis & primis parentibus; prius enim eſt ſaltem in inſtanti naturæ illos concipere creatos, quam gratia ſanctificatos. Alteram quæ fit per motum a contrario, quæ eſt tranſitus a peccato ad gratiam; utraque autem fit per renovationem interiorem, mediante gratia ſanctificante, ut docet S. Doctor. Prima quidem ſcilicet creaturæ innocentis per gratiam elevat naturam ad participationem naturæ divinæ. Secunda vero per gratiam idem facit, & præterea animam ſanat. Ergo non injucundum erit hic texere verba ſancti Doctoris: " Hæc autem juſtitia in homine poteſt fieri dupliciter: Uno quidem modo, per motum ſimplicis generationis, qui eſt ex privatione ad formam. Et hoc modo juſtificatio poſſet competere, etiam ei qui non eſſet in peccato, dum hujuſmodi juſtitiam a Deo acciperet. Sicut Adam dicitur accepiſſe originalem juſtitiam. Alio modo poteſt fieri hujuſmodi juſtitia in homine ſecundum rationem motus, qui eſt de contrario in contrarium: Et ſecundum hoc juſtificatio importat tranſmutationem quamdam de ſtatu injuſtitiæ ad ſtatum juſtitiæ prædictæ. Et hoc modo loquuntur hic de juſtificatione impii ſecundum illud Apoſt. Rom. 4. Et qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium."

Probatur ratione: Juſtificatio quæcumque ſit, facit hominem de non ſancto ſanctum, de non filio filium Dei adoptivum: Sed creaturam fieri de non ſancta ſanctam, eſt interius renovari. Igitur juſtificatio eſt interior hominis renovatio, & hoc vocatur formalis juſtificationis effectus, ſeu juſtificatio paſſive ſumpta.

CONCLUSIO SECUNDA.

Cauſa formalis juſtificationis, eſt gratia ſanctificans & permanens; efficiens vero phyſica, Deus; meritoria, Chriſtus; inſtrumentalis vero ſacramentum.

PROBATUR 1. pars. I. ex Script. Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto &c.* Rurſus 1. Joan. 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo*. Matt. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: Sed renaſci dicit quid permanens, ſicut & manere in Deo, & eſſe corde mundum: Ergo cauſa &c.

Probatur II. *ex Concilio Trid.* quod ſeſſ. 6. cap. 9. omnes deſcribit juſtificationis cauſas his verbis: " Hujus juſtifica-

„ tionis cauſæ ſunt; finalis quidem, gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna: efficiens vero miſericors Deus, qui gratuito abluit, & ſanctificat, ſignans & ungens ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ: meritoria autem, dilectiſſimus unigenitus ſuus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus: qui, cum eſſemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos ſua ſanctiſſima paſſione, ligno crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit. Inſtrumentalis autem, ſacramentum Baptiſmi &c. „

Probatur 3. *ex SS. Patribus*: S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 8. " Quæ „ natura, *inquit*, cum a ſuo conditore „ juſtificatur, a deformi forma formo- „ ſam transfertur in formam. „ Sed hoc nequit fieri ſine gratia ſanctificante: Ergo &c. Idem probant Patres ſupra citati, pro juſtitia inhærente in articulo præcedenti.

D. Thomas hic art. 2. ex profeſſo docet concluſionem, dicendo hominem juſtificari per Dei gratiam quæ non eſt ſterilis; unde ſic habet: " Effectus autem „ divinæ dilectionis in nobis, qui per „ peccatum tollitur, eſt gratia qua homo „ ſit dignus vita æterna, a qua peccatum „ mortale excludit. Et ideo non poſſet „ intelligi remiſſio culpæ, ſi non adeſſet „ infuſio gratiæ. „ Etenim gratia ſanctificans eſt participatio naturæ divinæ: & ab ipſa fluunt virtutes, quæ ſunt divinorum attributorum emanationes, ſed homo juſtificatur recipiendo ſanctitatem, quæ illum reddit Deo ſimilem, in quantum fieri poteſt: ergo juſtificatur formaliter per gratiam habitualem.

Probatur Secunda pars: Spiritus ſanctus ex Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. & 6. dupliciter ſe habet ad hominem. Primo quidem ad peccatorem per aſſiſtentiam & tranſeunter, ad juſtum vero inhabitando, & per infuſionem gratiæ & donorum, ut habetur ſeſſ. 6. ſed Spiritus Sanctus inhabitat ſolum per gratiam ſanctificantem, actualis enim momentanea eſt & tranſiens: Ergo &c.

Probatur tertia pars: Homo incidens in peccatum mortale dicitur ſemper peccator, etiam tranſacto peccato, quia macula peccati formaliter remanet in ipſo, a qua eſt & denominatur peccator: Igitur a pari & a contrario juſtificatus dicitur formaliter & juſtus a gratia habituali permanente in anima; in qua quidem gratia, elucet ex S. Aug. pulchritudo divina, hinc ab ea ſponſa dicitur, & formoſa inter filias Jeruſalem.

Poſtrema pars probatur in tract. de Sacram. & ſufficienter explicatur a Tridentino: Enim vero ſolus Deus poteſt dare gratiam: & ſolus Chriſtus eam promeruit, & applicat per ſacramenta: Unde meritum noſtrum eſt ab ipſo.

Solvuntur objectiones contra ſecundam concluſionem.

QUÆ contra primam objiciuntur ſoluta manent ex his quæ diximus in articulo præcedenti contra juſtitiam imputativam.

Objiciunt Heterodoxi Pſal. 142. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. Et Iſaiæ 64. *Quaſi pannus menſtruatæ omnes juſtitiæ veſtræ*: Ergo teguntur peccata, & non delentur.

Reſpondeo ad 1. diſtinguendo: *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, id eſt, juſtitia noſtra comparative ad ſanctitatem Dei infinitam quaſi nulla eſt, concedo: nulla eſt, omnino in ſe conſiderata, nego. Sic reſpondet hic divus Thomas.

Ad locum Iſaiæ reſpondent Interpretes, Prophetam loqui de Judæis, qui totam reponebant juſtitiam in cæremoniis exterioribus legis, cor autem eorum longe erat a Deo. Et ideo ipſorum juſtitia intrinſeca nulla erat, immo erant coram Deo abominabiles.

Inſtant: S. Aug. lib. 19. de civit. cap. 27. ait, " Ipſa noſtra juſtitia, quamvis „ vera ſit propter veri boni finem ad quem „ refertur, tanta tamen eſt in hac vita, „ ut potius peccatorum remiſſione con- „ ſtet, quam perfectione virtutum. „ Igitur, inquiunt Calviniſtæ, juſtificatio formaliter conſiſtit in remiſſione peccatorum, & non in gratia.

Reſpondeo, diſtinguendo conſequens: Juſtificatio conſiſtit in remiſſione peccatorum, ut in effectu, concedo: ut in cauſa formali, nego. Quandoque juſtificatio explicatur per effectum maxime notum illumque primarium, ut per remiſſionem peccatorum. Sic illam explicat Aug. prius enim eſt remitti peccata quam habe-

re

re virtutes : quandoque per ipſas virtutes conſequentes , juxta illud 1. Joan. 4. 16. *Deus charitas eſt*, *& qui &c.* Quandoque per diſpoſitiones, juxta illud Act. 15. 9. *Fide purificans corda eorum*. Quandoque per cauſam efficientem phyſicam, ut habetur Job. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine , nonne tu qui ſolus es?* Et Iſaiæ 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas*. Quandoque etiam per cauſam meritoriam. Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem , quæ eſt in Chriſto Jeſu*, & 1. Joan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*. Nonnumquam per cauſam inſtrumentalem, juxta illud ad Titum. 3. *Salvos nos fecit*, *per lavacrum regenerationis*; ſed cauſa formalis eſt tantum gratia ſanctificans. Et colligitur ex Apoſt. Rom. 8. *Quos præſcivit , & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui*. Rurſus Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* : Filiatio autem adoptiva habetur per gratiam ſanctificantem, quæ eſt participatio naturæ divinæ. 2. Petr. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit*, *ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*.

Reſpondeo II. cum Bellarmino, Lib. 2. de juſtif. cap. 6. Calvinum allucinari; licet enim conveniat cum Lutheranis ſolum tegi peccata in juſtificatione, errat tamen in eo quod aſſignet pro cauſa formali juſtificationis remiſſionem peccatorum, dicendo peccatorem juſtificari eo quod non imputentur illi ; ſic Lutherus ſuo modo errat dicendo id fieri per hoc quod juſtitia Chriſti imputetur peccatori, ſiquidem Apoſtolus Rom. 4. ait de Chriſto , *Traditus eſt propter peccata noſtra , reſurrexit propter juſtificationem noſtram*. Ibi enim Apoſtolus nomen juſtificationis tribuit non juſtitiæ Chriſti imputatæ; neque preciſe remiſſioni peccatorum , ſed renovationi interiori , quæ eſt finis & paſſionis, & reſurrectionis Chriſti , qui venit , ut mundaret ſibi populum acceptabilem.

Reponunt : Licet juſtus habeat gratiam, non tamen eſt perfecte juſtus : Igitur gratia non eſt cauſa formalis juſtificationis. Confirmatur : Si homo eſſet vere juſtus per gratiam, peccata in juſtificatione totaliter deſtruerentur , & non redirent : Atqui tamen peccata præterita redeunt , quando juſtus a ſua excidit juſtitia ; nam Matt. 18. legitur quod Dominus a ſervo denuo peccante exegerit omne debitum : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Juſtus per gratiam non eſt perfecte juſtus , id eſt, ultimate, concedo : nam juſtitia ex omni parte perfecta , eſt ſolum pro beatitudine , ubi paſſiones non rebellant amplius contra ſpiritum : Id eſt, non eſt vere juſtus, nego ; ſiquidem eſt filius Dei per adotionem , & amicus.

Ad confirmationem , diſtinguo minorem: Peccata remiſſa redeunt ſecundum quid , in quantum ratione ingratitudinis , peccatum alternata vice ſæpius commiſſum , eſt majus præcedentibus peccatis, concedo : redeunt formaliter , & ſecundum propriam maculam , nego. Solutio eſt divi Thomæ 3. p. q. 88. art. 1.

Inſtſtuns : Juſtificatio fit per remiſſionem peccati : Sed non remittitur per gratiam habitualem : Ergo &c. Probatur minor : Gratia habitualis non immediate opponitur peccato : Ergo &c. Probatur Ant. Datur ſtatus medius inter juſtum & peccatorem , ſcilicet homo purus, qui nec eſt peccator , nec etiam Dei filius. Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem : Ad probationem, diſtinguo : Gratia non opponitur immediate peccato , ut eſt injuſtitia & rebellio contra Deum , concedo : ut eſt macula afficiens animam , nego. Solutio eſt D. Thomæ hic art. 1. Cæterum peccatum , ut eſt actus opponitur immediate virtutibus, v. g. odium charitati ; ſed ut eſt privatio , & macula in anima relicta opponitur immediate gratiæ ſanctificanti, quæ eſt pulchritudo animæ. Ad ultimam probationem , diſtinguo : datur ſtatus medius ex vi alterius decreti , quo potuiſſet eſſe ſtatus naturæ puræ, concedo : ex vi præſentis decreti, nego. Præſens enim Dei decretum eſt de juſtificatione hominis in ſtatu præſenti naturæ lapſæ.

Urgent : Charitas facit hominem amicum Dei formaliter, juxta illud Joan. 14. 23. *Si quis diligit me*, *ſermonem meum ſervabit*, *& Pater meus diliget eum* : Igitur non gratia, ſed charitas eſt cauſa formalis juſtificationis.

Reſpondeo negando Ant. Charitas enim non facit amicum Dei, ſed ſupponit per gratiam factum; in iſta ſiquidem fundatur amicitia , quia eſt participatio naturæ divi-

næ : juſtificatio tamen tribuitur charitati, ut cauſæ diſpoſitivæ, ſicut & fidei ; de prima enim habetur, Luc. 9. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. De 2. Act. 6. 15. *Fide purificans corda*. Sic docet D. Thomas hic art. 1. ad 15. his verbis : " Fides & charitas „ dicunt ordinem ſpecialem mentis hu„ manæ ad Deum, ſecundum intellectum, „ vel affectum : Sed juſtitia importat ge„ neraliter totam rectitudinem ordinis, „ & ideo magis denominatur hujuſmodi „ tranſmutatio, ſcilicet peccatoris, a ju„ ſtitia quam a charitate, vel fide. „ Porro gratia juſtificans eſt noſtra juſtitia.

Perſiſtunt : Deus poteſt de potentia abſoluta auferre gratiam ſine peccato : Igitur a pari poteſt auferre ſine gratia peccatum, & hoc per puram condonationem extrinſecam.

Reſpondeo negando conſequentiam & paritatem ; nam gratia dependet a Deo in eſſe, & in conſervari, unde poteſt illam auferre ſine peccato, ſed peccatum reduplicative ut peccatum dependet a ſola creatura in eſſe, quandoquidem eſt privatio, adeoque non poteſt auferri ſine gratia, quæ eſt forma oppoſita.

Inſtant : Homo remittit injuriam ſibi factam per puram condonationem extrinſecam, id eſt, illam non imputando amplius : Igitur a pari Deus poteſt remittere injuriam ſibi factam per condonationem extrinſecam.

Reſpondeo negando paritatem propter duo: I. Quia injuria facta Deo per peccatum dicit maculam intrinſece inhærentem animæ; unde non poteſt remitti ſine emundatione talis maculæ, quod fit per gratiam : injuria vero alteri homini facta, dicit quid mere extrinſecum, adeoque poteſt remitti per ſimplicem voluntatis actum, quo relaxatur injuria, & non imputatur amplius. II. Quia non poteſt remitti peccatum niſi Deus fiat placatus; non placatur autem, niſi peccator mutetur intrinſece, & fiat tum amicus, tum filius, ſola autem gratia quæ eſt participatio naturæ divinæ, hæc mira operatur : ſed homo ſupponit naturam ſibi ſimilem in altero homine, unde non tanta requiritur immutatio in illo cui remittit injuriam; ſufficit enim quod nolit amplius nocere & offendere.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Juſtificatio eſt renovatio interior per gratiam habitualem.

PRIMO : Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Tum Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*. Ex his peccatum tollitur, & peccator juſtificatur per gratiam. Igitur juſtificatio eſt interior hominis renovatio.

Secundo : Sic definit Concilium Trid. ſeſſ. 6. can. 11. ſic docet ex profeſſo S. Thomas 1. 2. q.113.art.1. ratio eſt, quia juſtificatio facit hominem de peccatore ſanctum. Ergo &c.

Tertio : Hoc opus mirabile fit per gratiam ſanctificantem animæ inhærentem ; quandoquidem, juſtificatione peccator fit filius Dei adoptivus, quod eſt quid permanens; ſic enim habetur Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Sic docet Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO : Verum eſt noſtram juſtitiam tametſi realem, relative tamen ad ſanctitatem Dei parum eſſe; hinc Propheta Pſal. 142. ait : *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*.

Secundo : Eſto quod juſtificatio dicatur remiſſio, ſed peccatum delet.

Tertio : Gratia non opponitur quidem peccato ut actus eſt, bene tamen ut macula in anima relicta, unde a gratia ſub iſto reſpectu expellitur.

ARTICULUS QUARTUS.

De diſpoſitionibus requiſitis ad juſtificationem.

NOTANDUM eſt I. Quaſdam diſpoſitiones ſe tenere ex parte paſſi ſeu ſubjecti, & iſtæ paſſive ſe habent ad formæ introductionem, ut ſiccitas ad ignitionem: aliæ ſe tenent ex parte agentis, ut calefactio v. g. ligni. Item diſpoſitiones aliæ ſunt remotæ, aliæ vero proximæ ; priores illæ ſunt

ſunt quæ non habent neceſſariam cum forma connexionem, ſecus vero aliæ. Potentia obedientialis eſt diſpoſitio paſſiva ad opera ſupernaturalia, & formas deſuper habendas: Actus ſupernaturales ſunt diſpoſitiones activæ ad gratiam habitualem habendam: Actus quidem timoris, fidei informis, & ſpei ſunt diſpoſitiones remotæ, actus vero contritionis & amoris proximæ.

Notandum II. Primam diſpoſitionem ad gratiam habitualem eſſe motionem liberi arbitrii adjuti per gratiam actualem: Secundam eſſe motum liberi arbitrii in Deum, ſive per fidem & ſpem, ſive per amorem: Tertiam eſſe motum liberi arbitrii ad peccatum deteſtandum.

Notandum III. Infuſionem gratiæ præcedere remiſſionem peccati in genere cauſæ formalis, remiſſionem vero peccati, eſſe ipſa gratia priorem in genere cauſæ materialis, quia ſecundum inſtans rationis prius concipitur peccatum deletum, quam gratiam ſanctificantem infundi: ſic prius eſt in genere cauſæ efficientis ventum intrare in cubiculum, quam feneſtram aperiri; in genere vero cauſæ diſpoſitivæ & materialis, feneſtram aperiri ut ventus intret & clauſam feneſtram aperiat.

Notandum IV. Juſtificationem fieri ſucceſſive ſi conſideretur cum ſuis diſpoſitionibus; in inſtanti vero, ſi conſideretur eſſentialiter & ſecundum ſe; ſiquidem infuſio gratiæ fit in inſtanti.

Certum eſt, ut ex ſupra dictis patet, neminem poſſe ſe diſponere ad gratiam ſine gratia, & diſpoſitiones requiri in adulto; ſed quæ ſint, hic controvertitur. Lutherani & Calviniſtæ contendunt non aliam requiri pro juſtificatione diſpoſitionem præter fidem, qua apprehenduntur Chriſti merita, & applicantur; unde licet non excludant cætera virtutum opera, illa tamen ſolum exigunt ut ſigna & juſtificationis argumenta, ita tamen ut probatum eſt, exigant fidem ut fiduciam, qua quiſque credit fide divina, cui non poteſt ſub eſſe falſum, ſe eſſe juſtificatum eo ipſo quo in Chriſtum credit. Contra quos ſit

CONCLUSIO.

Sex ſunt diſpoſitiones ad juſtificationem, nempe fides, timor, ſpes, dilectio Dei, odium peccati, & propoſitum de non peccando, minime vero certitudo phyſica de juſtificatione accepta.

PROBATUR Concluſio pro diſpoſitionibus in genere, & quidem ex D. Jacobo cap. 2. qui dicit fidem ſine operibus eſſe mortuam, ſed illa opera de quibus loquitur, ſunt fides, timor. Ergo &c.

Probatur II. Pro ſingulis in particulari; pro fide quidem Rom. 5. *Juſtificati ex fide.* Et Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum.* Pro timore Prov. 14. *Timor Domini fons vitæ.* Pro ſpe Rom. 8. *Spe ſalvi facti ſumus.* Pro dilectione 1. Joan. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Pro odio & deteſtatione peccati, Luc. 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Pro propoſito emendationis, ſuſceptionis Sacramenti, & ſatisfactionis, Act. 3. *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Ibidem Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Tum Jacobi 5. *Confitemini alterutrum.* Ergo &c.

Probatur III. ex Patribus. Ignatius in epiſt. ad Phil. ſic habet: " Principium vitæ eſt fides, finis vero ejus dilectio: ambæ autem ſimul junctæ & in veritate factæ hominem Dei perficiunt. " Clemens Alex. lib. 2. Stromatum adducens ſententiam libri antiquiſſimi, qui dicebatur Paſtoris: " Præcedit, *inquit*, fides, timor autem ædificat, perficit autem dilectio. "

Origenes in cap. 4. ad Rom. ait: " Puto quod prima ſalutis initia & ipſa fundamenta fides eſt, profectus vero & augmenta ædificii ſpes, perfectio autem & culmen totius ædificii charitas. "

Ambroſius in Pſal. 118. Serm. 20. explanans illum verſiculum: *Principium verborum tuorum veritas.*: " Fides principium Chriſtiani eſt, *inquit*, plenitudo autem Chriſtiani juſtitia eſt. "

S. Auguſtinus Serm. 16. de verbis Apoſtoli, ſic loquitur: " A fide incipit homo, ſed quia & dæmones credunt, neceſſe eſt addere ſpem & charitatem. " Tum Serm. 22. ibid. " Domus Dei cre-

dendo

,, dendo fundatur, ſperando erigitur, di-
,, ligendo perficitur. ,, Igitur ex Patribus
fides, ſpes & charitas ſunt diſpoſitiones ad
juſtificationem.

Probatur 4. *ex Concilio Tridentino*. Sa-
cra Synodus ſeſſ. 6. totam hanc juſtificatio-
nis materiam explicat & definit cap. 5. ubi
ſic loquitur de neceſſitate præparatio-
nis ad juſtificationem in adultis: " De-
,, clarat præterea ipſius juſtificationis Exor-
,, dium in adultis, a Dei per Chriſtum
,, Jeſum, præveniente gratia ſumendum
,, eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nul-
,, lis eorum exiſtentibus meritis vocantur,
,, ut qui per peccata a Deo averſi erant,
,, per ejus excitantem atque adjuvantem
,, gratiam, ad convertendum ſe, ad ſuam
,, ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ
,, libere aſſentiendo, & cooperando diſ-
,, ponantur, ita ut tangente Deo cor ho-
,, minis per Spiritus ſancti illuminatio-
,, nem, neque homo ipſe, nihil omnino
,, agat, inſpirationem illam recipiens,
,, quippequi illam & abjicere poteſt. ,,

Capite 6. ſic loquitur de modo præpara-
,, tionis: Diſponuntur autem ad ipſam ju-
,, ſtitiam, dum excitati divina gratia,
,, & adjuti, fidem ex auditu concipientes,
,, libere moventur in Deum, credentes ve-
,, ra eſſe, quæ divinitus revelata & pro-
,, miſſa fuerunt: atque illud in primis a
,, Deo juſtificari impium per gratiam ejus,
,, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Je-
,, ſu, & dum peccatores ſe eſſe intelli-
,, gentes, a divinæ juſtitiæ timore quo
,, utiliter concutiuntur, ad conſideran-
,, dam Dei miſericordiam ſe convertendo
,, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi
,, propter Chriſtum propitium fore, illum-
,, que tamquam juſtitiæ fontem diligere in-
,, cipiunt, ac propterea moventur adver-
,, ſus peccata per odium aliquod & de-
,, teſtationem. ,,

Capite 7. Hæc habet de natura juſtifica-
tionis & ejus cauſis: " Hanc diſpoſitio-
,, nem ſeu præparationem juſtificatio ipſa
,, conſequitur, quæ non eſt ſola peccato-
,, rum remiſſio, ſed & ſanctificatio, &
,, renovatio interioris hominis per volun-
,, tariam ſuſceptionem gratiæ & donorum:
,, unde homo ex injuſto fit juſtus... Hujus
,, juſtificationis cauſæ ſunt &c. ,,

Capite 8. explicat fidei doctrinam, his
verbis: " Cum vero Apoſtolus dicit,
,, juſtificari hominem per fidem & gra-
,, tis, ea verba in eo ſenſu intelligenda
,, ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ catholi-
,, cæ conſenſus tenuit & expreſſit, ut ſci-
,, licet per fidem, ideo juſtificari dicamur,
,, quia fides eſt humanæ ſalutis initium
,, ... Gratis autem juſtificari ideo di-
,, camur, quia nihil eorum quæ juſtifica-
,, tionem præcedunt, ſive fides, ſive
,, opera, ipſam juſtificationis gratiam pro-
,, meretur; ſi enim gratia eſt, jam non
,, ex operibus: alioquin, ut idem Apo-
,, ſtolus inquit, gratia, jam non eſt
,, gratia. ,,

Capite 9. de fiducia hæc declarat: "
,, Quamvis autem neceſſarium ſit credere,
,, neque remitti, neque remiſſa umquam
,, fuiſſe peccata, niſi gratis divina miſe-
,, ricordia propter Chriſtum: nemini ta-
,, men fiduciam & certitudinem remiſſio-
,, nis peccatorum ſuorum jactanti, & in
,, ea ſola quieſcenti peccata dimitti vel
,, dimiſſa eſſe dicendum eſt. ,, Idem cap.
2. confirmat neminem poſſe certo ſci-
re an ſit juſtificatus, unde Can. 13. ſic ha-
bet: *Si quis dixerit omni homini ad remiſſio-
nem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſ-
ſe ut credat certo & abſque ulla hæſitatio-
ne propria infirmitatis & indiſpoſitionis pec-
cata ſibi eſſe remiſſa; anathema ſit*. Rur-
ſus Can. 15. *Si quis dixerit hominem re-
natum & juſtificatum teneri ex fide ad cre-
dendum ſe certo eſſe in numero prædeſtinato-
rum, anathema ſit*.

Denique cap. 11. poſtquam dixit obſerva-
tionem mandatorum Dei omnibus eſſe poſ-
ſibilem, ſtatuit bonorum operum neceſſi-
tatem, his verbis: " Itaque nemo ſibi in
,, ſola fide blandiri debet, putans fide
,, ſola ſe heredem eſſe conſtitutum, hæ-
,, reditatemque conſecuturum, etiam ſi
,, Chriſto non compatiatur, ut & con-
,, glorificetur.... Propterea Apoſtolus
,, ipſe monet juſtificatos, dicens: Neſcitis,
,, quod ii qui in ſtadio currunt, omnes
,, quidem currunt, ſed unus accipit bra-
,, vium: ſic currite ut comprehendatis...
,, Item Princeps Apoſtolorum Petrus, Sa-
,, tagite ut per bona opera certam veſtram
,, vocationem & electionem faciatis. ,,

Probatur quinto, rationibus Theologicis.

PRIMA: Datur diſpoſitio ad formam
introducendam, tam in ordine morali,
quam phyſico, quia debet præparari
ſubje-

ſubjectum: Sed gratia ſanctificans eſt forma ſupernaturalis, actus vero pœnitentis diſpoſitio. Ergo &c.

Secundo Juſtificatio fit per averſionem a creatura, & converſionem ad Creatorem: Sed averſio fit per odium & peccati deteſtationem, & ad hoc movetur impius per timorem: converſio vero per fidem, ſpem & charitatem. Ergo &c.

Tertio: dantur diſpoſitiones ad peccatum, ſiquidem ut fert Adagium: *Nemo repente fit ſummus*. Igitur a fortiori ad gratiam ſanctificantem, quia eadem eſt lex contrariorum.

Dices: Apoſtolus Hebr. 10. verſ. 14. ait de Chriſto: *Una enim oblatione, conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. Igitur ſanctificatio Chriſti ſufficit, ſine diſpoſitionibus.

Reſpondeo diſtinguendo: Chriſtus ſatisfecit ut cauſa univerſalis exigens cauſarum ſecundarum diſpoſitiones, concedo: ſecus, nego. Ita Apoſtolus ad Coloſſ. 1. verſ. 24. his verbis: *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*.

Placet in fine hujuſce diſputationis duo ſymbola gratiæ proponere, quæ in Scripturis habentur.

Primum eſt aquæ naturalis, quæ mundat corpus ſordibus, gratia autem purgat animam a peccatis. II. Aqua ignem extinguit, ſic gratia flammas inferni utique diſſipat. III. Aqua ardores ſtomachi refrigerat; gratia vero concupiſcentiæ actus temperat. IV. Aqua omnia fecundat, ſic etiam gratia animam fecundat & fructificare facit. V. Aqua variis & miris coloribus flores diſtinguit & venuſtat, gratia motivis ſanctis & miris opera noſtra decorat. VI. Aqua per tenuiſſimos vapores in cœlum exhalatur, & gratia per puriſſimam orationem in Deum aſſurgit. VII. Aqua facile diffunditur, & gratia per charitatem ſe dilatat & extenditur ad proximos. Denique aqua nihil amaritudinis habet, & gratia animam in ſumma pace componit.

Secundum Symbolum eſt oleum. I. Oleum vulneribus medetur, & gratia animæ vulnera ſanat. II. Oleum cibos dulcorat, & gratia labores pœnitentiæ alleviat. III. Oleum liquoribus omnibus ſupernatat, & gratia animam ſurſum elevat. IV. Oleum ignem nutrit, & gratia charitatem accendit. V. Oleum Reges & Pontifices exterius conſecrat, & gratia interius filios Dei & hæredes regni conſtituit. VI. Oleum ſe diffundit, & gratia in varios pietatis affectus expanditur.

Cæterum: juſtificatio peccatoris non dicitur miraculoſa, quia fit ſecundum conſuetum providentiæ ſupernaturalis modum: ſi vero fiat extraordinarie ut Sauli converſio, tunc miraculoſa vocatur. Verum ſive primo ſive ſecundo modo peragatur, a Patribus ut opus ipſa mundi creatione mirabilius celebratur, & merito: quia Deus in creatione agit in nihilum naturale, quod quidem illi non reſtitit, in juſtificatione vero peccatoris in nihilum morale, in quo ſane ut plurimum magnam reperit obnitentiam, juxta illud Actuum de Saulo perſecutore, Act. 9. 5. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Et alia Scriptura ibid. cap. 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*.

SYNOPSIS ARTICULI.

Requiruntur diſpoſitiones ad juſtificationem.

PRIMO: Quia, teſte D. Jacobo cap. 2. fides ſine operibus mortua eſt: a fortiori & iſtis ſecluſis, juſtificatio.

Secundo: Ita docent SS. Patres. Ignatius Martyr. epiſt. ad Philip. Origenes in cap. 4. epiſt. ad Rom. ſubſcribit ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 6. cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11. ubi inter eas commemorat fidem, ſpem, timorem, charitatem. Et can. 15. ubi anathema in hoc negantes animadvertit.

Tertio: Ex D. Thoma hic 1. 2. quæſt. 113. art. 1. & 2. juſtificatio fit per motum averſionis a creatura, & converſionis ad Creatorem: ſed hoc fit deteſtando peccatum, relinquendo creaturam, & amando Deum. Ergo &c.

DISSERTATIO SEPTIMA

DE

SECUNDO EFFECTU GRATIÆ,

NEMPE DE MERITO BONORUM OPERUM.

DICTUM eſt ſupra hominem ſine gratia nullum poſſe operari bonum, ſaltem quod illi ad vitam æternam proſit; ex quo ſequitur opera ad ſalutem conducentia eſſe divinæ gratiæ effectus. Quæritur jam, an hujuſmodi opera ſint ad ſalutem neceſſaria, immo & vitæ æternæ meritoria?

Hanc etiam partem non ſine magna temeritate oppugnant Proteſtantes: Enim vero exiſtimant eo ſolum ſenſu eſſe neceſſaria bona opera, ut applicetur fides, & non imputentur peccata: ita Lutherus lib. de libert. Chriſt. & lib. de captiv. Babil. cap. de Bapt. tametſi ejus aſſeclæ in Confeſſione Auguſtana, tum & in apologia art. 2. concedant ea eſſe meritoria bonorum temporalium, minime tamen æternorum; immo ne quidem vult Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 15. 2. nominari meritoria. Igitur ad vitam æternam abſolute eſſe inutilia contendunt, ita ut independenter ab eis quiſque ſalvari queat. Sed contra illud Chriſti Luc. 13. *Niſi pænitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*. Et illud 2. Timot. 4. verſ. 8. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: non ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt adventum ejus*.

Dogma de merito bonorum operum, quatuor his momentis probatur.

PRIMO: Quia ſunt neceſſaria ad vitam æternam.

Secundo: Quia ſunt vitæ æternæ vere meritoria.

Tertio: Quia ea, quæ in charitate fiunt, merentur de condigno vitam æternam.

Quarto: Quia de congruo etiam merentur gratiam habitualem: & aliqualiter ipſam perſeverantiam ſi charitate formentur. Jam ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum bona opera, ſint ad ſalutem neceſſaria?

QUADRUPLEX opus diſtinguitur: alterum mortuum, & illud eſt quod bono quidem motivo fit, ſed mere naturali, unde dicitur mortuum, quia defectu fidei, non prodeſt ad vitam æternam: alterum mortiferum, & eſt peccatum mortale, quod animæ mortem infligit, in quantum eam ſeparat a ſummo bono, ſcilicet Deo: alterum mortificatum, & eſt opus in charitate quidem patratum, ſed cujus efficacia ad vitam æternam producendam ſuſpenditur propter peccatum mortale adveniens: Enim vero qui moritur in tali peccato, nihil recipit pro bonis operibus antea actis, quandoquidem nihil coninquinatum poteſt intrare in regnum cœlorum. Quartum eſt opus vivum, opus ſcilicet ex fide & charitate factum; charitas enim conjungit Deo, & ſic vitam elargitur animæ ſpiritualem. Quintum diſtinguimus, & eſt opus ſupernaturale, & quidem fide & virtute gratiæ actualis productum, ſed ſine charitate, ut

Digitized by Google

ut quando peccator eleemoſynam dat pauperi propter Deum tum ad redimenda peccata, tum ad ſatisfaciendum juſtitiæ divinæ. Quæſtio præſens movetur de opere ſupernaturali quodcumque ſit, id eſt, de opere per fidem & gratiam producto a peccatore, & de opere per charitatem facto qualia ſunt juſtorum opera: unde ſit

CONCLUSIO.

Bona opera ex motivo ſupernaturali facta ſunt ad ſalutem neceſſaria.

Probatio, ex Scriptura ſacra veteris Teſtamenti.

Ex libris Legalibus: Geneſeos 4. legitur, quod ſacrificium Abelis receptum ſit in odorem ſuavitatis a Domino, a quo & laudatus eſt, ſecus vero Caini, eo quod obtulerat viliora pecorum. Ibidem celebratur pietas Enos & Enoch. Noe invenit gratiam apud Dominum propter bona opera, quum omnis caro corruperat viam ſuam. Abraham benedicitur; eamdem propter rationem & Jacob. In Exodo multa bona opera præcipiuntur, ut immolatio Agni Paſchalis in memoriam beneficiorum Dei: In Levitico multa ſacrificia ad expianda peccata; In Deuteronomio cap. 6. verſ. 5. Magnum iſtud de amore Dei fit præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum;* quod quidem præceptum nequit perfecte adimpleri ſine bonis operibus, cum dilectio ſit plenitudo legis. Ergo &c.

Ex libris Hiſtorialibus: In libris Joſue & Judicum præclara expenduntur Judicum facinora, quibus viri illi perilluſtres victoriam a Deo obtinuere ſuper hoſtes Iſrael, quos ſignis, bonis operibus & portentis magis, quam armis devicere. In libro Ruth explanatur humilitas feminæ extraneæ, quæ etiam Meſſiæ venturi mater, poſt magnam generationum ſeriem, eſſe promeruit. Job patientia mirabilis, Tobias miſericordia illuſtris, Æſther fidelis, Judith fortiſſima, manſuetus David, ſapiens Salomon, Zeloſi Prophetæ, Machabæorum generoſe in Deum fiducia, cæterorumque juſtorum virtus miris effertur encomiis.

Ex libris Sapientialibus. In his quot ſententiæ tot oracula bonorum operum neceſſitatem proclamantia, ſicut & in libris Prophetalibus, qui repetitis vicibus prædicant erga Deum reverentiam, erga proximum charitatem, abnegationem ſui, & ſenſuum mortificationem.

Novi Teſtamenti oracula.

CHRISTUS Matth. 5. 17. confirmat veteris legis pro bonis operibus præcepta, his verbis: *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem aut Prophetas, non veni ſolvere, ſed adimplere*. Quænam ſit lex? habetur Iſaiæ 58. his verbis: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam*. Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & fletu, & planctu*. Unde Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu .... Beati mites, &c.* Bonis operibus mercedem ſupereffluentem & æternam promittit Chriſtus, nam cap. 28. ait: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi: Eſurivi, & dediſtis mihi manducare*. Marc. 8. habetur: *Si quis vult me ſequi, abneget ſemetipſum: & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Luc. 7. laudatur pœnitentia Magdelenæ his verbis: *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix: ut cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus, capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat .....* Et dixit Jeſus: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Joan. 15. verſ. 16. *Poſui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat:* Ergo &c.

Ex Epiſtolis: Rom. 8. habetur: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. 2. Cor. 4. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum, in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Coloſſ. 3. 5. *Mortificate membra veſtra*. Philipp. 2. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*. 1. Timoth. 2. *Mulier ſeducta in prævaricatione fuit; ſalvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate.* Tum Hebr. 10. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.*

Ex Epiſtolis Catholicis. Jacobi 1. verſ. 22. *Eſto-*

22. *Eſtote factores verbi, & non auditores tantum*. 2. Petri 1. 10. *Quapropter fratres magis ſatagite ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Et cap. 3. poſtquam deſcripſit terribilia judicii univerſalis ſigna, ſic concludit verſ. 11. *Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini*. 1. Joan. 1. 9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata noſtra*, ſcilicet Chriſtus. Et cap. 2. 4. *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt*. Tum in epiſtola beati Judæ verſ. 20. *Vos autem chariſſimi, ſuperædificantes voſmetipſos, ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes, voſmetipſos in dilectione Dei ſervate*. His adde correptionem Epiſcopi Epheſini qui a prima charitate exciderat; ſi enim increpat illum Deus Apoc. 2. 50. *Memor eſto unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo*: Ergo &c.

Ex mandatis bonorum operum repetitis: Chriſtus in Evangelio ſæpius jubet diligere Deum ex toto corde. Rom. 13. *Non adulterabis, non occides, &c.* & ſi quod eſt mandatum, &c. Epheſ. 6. *Honora patrem & matrem*, quod eſt mandatum primum in promiſſione. Jocobi 2. 8. *Si tamen legem perficitis regalem ſecundum Scripturas: diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Et verſ. 20. *Fides ſine operibus mortua eſt*.

Secunda probatio, ex Traditione.

INTER Patres, alii tractant de humil. alii de pœnitentia, alii de patientia, alii de jejunio & mortificatione, omnes de bonis operibus, propugnantes ea eſſe ad ſalutem neceſſaria; ſed ut ordine procedamus contra Hæreticos, juvat aliquorum loca celebriora afferre.

Dionyſius de cæleſti Hierarchia pag. 25. ex profeſſo docet Sanctos non debere Deum imitari falſæ gloriæ cultu & cauſa: unde ſic loquitur: " Quid circa ,, convenienter ſibi, neque ea quæ te- ,, mere bona & juſta videntur, ſed quæ ,, vere ſunt, amant. ,, Proſequitur probando pulchritudinem divinam virtutum operibus eſſe exprimendam.

Clemens Alex. lib. Strom. pag. 661. ſic ait: " Qui enim ſancta ſancte ſervant, ,, ſanctificabuntur, & qui ea didicerunt, ,, invenient reſponſionem, qui enim eſt ,, cognitione præditus, merito omnia ,, ſancte faciet, quæ ſunt facienda... nihil enim diligit Deus, niſi eum qui ,, cohabitat cum ſapientia. ,,

Juſtinus dial. cum Tryp. loquens de ſacrificiis & precibus Judæorum, probat eſſe bona opera: " Preces quidem, *ait*, ,, & gratiarum actiones bonorum perfectas ſolas eſſe, & Deo gratas hoſtias, ,, ego quoque concedo. ,,

Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes cap. 71. ſic habet: " Gloria autem & honor, om- ,, ni operanti bonum: dedit ergo Deus ,, bonum, quemadmodum & Apoſtolus ,, teſtificatur in eadem epiſtola, & qui ,, operantur quidem illud, gloriam & ,, honorem percipient, quoniam operati ,, ſunt bonum, cum poſſint non operari ,, illud. ,,

Tertullianus apolog. cap. 45. " Nos ergo ſoli innocentes. Quid mirum ſi ne- ,, ceſſe eſt? Enim vero neceſſe eſt, in- ,, nocentiam a Deo edocti, & perfecte ,, eam novimus, ut a perfecto Magiſtro ,, revelatam, & fideliter cuſtodimus, ut ab ,, incontemptibili diſpectore mandatam. ,,

Hilarius cap. 7. in Matt. " Salus gen- ,, tium omnis in fide eſt, & in præceptis ,, Domini vita eſt univerſorum. ,,

Gregorius Naz. orat. in S. Lavacrum ſic effatur: " Operans bonum ſuper hoc do- ,, ctrinarum fundamento, quoniam ſi fi- ,, des ſine operibus mortua eſt, quemad- ,, modum & opera ſine fide. ,,

Ambroſius in cap. 4. epiſt. ad Hebr. ſuper illa verba: *Feſtinemus ingredi in illam requiem*, ait: " Feſtinemus, quoniam non ,, ſufficit fides, ſed & debet addi & vi- ,, ta fidei condigna. Opus eſt quippe om- ,, ni volenti cœlum poſſidere, fidem ope- ,, ribus bonis ornare. ,,

Chryſoſtomus homil. 30. in Joan. ſic loquitur: " Non enim omnis qui dicit mi- ,, hi, Domine, Domine, intrabit in ,, regnum cœlorum ..... opus namque ,, nobis eſt, & vitæ & morum puritate ,, pollere.

Hieronymus in cap. 26. Iſaiæ explicans illa verba: *Murus & antemurale ponetur in ea*: " Murus, *inquit*, bonorum ope- ,, rum, & antemurale fidei, non enim

,, ſuffi-

„ ſufficit murum habere fidei, niſi ipſa
„ fides bonis operibus confirmetur. „

Auguſtinus lib. de grat. & liber. arbit. cap. 7. n. 17. ſic effatur: “ Homines autem non intelligentes, quod ait ipſe Apoſtolus, *arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, putaverunt eum dicere ſufficere homini fidem, etiamſi male vivat, & bona opera non habeat, quod abſit ut ſentiret vas electionis. „

Leo Magnus, ſerm. 7. de Incarn. “ Audiamus, *inquit*, Apoſtolum dicentem, *mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto Deo*. „ Tum de ſerm. 10. de Quadrag. quaſi ſic concludit: “ Sit ergo ſanctus Dei populus, ſit benignus: Sanctus ut declinet prohibita, benignus, ut faciat imperata. „

Gregorius Magnus lib. 4. Moralium cap. 20. ſic effatur: “ Hunc electis ſuis veritas dicit, vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: hinc Joſeph qui inter fratres uſque in finem juſtus perſeveraſſe deſcribitur, ſolus talarem tunicam habuiſſe perhibetur, nam quid eſt talaris tunica, niſi actio conſummata, quaſi enim protenſa tunica talum corporis operit, cum bona actio Dei oculos uſque ad vitæ terminum tegit .... bene igitur cœpta cunctis diebus agenda ſunt, ut cum malum pugnando repellitur, ipſa boni victoria conſtantiæ manu teneatur. „

S. Proſper in Pſ. 111. explicans illa verba Apoſtoli: *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim proprio metemus*, ait: “ Quid autem potentius hoc ſemine, cujus impendio comparatur regnum cœlorum. „

Fulgentius, lib. 2. de remiſſ. peccat. cap. 1. “ Vita, *inquit*, bona, non veraciter dicitur, quæ perverſæ credulitatis vitio depravatur: neque ſufficit ad ſalutem fidei rectæ credentis, ſi converſatio moribus atque operibus turbatur obſcœnis. „

Damaſcenus lib. 2. Pararell. cap. 18. ex profeſſo probat neceſſitatem bonorum operum; “ Retributio labiorum ejus, *ait*, dabitur ei, concedent fructus viæ ſuæ ..... qui facit bona, quærit gratiam, &c. „ Concinit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. 6. 7. 8. & ſequentibus.

Jam iſtud ſequitur argumentum. Ex Patribus, fides ſine operibus mortua eſt, per bona opera pulchritudinem Dei in nobis exprimimus, ipſa ſunt ad ſalutem neceſſaria: Igitur falluntur Hæretici dum ea eſſe inutilia prædicant.

Probatio ex rationibus Theologicis.

Prima ſic exponitur: Illa opera ſunt ad ſalutem neceſſaria, ſine quibus vita æterna non poteſt haberi. Atqui ſine bonis operibus non poteſt haberi vita æterna. Et probatur ex illo Evangelii oraculo: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*: & ex parabola Virginum fatuarum a ſponſo repulſarum, eo quod non haberent oleum in vaſibus ſuis, id eſt, bona opera, ſecundum Patrum interpretationes.

Secunda, Illa ſunt ad ſalutem neceſſaria, ſi eorum omiſſio ſevere a Deo puniatur: Atqui omiſſio bonorum operum graviſſime punitur, juxta illud Matt. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur*. Ergo &c.

Tertia: Opera bona ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſi vita æterna ea conditione promittatur: Atqui tali conditione promittitur, juxta illud Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Ergo &c.

Quarta: Bona opera ſunt neceſſaria ad beatitudinem poſſidendam, ſi detur ſolum facientibus bonum: Atqui datur ſolum facientibus bona opera, ut habetur Rom. 8. *Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Ibidem: *Cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur*. Tum 2. ad Tim. 2. *Si commortui ſumus, & convivemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus*.

Quinta: Opera bona ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſi per ea peccator Deo reconcilietur: Atqui per ea Deo peccator reconciliatur: Sic legitur Ezech. 18. *Si impius averterit ſe ab impietate ſua, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet*. Ergo &c.

Sexta: Opera bona ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſi ſint de præcepto: Atqui ſunt de præcepto, juxta illud Matt. 5. *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, et glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*. Ergo &c.

Sol-

Solvuntur objectiones Proteſtantium.

OBJICIUNT; Lex quæ multa continebat operum præcepta obligavit ſolum uſque ad Joannem; ſic enim habetur Matth. 11. *Omnes Prophetæ & lex uſque ad Joannem*: Igitur a Chriſto *inquiunt Hæretici*, bona opera non ſunt amplius de præcepto, adeoque ſunt inutilia, & ad ſummum ſola juſtificationis ſigna & argumenta.

Reſpondeo diſtinguendo: Lex cæremonialis & figurativa ſolum uſque ad Joannem & Chriſtum obligavit, concedo: lex præceptiva, ſeu mandata Dei continens, nego. Quandoquidem ipſe Chriſtus dixit, quod illam legem non venerit ſolvere, ſed adimplere, & iteratis mandatis confirmaverit. Senſus igitur eſt, quod lex figurativa & cæremonialis vetus, veniente veritate, ceſſaverit in Chriſto, qui eſt vita, veritas & via. Solutio eſt Apoſtoli Hebr. 7. his verbis: *Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat*. ibidem. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem, nihil ad perfectum adduxit Lex*.

Inſtant: Opera prohibentur, aut ſaltem rejiciuntur tamquam jugum inſoportabile, juxta illud Act. 15. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod nec nos, nec Patres noſtri portare potuimus: ſed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, credimus ſalvari, quemadmodum & illi*: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo anteced. Opera cæremonialia legis veteris ſunt inutilia, concedo: quia veniente veritate, ceſſavit figura: opera bona virtutum, & in Evangelio determinata atque confirmata, ut Decalogi præcepta, & virtutum omnium operationes atque exempla, nego. Judæi duplici laborabant errore: Primo quidem credebant opera legis cæremonialia obligare etiam Fideles ad fidem Chriſti converſos: Secundo, eadem eſſe ad juſtificationem diſpoſitiones. Primum quidem errorem confutat Apoſtolus Gal. 5. dicens: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*. Utrumque vero Conc. Apoſtolorum, his verbis: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, a ſanguine, ſuffocato, & fornicatione, &c.*

Inſiſtunt: Per Chriſtum liberi ſumus, juxta illud 2. Cor. 3. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas*. Et. 1. Tim. 1. *Juſto non eſt lex poſita, ſed injuſtis*: Igitur opera bona ſunt ad ſalutem inutilia; alias adhuc ſub ſervitute viveremus, magnum quippe jugum eſt, & naturæ durum opera pœnitentiæ patrare.

Reſpondeo diſtinguendo: Per Chriſtum liberi facti ſumus, a morte, a peccato, & a ſervitute Legis Moſaicæ, concedo: liberi facti ſumus a bonis operibus, nego: alias Chriſtus, quod abſit dicere, ſibi ipſi contradiceret, ſiquidem renovavit præcepta Decalogi, eaque confirmavit; immo & addidit conſilia. Senſus igitur Scripturæ eſt, quod Chriſtus nos liberavit a morte, quia ſolvit debitum, juxta illud Apoſtoli: *Convivificavit nos in Chriſto Jeſu*: A peccato vero, juxta illud Rom. 6. *Cum ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ, nunc autem liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam*. Tum a legis ſervitute, juxta illud ad Galat. 5. *State & nolite iterum jugo ſervitutis contineri: ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit*.

Urgent: Chriſtus non ſolum eſt Mediator, dum in cruce pendet, ſed & quotidie, quia ſempiternum habet Sacerdotium, teſte Apoſtolo: Sed in cruce ſufficienter ſatisfecit pro omnibus: Igitur & nunc quotidie applicat ſatisfactionem, adeoque bona opera ſunt inutilia.

Reſpondeo diſtinguendo: Chriſtus ſatisfacit, & applicat quotidie ſatisfactionem per bona opera quibus illi conjungimur, concedo: ſecus, nego. Solutio eſt Apoſtoli Coloſſ. 2. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea*.

Reponunt: Omnia opera noſtra nulla ſunt coram Deo, immo corrupta cenſentur: Ergo &c. Probatur: Pſal. 13. 3. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*. Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*. Tum 1. Joann. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus*. Ergo &c.

Reſpondeo negando anteced. Ad primam probationem diſtinguo: Non eſt qui faciat bonum, id eſt, pauci faciunt propter Deum unice, concedo: nullo modo faciunt, nego. Non-ne Martyres magnam habue-

Digitized by Google

bue*r*e charitatem, ſiquidem major non concipitur quam ſuam dare animam pro dilecto. Non ne Confeſſores multi, nonne Virgines adimplent nedum mandata, ſed & conſilia?

Ad ſecundam diſtinguo: Et loquitur Apoſtolus de motibus primo-primis concupiſcentiæ, quos etiam homo caſtus nollet, ſi poſſet, ſentire, concedo: & negat poſſibilitatem bonorum operum, nego. Ipſe alibi ad Fidelium ædificationem enarrat quod propter Chriſtum ter virgis cæſus ſit, &c.

Ad tertiam diſtinguo: Et S. Joannes ſolum demonſtrare contendit vel ipſorum Sanctorum vitam non eſſe ab omni peccato leviori immunem, concedo: unde Apoſtolus 1. Cor. 10. 12. ait: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. Et vult juſtos nulla bona opera poſſe facere, nego. Quid plura adjiciam? Chriſtus omnes hortatur ut incunctanter bonis vacent operibus. Ergo &c.

Replicant: S. Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 10. ſic loquitur: " Omnia mandata ,, facta deputantur, quando quidquid non ſit ignoſcitur. ,, Igitur non requiruntur bona opera ad legem adimplendam, ſed adimpleta cenſetur eo ipſo quo Deus condonat peccata & non imputat.

Reſpondeo diſtinguendo: Omnia mandata facta deputantur, quando quidquid non fit ignoſcitur, facta quoad ſubſtantiam, concedo: quoad perfectionem, ſubdiſtinguo: id eſt, homo non morietur, nec prævaricator cenſebitur offendendo in levioribus, quia peccata venialia non ſunt contra legem, ſed præter, concedo: id eſt, cenſetur adimplere perfectiſſime, nego. Vult ſolum S. Aug. peccata venialia ignorantiæ & levitatis, quorum ſæpe numerus ignoratur, non conſtituere hominem prævaricatorem & damnabilem, ſi veniam petat, dicendo cum Propheta Pſ. 18. *Ab occultis meis munda me*: *& ab alienis parce ſervo tuo*; quia tunc ignoſcitur quidquid non factum eſt propter Deum,

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Bona opera ſunt ad ſalutem neceſſaria.

PRIMO: Paſſim hoc aſtruit Scriptura Matt. 5. *Beati pauperes ſpiritu*, *&c.* Marc. 8. *Si quis vult me ſequi*, *deneget ſemetipſum*, *& tollat crucem ſuam*.

Secundo: Concinunt Patres. Irenæus lib. 4. cap. 71. Chryſ. homil. 3. in Joan. Auguſtinus lib. de gratia & liber. arbitr. cap. 7. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. 6. 7. & ſequentibus.

Tertio: Ratio ſuffragatur. Bona opera ſunt de præcepto: ea in Evangelio paſſim commendat Chriſtus: Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Opera noſtra etiam bona parum ſunt coram Deo, ſed meritis Chriſti elevata, Deo accepta & grata ſunt.

Secundo: Ultro concedimus Chriſtum ſufficienter, immo & abundanter paſſione ſua pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe; ſed exigit ut bonis operibus ipſius merita nobis applicentur.

Tertio: S. Joannes aſſerit quidem vel ipſos juſtos, in multis offendere, ſed non dicit ſemper peccare; hinc dilectionem incunctanter commendat, ut bonis abundemus operibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum bona opera ſint meritoria?

MERITUM ſumitur tripliciter: I. latiſſime ſcilicet pro aliqua perfectione; hinc tritum illud axioma, quando alicuius exprimere volumus excellentiam, dicere ſolemus: *Eminet meritis*. II. Minus late, pro debito ſolvendo alicui, puta pœna ſi deliquerit, vel præmio ſi bene egerit. III. Strictiſſime pro mercede bonorum operum. Primo modo meritum eſt in Chriſto propter eminentem ſuam excellentiam; unde de illo dicitur Apoc. 5. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere.. honorem*. In ſecundo ſenſu meritum eſt etiam

in reprobis, quia digni ſunt pœna æterna; unde Apoc. 18. habetur: *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. De tertio jam agimus. Ad illud plures requiruntur conditiones. Ex parte quidem Dei, requiritur gratia actualis, quia meremur ſolum per actiones ſupernaturales: tum & habitualis, namque debet eſſe amicitia inter Deum coronas retribuentem, & accipientem: item promiſſio divina, quandoquidem Deus nihil nobis debet: Et vero titulo creationis & redemptionis, jus habet & dominium plenum in noſtras actiones; ex parte hominis exigitur ſtatus viæ, in termino enim juſtus eſt in bono confirmatus, nec aliter poteſt facere.

Negant Proteſtantes bona opera eſſe meritoria: Contra quos ſit

CONCLUSIO.

Opera bona ſupernaturalia ſunt meritoria.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura ſacra.

Ex *veteri Teſtamento*. Gen. 15. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*. II. Paral. 15. *Vos ergo confortamini, erit enim merces operi veſtro*. Prov. 11. *Seminanti juſtitiam merces fidelis*. Sap. 5. *Juſti autem in perpetuum vivent: & apud Dominum eſt merces eorum*. Eccliſ. 18. *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum*. Iſaiæ 40. *Ecce Dominus veniet, & merces ejus cum eo*.

Ex his iſtud ſequitur argumentum: Per meritum intelligimus jus ad mercedem in opere bono fundatum, & a Deo promiſſum: Atqui ex Scriptura merces magna nimis promittitur, & datur bonis operibus: Ergo &c.

Ex novo Teſtamento: Matth. 5. *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Et cap. 16. *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis: & tunc reddet unicuique ſecundum opera ſua*. Idem dicit Apoſtolus Rom. 2. Tum 1. Cor. 3. his verbis: *Unusquiſque mercedem recipiet ſecundum ſuum laborem*, & Apoc. ultimo: *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua*.

Jam ſic argumentor. Deus ex Scripturis reddet unicuique ſecundum opera ſua; flagella, flagitioſis; conſolationes vero, & divitias æternas bene operantibus: Igitur opera bona ſunt meritoria.

Secundo, ex Conciliis.

ARAUSICANUM II. cap. 18. ſic loquitur: " Debetur merces bonis operibus ſi
„ fiant; ſed gratia quæ non debetur præ-
„ cedit ut fiant. „

Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. *firmiter*, ſic habet. "Non ſolum virgines & con-
„ tinentes, verum etiam conjugatæ per
„ rectam fidem, & operationem bonam
„ placentes Deo, ad æternam merentur
„ beatitudinem pervenire. „

Florentinum, in decreto de Purgatorio docet animas, quæ nihil expiandum habent, mox in cœlum recipi, & habere gloriam ſecundum meritorum diverſitatem.

Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. hanc ex profeſſo tractat & definit materiam, his verbis: " Hac igitur ratione juſtificatis
„ hominibus, ſive acceptam gratiam per-
„ petuo conſervaverint, ſive amiſſam
„ recuperaverint, proponenda ſunt Apo-
„ ſtoli verba: Abundate in omni opere
„ bono, ſcientes quod labor veſter non
„ eſt inanis in Domino. Non enim inju-
„ ſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis ve-
„ ſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in
„ nomine ipſius, & nolite amittere confi-
„ dentiam veſtram quæ magnam habet
„ remunerationem: atque ideo bene ope-
„ rantibus uſque in finem, & in Deo ſpe-
„ rantibus proponenda eſt vita æterna,
„ & tamquam finis, & tamquam gratia
„ filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſeri-
„ corditer promiſſa, & tamquam mer-
„ ces ex ipſius Dei promiſſione, bonis
„ ipſorum operibus, & meritis fideliter
„ reddenda. „

Idem can. 26. *Si quis dixerit juſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & ſperare æternam retributionem a Deo, per ejus miſericordiam, & Jeſu Chriſti meritum, ſi bene agendo, & divina mandata cuſtodiendo, uſque in finem perſeveraverint; anathema ſit*. Et adhuc expreſſius can. 32. quæſtionem de fide ſic definit: *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera, ita eſſe dona*

Dei,

Dei, *ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita*, *aut ipſum juſtificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam*, & *Jeſu Chriſti meritum*, *cujus vivum membrum eſt*, *fiunt*, *non vere mereri augmentum gratiæ*, *vitam æternam*, & *ipſius vitæ æternæ*, *ſi tamen in gratia deceſſerit*, *conſecutionem*, *atque etiam gloriæ augmentum*; *anathema ſit*.

Tertio, *ex SS. Patribus*,

Ex Græcis, S. Ignatius epiſt. ad Rom. ſic loquitur: " Sinite me ut beſtiarum ,, eſca ſim, per quam poſſim Deum promereri. ,,

Juſtinus, Apolog. 2. ait: " Homines ,, qui dignos ſe Dei voluntate & conſillo, & operibus præſtiterint, cum eo ,, victores eſſe meritis ſuis ſumpſimus, ,, ac regnaturos. ,,

Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes cap. 72. " Pretioſam, *inquit*, arbitremur coro" nam, videlicet quæ per agonem no" bis acquiritur, ſed non ultro coalitam. ,, Et quanto per agonem nobis advenit, ,, tanto eſt pretioſior. ,,

Origenes lib. 2. in epiſt. ad Rom. explicans caput ſecundum ſic effatur: " Ædi,, ficentur fideles, ne putent hoc ſolum ,, ſufficere quod credunt, ſed ſciant ju,, ſtum judicium Dei unicuique reddere ,, ſecundum opera ſua. ,,

Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 24. " Homo ex operibus juſtitiæ ſalva,, tur. ,,

Chryſoſtomus Hom. 4. de Lazaro: " Si ,, juſtus eſt Deus, & his, & illis red,, det pro meritis. ,,

Gregorius Naz. orat. ſanct. Bapt. " ,, Crede, *inquit*, reſurrectionem, judi,, cium, mercedem, ad juſtam Dei lan,, cem exigendam. ,,

Gregorius Nyſſ. orat. 1. de amandis pauperibus, " Pro ſuis quemque meritis or,, natum cerno, illis, qui boni, benigni,, que fuerint, ſumma & perpetua quies ,, tribuitur in regno cæleſti, inhumanis ,, autem & improbis ſupplicium ignis, ,, idque ſempiternum.

Ex Patribus Græcis, Martyr promeretur videre Deum; promerentur ſimiliter & illi qui Dei faciunt voluntatem, & unicuique reddet Deus ſecundum opera: Ergo &c.

Ex Patribus Latinis, Tertullianus lib. de reſurr. carnis, explicans caput 15. epiſt. 1. ad Cor. ait: " Ordo meritorum, diſ,, poſitorum nomine diſponetur. Meri,, ta autem cum corpori quoque adſcri,, bantur, ordo quoque corporum diſpo,, natur neceſſe eſt, ut poſſit eſſe meri,, torum. ,,

S. Cyprianus lib. de ſimpl. Prælat. poſt medium: " Juſtitia, *ait*, opus eſt, ut ,, promereri quis poſſit Deum: præce,, ptis ejus & monitis obtemperandum eſt ,, ut accipiant merita noſtra mercedem. ,,

S. Hylarius cap. 5. in Matth. Regnum ,, Dei, vitæ noſtræ ſtipendiis quæramus; ,, & hæc recte, perfecteque viventium ,, merces eſt. ,,

Concinit Ambroſius lib. 1. de officiis cap. 15. " Non ne evidens eſt merito,, rum, aut præmia, aut ſupplicia poſt ,, mortem manere. ,,

S. Hieronymus, lib. 2. contra Jovinianum verſus finem, ſuum utique addit calculum his verbis: Jam noſtri laboris eſt ,, pro diverſitate virtutum, diverſa no,, bis præmia præparare. ,,

Aſtipulatur S. Paulinus in epiſt. ad Victricium: " Tuarum, *inquit*, tibi præ,, mia ſe debere virtutum judex juſtus ,, agnoſcet &c. ,,

S. Auguſtinus epiſt. 105. ad Xiſtum: " ,, Nulla ne ſunt merita juſtorum? Sunt, ,, plane, quia juſti ſunt, ſed ut juſti fie,, rent, merita non fuerunt. ,,

Non omittendus S. Proſper, qui in reſp. ad caput 6. Gallorum, ait: " Ju,, ſtificatus homo, id eſt, ex impio pius, ,, factus, nullo præcedente bono merito ,, accipit donum, quo medio acquirat & ,, meritum. ,,

Cæleſtinus ſimilia loquitur in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 12. " Tanta erga ,, omnes homines eſt bonitas Dei, ut ,, noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſi,, us dona: atque pro his quæ largitus ,, eſt, æterna præmia ſit donaturus. ,,

S. Gregorius, lib. 2. moral. cap. 42. " ,, Quia in hac vita nobis eſt diſcretio ,, operum, erit in illa procul-dubio diſ,, cretio dignitatum, ut quo hic alius ,, alium merito ſuperat, illic alius alium ,, retributione tranſcendat. ,,

D. Bernardus ſerm. 68. in cant. ſic effatur: " Merita habere cures, habita ,, data noveris. ,, Tum ſerm. 81. in cant.

" Omne quod feceris bonum, malumve, „ quod quidem non facere liberum ſit, „ merito ad meritum deputatur. „ Ita cæteri Patres.

Doctor Angelicus agmen claudet: Hic 1. 2. q. 114. art. 3. in arg. ſed contr. noſtram ſic probat concluſionem: " Id quod „ redditur ſecundum juſtum judicium, videtur eſſe merces condigna: Sed vita æterna „ redditur a Deo ſecundum judicium juſtitiæ „ ſecundum illud 2. ad Tim. 4. in reliquo „ repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam „ reddet mihi Dominus in illa die juſtus „ judex. Ergo homo meretur vitam æternam ex condigno. „ Tum in corp. art. diſtinguit duplicis generis opus, videlicet unum quod ex innatis liberi arbitrii viribus emanat: alterum quod ab eodem Spiritus ſancti gratia adjuto profluit. Primum opus dicit vitam æternam non mereri, de poſteriori vero hæc ſubdit. " Si „ autem loquamur de opere meritorio, ſecundum quod procedit ex gratia Spiritus „ ſancti, ſic eſt meritorium vitæ æternæ „ ex condigno. Sic enim valor meriti attenditur ſecundum virtutem Spiritus „ ſancti moventis nos in vitam æternam, „ ſecundum illud Joan. 4. fiet in eo fons „ aquæ ſalientis in vitam æternam. Attenditur etiam pretium operis ſecundum dignitatem gratiæ, per quam homo conſors factus divinæ naturæ, adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipſo jure adoptionis, ſecundum „ illud Rom. 8. ſi filii, & hæredes. „ Unde ſic argumentor, ubi eſt merces annexa operibus tamquam præmium, ibi eſt diſtribuito ſecundum opera major, vel minor, ac dignitatum diſcretio ubi eſt verum meritum: Atqui opera ſic ſunt a Deo compenſanda. Ergo &c.

Quarto, rationibus Theologicis.

PRIMA: Si vita æterna detur tamquam merces & præmium, datur ſecundum merita: Atqui ſic datur in cœlis, juxta illud Matth. 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Ergo &c.

Secunda: Quando aliquod præmium diſtribuitur ſecundum operum menſuram, tunc datur ex meritis: Atqui ſic datur vita æterna, juxta illud Pſal. 65. *Reddet unicuique ſecundum opera ſua.* Et iſtud Joan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt .... qui autem diligit me, diligetur a Patre meo .... & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Tertia: Bona opera ſunt cauſa vitæ æternæ; ſic enim habetur Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab origine mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* Ergo ex meritis vita æterna confertur.

Quarta: Quod datur ex juſtitia diſtributiva, ſecundum merita datur: Atqui vita æterna ſic datur bonis operibus, Apoſtolo dicente, 2. Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex, non ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt adventum ejus.* Rurſus Luc. 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua;* Tum Apoc. 3. *ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Ergo &c.

Quinta: Opus ſupernaturale propter Deum factum habet omnes conditiones requiſitas ut ſit meritorium; Siquidem eſt pactum Dei & promiſſio pro retributione, item eſt opus viatoris, & a gratia procedens: Ergo &c.

Sexta: Deus provocat homines ad bona opera per promiſſionem præmii majoris, vel minoris ſecundum quod plura, vel minora opera facient; vel ipſe Chriſtus parabola ſervorum pro Domino laborantium Luc. 19. hoc explicat his verbis: *Euge bone ſerve .... eris poteſtatem habens ſuper decem civitates .... & huic ait: Et tu eſto ſuper quinque civitates.* Ergo &c.

Septima: Corona datur ex juſtitia bene certantibus, ut habetur 1. Joan. 5. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Et Apoc. 2. 4: *Vincenti dabo manna abſconditum ... & nomen novum.* Ergo &c.

Fit ſatis objectionibus Proteſtantium ex Scriptura depromptis.

OBJICIUNT illud Pſal. 102. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Igitur corona non datur ex meritis, ſed ex miſericordia.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Corona datur ex miſericordia, quia illà debet præcedere dando gratiam, ut impius juſtificetur, & poſtea illam juſtus mereatur, concedo: immediate, nego. Datur enim ex juſtitia, teſte Apoſtolo citato,

to, ita Aug. lib. de correp. & grat. cap. 13.

Inſtant: Iſaiæ 55. habetur: *Emite ſine argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac*. Igitur vita æterna per hæc figurata non datur meritis; unde Luc. 19. habetur: *Cum feceritis hæc omnia, dicite, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus*.

Reſpondeo negando conſequentiam. Primus locus intelligitur de bonis temporalibus, ſcilicet de terra promiſſionis, quam Deus dedit gratuito Judæis; ſed dato quod intelligatur de vita æterna, diſtinguo: emite abſque argento, id eſt, ut ipſe ſolvit Apoſtolus, *momentaneum & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur*: Siquidem præmium ſuperat laborem quandoquidem eſt æternum, concedo; non datur meritis, nego.

Ad ſecundum ſimiliter diſtinguo: Servi inutiles ſumus, quia Deus bonorum noſtrorum non eget, & opera noſtra poteſt exigere titulo creationis & redemptionis, concedo: id eſt, non ſunt meritoria, nego. Solutio eſt Ambroſii lib. 8. in Luc. ubi dicit: " Agnoſcenda gratia, ſed ,, non ignoranda natura. ,, Quibus verbis, oſtendit in omnibus operibus gloriam dandam eſſe Deo, qui coronat opera ſua, dum coronat merita noſtra.

Urgent: Rom. 6. habetur: *Stipendium peccati mors: gratia Dei vita æterna*: Igitur vita æterna eſt gratia, & non ſtipendium. Unde Rom. 8. habetur: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis*; id eſt, non merentur vitam æternam. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Vita æterna eſt gratia in radice, concedo: quia gratia debet præcedere, ut habeamus meritum. Eſt pura gratia, & non ſtipendium ac merces, nego. Hoc ipſum patet ex ſcripturis ſupra allatis.

Ad prob. hæretici ſenſum Scripturæ depravant; ſenſus enim Apoſtoli non eſt quod paſſiones pro Chriſto non ſint meritoriæ, ſed quod leves ſint comparative ad præmium, quandoquidem tranſeunt, & ſunt momentaneæ, præmium vero erit æternum.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

OPPONUNT: S. Hilarius in Pſal. 51. ſic habet: " Non enim illa ipſa juſtitiæ ,, opera ſufficerent, ad perfectæ beatitu- ,, dinis meritum, niſi miſericordia Dei, et- ,, iam in hac juſtitiæ voluntate humana- ,, rum demutationum & motuum, non re- ,, putet vitia. ,, Igitur opera non ſunt meritoria, ſiquidem ut ſubdit Hilarius: " Et ,, ſpes in miſericordia Dei in ſæculum ,, ſæculi. ,,

Confirmatur ex illo Baſilii in Pſal. 14. *Manet ſempiterna requies illis, qui in hac vita legitime certaverunt; non ob eorum merita factorum, ſed de munificentiſſimi Dei gratia, in qua ſperarunt*. Ergo &c.

Reſpondeo negando conſequentiam: Hilarius enim vult ſolum præter merita miſericordiam inſuper requiri, non ſolum quia dat gratiam ut ſint merita, verum etiam quia condonat multa venialia, quæ quidem ſolutio apparet in S. Doctoris verbis: " Niſi miſericordia Dei etiam ,, in hac juſtitiæ voluntate humanarum ,, demutationum & motuum non reputet ,, vitia. ,,

Ad Baſilium diſtinguo: Non manet requies ob merita viribus naturæ facta, concedo: viribus gratiæ, nego. Et hoc ſolum vult, ut declarant ſubſequentia verba: *Sed de munificentiſſimi Dei gratia in qua ſperarunt*.

Contra: S. Auguſtinus ſerm. 2. in Pſal. 70. ait: " Sua dona coronabit *Deus* non ,, merita tua. ,, Tum alibi: " Maluit, ,, *ait*, dicere gratia Dei vita æterna, ut ,, intelligeremus, non pro meritis noſtris, ,, Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ,, ſua miſeratione perducere. ,,

Reſpondeo diſtinguendo: Et S. præſul vult ſolum vitam æternam non dari meritis naturæ, ut Pelagiani contendebant, contra quos decertat & loquitur, concedo: ſecus, nego. Auguſtinus eſt ſui ipſius interpres epiſt. 105. ad Sixtum: " Quid ,, enim habes, *inquit*, quod non accepi- ,, ſti? Quapropter, o homo, ſi accepturus es vitam æternam; juſtitiæ quidem ,, ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt, cui ,, gratia eſt ipſa juſtitia. Tibi enim tamquam debita redderetur, ſi ex te tibi ,, eſſet juſtitia cui debetur. ,, Et lib. de grat. & libero arbit. cap. 6. " Dona ſua ,, coronat Deus, non merita tua, ſi tibi ,, a te ipſo, non ab illo ſunt merita ,, tua. Et cap. 8. " Quid eſt hoc, quod ,, cum Dei gratiam commendans, dixiſſet, ,, non ex operibus, ne forte quis extolla-

„ tur, cui hoc dixerit; rationem red- „ dens, ipſius enim ſumus, *inquit* fig- „ mentum, creati in Chriſto Jeſu in operi- „ bus bonis, quomodo ergo non ex ope- „ ribus? ne forte quis extollatur, ſed „ audi & intellige; non ex operibus di- „ ctum, tamquam his, in quibus te Deus „ finxit, id eſt formavit & creavit. „

Rurſus cap. 8. omnem tollit ambigendi locum, his verbis: “ Illa nimirum gratia „ boni operis cui datur, tantummodo gra- „ tia eſt: Hæc autem, id eſt vita eterna, „ quæ illi datur, quoniam præmium eſt, „ gratia eſt pro gratia, tamquam merces „ pro juſtitia, ut verum ſit, quoniam ve- „ rum eſt, quia reddet unicuique Deus ſe- „ cundum opera ejus. „

Inſiſtunt: S. Proſper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 17. ait, Dominum æqualiter compenſaſſe eos qui tarde venerunt ad vineam excolendam, ſicut eos qui mane venerant, qua ſententia oſtendit Deum non ad merita pro præmio, ſed ſolum ad ſuam bonitatem attendere: Igitur opera juſti non ſunt meritoria: “ Non laboris pretium „ ſolvens, ſed divitias bonitatis ſuæ in „ eos, quos ſine operibus eligit, effun- „ dens: ut etiam hi qui in multo labore „ ſudarunt, nec amplius quam noviſſimi „ acceperant, intelligant, donum ſe gra- „ tiæ, non operum accepiſſe merce- „ dem. „

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Opera viribus naturæ facta, nihil gloriæ æternæ promerentur, concedo: viribus gratiæ, nego. Alias ſibi contradiceret S. Doctor, ſiquidem dicit laborantes accipere præmium & mercedem; eamdem quidem ſpecifice, ut unus non glorietur ſuper alterum, ſed omnes ex munere gratiæ: ſic enim ibidem ſe explicat, dicendo, bona merita ſequi in homine poſt adeptam gratiam, non autem præcedere. Eodem modo explicatur Gregorius qnum lib. 9. moral. cap. 14. ſic loquitur: “ „ Si opus virtutis exercuere ad vitam, „ non ex meritis, ſed ex venia convaleſco. „

Inſiſtunt: S. Bernardus ſerm. 1. de annunt. ſic habet: “ Neque talia ſunt ho- „ minum merita, ut propterea vita æter- „ na debeatur ex jure, aut Deus injuriam „ aliquam faceret, niſi eam donaret „: Sed quod non datur ex jure minime debetur. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Vita æterna non debetur meritis ex jure rigoroſo, concedo: fundantur enim in gratia Dei, & ipſius pacto; ſiquidem ſuo cedit juri Deus opera compenſando, quæ multis illi debentur titulis: Nam debentur abſolute ex jure, nego. Suppoſitis enim conditionibus requiſitis, libertate ſcilicet in viatore, gratia ſanctificante & promiſſione Dei, opera bona jus habent ad gloriam. Sic propugnat divus Thomas hic q. 114. art. 1. 2. 3. & ſequentibus, ubi ex profeſſo docet concluſionem.

Proponuntur objectiones ex ratione, & diluuntur.

OBJICIUNT: Homo non dicitur mereri ſolvendo quod debet: Sed omnia opera bona debentur Deo: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Si non ſit promiſſio & voluntatis propriæ uſus, concedo: ſecus, nego. Ita D. Thomas hic art. 1. ad 1. his verbis: “ Dicendum, „ quod homo in quantum propria voluntate „ facit illud quod debet, meretur; alio- „ quin actus juſtitiæ quo quis reddit debi- „ tum, non eſſet meritorius.

Urgent: Juſtus bene agendo ſibi prodeſt non Deo, juxta illud Job. 35. *Si juſte egerit, quid donabit ei, aut quid de manu tua accipiet.* Igitur homo non meretur per bona opera.

Reſpondeo diſtinguendo: Juſtus per bona opera nihil acquirit Deo quoad gloriam eſſentialem, concedo: quoad accidentalem, nego. Solutio eſt divi Thomæ, ibidem ad 2. his verbis: “ Dicendum, quod „ Deus ex bonis noſtris non quærit uti- „ litatem ſed gloriam; id eſt manifeſta- „ tionem ſuæ bonitatis .... & ideo me- „ remur aliquid a Deo, non quaſi ex no- „ ſtris operibus aliquid ei accreſcat, ſed „ in quantum propter ejus gloriam ope- „ ramur. „

Inſtant: Quicumque apud aliquem aliquid meretur, conſtituit eum ſibi debitorem: Sed abſurdum eſt dicere hominem conſtituere Deum ſibi debitorem. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Si meretur ſolum propriis bonis, & non ſint alias debitis, conſtituit debitorem illum apud quem meretur, concedo: ſecus, nego. Et conceſſa minore diſtinguo con-

ſe-

ſequens: non meretur homo merito rigoroſo, concedo; merito fundato in gratia Dei, nego. Ita D. Thomas ibidem ad 3. his verbis: " Dicendum, *ait*, quod quia " actio noſtra non habet rationem meriti, niſi ex præſuppoſitione divinæ ordinationis, non ſequitur quod Deus efficiatur ſimpliciter debitor nobis: ſed ſibi ipſi in quantum debitum eſt, ut ſua ordinatio impleatur. "

Contra: Non eſt proportio inter opus bonum & vitam æternam: Igitur nec in juſto reſpectu illius meritum: Probatur. Ant. Bonum opus licet ſupernaturale, eſt tamen finiti valoris bonum; vita vero æterna eſt bonum infinitum, ſiquidem eſt Deus ipſe poſſeſſus. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Non eſt proportio entitativa, concedo: hoc ſolum probat argumentum: Non eſt proportio habitudinis, nego. Suppoſito enim Dei pacto, bonum opus ordinatur ad Deum, ut ad ultimum finem, cui conjungit animam, & quidem ex juſtitia, quia fundatur in charitate gratia ſanctificante, qua homo eſt Dei filius, ſi autem filius, & heres, ait, Apoſtolus, Gal. 4.

Ad probationem diſtinguo: Deus eſt bonum infinitum, ſed finite & ſecundum creaturæ capacitatem poſſeſſum, concedo: ſecus, nego. Ceterum bonum opus in meritis Chriſti fundatur, quæ quidem ſunt infiniti valoris, unde ab ipſis quamdam habet infinitatem opus creaturæ: in quantum applicantur ei merita Salvatoris & ſuper illud reflectuntur, quocirca omnem ſortitur proportionem ſufficientem ad merendum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Opera in charitate propter Deum, facta ſunt meritoria.

PRIMO: Sic habetur Gen. 15. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*: Similia habetur Apoc. ultimo. Tum Matth. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

Secundo: Sic definivit Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. Concinit Ignatius epiſt. ad Rom. Greg. Naz. orat. ad ſacrum lavacrum. Ambroſius lib. 1. de effic. cap. 15. Auguſt. epiſt. 105. &c.

Tertio: Ratio ſuffragatur. Quod datur ſecundum juſtum judicium eſt meritorium: Sed vita æterna datur juſtis ſecundum juſtum judicium, juxta illud 2. ad Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ quam reddet mihi in illa die juſtus judex*. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Verum eſt Scripturam ſacram & Patres ſæpius dicere vitam æternam tribui ſecundum miſericordiam, & merito, quia unde incipit Meritum, eſt ipſa gratia.

Secundo: Nonnumquam S. Auguſtinus aſſerit vel ipſis non dari meritis, ſed loquitur de confictis naturæ meritis a Pelagianis incaſſum laudatis.

Tertio: Neque dicimus dari proportionem entitativam inter opus bonum, & vitam æternam, bene tamen habitudinis in gratia ſanctificante fundatam. Cæterum vita æterna eſt præmium in ſe finitum, quocirca non implicat eam dari propter opera meritoria.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum juſtus mereatur de condigno vitam æternam, per actum dilectionis Dei?

MERITUM duplex diſtinguitur, alterum de condigno, alterum de congruo: meritum de condigno illud eſt quod procedit ab opere in charitate & per charitatem facto, habente ex ſe & directe omnem cum præmio commenſurationem; idque ex juſtitia fundata in præmiantis pacto, in amicitia hominis ad Deum, ejuſque filiatione adoptiva, qua homo fit filius dilectus, in quo ſibi complacet Deus, juxta illud Prov. 8. *Delitiæ meæ eſſe cum Filiis hominum*. Meritum vero de congruo illud cenſetur, quod procedit ab opere quidem ſupernaturali, ſed cui præmium debetur ſolum ex quadam convenientia, congruitate & decentia.

Certum eſt charitatem requiri ad meritum de condigno, juxta illud 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes*

Digitized by Google

tranſferam, *charitatem autem non habeam*, *nihil ſum*.

Certum eſt etiam non dari juſtitiam commutativam hominis ad Deum: hæc enim fundatur in dato & accepto: Propheta Pſal. 15. ſic Deum alloquitur: *Bonorum meorum non eges*; & Apoſtolus Rom. 11. *Quis prior dedit illi*, *& retribuetur*; Tum quia juſtitia commutativa dicit mutuam & reciprocam in dante & accipiente dependentiam: Sic in humanis qui dat triticum, pro tritico accipit pecuniam. Igitur datur ſolum juſtitia diſtributiva inter Deum & juſtum, & hoc ſine juris divini læſione, quia eſt ſolum juſtitia proportionis cum labore & præmio: quam quidem ſervat Dominus reddendo unicuique juxta opera ſua.

Quæſtio igitur præſens movetur de condignitate fundata in juſtitia diſtributiva; & quæritur an opus juſti in charitate factum, vel immediate & elicitive, ut ipſa Dei dilectio ſuper omnia, vel mediate & imperative a charitate procedens, ut eleemoſyna data propter Deum ſumme dilectum, mereatur de condigno vitam æternam?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Opus juſti virtute charitatis factum promeretur de condigno vitam æternam.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura ſacra*.

2. AD *Tim.* 4. habetur *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, *quam reddet mihi in illa die juſtus Judex*, *non ſolum autem mihi*, *ſed & his qui diligunt adventum ejus*. Jacobi 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*, *quoniam cum probatus fuerit*, *accipiet coronam vitæ*, *quam repromiſit Deus diligentibus ſe*. Rurſus Theſſ. 1. *Ut digni habeamini regno Dei*.

Ex his ſic probatur aſſertio. Meritum de condigno illud eſt quod in juſtitia fundatur; propter quod datur præmium & corona, quodque laborantem mercede dignum reddit: Atqui tale eſt opus juſti motivo charitatis factum reſpectu vitæ æternæ; ſiquidem ex Apoſtolo, debetur ex juſtitia corona æterna, iſta vero ex S. Jacobo retribuitur juſto propter ejuſmodi opus, & teſte Paulo, dignus eſt ipſo regno Dei, ille qui ſic propter Deum vivit & operatur. Igitur opus juſti meretur de condigno vitam æternam.

Secundo: Ex SS. Patribus. S. Cyprianus ſerm. de eleemoſyna dicit de eo qui bene operatur: " Deum computat debi„ torem. „ Baſilius orat. ad divites, ſic loquitur: " Opera oſtende, & exige re„ tributionem. „

Ambroſius ſerm. 7. in Pſal. 118. explicans iſta verba, *memor eſto verbi tui*, ait: " Deus vult etiam conveniri, ut ſi quis „ propoſita ſecurius virtutibus præmia be„ ne certaverit, fructum remunerationis „ expectet, quin etiam exigat. „

Chryſoſtomus hom. 3. in Matth. " Ut ſe „ Deus tibi debitorem fateatur, non ſo„ lum pro operibus, ſed etiam pro hac „ gratia humilique ſententia &c. „

S. Auguſtinus in Pſal. 83. explanans iſta Prophetæ verba, *miſericordiam & veritatem diligit Dominus*, ait: „ Ecce vi„ demus, quia tenet eum Paulus debito„ rem. „

D. Thomas hic quæſt. 114. art. 3. probat ex profeſſo concluſionem, his verbis: " Si autem loquamur de opere meritorio, „ ſecundum quod procedit ex gratia Spiri„ tus ſancti; ſic eſt meritorium vitæ „ æternæ ex condigno &c. „

Ex Patribus, juſtus conſtituit ſibi Deum debitorem illum diligendo, & jus habet repetendi retributionem ex D. Thoma, quia eſt filius. Ergo &c.

Tertio ratione: Ubi eſt proportio ſufficiens inter opus & præmia propoſitum, ibi eſt meritum de condigno: atqui inter actum amoris Dei, a viatore eliciti, & vitam æternam, eſt proportio ſufficiens: Igitur juſtus meretur de condigno vitam æternam per actum dilectionis. Major patet, dignitas enim attenditur ſecundum proportionem inter actum juſti & præmium.

Probatur minor multis momentis.

PRIMO: Vita æterna eſt gratia pro gratia, ut habetur Joan. 1. id eſt; inquit Bellarminus hic lib. 5. de juſtific. cap. 17. gratia mercedis pro gratia meritorum, ſive charitas patriæ pro charitate viæ, ut dicit Auguſtinus epiſt. 105. & in lib. de grat. & libero arbitr. cap. 9. atqui inter

ter gratiam & gratiam eſt æqualis proportio . Ergo &c.

Secundo : Vita æterna eſt flumen lætificans civitatem Dei ex Pſal. 45. gratia vero producens Actum eſt fons aquæ ſalientis in vitam æternam , ut habetur Joan. 4. atqui reperitur proportio inter fontem & flumen ; ſiquidem fons virtute flumen præcontinet , ejuſque aquæ aſcendunt & deſcendunt ſicut aquæ fluminum . Ergo &c.

Tertio : Gratia eſt ſemen gloriæ , juxta illud 1. Joan. 3. *Semen Dei manet in eo* . Atqui ſemen licet non ſit æquale rei cujus eſt ſemen , quoad molem ; eſt tamen æquale quoad virtutem , quod maxime de gratia dicitur , quia eſt a Spiritu ſancto , & eſt ſemen Dei . Igitur habet proportionem cum vita æterna .

Quarto : Vita æterna eſt denarius diurnus laborantium in vinea , ut legitur Matth. 20. Atqui ex eodem Evangeliſta denarius diurnus eſt juſtum pretium laboris , operis ſcilicet in gratia & charitate facti . Ergo &c.

Quinto : Opus juſti ex D. Thoma hic art. 3. ſortitur virtutem a Spiritu ſancto movente animam , & in ipſa per charitatem inhabitante : Igitur eo eſt proportio cum vita æterna , quæ eſt ab ipſo Spiritu ſancto .

Sexto : Opus juſti charitate formatum haurit a valore Chriſti , cui juſtus conjungitur , valorem & dignitatem , quia ex Evangelio Chriſtus influit ut caput in membra . Ergo &c.

Septimo : Motus cujuslibet naturæ habet proportionem cum termino & fine ad quem tendit : Atqui opus vi charitatis elicitum de ſe tendit ad Deum ut ſummum bonum poſſidendum . Ergo &c.

Octavo : Sufficit ad meritum de condigno æqualitas proportionis fundata in juſtitia diſtributiva : ſed hæc reperitur inter opus charitate formatum , & ipſam vitam æternam . Ergo &c. Major propoſitio patet ex D. Th. qui in ſecundum diſt. 27. art. 3. ad 2. ait : " Non requiritur „ ad condignitatem diſtributivæ juſtitiæ „ æqualitas quantitatum , ſed proportio- „ nis tantum . „ Et hic art. 3. ad 3. " „ Gratia Spiritus ſancti , quam in præſenti „ habemus , etſi non ſit æqualis glo- „ riæ in actu , eſt tamen æqualis in „ virtute : ſicut ſemen arborum , in „ quo eſt virtus ad totam arborem . „

Ex hoc ſequitur juſtum promereri de condigno etiam augmentum gratiæ , & charitatis per opera ſua bona ; & hoc ex profeſſo docet D. Thomas hic art. 8. auctoritate S. Aug. & ratione . Ex Aug. quidem qui Tract. 5. in epiſt. Joan. dicit , quod : " Charitas meretur augeri , ut au- „ cta mereatur & perfici „ Ratione ve- „ ro , his verbis : " Dicendum , quod „ ſicut ſupra dictum eſt , illud cadit ſub „ merito condigni ad quod motio gratiæ ſe „ extendit : motio autem alicujus moven- „ tis , non ſolum ſe extendit ad ultimum „ terminum motus , ſed etiam ad totum „ progreſſum in motu : terminus autem „ motus gratiæ , eſt vita æterna : pro- „ greſſus autem in hoc motu eſt ſecundum „ augmentum charitatis , vel gratiæ , „ ſecundum illud Prov. 4. Juſtorum ſemi- „ ta quaſi lux ſplendens procedit & cre- „ ſcit uſque ad perfectum diem : qui eſt „ dies gloriæ ; ſic igitur augmentum gra- „ tiæ cadit ſub merito condigni . „

Solvuntur objectiones .

OBJICIES : Rom. 8. habetur : *Exiſtimo , quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam , quæ revelabitur in nobis* . Igitur licet bonum opus ſit meritorium , non tamen de condigno ; unde Rom. 6. ſuper illud : *Gratia Dei vita æterna* ; dicit Gloſſ. " Poſſet recte „ dicere ſtipendium juſtitiæ vita æter- „ na : ſed maluit dicere , gratia Dei „ vita æterna . „

Reſpondeo diſtinguendo conſequens : Opus meritorium non meretur de condigno rigoroſo , & fundato in juſtitia commutativa vitam æternam , concedo : de condigno ut ſic , fundato in juſtitia diſtributiva quæ ſervat proportionem , nego . Primum ſolum probant omnes tum Scripturæ , tum Patrum auctoritates ; ſecundum vero colligitur ex ipſo Apoſtolo 2. Cor. 4. ubi dicit , quod momentaneum & leve tribulationis noſtræ , æternum gloriæ pondus operetur in nobis , unde S. Bern. ſerm. 19. in Pſal. *qui habitat &c.* ſic fatur : " Latet gloria fratres „ mei , abſcondita nobis eſt in tribu- „ latione , in momento hoc latet æter- „ nitas , in hoc levi pondus ſublime & „ ſupra modum . „

Reſpondet D. Thomas hic art. 3. ad 1. bis verbis : " Dicendum , quod Apoſto-
,, lus loquitur de paſſionibus ſecundum
,, eorum ſubſtantiam . ,, Id eſt ſine gratia conſideratis.

Reſpondet, ibidem ad ſecundum : " Di-
,, cendum , quod Verbum illius Gloſſæ
,, intelligendum eſt quantum ad primam
,, cauſam perveniendi ad vitam æter-
,, nam , quæ eſt miſeratio Dei : meri-
,, tum autem noſtrum eſt cauſa ſubſe-
,, quens . ,,

Inſtabis : Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. ſic ait : *Juſtificatis hominibus & bene operantibus proponenda eſt vita æterna , tamquam gratia miſericorditer promiſſa* . Sed quod datur ex gratia & miſericordia , non datur ex merito de condigno . Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Vita æterna datur ex gratia & miſericordia , quia Deus non tenebatur elevare hominem ad finem ſupernaturalem , tum quia gratia eſt meriti principium , concedo : datur ex pura miſericordia excludendo meritum , ſubdiſtinguo : meritum fundatum in juſtitia commutativa , concedo : fundatum in juſtitia diſtributiva , nego. Solutio eſt ipſius Concilii , habetur enim in præcedentibus verbis : *Et tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus , & meritis fideliter reddenda : hæc eſt enim illa corona juſtitiæ , quam poſt ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe ajebat Apoſtolus*.

Urgebis : S. Auguſtinus in Pſal. 70. ſic habet : " Si Deus damnaret juſtum , quis
,, ei diceret , quid feciſti ? Quanta er-
,, go miſericordia ut juſtificet injuſtum.
,, Sed ſi vita æterna deberetur juſto ex condigno , videtur quod Deus faceret injuriam denegando hominibus juſtis . Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem : Si jus ad gloriam fundaretur in juſtitia commutativa , fieret injuria , ſi juſto denegaretur gloria , concedo : ſi fundaretur radicaliter in miſericordia , in promiſſione Dei , & in juſtitia tantum diſtributiva , nego. Igitur nulli Deus injuriam faceret, ſi denegaret vitam æternam etiam juſto, quia iſtud meritum fundatur in gratia & promiſſione ſua , item & in juſtitia tantum diſtributiva , tum quia etiam opera noſtra aliis titulis Deo debentur : ſi igitur Deus illam denegaret , non ſatisfaceret quidem promiſſioni ſuæ, ſed nihil contra juſtitiam operaretur.

Inſiſtes : S. Thomas hic quæſt. 114. art. 1. dicit inter nos & Deum non dari meritum ſimpliciter , quia non poteſt eſſe juſtitia ſimpliciter : Igitur opera bona non promerentur de condigno vitam æternam . Et probatur conſequentia : meritum de condigno fundatur in juſtitia vera. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Inter nos & Deum non datur meritum ſimpliciter , id eſt, rigoroſum & in juſtitia commutativa fundatum , concedo : meritum ut ſic , fundatum in juſtitia proportionis inter laborem & præmium, nego. Solutio eſt D. Thomæ , qui 1. contra gent. cap. 93. de Deo loquens , ſic concludit ; " Non igitur ſibi competit com-
,, mutativa juſtitia , ſed ſolum diſtribu-
,, tiva . ,, Unde diſtinguendum eſt pariter conſequens ; & ad probationem dico non dari quidem juſtitiam rigoroſam inter Deum & hominem ſeu Arithmeticam , bene vero Geometricam , & proportionum , ſiquidem , teſte Apoſtolo , reddet unicuique Deus ſecundum opera ſua.

Replicabis : Compenſatio non attenditur ſecundum juſtitiam debitam , ſed ſecundum operantis affectum ; legitur enim Marc. 12. quod vidua offerens duo æra minuta , plus obtulerit quam cæteri qui plus poſuerant in Gazophilatio : Igitur opera bona non merentur ex condigno ſeu ex juſtitia vitam æternam.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Meritum fundatur in affectu, id eſt, in charitate quæ eſt illius principium , concedo : nihil enim poſſumus dare Deo , juxta illud Rom. 12. *Quis prior dedit illi , & retribuetur ei* . Per charitatem vero exhibemus cor , quod ipſe poſtulat , dicens : *Præbe fili mi cor tuum mibi* . Et ille affectus excludit juſtitiam diſtributivam , nego.

Perſiſtes : Qui compenſat ultra condignum , non compenſat de condigno : ſed Deus dando vitam æternam , juſtos compenſat ultra condignum ; habetur enim Luc. 6. *Menſuram bonam , & confertam , & coagitatam , & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum* . Cui concinit illud Fulgentii lib. 1. ad Monimum cap. 10. " Gra-

tia

„ tia autem etiam ipſa, ideo non injuſte di-
„ citur, quia non ſolum donis ſuis Deus
„ dona ſua reddit, ſed quia tantum etiam
„ ibi gratia divinæ retributionis exube-
„ rat, ut incomparabiliter atque ineffabi-
„ liter omne meritum, quantumvis bonæ,
„ & ex Deo datæ, humanæ voluntatis,
„ atque operationis excedat. „

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Compenſatio ſupra coodignum, non eſt de condigno rigoroſo, concedo: de condigno ut ſic, in diſtributione Dei & juſtitia diſtributiva fundata, nego. Primum ſolum auctoritates tum Scripturæ, tum Patrum probant. Cæterum licet aliquis debeos ex juſtitia venditori quinque ſolum aſſes, & triginta retribuat, non ſequitur quod non compenſet ex juſtitia.

Inſtabis: Perſeverantia non cadit ſub merito de condigno: Igitur nec vita æterna ad quam conducit; ſiquidem medium & finis eamdem rationem induunt.

Reſpondeo negando paritatem propter duo. Primo quidem, qui promittit palmam vincenti, non ipſi promittit victoriam, ſed ſuum eſt ſic currere ut bravium attingat. II. Perſeverantia eſt principium meriti; incipit enim a prima gratia quæ eſt in nobis ſine nobis, quæque non cadit ſub merito: vita vero æterna ſe habet ut terminus, unde cadit ſub merito bonorum operum: ſic docet D. Thomas hic art. 8.

Dices: Juſtus non poteſt mereri augmentum charitatis. Et probatur I. Quia charitas minus intenſa non poteſt producere majorem, quandoquidem effectus producendus præcontineri debet in ſua cauſa. II. Sequeretur quod daretur proceſſus in infinitum, quia hoc poſito principio, juſtus poſſet in infinitum novos promereri charitatis gradus bene operaodo, & per iſtos novos etiam gloriæ gradus, & per iſtos adhuc alios ſine fine, quod non eſt admittendum.

Reſpondeo negando majorem. Ad primam probationem, diſtinguo minorem: Charitas ſe ſola non poteſt producere majorem, concedo: adjuta per gratiam actualem, nego. Tum quia producit ex promiſſione Dei, & vi meriti in quantum Deus charitatem majori remunerat charitate, quæ quidem, inquit D. Thomas hic, præcontinetur in prima ſicut arbor in ſemine; ſemen autem ſe explicat in productione, ſic quoque charitas per majorem diffunditur charitatem, unde Apoc. 22. 11. habetur: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*.

Ad ſecundum dico, non implicare infinitum Syncategorematicum & a poſteriori, unde Propheta dicit Pſal. 18. *Dies diei eructat verbum*. Id eſt, novum boonum opus, novam in augmento producit charitatem, qua juſtus iterum operans, acquirit jus ad gloriam: & hæc conſolatio noſtra eſt, quod qui ſingula pro Deo operatur, novos ſemper promereatur gloriæ æternæ gradus, quam quidem gratiam Apoſtolus explicat narrando diverſa juſtorum merita & præmia per ſtellas, quæ licet omnes lucidæ, in claritate tamen differunt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Actus juſti virtute charitatis factus meretur de condigno vitam æternam.

PRIMO: Hoc ipſum clare annuntiat Apoſtolus 2. ad Timoth. 4. his verbis: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die juſtus judex, non ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt adventum ejus*:

Secundo: Suffragantur Patres: Cyprianus ſerm. de eleemoſyna. Ambroſius ſerm. 7. in Pſal. 118. Chryſoſtomus homil. 3. in Matth.

Tertio: Ratio D. Thomæ hic quæſt. 114. art. 3. eſt, quod illud opus fiat Spiritus ſancti motione, virtute & gratia, de qua ſcriptum eſt Joan. 4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Tum quia eſt proportio inter laborem & præmium, eo ipſo quo eſt promiſſio Dei de compenſando, & opus a charitate procedit.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Omnes tum Scripturæ, tum Patrum auctoritates in contrarium, probant tantummodo meritum juſtorum non eſſe in juſtitia commutativa fundatum, in radice habere pro principio miſericordiam, & Deum abſque injuria poſſe vel ipſum juſtum gloria privare, quandoquidem ejus opera, aliis titulis, titulo ſci-
licet

licet creationis & redemptionis illi debentur.

Secundo: Nec ullum faceſſit negotium, dum S. Thomas hic quæſt. 114. art. 1. ait, juſtum non habere vi ſui erga Deum amoris meritum ſimpliciter; iſto quippe loquendi modo excludit ſolum meritum rigoroſum, quod inter æquales reperitur: puta quum compenſationis largitor, illam ex juſtitia commutativa debet.

Tertio: Nec mirum videri debet, ſi Deus dicatur præmiare juſtos ultra condignum; hoc etiam nihil aliud importat, niſi quod meritum juſti in ipſa Dei gratia fundetur.

ARTICULUS ULTIMUS.

De merito de congruo ejuſque objecto ſeu termino.

QUÆRES utrum peccator per bona opera, puta per contritionem, per actus fidei & ſpei poſſit mereri de congruo gratiam ſanctificantem, qua juſtificetur?

Reſpondeo affirmative, juxta illud Scripturæ, Zachar. 1. 3. *Convertimini ad me... & convertar ad vos*. Ratio eſt, quia meritum de congruo illud eſt cui debetur aliqua merces ex convenientia. Atqui peccatori laboranti propter Deum debetur ex convenientia aliqua merces illi conveniens, qualis eſt ipſius juſtificatio; ſic apud homines filius contra quem iratus eſt pater, ſuam gradatim advocat reconciliationem bonis erga patrem Officiis: Igitur peccator meretur de congruo juſtificationem: tum quia bona opera ſunt converſionis initia, tum etiam quia per hæc incipit ſatisfacere juſtitiæ divinæ.

Quæres II. Utrum juſtus poſſit mereri de congruo perſeverantiam finalem?

Reſpondeo cum Bellarmino affirmative, juxta illud Matt. 10. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Promittitur vita æterna perſeverantibus: Igitur conſequenter & perſeverantia. I. Quia facienti quod in ſe eſt cum auxilio gratiæ actualis, Deus non denegat gratiam ad perſeverandum in bono. II. Qui facit Dei voluntatem in mandatis ejus, meretur quodammodo, ut Deus etiam ipſius vota compleat concedendo perſeverantiam, ſiquidem teſte Aug. lib. 22. de civit. cap. 7. exaudit deprecantem. III. Ex Trident. ſeſſ. 6. non injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis noſtri boni & fuſarum ſæpius lacrymarum, ad obtinendam perſeverantiam; ſi tamen meritum de congruo ſumatur rigoroſe, non attingit uſque ad perſeverantiam finalem, eo quod perſeverantia ſuum ducat initium a prima gratia quæ eſt in nobis ſine nobis, & terminetur per providentiam extrinſecam quæ conjungit mortem cum gratia. Prima autem gratia, & illa providentia ſub merito non cadunt.

Quæres III. Utrum juſtus poſſit ſibi mereri reparationem poſt lapſum, id eſt, utrum juſtus per bona opera quæ fecit in juſtitia, mereri poſſit ut reſurgat a peccato mortali, ſuppoſito quod in illud infeliciter prolabatur?

Reſpondeo, cum D. Thoma hic art. 7. negative, juxta illud Ezech. 18. *Si averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur*. Sed ſi juſtus mereretur reparationem poſt lapſum, Deus recordaretur juſtitiarum quas antea feciſſet. Ergo &c. Ratio includitur in verbis Prophetæ, quia eo ipſo quo juſtus incidit in peccatum mortale, mortificantur bona opera priora, & vita privantur: Igitur nihil amplius influunt, donec reviviſcant per ipſius peccatoris pœnitentiam.

Quæres IV. Utrum juſtus poſſit alteri mereri juſtificationem?

Reſpondeo affirmative: Et multa habentur de hac re in Scripturis exempla, maxime in pio & devoto Moyſe, qui ſæpius oratione Dominum placavit iratum contra populum propter Idololatriam. Job, vel ipſo ordinante Deo, oravit pro amicis ſuis, ut eorum veniam pro peccatis obtineret. Concluſionem probat invocatio Sanctorum. Et vero cum ſint amici Dei, inquit D. Thomas, & ipſius fecerint in mandatis voluntatem, etiam placet ei, concedere poſtulata.

Quæres V. Utrum bona temporalia cadant ſub merito?

Reſpondeo I. Non cadere ſub merito ſecundum ſe, ſiquidem ſunt communia juſtis & injuſtis, ut habetur Eccl. 9.

Re-

Reſpondeo II. Cadere ſub merito ſi impetrentur a fide & a charitate, quia a virtutibus hauriunt meritum, unde Apoſtolus dicit: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*.

SYNOPSIS ARTICULI.

PRIMO: Peccator per ſua bona opera motivo ſupernaturali facta meretur aliquo modo juſtificationem; conveniens enim eſt ut Deus faciat voluntatem illius, qui in pluribus ſuam adimplet, & in omnibus in votis habet adimplere.

Secundo: Juſtus per bona opera quæ facit dum adhuc charitate floreſcit, merito præmaturo & anticipato, ſuam poſt futurum lapſum non mereri reparationem valet, cum Deus ipſe Ezech. 18. teſtetur, quod omnium ejus juſtitiarum non recordabitur, ſi cadat in gravius peccatum.

Tertio: Juſtus poteſt quidem bonis operibus advocare ſibi perſeverantiam finalem; non tamen illam promereri, quippe quæ incipiat a prima gratia quæ eſt in nobis ſine nobis, & terminetur per providentiam ſpecialem, mortem cum charitate conjungentem, quæ ſane non cadit ſub merito.

Concilium Arauſicanum II.

CANON I.

SI quis per offenſam prævaricationis Adæ, non totum (id eſt, ſecundum corpus & animam,) in deterius dicit hominem commutatum, ſed animæ libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adverſatur Scripturæ dicenti, Anima quæ peccaverit, ipſa morietur; Et, Neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis? Et, A quo quis ſuperatur, ejus & ſervus addicitur.

II.

Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam, non & ejus propagini, aſſerit nocuiſſe, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, per unum hominem in omne genus humanum tranſiiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.

III.

Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit conferri, non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti: Inventus ſum a non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant.

IV.

Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto, per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas a Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

V.

Si quis, ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui juſtificat impium, & ad regenerationem Baptiſmatis pervenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis ineſſe dicit; apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur, beato Paulo dicente: Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet uſque in diem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et illud: Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini. Et, Gratia ſalvi facti eſtis per fidem, non ex vobis: Dei enim donum eſt. Qui enim fidem,

qua

qua in Deum credimus, dicunt eſſe naturalem, omnes eos, qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodo fideles eſſe diffiniunt.

V I.

Si quis ſine gratia Dei, credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem divinitus, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & iſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, nec ut obediens & humillimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non accepiſti? Et, Gratia Dei ſum id quod ſum.

V I I.

Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit aut eligere, ſive ſalutari (id eſt, evangelizanti) prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei, in Evangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis facere. Et illud Apoſtoli: Numquid idonei ſumus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis? Sed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

V I I I.

Si quis (alius miſericordia, alius vero per liberum arbitrium, quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati ſunt) conſtanti ſævitia hominem ad gratiam Baptiſmi poſſe venire contendit, a recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum, aut certe ita læſum putat, ut tamen quidam valeant, ſine revelatione Dei, myſterium ſalutis æternæ per ſemetipſos poſſe conquirere. Quod quam ſit contrarium ipſe Dominus probat, qui non aliquos, ſed neminem ad ſe poſſe venire teſtatur, niſi quem Pater attraxerit. Sicut & Petro dicit: Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Et Apoſtolus: Nemo poteſt dicere Dominum Jeſum Chriſtum, niſi in Spiritu ſancto.

I X.

De adjutorio Dei. Divini eſt numeris, cum & recte cogitamus, & pedes noſtros a ſalſitate & injuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.

X.

De adjutorio Dei. Adjutorium Dei etiam renatis ac Sanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere pordurare.

X I.

De obligatione votorum. Nemo quicquam Domino recte voverit, niſi ab ipſo acceperit, ſicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.

X I I.

Quales nos diligit Deus. Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.

XIII.

De reparatione liberi arbitrii. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi, non poteſt reparari. Quod amiſſum, niſi a quo potuit dari, non poteſt reddi. Unde ipſa veritas dicit: Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.

X I V.

Nullus miſer de quacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur, ſicut dicit Pſalmiſta: Cito anticipet nos miſericordia tua, Domine. Et illud: Deus meus, miſericordia ejus præveniet me.

Digitized by Google

X V.

Ab eo quod formavit Deus, mutatus eſt Adam, ſed in pejus per iniquitatem ſuam: ab eo quod operata eſt iniquitas, mutatur fidelis, ſed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio, fuit prævaricatoris primi: Hæc, ſecundum Pſalmiſtam, mutatio eſt dexteræ Excelſi.

X V I.

Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur, tamquam non acceperit: aut ideo ſe putet accepiſſe; quia littera extrinſecus, vel ut legitur, apparuit, vel ut audiretur, ſonuit. Nam ſicut Apoſtolus dicit: Si per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicumque habet. Quiſquis autem inde ſe habere negat, aut vere non habet, aut id quod habeat, auſertur ab eo.

X V I I.

De fortitudine chriſtiana. Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, ſed Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, nullis meritis gratiam prævenientibus.

XVIII.

Debetur merces de bonis operibus, ſi fiant: ſed gratia quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

XIX.

Neminem niſi Deo miſerante ſalvari. Natura humana, etiam ſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit; quomodo ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?

X X.

Nihil boni hominem poſſe ſine Deo. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo.

X X I.

De natura & gratia. Sicut ejus, qui volentes in lege juſtificari, & a gratia exciderunt, veriſſime dicit Apoſtolus: Si ex lege juſtitia eſt; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt; jam hic enim erat lex, & non juſtificabat: jam hic erat & natura, & non juſtificabat: ideo Chriſtus non gratis mortuus eſt, ut & lex per illum impleretur, qui dixit: Non veni legem ſolvere, ſed adimplere: & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, veniſſe ſe quærere & ſalvare quod perierat.

X X I I.

De his quæ hominum propria ſunt. Neme habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque juſtitiam, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam inrorati, non deficiamus in via.

X X I I I.

De voluntate Dei & hominis. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ ſerviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illorum tamen voluntas eſt, a quo præparatur, & jubetur, quod volunt.

X X I V.

De palmitibus vitis. Ita ſunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, ſed inde accipiunt, unde vivant. Sic quippe vitis eſt in palmitibus ut vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. Ac per hoc & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, diſcipulis prodeſt; & non Chriſto. Nam præciſo palmi-

palmite, poteſt de viva radice alius pullulare. Qui autem præciſus eſt, non poteſt ſine radice vivere.

XXV.

De dilectione, qua diligimus Deum. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum. Ipſe, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit. Diſplicentes, amati ſumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus noſtris ſpiritus Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio. Ac ſic ſecundum ſupra ſcriptas ſanctarum Scripturarum ſententias, vel antiquorum Patrum diffinitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis, ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit. Unde Abel juſtum, & Noe, & Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnem antiquorum Sanctorum multitudinem, illam præclaram fidem, quam in ipſorum laudem prædicat Apoſtolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei credimus fuiſſe collatam: quia gratiam, etiam poſt Adventum Domini, omnibus qui baptizari deſiderant, non in libero arbitrio habere, ſed in Chriſti novimus ſimul & credimus largitate conferri, ſecundum illud, quod jam ſupra dictum eſt, & prædicat Paulus Apoſtolus: Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini. Et illud: Deus, qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet uſque in diem Domini noſtri. Et illud: Gratia ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt. Et quod de ſeipſo ait Apoſtolus: Miſericordiam conſequutus ſum, ut fidelis eſſem. Non dixit, quia eram, ſed, ut eſſem. Et illud: Quid habes quod non accepiſti? Et illud: Omne datum bonum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum. Et illud: Nemo habet quidquam boni, niſi illud illi datum fuerit deſuper. Innumerabilia ſunt ſanctarum Scripturarum teſtimonia, quæ poſſint ad probandam gratiam proferri: ſed brevitatis ſtudio prætermiſſa ſunt, quia & revera, cui pauca non ſufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam ſecundum fidem catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina poteſtate Prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam, ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus. Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur: ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui prius inſpirat, ut & Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum cum ipſius adjutorio ea quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus. Unde manifeſtiſſime credendum eſt, quod & illius latronis, quem Dominus ad Paradiſi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit natura, ſed divinæ largitatis donum. Et quia diffinitionem antiquorum Patrum, noſtramque, quæ ſupra ſcripta eſt, non ſolum Religioſis, ſed etiam Laicis, medicamentum eſſe & deſideramus & cupimus: Placuit ergo ut etiam illuſtres ac magnifici viri, qui nobiſcum ad præfatam feſtivitatem convenerunt, propria manu ſubſcriberent: Cæſarius in Chriſti nomine Epiſcopus, conſtitutionem noſtram relegi, & ſubnotans ſubſcripſi, quinto Nonas Julii, Decio Juniore viro clariſſimo Conſ. Julianus Epiſcopus ſubſcripſi. Conſtantius Epiſcopus ſubſcripſi. Cyprianus Epiſcopus ſubſcripſi. Eucherius Epiſcopus ſubſcripſi. Heraclius Epiſcopus ſubſcripſi. Philagrius Epiſcopus ſubſcripſi. Maximus Epiſcopus ſubſcripſi. Prætextatus Epiſcopus ſubſcripſi. Aletius Epiſcopus ſubſcripſi. Lupercianus Epiſcopus ſubſcripſi. Vindemialis Epiſcopus ſubſcripſi. Petrus, Marcellus, Felix, Liberius, viri clariſſimi & illuſtres Præfecti Prætorii Galliarum atque Patricii, conſentientes ſubſcripſerunt. Opilio vir clariſſimus Conſul. ſubſcripſit. Sigarius vir clariſſimus Conſul. ſubſcripſit, &c.

Ca-

Digitized by Google

Canones Concilii Tridentini. Seſſ. VI.

DE JUSTIFICATIONE.

CANON I.

SI quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant: abſque divina per Jeſum Chriſtum gratia poſſe juſtificari coram Deo; anathema ſit.

II.

Si quis dixerit, ad hoc ſolum divinam gratiam per Chriſtum Jeſum dari, ut facilius homo juſte vivere, ac vitam æternam promereri poſſit, quaſi per liberum arbitrium ſine gratia utrumque, ſed ægre tamen & difficulter poſſit; anathema ſit.

III.

Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.

IV.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quod ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere; anathema ſit.

V.

Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam; anathema ſit.

VI.

Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema ſit.

VII.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur in ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema ſit.

VIII.

Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere; anathema ſit.

IX.

Si quis dixerit, ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari atque diſponi; anathema ſit.

X.

Si quis dixerit, homines ſine Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit, juſtificari, aut per eam ipſam formaliter juſtos eſſe; anathema ſit.

XI.

Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei; anathema ſit.

XII.

Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe quam fiduciam divinæ miſericordiæ

cordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe, qua juſtificamur; anathema ſit.

XIII.

Si quis dixerit, omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, ut credat certo, & abſque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa; anathema ſit.

XIV.

Si quis dixerit, hominem a peccatis abſolvi ac juſtificari ex eo quod ſe abſolvi ac juſtificari certo ſciat; aut neminem vere eſſe juſtificatum, niſi qui credat ſe eſſe juſtificatum, & hac ſola fide abſolutionem & juſtificationem perfici; anathema ſit.

XV.

Si quis dixerit, hominem renatum, & juſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certo eſſe in numero prædeſtinatorum; anathema ſit.

XVI.

Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certo habiturum, abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit; anathema ſit.

XVII.

Si quis juſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divina poteſtate prædeſtinatos ad malum; anathema ſit.

XVIII.

Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia; anathema ſit.

XIX.

Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos; anathema ſit.

XX.

Si quis hominem juſtificatum, & quantum-libet perfectum dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum; quaſi vero Evangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſervationis mandatorum; anathema ſit.

XXI.

Si quis dixerit, Chriſtum Jeſum a Deo hominibus datum fuiſſe ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legiſlatorem cui obediant; anathema ſit.

XXII.

Si quis dixerit, juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe; anathema ſit.

XXIII.

Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur & peccat, numquam vere fuiſſe juſtificatum; aut contra, poſſe in tota vita, peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit.

XXIV.

Si quis dixerit, juſtitiam acceptam non conſervari atque etiam augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa fructus ſolummodo, & ſigna eſſe juſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſam; anathema ſit.

XXV.

XXV.

Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema ſit.

XXVI.

Si quis dixerit, juſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & ſperare æternam retributionem a Deo per ejus miſericordiam, & Jeſu Chriſti meritum, ſi bene agendo, & divina mandata cuſtodiendo uſque in finem perſeveraverint; anathema ſit.

XXVII.

Si quis dixerit, nullum eſſe mortale peccatum, niſi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi & enormi, præterquam infidelitatis peccato ſemel acceptam gratiam amitti; anathema ſit.

XXVIII.

Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti: aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva; aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.

XIX.

Si quis dixerit, eum qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere; aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam juſtitiam recuperare ſine Sacramento Pœnitentiæ, prout ſancta Romana & univerſalis Eccleſia, a Chriſto Domino & ejus Apoſtolis edocta, huc uſque profeſſa eſt, ſervavit & docuit; anathema ſit.

XXX.

Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit; anathema ſit.

XXXI.

Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema ſit.

XXXII.

Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam ipſius juſtificati merita; aut, ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.

XXXIII.

Si quis dixerit per hanc doctrinam catholicam de juſtificatione, a ſancta Synodo hoc præſenti Decreto expreſſam, aliqua ex parte gloriæ Dei vel meritis Jeſu Chriſti Domini noſtri derogari, & non potius veritatem fidei noſtræ, Dei denique ac Chriſti Jeſu gloriam illuſtrari; anathema ſit.

Nota. *Si* quid, tametſi incaute, aut contra fidem aut contra probos mores irrepſerit, hoc ipſum retracto, & ut non ſcriptum habeo. Tum omnia humiliter ea qua par eſt reverentia ſubjicio judicio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Matris meæ.

Finis Tomi Tertii.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

5–2

Digitized by Google

Google